UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Tomus ...

Lugduni, 1652-1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-80577

Visual Library

Th. 862a.

G. VIII
14.

E. 5 COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fam.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR

ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ

MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE

Lite Sententiæ nec-non Controuersæ Disquisitiones,

TOMI TERTII PARS ALTERA.

MATRIMONII SACRAMENTVM.

Quatuor Libris Tractatus continet de Sponsalibus, de Matrimonij Essentia, Consensu Recto, Clandestino, Coacto, ac Conditionato, de Debito coniugali, ac Diuortio, de Impedimentis, & Dispensationibus.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIII.

CVM APPROB. ET PERMISSV.



Illustrissimo ac Reuerendissimo

D. D. NICOLAO

RODRIGVEZ

DE HERMOSINO

Asturicæ Augustæ Episcopo.

PROFABATVR Ausonius, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *Operi intellectuali Sacro*, nempe Theologico Tractatui, *vir sapiens ac virtute decorus est in patronum eligendus. Illum autem verè sapientem, ac virtute præditum recognosce, quem non fauoris manus humana, sed ipse sapientiæ, ac virtutis fulgor munia ad præclara euexit.* En PRÆSVL ILLVSTRISSIME, tuæ constitutionis pulchram imaginem. Te tua sapientia, tua virtus exiguo temporis interstitio è gradu in gradum, ad supremum adduxit: vix Canonici Pœnitentiarij munus in Cathedrali illustrissima Ecclesia Vallisoletana suscepisti, cum supremus S. Inquisitionis Præses, qui instar Spiritus Sancti Columbæ, *eligit meliora grana*, vt Psellus aiebat, Te ad officium Fiscalis Vallisoletani au-

gusti Fidei Tribunalis assumpsit. Mox inter Senatores annumeratus fuisti. Et (quod rarò assolet euenire) vix hoc fuisti munere ornatus, cum supremum Fidei Tribunal iniisti: è quo ad Pontificatum es meritissimè promotus. Hoc quidem non manus humana, sed sapientia, ac virtus potuit efficere. Qui tuæ sapientiæ præstantiam velit agnoscere, tua euoluat doctissima, eruditissimaque Sacrorum Canonum Volumina decem. Numerum profero admiratione affectus, quod tot grauissimis negotiis distractus, tanta Ecclesiæ, ac Tribunali assistentia, potueris vel vnum elaborare. Nam si qualitatem Operis expediam, maiori afficior admiratione: plane reperiens *Volumina* tua *legentium laude non indigere* (cum Periandro loquor) *quæ ex stylo, & materiæ dignitate sibi existunt elogium.*

Si verò ad virtutis fulgorem accedam, velamine indigere video, ne aspicientis visus offundatur. Te semper velante Episcopatum Episcopum moribus recognoui. Paulus authoritatem Episcopalem Tito commendans, ait: *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum*, Cap. 2. v. 1. Vis mores tuos, quos oculatus testis annotaui, quosque Tu humilitatis affectu nondum approbans agnouisti, describam? Loquar cum Nazianzeno sic Athanasium

descri

describente. *Vita sublimis erat, verùm animo humilis: atque ea quidem virtute, vt vix ad eam quis aspicere posset. Cæterùm ea comitate, vt ad eius congressum facilis omnibus aditus pateret. Ad miserationem propensus, sermone iucundus, moribus iucundior, animo Angelicus.* Si hic Canonicus,& Fidei Quæstor fuisti, qualis Pontifex eris: cum heroica virtus semper ascendat? Te proculdubio Asturicensis Augustæ Diœcesis propitio Syderе Præsulem, Patrem, ac Principem nacta, velut olim Metropolis Alexandrina Basilium iam incipit experiri. Mihi iam videor *egentes te videre* (cum eodem Nazianzeno loquor) *curam & præsidium, virgines pauperes connubij molitorem, quæ matrimonio constrictæ sunt, moderatorem, qui solitariam vitam agunt, excitatorem, simplices deductorem, speculationi dediti Theologum, hilares frænum, calamitosi consolatorem, canities baculum, iuuentus pædagogum, paupertas largitorem, diuitiæ dispensatorem, viduæ patronum, pupilli patrem, pauperes pauperum studiosum, peregrini hospitalem, ægrotantes medicum, sani valetudinis custodem, omnes denique eum, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucri faciat.*

Denique vt apud Te Liber meus securiorem valeat protectorem ambire nostram Societatem beneficentia tua complexa est ex summo enata amore, quo illam prosequeris. Diligis Societa-

tem, foues, tueris. Gratias illa agit, & quoquo modo poteſt obſequio ſuo, ac Miſſionum præcipuè miniſterio referre cupit. Ego autem tuam erga me beneuolentiam totiens expertus, gratias adiungo meas, ſi quid illæ momenti habēt, & munuſculum hoc, ſi offerentem aſpectes paruum: ſi in materiam aduertas oculos, magnum omninò, obſequentiſſimo animo offero. Gratum vtinam ſit benignitati tuæ, PONTIFEX ILLVSTRISSIME. Manebit odor & gratia, quam à tuis collegerit manibus, ſicut ſuauis odor rebus manet, quæ manus tangunt odoriferas. Vale & æternum viue.

TVI HVMILLIMVS SERVVS.

ANT. DE ESCOBAR ET MENDOZA.

Facultas

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Castellanæ.

FRANCISCVS Antonius Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. P. Vincentio Carrafa Præposito Generali, facultatem do, vt opus morale de Sacramentis in Genere & particulari *à P. Antonio de Escobar* compositum, grauiúmque doctorum hominum Iudicio approbatum, typis mandetur; In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo munitas dedimus Vallisoleti Iulij die 28. ann. 1647.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIO.

R. P. *Antonij de Escobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextũ & Septimum vniuersæ Theologiæ Moralis* attente perlegimus nos infra scripti facultatis Parisiensis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij 1663.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio

Approbatio Ordinarij.

CVM hos quinque Tomos, nempe *Tertium*, *Quartum*, *Quintum*, *Sextum & Septimum Vniuersæ Theologiæ Moralis*, quorum Author est *R. P. Antonius de Escobar Societatis IESV*, se attentè perlegisse suprà nominati Facultatis Parisiensis Doctores Theologi testentur, nihilque in illis deprehendisse, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij 1663.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iusti Vic. Gen.*

Consensus Procuratoris Regij.

LIbrum inscriptum R. P. Antonij de Escobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij 1663.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis Consensu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunensibus, concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februarij 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
CAPITVM ET DVBIORVM,
quæ in hac Tomi Tertij parte secunda continentur.

LIBER XXIV.

Sponsalia.

SECTIO I.

De Sponsalibus receptiores sine lite Sententiæ. p 1.

Caput 1. DE conditionibus requisitis ad sponsalia. ibidem.

Cap. 2. De sponsalium obligatione. vbi de arrhis fideiussore, & pacto, pag. 4.

Caput 3. De sponsalium dissolutione. pag. 5.

Caput 4. Quana ma.horitate sint Sponsalia dissoluenda? pagina 6.

SECTIO II.

De Sponsalibus, varia Dubia. p 7.

C 5 CIrca sponsalium obligationem. ibid.

D. 1. An violatio iuris, quod ex sponsalibus acquirunt sponsi in corpus fornicando cum altero, sit adulterium. ibidem.

2. An circumstantia sponsalium in fornicatione, sit confessario aperienda. ibid.

3. An sufficiat ad sponsalium valorem promissio merè interna facta homini, licet non adsit externa acceptatio. p. 8

4. An censenda sit sufficiens ad Sponsalia repromissio, quando alter fidem dat de matrimonio contrahendo, alter vero non repromittit expresse, sed acceptat promissionem, v.g dicendo, Placet, vel accepto, vel, gratias ago pro Beneficio. ibidem.

5. Dato, quod simplex ista acceptatio non sit repromissio, is qui fidem dedit obligatur ad contrahendum matrimonium altero minime obligato? ibidem

6. An promissio matrimonij contrahendi absenti facta possit ante absentis acceptationem reuocari, nemine pro eo acceptante, aut stipulante. p. 9.

7. An

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

7. An promissio matrimonij absenti facta, aliquo stipulante, seu acceptante absentis nomine possit reuocari? ibid.

8. An ad valorem sponsalium sufficiat ea deliberatio, quæ ex iracundiæ calore procedit. ibid.

9. An destitutus sensibus, quibus naturam, & vim contractus valeat edoceri (vt surdus, & mutus à natiuitate) possit Sponsalia inire? pagina 10.

10. An qui est simul Surdus, Mutus, & Cœcus, possit sponsalia inire. ibidem.

11. An Insanus, & mente captus possit Sponsalia contrahere seu matrimonium inire, si contrahens cùm eo erat conscius furoris, aut mentis impotentiæ. ibid.

12. An quando ab aliquo promissio fit animo promittendi non tamen se obligandi sunt vera Sponsalia, ac promittens maneat obligatus. pagina 11.

13. An qui promissionem matrimonij futuri, iuramento stabilitam, animo quidem iurandi, sed expresso non se obligandi: obligetur, constituatque vera Sponsalia? ibidem.

14. Dubitat quis, num Sponsalia contraxerit, teneturne implere. ibidem.

15. Certus est quis de promissione matrimonij, dubitat autem de animo se obligandi, teneturne implere? p. 12.

16. An qui fictè promittit matrimonium, & sub ea spe deflorat Virginem, teneatur eam ducere? ibidem.

17. An quando vir est notabiliter dignioris conditionis, vel alia indicia præbuit ficti consensus, vt fœmina facilè posset præsumere dolum, defloratus teneatur, ei aliquid restituere. p. 13

18. An quando fœmina ignorauit excessum viri, aut si nouit, taliter ei promisit deflorator, vt prudenter credere potuisset vere promittere fictus promittens teneatur eam ducere. ibid.

19. Fictè quis promisit corruptæ fœminæ matrimonium, conscius corruptionis, & conditionis æqualis teneturne ducere eam quæ sub hac spe ei tradidit corpus? ibidem.

20. An fictè contrahens matrimonium per verba de præsenti absque interno sensu teneatur verè consentire? ibid.

21. An promissio sponsalia constituens debeat necessario geri coram parocho, & testibus, & an Sponsalia clandestina sint irrita. pagina 14.

22. An sit culpa Sponsalia clandestina contrahere. ibid.

23. Notabilis contrahentium, vero animo Sponsalia disparitas, quando contrahens conscius erat conditionis vilioris alterius ea, an irritet. p. 15.

24. An verba de præsenti inter puberes clandestine prolata, quæ constituunt matrimonium clandestinum irritum iuxta Tridentinum habeant vim Sponsalium. ibid.

Caput 6. Circa ætatem necessariam ad Sponsalia contrahenda. ibidem.

25. An sit necessarium, vt septennium sit omnino impletum. ibidem.

26. An ad Sponsalia valide, & licite contrahenda, malitia suppleat ætatem. p. 16

27. An in quacumque ætate malitia septennium, aut via ordinaria, aut miraculosè præueniat, valida sint sponsalia. ibid.

28. An sufficiat ad Sponsalia contrahenda is rationis vsus ante septennium, qui satis est, vt puer ille possit lethaliter delinquere. ibid.

29. An sit lethalis culpa Sponsalia ante legitimam ætatem inire. pagin. 17.

Caput 7. Circa verba, vel signa per quæ sponsalia contrahuntur. ibid.

Dub. 30. An dum quis ait, *Nullam aliam ducam nisi te*, constituat sponsalia, vel matrimonium? ibidem

31. An quando verbis de præsenti, quibus contrahitur matrimonium, adduntur alia de futuro, vt, *Accipio te in meam in crastinum* seu,

seu *ex tractatu* : contrahatur matrimonium, & non sponsalia. pagina 18

32. Hisce verbis : *Ex nunc habebo te in meam*, vel, *Ex nunc prouidebo tibi sicut vxori*, vel, Ex nunc eris mea vxor: an contrahatur matrimonium, quod sit Sacramentum ibid.

33. An quando verbis futuri temporis importãtibus executionem nulla additur particula gerens significationem de præsenti, vt *habebo, te tenebo, tractabo vt vxorem*, vel, prouidebo tibi vt vxori: constituatur matrimonium & non sponsalia. ibid.

34. An matrimonium fiat per hæc verba, *Volo tecum contrahere, te ducere, te habere in vxorem*? ibid.

35. An subarrhatio annuli sit sufficiens sponsalium iudicium ibid.

36. An quando Parentes contrahunt sponsalia (vel matrimonium) pro filiis præsentibus & tacentibus, cum contractum ipsi filij intelligant, sint valida. ibid.

37. An sit speciale, vt dum parentes pro filiis contrahunt, sufficiat præsentia, ac taciturnitas illorum. ibidem

38. An quando Parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, vel infantes, qui doli capaces non sunt, satis sit, si dum postmodum nouerunt, vel facti sunt doli capaces, taceant minimè reclamantes ? ibidem.

Cap. 8. Circa sponsalium implendorum obligationem. pagina 20.

Dub. 39. An sponsaliorum impletio obliget sub lethali piaculo. ibidem.

40. An teneatur statim implere, qui sponsalia contraxit nullo præfixo termino. ibid

41. An sit cogendus per iudicem, sponsalium fidem seruare, qui citra legitimam causam ea implere recusat. p. 21.

42. An cogendus sit solus ille qui spõsalia iuramento confirmauit. ibidem.

43. An si alter sponsorum damnum patiatur, quando alterius culpa matrimonium non initur possit ob hoc pœna exigi ratione interesse in quantum interest. ibidem.

44. Esto pœna sponsalibus adiecta minimè debeatur & nulla sit, at si soluatur, recipiens teneturne eam restituere. p. 22

45. Ac pœna cõtractui sponsalium adiecta possit iuramento obligatorio confirmari. ibid.

46. An arrhæ amittendæ per frangentem sponsalia, possint in eorum contractu apponi in qualibet quantitate. p. 23

47. Ac arrhæ sint necessatiò in quantitate numerata constituendæ. ibidem.

48. An possint arrhæ vtrinque constitui, altero tradente certam earum quantitatem, & altero similiter arrhas reddente. ibidem.

49 An qui fidem sponsalium sua culpa violat, teneatur in foro conscientiæ arrhas receptas, & pœnam quadrupli conuentionalem restituere ? pagina 24.

50. An in contractu sponsalium possint pignora interuenire ? ibidem.

51. An valeat pactum in sponsalibus adiectum, vt vir teneatur in certo oppido moram tradere cum vxore. ibid.

C. 8. Circa dissolutionem sponsalium per Religionis ingressum, votum Castitatis simplex, ac sacri Ordinis receptionem. p. 25.

Dub. 52. An per Religionis ingressum, professione non sequuta, dissoluantur sponsalia. ibid.

53. An per ingressum Religionis, professione non secuta, dissoluantur sponsalia ex parte vtriusque sponsi ibid.

54. An qui sponsalia iurauit, possit ingredi Religionem ante matrimonium omninò contractum ? p. 26

55. An qui sponsalia iurauit, & post sponsalia sese voto religionis adstrinxit, licite possit matrimonium inire animo firmo religionem ingrediendi ante consummationem. ibidem.

56. An

56. An qui emisit votum Religionis, aut Castitatis, posteaquæ Virginem defloravit, fide data de matrimonio contrahendo, teneatur potius ad matrimonium, quam ad votum. ibidem.

57. An Sponsalia dissoluantur, voto simplicis Castitatis superueniente? p.27.

58. An Sponsalia dissoluantur per subsequens votum Sacros Ordines suscipiendi? ibid.

Cap. 9. Circa Sponsalium dissolutionem per matrimonium cum alia contractum, per posteriora sponsalia, per puberis dissensum: per temporis ad contrahendum præfixi transactionem. p.28

59. An extinguantur omnino priora Sponsalia cum vna contracta, per matrimonium validum cum altera initum? ibid.

60. An priora sponsalia dissoluantur copula subsecuta cum posteriori ratione damni illati? ibidem.

61. An priora sponsalia dissoluantur, per posteriora iuramento firmata. ibidem.

62. An quando secunda sponsalia, non fuere valida, quia contrahens primis ligatus erat, nec aderat iusta recedendi causa, si ante celebratum matrimonium cum priori dissoluantur sponsalia: teneatur, hic qui iurauit, ad posteriora? pagina 29.

63. An iura concedentia impuberibus, vt adepta pubertate, possint à sponsalibus antea initis resilire, loquantur solum permissiuè, & in foro externo? ibidem.

64. An impuberum sponsalia possunt valido iuramento firmari? ibidem,

65. An Sponsalia possint, mutuo contrahentium consensu dissolui? pagina 30.

66. An quando Sponsalia firmata sunt iuramento, in Dei gloriam, & honorem principaliter, præstito mutuo contrahentium consensu dissolui? ibid.

67. An dum terminus Sponsalibus contrahendis præfixus est, eo transacto maneat liber is per quem non stetit. ibid.

Caput 10. Circa Dissolutionem Sponsalium ob absentiam sponsi, ob fornicationem alterius, ob superueniens iuris impedimentum, & ob accedentem fœditatem. pagina 31.

68. An dissoluantur, Sponsalia ob alterius sponsi absentiam in longinquum profecti, absque alterius licentia. ibid.

69. An dissoluantur, Sponsalia per sponsæ fornicationem vi oppressæ. ibid.

70. An Sponsalia dissoluantur per sponsi omnino inuiti, culpæque expertis fornicationem. pagina 32.

71. An si vterq; sponsus post Sponsalia fornicatur, compensentur delicta, ita vt liceat vtrique à Sponsalibus recedere. ibid.

72. An ob superueniens Iuris impedimentum impediens soluantur Sponsalia. ibid.

73. An ob fœditatem alterius solùm oculi amissi possunt Sponsalia dissolui. ibid.

74. An si sponsa Sponsalium tempore pulcherrima esset dissoluantur Sponsalia, ea notabiliter deformis effecta. p.33.

Cap. 11. Circa Sponsalium dissolutionem propter morum asperitatem, propter paupertatem superuenientem, & propter causas antecedentes ignoratas. ibid.

75. An propter notabilem morum asperitatem, seu fœuitiam alterius sponsi denuò cognitam, dissoluantur Sponsalia. ibidem.

76. An sponsa dotem sponso promittente, quam superueniente inopia, soluere non valet, dissoluantur Sponsalia. ibid.

77. Dotis promissio non præcessit, sed superuenit sponsæ paupertas. Hoc in casu dissoluunturne Sponsalia. pagin. 34.

78 An dissoluantur sponsalia quando vtrique sponso inopia superuenit. ibid.

79. An dissoluantur Sponsalia, quando alter sponsus notabiliter fit ditior, altero in eodem statu permanente. ibid.

80. Iurauit

80. Iurauit quis se aliquam ductu-
rum, nulla dotis promissione præ-
missa : Tenetur ne ipsam ducere,
si cum ipsa sit locuples, nullam ei
dotem velit assignare. ibid.
81. An causæ sufficientes ad Sponsa-
lia dissoluenda, dum post ipsa ac-
cidunt : satis sint, ad id, si Spon-
salibus præcedant, & fuerunt pro-
babiliter ignoratæ. p.35
81. An teneatur Sponsalibus cele-
bratis stare sponsus cum fœmina,
quæ putabatur Virgo, postmodum
nosci tur fuisse ab altero defl orata.
ibid.
83. An dum norat sponsus suam spon-
sam viduam esse, ob fornicatio-
nem præcedentem sibi cum con-
traxit Sponsalia incognitam, ha-
beat ius ea dissoluendi. ibi-
dem.
84. An possint ex parte sponsæ dis-
solui sponsalia ob fornicationem
viri præcedentem ab ipsa ignora-
tam. p.36
85. An laborans defectu aliquo occul-
to, verbi gratia, si mulier sit cor-
rupta, teneatur eum alteri parti
volenti secum inire Sponsalia, ape-
rire. ibid.
86. An defectus est pernitiosus, vt
morbus gallicus, vel lepra, te-
neatur contrahens, alteri aperire.
ibid.
87. An alter sponsus aliquo laborans
vitio, cuius si alter conscius esset,
iustam haberet causam, Sponsalia
dissoluendi : Possit coram iudice
compellere alterum, vt Sponsalia
impleat, à quibus iniuste ob illius
defectus ignorantiam, resilit pagi-
na 37.
88. An quando adest causa sufficiens
ad Sponsalium dissolutionem, ad id
sit necessaria iudic. authoritas.
ibid.
89. An quando ex aliqua sufficienti
causa dissoluuntur Sponsalia iura-
mento firmata, sit necessarium
petere iuramenti relaxationem.
p.38.

LIBER XXV.

Matrimonij essentia.

SECTIO I.

De Matrimonij essentia receptiores sine lite sententiæ. p.39.

C.1. ESsentiam Matrimonij, præ-
ceptum, diuisionem, aliasque descri bo proprietates.
ibidem.
2. De Matrimonij indissolubilitate p.41
3. De causa efficiente Matrimonij, quæ
est consensus mutuus. p.42
4. De Matrimonio Clandestino. p.44.
5. De ministro solemnitatis Matrimo-
nij. p.46
6. De contractu Matrimoniali sub con-
ditione. p.45
7. De petitione, ac reddit ione coniuga-
li Debiti. p.50
8 De recto debiti coniugalis vsu. p.53.
9. De Diuortio ex adulterio. p.55
10. De Diuortio ob hæresim, vel apo-
stasiam. p 57
11. De duobus aliis Diuortij causis, sci-
licet Inductione ad peccatum, ac Sæ-
uitia. p.58

SECTIO II.

De Matrimonij essentia Dubia,

Cap. 11. CIrca Matrimonij Essen-
tiam. ibid.
Dub. 1. An Matrimonium vt est con-
tractus naturalis solo naturæ iure in-
stitutum sit. p.59
2. An extiterit præceptum de matri-
monio contrahendo. ibid.
3. An nunc existat, de contrahen-
do matrimonio præceptum. ibi-
dem.
4. An deficientibus hominibus aliis,
superstites solummodo Religiosi
teneantur matrimonium contra-
here. p.60
5. An Matrimonium in lege naturæ
ac lege veteri fuerit Sacramentum.
ibidem.
Cap. 12. Circa quidditatem, & institutio-
nem Matrimonij, vt Sacra mentum
est. ibidem.

Index Capitum,

6. An Matrimonium fuerit, institutum à Christo Domino Sacramentum illis verbis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Math. 19. ibidem.

7. An post legem Euangelicam matrimonium infidelium sit Sacramentum. p.61.

8. An matrimonium fidelis cum infideli contractum ex Pontificis dispensatione sit aliqua ex parte Sacramentum. ibid.

9. An Matrimonium infidelium casu quo ambo Baptismo diluantur fiat Sacramentum. ibid.

10. An inter fideles possit celebrari matrimonium, quod non sit Sacramentum. p.62.

11. An Matrimonium sit vnicum Sacramentum, ibid.

12. An verba, seu signa, quibus consensus exprimitur, sint sibi inuicem materia, & forma Sacramenti Matrimonij. ibid.

13. An contrahentes ipsi sint Sacramenti Matrimonij Ministri, pagin. 63.

14. An qui contrahunt in mortali coniugium, perpetrent duo lethalia crimina, vnum suscipiendo, alterum administrando Sacramentum. ibidem.

15. An peccet lethaliter Sacerdos, matrimonio in mortali assistens. ibidem.

16. An matrimonium possit validè inter absentes per procuratorem celebrari post Tridentinum. pagina 64.

17. An matrimonium inter absentes possit per Epistolas celebrari. ibidem.

18. An Matrimonium inter absentes celebratum per procuratorem, vel per Epistolas validum etiam in ratione Sacramenti. p.65

19. An vt matrimonium contractum per procuratorem sit validum, necessarium sit, dari ei potestatem, vel commissionem coram Parocho, & testibus.

20. An in matrimonio inter absentes inito sint ministri ipsi contrahentes, & eorum verba forma. ibidem.

21. An Procurator in mortali existens, peccet, lethaliter matrimonium alterius nomine contrahendo. pagina 66.

22. An qui procuratori mandatum dedit ad contrahendum, debeat in gratia existere eo tempore, quo credit matrimonium à procuratore celebrandum. ibid.

23. An contrahentes per procuratorem debeant postmodum inter se matrimonium inire, seu irritum ratificare, vt fiat tunc Sacramentum, quod antea non fuerat. ibidem.

Cap. 13. Circa Matrimonij Indissolubilitatem. ibid.

24. An Matrimonium tam ratum quam consummatum ex iure naturali indissolubile existat. ibid

25. An vèteri in lege matrimonium dissoluebatur, per repudij libellum. p.67.

26. An Pontifex possit in matrimonio rato dispensare, vt soluto eius vinculo valeant liberè coniuges, aliud inire coniugium. ibid.

27. An desideretur causa, vt valeat Pontificis rato in matrimonio dispensatio. p.68

28. An Pontifex possit dispensare in matrimonio consummato infidelium, dum ambo Sacra vnda diluuntur. ibid.

29. An dissoluatur, matrimonium ratum per Religionis professionem. ibidem.

30. An dirimatur, matrimonium per vota emissa à queisdam fœminis religiosis quas Beatas vocitant. pagina 69.

31. An Equitum Militarium Ordinum, verb. grat. Diu. Ioannis votum dirimat matrimonium. ibid.

32. An quando post matrimonium ratum vterque coniux communi consensu profitetur Religionem, dissoluatur matrimonium ratum. p.70.

33. An professio habeat vim dissoluendi matrimonium ex iure diuino positiuo. ibid.

34. An bimestre sit concessum sponsis ad profitendum in Religione, an ad liberandum de ingressu. ibidem.

35. An retenta opinione probabili num. 250. allegata dari possit sponsis bimestre ad profitendum, non ad deliberandum: Præscriptio hæc sit correcta per Tridentinum. p.71.

36. An

36. An si sponsa duodennis ad Religionem transeat, teneatur sponsus expectare vsque ad decimum sextum eius annum quo professionem emittat. ibid.

37. An bimestre concessum sponsis ad deliberandum debeat necessariò continere omnes & solùm illos dies, quos menses tunc occurrentes continent. p. 72

38. An si bimestre sponsis concessum, ad deliberandum circa Religionis ingressum includat mensem Februarium; dies bissextus sit pro vnica die computandus. ibidem.

39. An iudex possit prorogare, aut coarctare bimestre concessum sponsis ad deliberandum de Religionis ingressu. ibid.

40. An coniux, qui non intendit Religionem inire, teneatur intra bimestre debitum petenti coniugi reddere p. 73

41. An qui ante matrimonij consummationem Religionem ingreditur, & intra annum nouitiatus in coniugis fraudem varios Ordines mutuat, possit compelli à Iudice, vt eligat Religionem, in qua vel transacto probationis anno profiteatur, vel ad coniugem redeat. ibidem

42. An ad consummandum matrimonium ita vt non liceat iam ad Religionem transire, sufficiat penetratio vasis, absque seminis receptione. ibid.

43. An vt matrimonium censeatur consummatum requiratur, vt etiam fœmina semen emittat. pagina 74.

44. An vt matrimonium dicatur consummatum, nec possit sponsus Religionem inire, sufficiat, quod virile semen siue arte aliqua, siue dœmonis ope in vas recipiatur sponsæ absque copula, aut vasis penetratione. ibid.

45. An copula ante initum matrimonium habita sit sufficiens, vt matrimonium subsecutum consummatum dicatur. ibid.

46. An copula per vim intra bimestre extorta sufficiat, vt matrimonium dicatur consummatum, & sit omnino indissolubile. p. 75

47. An sponsa intra bimestre vi cognita possit ad Religionem transire ibid.

48. An quando sponsa non vi præcisa, sed metu cadente in constantem virum à sponso fuit oppressa possit Religionem inire. ibid.

49. An lethaliter peccet sponsus vi, vel timore graui extorquens copulam intra bimestre à sponsa. ibid.

50. An sponsa per vim oppressa ante expletum bimestre, possit receptum semen mox expellere. pagina 76.

Cap. 11. Circa causam efficientem matrimonij, quæ est consensus. ibid.

51. An vinculum matrimonij de potentia Dei absoluta possit consistere sine mutuo coniugum consensu. ibid.

52. An consensus ad essentiam veri matrimonij requisitus debeat explicitè in copulam ferri. pagina 77.

53. An ad essentiam veri matrimonij requiratur consensus implicitus ac virtualis in copulam ex parte contrahentium. ibid.

54. An necessarium sit aliqua constituere bona, quibus matrimonium excusetur. ibid.

55. An quando intentio contra triplex præfatum matrimonij bonum non deducitur in pactum, sed mente retinetur, illud irritet. pagina 78.

56. An peccatum sit matrimonium contrahere ex fine vitandi fornicationem principaliter. ibid.

57. An sit veniale piaculum, matrimonium inire ob pulchritudinem vel diuitias. p. 79

58. An qui ficto consensu matrimonium contraxit: Teneatur cum eadem sponsa denuò vero contrahere consensu. ibid.

59. An signa externa consensus interni expressiua sint de essentia ipsius contractus matrimonij. ibidem

60. An ad consensum matrimonialem exprimendum sint necessaria verba, & sufficiant signa in potentibus loqui. p. 80

61. An Matrimonium solis nutibus contractum sit Sacramentum. ibid.

62. An verba in matrimonio sint de præcepti necessitate. ibid.

63. An necessarium sit vtriusque coniugis consensum simul absque temporis interuallo præstari. p.81
64. An satis sit alterum coniugem præstare consensum, quocumque temporis spatio intercedente. ibid.
65. An quando consensus alterius fuit minus legitimus, quia fuit fictus, vel metu extortus, satis sit, (vt matrimonium valere incipiat) hunc denuo consentire. ibid.
66. An ad matrimonium sufficiat consensus, quo coniux vterque annuit, falso existimans, impedimentum dirimens subesse. p.82
67. An satis sit ad matrimonium consensus, quo aliqui ex errore putantes aliquod matrimonium per ipsos contractum esse validum, denuò in illud consentiant. ibid.
68. An ad ratificandum matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens impetrata impedimenti dispensatione, vel eo cessante, exigatur, vtriusque coniugis consensum renouari. ibid.
69. An ad matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, ratificandum (cessante impedimento) necessum sit alterum coniugem de nullitate prioris matrimonij certiorem facere. p.83
70. An matrimonium coram Parocho, ac testibus initum inualidum fuit ob occultum impedimentum, impedimento ablato, iterum sit coram Parocho, ac testibus celebrandum mutui consensus expressione. ibid.
71. An coniux impedimenti conscius excusetur à culpa reddendo debitum, ad maiora damna vitanda? pagin. 84.
72. An coniux impedimenti conscius si ab Ecclesia excommunicetur, quia debitum negat, sit verè excommunicatus. ibid
73. An Matrimonio bona fide vtriusque coniugis inito, alter postea dubitat de eius valore, possit petere, ac reddere. ibid.
74. An cum vterque coniux de valore matrimonij bona fide initi dubitat, vterque licitè reddere possit. pagina 85.
75. An cum alter coniux mala fide contraxit dubius (verbi gratia,) de prioris coniugis obitu, licitè petere, ac reddere possit. ibid.
76. An si contrahens mala fide petat, alter teneatur reddere? ibidem.
77. An cum coniux vterque mala fide contraxit, dubius (verbi gratia,) de prioris coniugis obitu; vterque teneatur, reddere postulanti. pagina 86.
78. An quando impedimentum proprio consensu amoueri potest, vt est seruitus ignorata, dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti (nam dubitet de alterius seruitute) teneatur. ibid.
79. An si coniux, qui bona fide contraxit, postea non dubitet, sed opinetur matrimonium esse nullum, teneatur reddere debitum. ibid.
80. An si ante matrimonium alter coniux protestetur, se nolle per quæcumque verba postea à se dicta matrimonium inire. Huiusmodi protestatio sit sufficiens dissensus indicium. p 87
81. An vnus testis affirmans coniugis mortem, sufficiat, vt liceat alteri, ad secundas nuptias transire. ibidem.
82. Vt possit coniux superstes aliud matrimonium inire, sufficitne probabilitas moralis, id est, vt sit probabilis causa ad credendum, sapientum iudicio. p.88
83. An mors coniugij possit sufficienter fama probari. ibid.
Cap. 12. Circa consensum Clandestinum. ibid.
84. An Matrimonium Clandestinum fuerit irritum aliquando ante Tridentinum. ibid.
85. An peccet, contra ius naturæ, qui clandestinè contrahit. pagina 89.
86. An semper necessaria sit præsentia Parochi, & testium, ad matrimonium validè contrahendum. ibid.
87. An qui expetit in mortis articulo cum concubina coniugium inire ad legitimandam prolem, nec Parochi copia datur, hoc coniugium possit sine præsentia Parochi iniri. p.90.
88. An in oppidis in quibus nequit haberi Parochus, nec de proximo speratur, possit sine ipso Matrimonium iniri. ibid.

89. An

89. An qui inuincibiliter Tridentini hanc legem ignorant, validè contrahant, sine Parocho, & testibus. ibid.

90. An incolæ loci, in quo viget Tridentini lex, possint sine Parocho, & testibus matrimonium inire in aliis, quibus non est recepta, quando solum ad illa confluunt per modum transitus. p. 91

91. An qui pergit ex loco, vbi Tridentini lex non viget ad locum, vbi recepta est: possit ibi coniugium inire sine parocho, & testibus iuxta proprij domicilij legem. ibidem.

92. An validum erit matrimonium si quis in fraudem Tridentini proficiscatur à loco vbi decretum eius viget, ad locum, vbi non tenet, vt ibi sine Parocho ac testibus contrahat. ibid.

93. An Captiui Christicolæ, quorum in patria Tridentini lex viget, dum commorantur inter infideles, vbi non est publicata, possint sine Parocho ac testibus matrimonium inire. p. 92.

94. An si celebretur matrimonium in Parochia alterius coniugis non subditi illius parocho, sufficiat præsentia Parochi alterius contrahentis. ibid.

95. An si celebretur matrimonium in Diœcesi aliena, sufficiat, præsentia Parochi vnius, vel vtriusque contrahentis. ibid.

96. An peccet, & puniendus sit proprius Parochus assistens matrimonio subditi extra Parochiam vel Diœcesim absque licentia Ordinarij, vel Parochi loci. p. 93

97. An qui duplicem Parochiam obtinet, habitans æqualiter (verbi gratia) in vna per hyemem, & in altera per æstatem indifferenter possit coram hoc, vel illo Parocho matrimonium inire. ibid.

98. An quando quis duplicem habitationis Parochiam obtinet, possit indifferenter coram vno vel altero matrimonium inire, si alterius tunc temporis Parochiam inhabitet. ibidem.

99. Obtinet quis Vallisoleto domicilium, & alio migrat breui rediturus: Potestne coram Parocho illius loci, vbi perbreuem init moram coniugium gerere. p. 94

100. Alter contrahentium vagus est, alter verò incola: Hoc in casu requirituine præsentia Parochi incolæ ad matrimonij validitatem. ibid.

101. An Parochus non Sacerdos inter si valide matrimonio. pagina 95.

102. An peccet, Parochus non Sacerdos matrimonio assistens. ibidem.

103. An Parochus non Sacerdos possit facultatem Sacerdoti concedere, Vt matrimonio intersit. ibidem.

104. An Parochus excommunicatus non toleratus, suspensus, vel irregularis possit validè matrimonio assistere. p. 96

105. An Parochus excommunicatus, suspensus vel irregularis non toleratus possit facultatem concedere alteri Sacerdoti, vt matrimonio assistat. ibid.

106. An peccet Parochus excommunicatus non toleratus coniugio assistens. ibid.

107. An matrimonium contractum coram Parocho habente Parochiæ possessionem absque vero titulo à legitimo superiore collato sit validum. p. 97.

108. An Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ in tota Diœcesi matrimonio interesse possit? ibidem.

109. An Archiepiscopus possit assistere subditorum Episcopi suffragenei coniugio. ibid.

110. An Vicarius Generalis Episcopi, & aliorum habentium iurisdictionem quasi Episcopalem sit Ordinarius, vt coniugio intersit, & alij assistendi licentiam impendat. pagina 98.

111. An Vicarius generalis Episcopi, ex proprio officio absque speciali commissione, coniugiis interesse, & aliis assistendi licentiam concedere possit. ibid.

112. An valeat matrimonium, si priuatus Sacerdos, cui Parochus committit vt asistat ei, extra Parochiam committentis asistit. ibid.

113. An requiratur licentia specialis Parochi, vt alienus Sacerdos possit matrimonio asistere. p. 99

114. An

114. An sufficiat licentia tacita quæ habetur ex ratihabitione de futuro, vt Sacerdos alienus matrimonio assistat. ibid.

115. An Sacerdos debeat, credere dicentibus, se habere licentiam à Parocho vt iungat eos matrimonio. pagina 100.

116. An ad valorem matrimonij sint necessaria illa verba quæ à Parocho proferuntur : *Ego vos coniungo, &c.* ibid.

117. An mortale sit, à Parocho, vel à Sacerdote, assistente matrimonio, præfata verba *Ego vos coniungo*, omitti. ibid.

118. An Parochus teneatur, sub mortali contrahentes de mutuo consensu interrogare quando ei constat ex verbis ab vtroque sponso prolatis. p.101

119. An teneatur sub mortali Parochus interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, vbi non sit ei compertissimum nullum subesse impedimentum. ibidem.

120. An ad matrimonij valorem sufficiat, Parochum per interpretem contrahentium mutuum consensum intelligere. ibid.

121. An si Parochus accedit animo attendendi, sed contractus tempore mente distrahitur sufficiat ad matrimonij valorem. p.102

122. An si Parochus, vel testes casu transeant Matrimonium coram eis contractum sit validum. ibidem.

123. An si Parochus, aut testes dolo aduocantur, aut vi adducuntur, & contra eorum voluntatem retenti assistunt coniugio : valeat, matrimonium. ibidem

124. An si Parochus inuitus assistit, & affectat non intelligere, aures, & oculos occludit, nihil eorum, quæ geruntur videns, & audiens valeat matrimonium. pag. 103.

124. An ad matrimonij valorem requirantur testes omni exceptione maiores. ibid

125. An ad matrimonij valorem sufficiat, quod Parochus, & testes audiant contrahentium consensum licèt illos non videant. pag. 104

Cap. 13. Circa Denunciationes matrimonio præmittendas. ibidem.

126. An Denunciationes sint de matrimonij essentia. ibid.

127. An sit lethale piaculum, denunciationes sine debita dispensatione omittere. p.105

128. An sit graue peccatum, vnicam denunciationem sine licentia omittere. ibid.

129. An dum matrimonium inter duos diuersarum Parochiarum initur : Satisfit in vna earum denunciationes proferri. ibidem.

130. An sufficiat fieri denunciationes in Parochia, in qua breui temporis spatio contractui morantur. ibidem.

131. An Denunciationes possint fieri extra Ecclesiam in loco, vbi magna populi pars assolet conuenire. p.106

132. An Denunciationes debeant, necessariò diebus festiuis exeri. ibidem.

133. An denunciationes debeant necessario tribus diebus interruptis geri. p.107

134. An delinquat lethaliter Parochus, qui denunciationes non gerit tribus continuis festis diebus, sed per alium diem festum interpollatis. ibid.

135. An Vicarius Generalis Episcopi ex vi sui officij sine speciali delegatione possit in denunciationibus dispensare. ibid.

136. An Episcopus possit facultatem dispensandi in denunciationibus aliis à Vicario Generali concedere. p.108

137. An Parochus possit propter malitiosi impedimenti suspicionem dispensare, vt matrimonium, non præmissis denunciationibus celebretur, posteaque ante consummationem gerantur. ibid.

138. An habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Abbates nullis Diœcesanis subditi, & Magister Scholæ Salmanticensis respectu Scholasticorum in matricula adscriptorum, possint in denunciationibus dispensare. p. 109.

139. An

139. An dum contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus Ordinarius vnius remittit denunciationes, seu dispensat, vt non fiant sua in Diœcesi: possint in altera Diœcesi omitti. ibid.

140. An ob solam causam malitiosi impedimenti, Ordinarius possit in denunciationibus dispensare? ibidem.

141. An sit iusta causa dispensandi in denunciationibus, quod contrahentes sint Magnates. p. 110

142. An sit iusta dispensandi in denunciationibus causa conditionis inæqualitas: aut nimia contrahentium ætas. ibid.

143. An sit iusta dispensandi causa contrahentium è denunciationibus oboritura infamia, aut scandalum. ibid.

144. An ad dispensandum in denunciationibus, requiratur, vt Ordinarius iudicialem iustæ causæ gerat cognitionem. p. 111

145. An existente iusta dispensandi in denunciationibus, causa Ordinarius sub peccati pœna teneatur semper dispensare, subditis exigentibus. ibid.

146. An Parochus possit, & non possit aliquo in casu dispensare, ne denunciationes gerantur. ibidem

147. An quando non est copia Ordinarij, vel ille petitam dispensationem in denunciationibus iniustè denegat liceat his omissis contrahere, sex in casibus. p. 112

148. An sit peccatum consummare matrimonium ante denunciationes cum hę omittuntur, ex Ordinarij licentia, vt post contractum coniugium fiant. ibidem

149. An quando ex Ordinarij dispensatione omittuntur denunciationes, vt post contractum matrimonium fiant, solum prima vice sit mortalis consummatio? ibid.

150. An dum Matrimoniũ initur sine denunciationibus præmissis ex Ordinarij licentia, sed ante consummationem præmittendis: si coniuges nolunt, coniugio inito, denunciationes gerere, nec matrimonium consummare: delinquant, hoc in casu lethaliter: diù differendo. pag. 113

Cap. 14. Circa depositionem post denunciationes gerendam ab iis, qui impedimentum aliquod inesse dignouerint. ibid.

151. An teneatur impedimentum manifestare ille, cui est sub secreto naturali reseratum. ibidem

152. An qui nouit occultum impedimentum, quod testibus probare nequit, teneatur illud manifestare? pag. 114.

153. An si Parochus extra Confessionem scit impedimentum occultum nulli alij cognitum: Teneatur matrimonio assistere, & Ordinario detegere. ibidem

154 An si Parocho constat impedimentum occultum, verb. grat. votum castitatis, sed contrahens asserit, se minimè teneri, quia ficte vouit, Parochus matrimonio assistat, nec Ordinario impedimentum referet, debeat contrahendi fidem præstare? ibid.

155. An Ordinarius ipse, qui solus nouit impedimentum, teneatur publice petentibus matrimonium non denegare. p. 115

156. An matrimonium celebratum coram Parocho, ac testibus, omissionibus subiiciatur clandestini contractus pœnis, ibid.

Cap. 15. Circa Benedictiones Nuptiales, vulgo Velationes. ibidem.

157. An sit lethale peccatum, antequam Benedictiones Ecclesiæ recipiantur, matrimonium consummare. ibid.

158. An sit veniale piaculum ante Ecclesiæ benedictiones matrimonium consummare. ibid.

159. An sit mortale consummare ante benedictiones, si lata sit contra sic gerentes excommunicatio. ibidem.

160. An sit mortale omnino nuptiales benedictiones omittere. ibidem.

161. An nuptiales benedictiones possint tota die sabbati ante aduentum celebrari. p. 117

162. An ipse matrimonij contractus sit prohibitus celebrari ab Aduentu vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè saltem sub

ſub veniali. ibid.
163. An ſit mortalis culpa tempore prohibito nuptiales benedictiones recipere. ibidem.
164. An Epiſcopus poſſit diſpenſare, vt benedictio nuptialis tempore prohibito celebretur. p.118
165. An ſit interdicta omnis traductio ſponſæ in domum ſponſi diebus hiſce prohibitis. ibidem
166. An ſit lethale diebus hiſce prohibitis traducere ſponſam, id eſt, vanæ lætitio ſignis. ibidem
167. An ſit pecatum interdicto Feriarum tempore matrimonium conſummare. p.119
Cap. 16. Circa conſenſum Coactum ibid.
168. An metus cadens in virum conſtantem iniuſtè incuſſus irritet matrimonium. ibid.
169. An metus cadens in virum conſtantem iniuſtè illatus, irritet matrimonium. p.120
170. An Metus cadens in conſtantem virum irritet matrimonium ſolo iure naturæ, & non Eccleſiaſtico. ibidem.
171. An inter fideles valeat matrimonium graui metu contractum. p.121.
172. An matrimonium metu extortum ſit omnino nullum: vnde alteruter altero inuito, poſſit ſine graui piaculo reſilire. ibid.
173. An contrahens fictè matrimonium ob metum in virum conſtantem cadentem, peccet lethaliter. ibidem.
174. An qui coactus metu cadente in conſtantem virum, verè conſentit in matrimonium delinquit lethaliter. p.122.
175. An metus leuis ſufficiat aliquando ad irritandum matrimonium. ibidem.
176. An matrimonium antea nullum ob metum, poſtea reualidetur, ob copulam ſimiliter metu extortam. ibidem.
177. An matrimonium metu contractum, ſi iuramento firmetur, reddatur validum. p.123
178. An iuramentum adiectum matrimonio metu graui extorto, obliget, & non obliget, indigeatque relaxatione. ibid.
179. An ſi ſponſalibus metu graui contractis iuramentum accedat, obliget donec relaxetur. p.124
180. An pœna anathematis impoſita à Tridentino Dominis temporalibus, ac Magiſtratibus qui ſuos ſubditos, vel quoſcumque alios ad matrimonia cogunt, ſit excommunicatio maior. ibid.
181. An parentes, qui coactione iniuſta & graui filium ad matrimonium compellunt incurrant illam anathematis, ſeu excommunicationis maioris pœnam. ibid.
182. An filius teneatur inire matrimonium quod pater promiſit, aut præcipit. p.125
183. An filij poſſint licite, hoc, aut illud coniugim, inuitis parentibus inire. ibidem.
184. An filia inuitis parentibus nubens, attento iure Cæſareo poſſit, & non poſſit ab eis exhæredari, ſi indigno nubat. p.126
185. An attento iure Regio Caſtellæ, poſſit filia, inuitis parentibus, nubens exhæredari. ibid.
186. An pater teneatur, dotare filiam viginti quinque annis maiorem ipſo inuito nubentem. ibidem.
187. An teneatur pater dotare filiam vigintiquinque annis, ipſo inuito, nubentem indigno. p.127
Cap. 17. Circa Conſenſum Conditionatum. ibidem
188. An hæc conditio, *ſi Deus voluerit*, ſit generalis, ita vt reddat contractum matrimonij conditionalem, ibidem
189. An conditio extrinſeca neceſſario euentura adiecta matrimonio, vt *Contraho tecum, ſi cras ſol oritur*, reddat illud conditionale, ſuſpendatque conſenſum. pag 128
190. An conditio impoſſibilis adiecta matrimonio, vt *Contraho tecum, ſi digito cælum tetigeris*, ipſum vitiet? p.129.
191. An omnes conditiones impoſſibiles iuxta *Cap. finale* reiiciantur, de matrimonio ſolùm, quando apponuntur per verba de futuro. ibidem.
192. An conditiones iure impoſſibiles reiiciantur à matrimonio, vt *Contraho tecum, ſi inter conſanguineos poteſt*

test matrimonium contrahi, vel *si filius possit à patre sine causa exhæredari.* p.130

185. An cõditiones, quæ solo facto impossibiles sunt, vt *Contraho tecum* (paupere quidem) *si centum millia aureos in dotem dederis*, fiant à matrimonij reiiciendæ contractu. ibid.

186. An reiiciatur à matrimonio conditio, quæ ex natura sua possibilis est, at ex accidenti est impossibilis, vt *Contraho tecum, si es virgo*, aut *si pater tuus adhuc viuit.* p.131

187. An dantes sibi fide de matrimonio contrahendo sub conditione, *si Pontifex dispensauerit in impedimento dirimenti*, dispensante Pontifice, teneantur matrimonium contrahere. ibidem

188. An valeat, matrimonij promissio inter impeditos, non expressa ea conditione, *si Pontifex dispensauerit.* p.132

189. An si promittens matrimonium sub conditione *si Pontifex dispensauerit in impedimento* resiliat, sequutus opinionem probabilem asserentem, id esse licitum: teneatur, alteri contrahenti soluere expensas occasione illius contractus, vel dispensationis impetrandæ gratia, facta. ibid.

190. An promittens fœminæ consanguineæ matrimonium, *si Papa dispensauerit*, teneatur procurare dispensationem, etsi eam violarit, & expensas facere? p.133.

191. An contracto matrimonio, vel sponsalibus initis sub hac de futuro conditione, *si pater consenserit*: si pater conscius nec consensum, nec dissensum exprimat, censeatur conditio defecere? ibid.

192. An si tempore, quo contractum est matrimonium, seu sponsalia sub ea conditione, *si pater consenserit*, pater iam obierat, id contrahentibus minimè ignorantibus: valeat matrimonium? ibid.

193. An conditiones appositæ matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ ipsarum. p.134

194. An matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad eius euentũ, fiat validum euentu ipso absque nouo consensu. ibidem

195. An si matrimonium contrahatur inter inhabiles (inhabilitate, in qua Põtifex dispensare potest,) sub cobditione *si Papa dispensauerit*, matrimonium, facta dispensatione perficiatur, absque nouo consensu? pag.135

196. An si quis contrahit cum duabus sub cõditione honesta, *si tantã dotẽ dederis*: Impleta conditione, præualeat matrimonium secundum? ibid.

197. An Matrimonium celebratum de præsenti sub conditione de futuro coram Parocho, & testibus, efficiatur purum statim impleta conditione: sed sit vt Parochus, & testes simul conditioni impletionis assistant. ibidem.

198. An cõditio honesta licet contraria bonis matrimonij illud irritet. p.136.

199. An hæc cõditio, *Contraho tecum, si prius te voto castitatis sic obstrinxeris, vt nunquam à me petas, nec reddas petenti debitum*: violet matrimonium. ibidem

200. An annullet, matrimonium conditio hæc: vt alter coniux minime teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere. p.137

201. An valeat matrimonium initũ à Paganis, seu Iudæis ea cõditione, vt possint repudij dare libellum iuxta illorum ritum. ibid.

202. An vitietur, matrimonium, quando conditio ei contraria ab altero tantum ex contrahentibus apponitur. ibid.

203. An Sponsalia vitientur per conditionẽ sustantiæ matrimonij cõtrariam, sicut vitiatur matrimoniũ. p.138

204. Conditio hæc, *Si mecum concubueris, contrahã tecum*, sit tanquam turpis reiicienda. ibid.

205. An conditio hæc, *Si te virginem inuenero*, vel *si primo in coitu mihi placueris, tecum contraham*, sit tanquam turpis reiicienda. ibidem

206. An conditiones impossibiles reiiciantur, à sponsalibus, sicut reiiciuntur à matrimonio. ibid.

207. An conditiones impertinentes habeantur, in matrimonio pro non adiectis: & illud suspendant. p.139.

208. An

208. An demonstratio, & causa vitient matrimonium si ei contrarientur. ibidem
209. An modus vitiet matrimonium, si ei contrarietur? p. 140.

LIBER XXVI.

Debitum Coniugale, Diuortium p. 141.

SECTIO II.

De Debito ac Diuortio Dubia. ibidem.

C. 1. Circa Debitum Coniugale. ibidem.
D. 1. An vxor teneatur reddere debitum viro, tacite, seu interpretatiuè petenti. ibid.
2. An quoties peccat coniux debitum exigens, peccet similiter alter illud reddens. p. 142
3. An si quis incestum perpetrat ad consanguineam vxoris accedens, vel voto castitatis illigetur: Coniux peccet, lethaliter petenti ei debitum reddendo ante impetratam dispensationem. ibidem
4. An coniux, cui debiti petitio est interdicta, non tamen redditio, vt contingit ratione voti castitatis, cognationis, aut affinitatis post matrimonium contractæ, aliquando possit petere debitum. ibid.
5. An mortale sit in actu ipso coniugali expressa intentione finem prolis excludere. p. 143
6. An veniale sit actui matrimoniali dare operam solummodo propter bonum Sacramenti, nempe ad significandam Verbi cum carne, vel cum Ecclesia coniunctionem. ibid.
7. An venialiter peccet coniux, qui actui matrimoniali dat operam, vt vitet in seipso incontinentiæ periculum. ibid.
8. An sit licitus coniugalis vsus, ad tuendæ, aut restaurandæ valetudinis corporeæ finem relatus. p. 144.
9. An sit peccatum vti coniugio propter solam delectationem capiendam. ibid.
10. An sit peccatum diebus feriatis queiscumque ieiuniorumque, ac rogationum, actui matrimoniali dare operam. p. 145
11. An venialiter delinquat, qui debitum exigit die, qua Eucharistiam est recepturus. ibid.
12. An coniux reddens debitum, teneatur sub veniali, ea die à communione abstinere. p. 146
13. An casu, quo culpa venialis sit, post coniugalem copulam ad Eucharistiam acquiratur, viginti quatuor horarum spatium à copula esse transactum. ibid.
14. An post communionem, eadem die liceat debitum exigere. ibid.
15. An sine veniali piaculo coniux excommunicatus possit debitum exigere. ibid.
16. An actus coniugalis in loco sacro licite exerceatur, extra casum necessitatis, illumque reddat pollutum. p. 147
17. An in casu necessitatis actum coniugalem in loco Sacro exercere, licitum sit. ibid.
18. An sicut actus coniugalis in loco Sacro extra casum necessitatis sit aliquando licitus, & idem de impudicis cogitationibus, & tactibus dici possit. p. 148
19. An sit piaculum non naturali seruato tamen vase debito, ad vxorem accedere sine necessitate. ibid.
20. An petenti coniugi modo indebito quoad situm, alter teneatur, aut possit licite reddere. ibid.
21. An sit culpa lethalis, coniugalē actū in vase innaturali inchoare. p. 149
22. An sit lethalis culpa, quando data opera seminatio vtriusque coniugis non est simul. ibid.
23. An abusus vxoris contra naturā, sit grauior culpa, quam inter solutos habeatque circumstantiam adultis necessario confitendam. ibids
24. An sit crimen lethale, virum ab inchoata copula desistere, ante vtriusque seminationem. p. 150
25. An lethale peccatū sit coniugem ab inchoata desistere copula, postquam alter seminauit. ibid.
26. An liceat potionibus aliove remedio aborsum procurare, vbi aliud non suppetit mediū, ad prægnantis salutem

salutem restaurandam, & probabiliter creditur, nondum fœtum esse animatum. p.151
27. An quando probabiliter creditur, fœtum esse animatum, liceat, prægnanti vti medicamentis, & medico ea applicare cum aborsus periculo quoties mater periclitatur, & hæc ad eius salutem sint necessaria. ibidem.
27. An lethale peccatum sit tempore menstrui vxoris, debitum petere. p. 152.
28. An sit culpa tempore menstrui reddere debitum. p.153
29. An coniux tempore menstrui teneatur exigenti debitum reddere. ibid.
30. An peccatum sit actu coniugali vti prægnationis tempore. ibidem.
31. An sit veniale ad vxorem accedere eo tempore, quo post partum eius immunditia persistit. pagina 154.
32. An amenti perfecto nullis gaudenti intermissionibus teneatur sanæ mentis coniux debitum reddere. ibidem.
33. An sanus coniux cum propriæ infectionis periculo, teneatur debitum reddere leproso coniugi. p. 155.
34. An coniux possit, & teneatur, dum sanus est, reddere debitum coniugi leproso, quando etsi non adsit propriæ infectionis periculum, proles probabiliter sit nascitura leprosa. ibid.
35. An coniux sanus teneatur, cum leproso habitare. p.156
36. An quando cognatio spiritualis siue ab vno siue ab vtroque coniuge contrahitur culpabiliter, seu baptizando, seu tenendo, nocens impediatur à debito exigendo. p 156
37. An incestuosus coniux cum suis consanguineis priuetur iure petendi. p.157.
38. An prohibitio petendi debitum incestuoso indicta extendatur, post Tridentinum ad incestum vsque ad quartum consanguineorum alterius coniugis gradum. ibid.
39. An cum vterque coniux affinis est effectus per copulam cum alterius consanguineis mutuam arceantur ambo, à debiti petitione. p.158
40. An cum coniux vterque sit affinis per copulam alterius consanguinei mutuam, vterque teneatur debitum reddere, quocumque in casu. ibid.
41. An si affinitas, vel cognatio spiritualis contrahatur ab altero coniuge ante matrimonij consummationem possit id licitè consummare reddendo, & vt eximatur à reddendi onere, teneatur Religionem inire. ibid.
42. An pœna illa, qua coniux incestuosus afficitur, vt debitrm non possit exigere incurratur ante iudicis sententiam, vel saltem criminis declarationem. p.159
43. An si vxor à viri consanguineo vi aut metu cognoscatur priuetur debitum petendi potestate. ibid.
44. An ignorantia vincibilis facti excusset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatem, aut cognationem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur. p.160
45. An ignorantia inuincibilis iuris præscribentis pœnam priuationis debiti, excusset coniugem, qui cum suo coniuge affinitateem, aut cognationem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur. ibidem.
46. An votum castitatis ab altero, aut ab vtroque coniuge ante matrimonium emissum, reddat illicitam debiti petitionem. p.161
47. An qui post Religionis votum matrimonium init, teneatur, à debito exigendo abstinere. ibid.
48. An qui votum emittit non ineundi matrimonium, eo inito, teneatur à debiti petitione abstinere. pagina 162.
49. An qui post votum castitatis Religionis, assumendi Ordinis Sacri, vel abstinendi à nuptiis ad illas transit, peccet prima vice consummando matrimonium. ibidem.
50. An validum sit post initum matrimonium, votum non exigendi debitum. p.163
51. An Votum castitatis post matrimonium consummatum ab altero coniuge sine alterius licentia sit validum ibidem.
52. An licitum sit sine coniugis licentia votum abstinendi à petitione

petitione debiti, cum animo tamen reddendi, prout lex matrimonij obligat. pag. 164
53. An coniux, ex cuius licentia alter solus vouit castitatem, possit debitum exigere, & subinde alter teneatur reddere? ibid.
54. An cum alter coniux concedit alteri expressam licentiam vouendi omnimodam castitatem: fas sit coniugi huiusmodi licentiam concedenti debitum petere, eique petenti possit alter reddere? ibidem.
55. An coniugi, qui de alterius licentia castitatem vouit, alter possit & teneatur reddere? pagina 165.
56. An possit irritare votum castitatis, constante matrimonio, emissum, & pro tunc implendum ab vxore. ibid.
57. An maritus possit irritare votum castitatis de sua licentia ab vxore factum, valide quidem absque iusta causa, & licite interueniente causa iusta p. 166
58. An vtroque coniuge mutuo consensu castitatem vouente, integrum sit viro, votum castitatis vxoris irritare. ibid.
59. An vxor possit irritate votum castitatis aut mutuę cohabitationis à viro absque eius licentia emissum. p. 166.
60. An sit lethale, coniugibus, morosè delectari secluso pollutionis periculo, in copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt, aut eo tempore, vel loco vbi copulam exercere non possunt? pagina 167.
61. An tactus inter coniuges ob solam voluptatem in ipsis captandam, absque animo perueniendi ad copulam, sint lethale peccatum. ibidem.
62. An quando coniux se ipsum singulariter tangit, absque pollutionis periculo, ad captandam voluptatem, delinquat mortaliter? ibidem.
63. An liceant coniugatis delectationes morosæ, & tactus, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum coniugalem exercere? p. 168.
64. An tactus, delectationes morosæ, aspectus, verba turpia inter coniugatos sint. licita ratione periculi pollutionis in alterutro coniuge præuisi? ibidem
65. An sponsis de futuro licita sint oscula, amplexus aliique tactus, cum non adsit pollutionis, nec consensus in copulam, periculum. pag. 169.
66. An sponsis de futuro liceat, delectatio captata ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione? pagina 170.
Caput 2. Circa Diuortium? ibidem.
67. An vxor possit à marito adultero separari. ibidem
68. An maritus deserens vxorem adulteram quoad thorum, & habitationem, possit eam quoad curam ac disciplinam deserere? ibidem.
69. An diuortium ob adulterium coniugis licitum sit solum ex iure diuino positiuo? pagina 171.
70. An tactus impudici, vt amplexus, oscula, &c. quę vxor cum alieno habuit, præbeant iustam diuortij perpetui causam? ibid.
71. An pollutio habita cum vxore dissentiente, sit iusta diuortij causa. ibid.
72. An pollutio extraordinaria habita cum tertia alia persona non vxore, sit iusta causa diuortij? pagina 172.
73. An coniugis sodomia sufficiens causa sit ad diuortium gerendum? ibidem.
74. An sodomia passiua det iustam diuortij causam. ibid.
75. An vir patrans Sodomiam perfectam cum vxore inuita, exhibeat, iustam perpetui diuortij causam. p. 173.
76. An naturalis copula absque seminis intra vas effusione iusta sit diuortij occasio. ibid.
77. An Bestialitas præbeat diuortij occasionem. ibid.
78. An concubitus cum fœminæ exanimis cadauere iustam exhibeat causam diuortij. ibidem
79. An detur, compensatio adulterij vtriusque coniugis, si alter adulteretur

retur cum alieno, alter perpetret Sodomiam. ibidem
80. An coniux qui plura adulteria patrauit, possit diuertere ab alio, qui vnum solummodo commisit? pagina 174.
81. An peccet mortaliter coniux occultè adulter diuortium petens ab altero adultero publice? ibidem.
82. An fiat compensatio adulterij vnius coniugis cum adulterio alterius iam condonato, à coniuge posterius adulterante. pag. 175
83. An quando coniux vterque adulterij crimine est reus, si alter emendatur, altero in adulterio persistente, possit emendatus diuortium prætendere. ibid.
84. An liceat marito vxorem, & adulterum in adulterio deprehensos propria authoritate interficere, vt leges illi permittunt? pagina 176.
85. An si maritus sit Iudex, liceat adulteram vxorem in scelere comprehensam, interficere? ibidem
86. An licitum sit viro adultero in foro conscientiæ, vxorem adulteram criminaliter accusare, vt capite damnetur. ibid.
87. An cum lata diuortij sententia, contingit, innocentem, in adulterium labi, compensentur mutuò delicta compellendus sit ad coniugem adulterij causa dimissum redire. pag. 177
88. An coniugi, qui ante diuortij sententiam in adulterium labitur, liceat Religionem profiteri, vel Sacros Ordines suscipere? ibidem.
89. An coniugi, qui post diuortij sententiam in adulterium prolabitur, liceat Religionem profiteri, vel ad Sacros conscendere Ordines p. 178.
90. An si post diuortium celebratum coniux innocens iam professus, vel Sacris initiatus, perpetrat adulterium, teneatur egredi è monasterio, & ad coniugem, ob adulterium, dimissum redire. ibid.
91. An post latam diuortij sententiam coniux innocens possit adulterum etiam inuitum sibi reconciliare, & adulter teneatur ad id. ibidem.
92. An si coniux innocens votum simplex castitatis solummodo emisit, possit sibi adulterum coniugem reconciliare. pag. 179
92. An liceat, coniugi adultero post latam diuortij sententiam professionem emittere, aut ad Sacros Ordines, inuito coniuge innocenti ascendere. ibid.
93. An possit saltem adulter post latam diuortij sententiam, ignorantes at inconsulto innocente, Religionem profiteti initiari sacris, aut votum simplex castitatis emittere. p. 180.
94. An sufficiat, adulterium valde esse notorium, vt innocens valeat ad Religionem transire, vel Sacris Ordinibus initiari. ibidem
95. An licitum sit, pro foro interno conscientiæ coniugi innocenti ad Religionem, Ordinemque Sacrum transire, votumve castitatis simplex emittere, ob adulterium alterius coniugis occultum. ibidem.
96. An vir innocens possit inuita adultera vxore, eodem iure ad Ordinem Sacrum transire, quoad Religionem valet. p. 181
97. An liceat innocenti, debitum coniugi adultero denegare ante Iudicis sibi suffragantem sententiam. ibidem.
98. An si iudex sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiat coniugi innocenti certo scienti adulterium alterius occultum quod nequit probare, vt illi debitum reddat, teneatur obedire. p. 182
99. An coniux innocens possit licite, propria authoritate ab adultero diuertere ob adulterium publicè notorium, ita vt adulter restitutionem minime petere valeat. ibidem.
100. An liceat innocenti coniugi propria authoritate ab adultero diuertere ob adulterium occultum, haud expectato Ecclesiæ iudicio. ibidem.
101. An vir teneatur, vxorem in adulterio persistentem dimittere ex præcepto speciali. ibid.
102. An vir teneatur, vxorem adulteram

ram iure dimissam (si emendetur) ad suam pristinam amicitiam reuocare. ibid.
103. An vir teneatur, ab adultera vxore diuertere, eique debitum abnegare ratione præcepti correctionis fraternæ. pag. 184
104. An obligatio dimittendæ vxoris in adulterio persistentis, oriatur ex præcepto vitandi scandali. ibid.
105. An si scandalum absit peccet lethaliter vir, retinens vxorem in adulterio persistentem. pagina 185.
106. An cum adulterium coniugis ita occultum est, vt probari non possit, teneatur adhuc vir eam dimittere, debitumque abnegare sub mortali. ibidem.
107. An vir teneatur, pertinaci adulteræ necessaria alimenta denegare. ibid.
108. An vxor innocens teneatur, similiter diuertere à viro in adulterio persistente. ibidem
109. An copula habita à coniuge innocente cum adultero ante diuortij sententiam, sit adulterij condonatio. p. 186
110. An detur compensatio si coniux alter adulterij spiritualis reus sit, alter carnalis, ita vt neutri diuertere liceat. p. 187
111. An detur compensatio si vterque coniux fuerit lapsus in hæresim. p. 188
112. An licitum sit diuortium ob multa alia crimina, etiamsi eis coniux ad peccandum non inducatur. ibid.
113. An si coniux pertrahat alterum coniugem ad peccandum lethaliter, possit ab illo separari. p. 189
114. An liceat viro ob vxoris sæuitiam gerere diuortium.
115. An ob furorem coniugis liceat alteri diuortium celebrare, quamuis non adsit vitæ periculum. pag. 190.

LIBER XXVII.

Matrimonij Impedimenta.

SECTIO I.

De Matrimonij impedimentis receptiores sine lite Sententiæ. p. 191.

Caput 1. DE Impedimentis Matrimonij nonnulla præliho. p. 191.
Caput 2. De Impedimento Erroris pag. 192.
Cap. 3. De Impedimento Voti, pag. 193.
Cap. 4. De Impedimento Cognationis carnalis? pag. 194
Caput 5. De Impedimento Cognationis spiritualis. p. 195
Cap. 6. De Impedimento cognationis Legalis. p. 196
Caput 7. De Impedimento Criminis. ibidem.
Caput 8. De Impedimento Disparitatis cultus. p. 197
Caput 9. De Impedimento Violentiæ, vel Metus? pagina 198.
Caput 10. De Impedimento Ordinis. p. 199.
Caput 11. De Impedimento Ligaminis. ibidem.
Caput 12. De Impedimento publicæ honestatis. p. 200
Caput 13. De Impedimento affinitatis. p. 201.
Caput 14. De Impedimento potentiæ. p. 202.
Caput 15. De Impedimento Raptus. p. 204.
Caput 16. De quatuor Impedimentis non dirimentibus, Interdicto scilicet, Catechismo, Sponsalibus

bus, & Voto. p. 205
Caput 17. De quinto impedimento non dirimente, nempè Septuplice Crimine. ibid.
Cap. 18. De Matrimonialibus Dispensationibus. ibidem

SECTIO II.

De Impedimentis Matrimonij Dubia. pag. 208.

Caput 19. CIrca Impedimenta Matrimonij in communi. ibid.
Dubium 1. An desideretur causa iusta, vt Pontifex non solum licite, sed & validè possit impedimenta matrimonium dirimentia statuere? ibidem.
1. An Episcopus, & Concilia Nationalia, & Prouincialia possint, impedimenta inducere. pagina 209.
3. An Princeps sæcularis fidelis possit suis subditis impedimenta matrimonium dirimentia, statuere, ex natura suæ potestatis. ibid.
Cap. 20. Error circa impedimenta dirimentia in particulari, ac primum circa impedimenta erroris. p. 210.
4. An error personæ concomitans matrimonij actum, id irritet ibidem.
5. An error personæ dirimat iure naturali matrimonium. ibidem.
6. An error qualitatis, seu dolus circa illam antecedens, qui ineundo matrimonio causam præbet alias non ineundo, illud dirimat. p. 211.
Caput 21. Circa impedimentum Conditionis, siue seruitutis. ibid.
7. An validum sit matrimonium initum cum seruo, cui pro tempore determinato fuit concessa libertas postmodum in pristinam redituro seruitutem. ibidem.
8. An valeat matrimonium liberi cum ancilla, quæ infra modicum tempus potitura est libertate. ibidem.
9. An validum sit matrimonium liberi cum ancilla contractum si error aut ignorantia seruilis conditionis crassissima, aut leuissima fuerit. p. 212
10. An validè contrahat cum ancilla seruus, qui putabat, eam esse liberam. ibid.
11. An contrahat valide matrimonium licet cum libera, si putabat, eam esse ancillam. pagina 213
12. An liber, qui ignoranter cum mancipio contraxit, possit, detecta seruitute, ab illo propria authoritate semoueri. ibidem.
13. An petente coniuge libero matrimonij dissolutionem ratione seruitutis à se ignoratæ, incumbat ipsi illius ignorantiæ probatio? ibidem.
14. An ignorantia seruitutis dirimat suaptè natura matrimonium ibidem.
15. An ignorantia seruitutis dirimat iure naturali matrimonium. p. 214.
16. An liber, qui absque vrgente causa scienter ducit ancillam peccet, & fiat irregularis? ibidem.
17. An quando dominus non collocat ancillam in matrimonium cum libero seruitutis ignaro, sed conscius matrimonij tacet seruitutem, ancilla ex hoc donetur libertate. p. 215
18. An serui licite possint inuitis dominis, sine petita facultate, matrimonium inire. ibidem.
19. An delinquat lethaliter dominus, qui seruos coniugatos diuendunt in partibus adeo dissitis, vt vsus matrimonij impediatur, quando initum matrimonium sine domini voluntate fuit? ibidem.
20. An mancipium matrimonio illigatum teneatur potius domino, quam vxori satisfacere.

cere. p.216
21. An mancipium contrehens cum domino, aut cum domina, statim consequatur communi' ex iure ac naturali. libertatem? p. 217.
22. An quando ancilla vel seruus ineunt matrimonium cum persona libera seruitutis illius ignara, domino tradente in matrimonium, vel sciente, ac tacente, seruitutem sit validum huiusmodi matrimonium. ibidem.
Caput 22. Circa voti solemnis Impedimentum. pag.218
23. An votum solemne castitatis in professione Religionis emissum dirimet matrimonium solo iure Ecclesiastico. ibid.
24. An votum Sacri Ordinis dirimat matrimonium subsequens solo iure Ecclesiastico? ibidem.
25. An sacerdotes Græci 'vtentes matrimonio ante Ordines inito sint sacrilegio rei? pagina 219.
26. An Sacer Ordo ante rationis vsum susceptus, obliget ad continendum: & dirimat matrimonium ibid:
27. An ordo susceptus post rationis vsum, sed ante pubertatem, irritet matrimonium, cum adeptus pubertatem non ratificat? p. 220.
28. An Ordo Sacer per vim, vel metum assumptus, dirimit matrimonium posteà initum. ibidem.
Caput 23. Circa Cognationis carnalis Impedimentum. ibidem
29. An consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat iure naturali matrimonium? ibid.
30. An consanguinitas in 'primo gradu dirimat matrimonium in casu extremæ necessitatis. pag. 221.
31. An prohibitio & irritatio matrimonij inter ascendentes, & descendentes iure naturæ inducta, protrahatur ad quemcúmque gradum in infinitum. pag. 222.
32. An dato, quod prohibitio matrimonij in linea recta ascendentium & descendentium certis finibus contineatur, iure naturali attento extendatur ad alios gradus præter primum. ibidem.
33. An gradus omnes consanguinitatis in linea trasuersa prohibiti *Leuit.* 18. dirimant nunc iure naturali matrimonium. pag. 223.
34. An Matrimonium contractum in primo gradu, lineæ transuersæ, nempè inter Fratrem, ac Sororem iure naturali irritum? p.224.
Caput 24. Circa Cognationem Spiritualem. ibid.
35. An per Sacramentum Pœnitentiæ contrahatur, aliquod cognationis spiritualis vinculum, ratione cuius sit specialis luxuriæ circumstantia necessario confitenda, ad confessionis filiam accessisse. ibidem.
36. An infidelis baptizans filium fidelis contrahat spiritualem cognationem cum baptizato, ac eius parentibus. p.225.
37. An fidelis baptizans filium infidelis contrahat cum patre infideli cognationem. p.226
Caput 25. Circa Cognationem Legalem. ibid.
38. An adoptio imperfecta dirimat matrimonium. ibid.
39. An cognatio legalis in linea transuersa dirimat matrimonium. p.227.
40. An duo ab eodem adoptati, possint inter se valide coniugium inire? ibid.
41. An adoptatus possit inire coniugium cum filia illegitima adoptantis. ibid.
42. An cognatio legalis impediens, ac dirimens matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, eiusque descendentes protrahatur in infinitum. p.228
Caput 26. Circa Impedimentum Criminis. ibid.
43. An si coniux coniugem interimit, non animo contrahendi coniugium cum altero, sed ex odio, vel vt liberius libidini inseruiat: Homicidium hoc dirimat subsequens

quens matrimonium ? ibi, dem.
44. An hoc impedimentum incurratur ab vxore virum interimente ex intentione aliud coniugium ineundi ? pagina 229.
45. An ad incurrendum hoc impedimentum , sufficiat , sola occisis coniugis animo contrahendi cum altero , licet non adsit adulterium? ibidem
46. An vt impedimentum hoc dirimens sit necessum , vt machinatio mortis inferendæ coniugi alteri , suum sortiatur effectum? p.230
47. An vt crimen Adulterij sit impedimentum dirimens , sufficiat conatus ad copulam adulterinam cum promissione matrimonij? ibid.
48. An vt adulterium sub futura coniugij promissione sit dirimens illud , requiratur , vt vtérque adulterans cognoscat , copulam quam gerit , esse adulterinam id est , sciat , superstitem esse alterius coniugem. ibid.
49. An promissio matrimonij ore tenus facta , adulterio adiuncto inducat dirimens impedimentum. p.231
50. An vt fides data coniugij futuri sufficiens sit ad hoc impedimentum inducendum , necessarium sit , esse iuramento firmatam. ibid.
51. An vt præfata promissio hoc inducat impedimentum , necessario debeat esse mutua. pag. 232
52. An vt promissio futuri matrimonij iuncta adulterio sit dirimens impedimentum , sufficiat tacitumitas eius , cui fit promissio. ibidem.
Caput 27. Circa Impedimentum disparis cultus. p.233
53. An matrimonium fidelis cum infideli sit vetitum iure naturæ aut diuino. ibid.
54. An matrimonium fidelis cum infideli prohibitum iure diuino , & naturali , sit eodem iure irritum. ibidem.
55. An validum sit fidelis cum hæretico coniugium. pag. 234
56. An tempore primitiuæ Ecclesiæ tenebatur coniux ad fidem conuersus , cohabitare cum infideli coniuge , secluso animæ periculo. ibid.
57. An licitum sit nunc fideli , cum fideli coniuge nolente ad fidem conuerti , cohabitare. pag. 235.
58. An cum spes subest couersionis infidelis ex persistente fidelis consortio : liceat , nunc fideli , cum infideli cohabitare. ibid.
59. An cum est spes conuersionis infidelis coningis ex fidelis consortio : fidelis ex præcepto teneatur cum infideli coniuge inabitare. pag. 236.
60. An si infidelis coniux cohabitare cum fideli renuit vel cum Dei contumelia , & pertractione ad mortale crimen liceat conuerso coniugi , id matrimonium dissoluere , & ad aliud transire. ibidem
61. An si Infidelis coniux à conuerso discedit aut non vult habitare cum ipso absque Dei iniuria vel pertractione ad peccatum statim matrimonium dissoluatur. ibidem.
62. An vt possit fidelis conuersus matrimonium ad alias nuptias transiens dissoluere : necessarium sit vt infidelis moneatur , num velit ad fidem conuerti , vel habitare cum fideli sine Dei contumelia , aut sine pertractione ad peccatum. p.237
63. An quando infidelis coniux adeo distans commoratur , vt commode requiri , aut moneri nequeat , possit fidelis matrimonium dissoluere ad aliudque transire , illo minime admonito. ibid.
64. An desideretur Ecclesiæ authoritate præfigi terminum , (vt conuertatur , aut decernat legitimè cohabitare cum coniuge conuerso) quo possit prius dissolui coniugium? p.238.
65. An si ante matrimonium à fideli conuerso contractum , infidelis coniux ad alias nuptias transeat : hæc irritæ sint. ibidem.

66. An matrimonium consummatum infidelis dissoluatur fideli coniuge in Religione approbata profitente. ibid.
67. An fideli coniugi liceat ad Religionem, vel Sacrum Ordinem transire, nulla infidelis monitione præmissa? pag. 239.
68. An quando fidelis conuersus, ad alias nuptias transit, infidelis possit licite aliud matrimonium inire. ibidem.
Caput 28. Circa Impedimentum Ordinis. p 240
69. An Ordo Sacer dirimat matrimonium iure naturali diuino. ibidem.
70. An qui recipiens Ordines minores credebat illis annexum esse solemne continentiæ votum, perinde ac Sacris teneatur voto simplici continentiæ: vnde teneatur matrimonium non inire? ibid.
71. An Ordo Sacer per metum grauem susceptus, dirimat matrimonium. pagina 241.
72. An scienter ordinatus, sed ignorans prorsus votum esse Ordini annexum: teneatur continere ex voto, non ex sola Ecclesiæ consuetudine? ibidem.
73. An possit vir ad ordines sine vxoris licentia promoueri. pag. 242.
74. An vir ad ordines promotus, quando spontanea vxoris (non expressa licentia) dissimulatio interfuit, possit ab ea ad ius coniugij renunciari. ibidem.
75. An qui absque expressa, & spontanea vxoris licentia ad Ordines fuit promotus, & ab ipsa reuocatus: Quando consummatum non est matrimonium, teneatur Religionem inire, vt votum Sacro Ordini annexum valeat implere. pag. 243.
76. An possit vir sola vxoris licentia ad ordinem Sacrum promoueri, si ipsa in sæculo castitatem voueat, siue iuuenis, siue senex sit? ibid.
77. An vir ad ordines promotus sola spontanea vxoris licentia absque aliis iure requisitis, possit ab ea, vel saltem ex Iudicis officio ad coniugale consortium reuocari. pagina 244.
78. An vxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam concessit viro Ordinem Sacrum assumendi: reddatur inhabilis post viri obitum matrimonium ineundo. ibidem.
Caput 29 Circa Impedimentum Ligaminis. ibidem
79. An Polygamia: seu vsus plurium vxorum simul, sit irrita iure diuino in lege Euangelica? ibidem.
80 An pluralitas vxorum simul sit prohibita iure diuino antiquo positiuo. p 245.
81. An vxorum pluralitas sit prohibita, ac irrita iure naturali. ibidem.
82. An Deus possit vt vna vxor plures habeat maritos, dispensare. pagina 246.
83. An licita sit nunc infidelibus polygamia. ibid.
84. An antiquitus fuerit licita Gentilibus vxorum pluralitas. pagina 247.
85. An vidua incurrat pœnas iure ciuili statutas ei, si intra annum luctus ad secundas transeunti nuptias, si consummatum prius matrimonium non fuit. ibidem
86. An omnes hæ pœnæ fœminæ secundo nubenti intra annum luctus à Iure Ciuili inflictæ correctæ sint à Iure Canonico. ibidem.
Cap. 30. Circa Impedimentum Publicæ honestatis. p. 248.
87. An Publicæ honestatis impedimentum oriatur ex sponsalibus ficte celebratis. ibid.
88. An Publicę honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus validis cesset, num mutuo contrahentium consensu sponsalia dissoluantur. p. 249.
89. An si contractis sponsalibus cum Maria sub conditione sponsalia absoluta

absoluta cum eius sorore ineantur : oriatur publicæ honestatis impedimentum. ibidem.
90. An ex matrimonio rato nondum consummato oriatur potius affinitatis, quam publicæ honestatis impedimentum. ibidem.
91. An impedimentum publicæ honestatis consurgens ex matrimonio rato restrictum per Tridentinum ad primum gradum, sicut consurgens ex sponsalibus. p.250
92. An Impedimentum publicæ honestatis consurgat, ex matrimonio rato, quacumque ex causa inualido. ibidem.
93. An ex matrimonio rato conditionato oriatur publicæ honestatis impedimentum? pagina 251.
Caput 31. Circa Affinitatis Impedimentum. ibid.
94. An vt affinitas contrahatur, sufficiat, vt solus vir in copula seminet. ibidem.
95. An contrahatur affinitas ex copula, in qua sola fœmina seminat? pagina 252
96. An ex spadonis congressu oriatur affinitas? ibidem.
97. An vt affinitas contrahatur, sufficiat si virile semen, quocúmque modo, etiam dæmonis arte, intra vas fœmineum recipiatur? ibidem.
98. An copula Sodomitica impediat matrimonium. pagina 253.
99. An affinitas ex fornicatione orta impediat matrimonium in gradu tertio, & quarto. ibidem.
100. An Accessus ad consanguineam in tertio, aut quarto gradu eius, quacum quis fornicatus fuerat sit incestus. ibid.
101. An affinitas ex fornicatione orta dirimat in omni gradu lineæ rectæ iure naturali matrimonium. pag. 254
102. An affinitas ex matrimonio orta dirimat, iure naturæ matrimonium aliquo in gradu lineæ rectæ, inter ascendentes, ac descendentes. ibid.
103. An affinitas ex matrimonio orta dirimat, naturali iure coniugium in primo lineæ transuersæ gradu. p.255
Caput 32. Circa impotentiæ impedimentum. ibid.
104. An validum sit matrimonium initum inter imponentes, cognita impotentia naturali perpetua coëundi, dummodo ad caste viuendum, & sine ordine ad copulam celebretur. ibid.
105. An imponens, qui suæ impotentiæ conscius decepit fœminam ipsam ducens, teneatur eam vt sororem habere, & ei alimenta impertire. pagina 256.
106. An si vterque coniux initi matrimonij tempore nouerant impotentiam teneantur, tanquam fratres conuiuere. ibidem
107. An satis sit ad matrimonij valorem potentia penetrandi vas, si seminandi intra illud desit potentia? p.257
108. An sufficiat ad matrimonij valorem, si vir non valeat emittere semen intra vas, sed tantum in ore vasis? ibidem
109. An validum sit matrimonium si vir seminet intra vas, fœmina vero sit ad seminandum impotens. p.258
110. An Eunuchus valide possit matrimonium inire. ibid.
111. An si daretur Eunuchus verum emittens semen, valide posset matrimonium inire, attento naturæ iure, post Sixti V. motum proprium. ibid.
112. An fœmina Eunuchissa sit ad matrimonium habilis ineundum? p.259.
113. An senes valde decrepiti sint ad ineundun coniugium habiles. ibid.
114. An quando vir senex adeo est exhaustus, vt omnino impotens ad copulam habendam existat, nec medicorum iudicio iurari arte possit: capax sit coniugij ineundi. ibid.
115. An

115. An validum sit sterilium matrimonium. p.260
116. An Fœmina, quæ pa.ere non potest sine manifesto mortis periculo, licet apta copulæ: validè ineat matrimonium ibidem.
117. An detur impotentia naturalis respectiua matrimonium dirimens. ibid.
118. An quando fœmina nupta cuius arctitudini naturali medici iudicant posse absque mortis periculo per incisionem subueniri, vt apta viro reddatur: teneatur pati? p.261
119. An quando fœmina arcta naturaliter speciatim non est, sed solummodo naturale Virgineum signaculum congressui virili obstat: teneatur incisionem subire. ibid.
120. An impotentia perpetua ex maleficio consurgens dirimat subsequens matrimonium cum persona illa, ad quam est impotentia. p.262
121. An hermaphroditus, semel electo sexu, & iuxta illum inito matrimonio postea viduus possit iuxta alterum sexum valide matrimonium inire? ibid.
121. An hermaphroditus possit valide inire coniugium iuxta sexum, qui non est æqualis, sed inferior: si tamen iuxta eum adsit ad copulam potentia. p. 263.
123. An ætas quatuordecim annorum in viro, decem vero in fœmina necessario debeat esse completa, ad ineundum coniugium. ibid.
124. An sufficiat ad matrimonij valorem, vltimam diem anni decimiquarti in viro, & duodecimi in fœmina incœptam esse. p.264
125. An vt malitia supplere dicatur ætatem à lege præscriptam in puero sufficiat vt quacumque in ætate habilis ad copulam reperiatur? ibid.
126. An puer minor septennio capax generandi, ac vsu rationis fruens capax sit coniugij ineundi. ibid.
127. An vt tempus assignetur pubertati proximum, in quo supplente malitia ætatem possit matrimonium iniri: desideretur Iudicis arbitrium. p.265
128. An valeat matrimonium, quando in legitima pubertatis ætate constitutus adhuc potens non est ad copulam coniugalem gerendam. ibid.
129. An quando puer decimoquarto anno completo aut fœmina duodecimo adhuc impotentes ad copulam inueniuntur, expectandum sit triennium integrum, ad experiendum, num ea impotentia perpetua sit, & matrimonium irritum. p.266.
130. An quando signa impotentiæ non sunt omnino certa, sed euidentia verosimiliter, desideretur iuramentum. ibid.
131. An requirátur triennij experimentum, quando, existentibus de impotentia solum signis dubiis, vterque coniux illam ingenue profitetur. p.267
132. An casu, quo vxor, matronis inspicientibus, virgo iudicetur: necessarium sit septimæ manus propinquorum iuramentum, etiam exacto triennio. ibid.
133. An vtroque coniuge fatente impedimentum & triennio experimenti lapso necessarium sit adhuc vxorem à matronis inspici. p.268
134. An pro forma iuramenti septimæ manus, requiratur necessario libri Euangeliorum tactus. ibidem.
135. An triennium exprimenti computandum sit à tempore, quo cœptum est à coniugibus copulæ ineundæ vacare. ibidem.
136. An triennium experimenti aliquo temporis interstitio intermittatur, debeat iterum denuo institui. p.269.
137. An supplendum sit necessario triennij tempus interpolatum ibidem.
138. An matronæ ad fœminarum inspectionem electæ à iudice, possint recusari. p. 270
139. An matronæ electæ à Iudice,

ce, debeant iurare, suo vt testimonio fidem faciant. ibidem
Caput 33. Circa Raptus Impedimentum. p. 271
140. An raptus quo fœmina virum abripit dirimat matrimonium. ibidem.
141. An dirimat matrimonium raptus, quo inuitis parentibus, consentiens fœmina è domo extrahitur. ibidem
142. An dirimat matrimonium raptus, quo sponsus propriam sponsam abripit renuentem. p 272.
143. An dirimat, matrimonium raptus qui non geritur causa solum explendæ libidinis. ibidem.
Cap. 34 Circa impedimenta solummodo impedientia. pag. 273.
144. An Parochus possit ad tempus interdicere, ne matrimonium contrahatur? ibidem.
145. An Pontificis prohibitio, seu interdictum reddat irritum matrimonium contra eam prohibitionem contractum. ibidem.
146. An licite possit matrimonium interdicti, cessationis, à diuinis tempore celebrari. p. 274.
147. An Benedictiones nuptiales possint licite tempore interdicti conferri. ibidem.
148. An imperfecta spiritualis cognatio prodiens extentione in Catechismo oriatur etiam extentione baptizati in exorcismis. p. 275.
149. An vt patrinus hanc imperfectam spiritualem cognationem contrahat, necessum sit vt baptizatum, aut baptizandum in Catechismo teneat. ibidem.
150. An hoc Catechismi impedimentum per Tridentinum sit sublatum omnino. p. 276
151. An impedimentum impediens votum castitatis Religioni, vel non nubendi emissum ab eo, cui satius est ob animi salutem coniugium inire: validum sit & impediat matrimonium. p. 277.
153. An mortaliter delinquat, qui habenti castitatis votum, & rogitanti num possit matrimonium valide inire, posse respondet. ibid.
154. An liceat, suadere ei, qui venereis tentationibus agitatus passim succumbit, nec spes est fore, vt aliis mediis adhibitis contineatur, vt matrimonium ineat, quamuis simplici castitatis voto sit adstrictus. p. 278
Caput 35. Circa impedimenta, quæ ortum habent ex crimine. ibidem.
155. An incestus viri cum vxoris consanguineis, quo impedit etiam dirimat matrimonium. ibidem.
156. An impedimentum incestus oriatur, ex coniunctione cum consanguineis coniugis vltra secundum gradum pagina 279.
157. An hoc impedimentum oriatur, ex incestu cum propriis consanguineis intra secundum gradum. ibid.
158. Ac impediat matrimonium incestus cum coniugis consanguineis. ibid.
159. An vt incestus matrimonium impediat, debeat necessario esse publicus. p. 280
160 An impedimentum raptus sponsatæ incurrat, qui sponsam solum de futuro rapit. ibidem.
161. An impedimentum vxoricidij incurrat qui vxorem in flagranti adulterij delicto deprehensam propria interemit authoritate. ibid.
162. An vxoricidij impedimentum vir incurrat casu, quo vxorem authoritate iudicis adulteram enecet. p. 281
163. An incurrat vxoricidij impedimentum vxor, quæ virum interimit. ibid.
164. An incurrat Presbytericidij impedimentum quislibet Presbyteri interfector, etiam in iudicio contentioso minime conuictus.

uictus. ibidem
165. An lethaliter semper delinquat, qui cum interdictis Ecclesiæ, impedimento impedienti matrimonium contrahit. ibidem.
166. An si impedimenta alia non abierint in desuetudinem: mortale sit affectum illorum aliquo coniugium contrahere. pag. 282.
167. An valeat, consuetudo contraria, vt à peccato lethali excusetur, qui affectus aliquo impedimento impedienti init matrimonium. ibidem
Caput 36. Circa Impedimentorum Dispensationem. pagina 283.
168. An Pontifex possit in impedimentis iure diuino & naturali matrimonium detrimentibus aliquando dispensare. ibidem.
169. An possit dari casus, in quo Pontifex valeat dispensare, imo præcipere patri, vt filiam, ducat in vxorem, ibidem
170. An solus Pontifex possit in impedimentis iure humano dirimentibus dispensare. pagina 284.
171. An Episcopus in casu magnæ necessitatis possit in impedimentis dirimentibus post contractum matrimonium dispensare. ibidem.
172 An desideretur in contrahentibus bona fides, vt Episcopus in his casibus valeat dispensare. pag. 285.
173. An possit Episcopus in casu magnæ necessitatis dispensare in impedimento dirimenti ante initum matrimonium. ibidem.
174. An tantum sit pro interiori foro potestas quam Episcopus habet ad dispensandum in necessitate super impedimenta dirimentia. p. 286
175. An ex speciali Episcopi commissione possit eius Vicarius generalis in impedimentis dirimentibus in casibus, quibus ipse potest dispensare. ibidem.
176. An possit Episcopus post initum matrimonium dispensare semper in impedimento, cui subreptitiè fuit obtenta dispensatio. pagina 287.
177. An Religiosi Mendicantes suorum priuilegiorum vi possint in aliquo impedimento dirimenti dispensare. ibidem.
178. An Episcopus valeat dispensare, ad petendum debitum cum coniuge, cui debiti petitio est interdicta, affinitatis contractæ ex fornicatione cum altero coniuge causa. ibidem.
179. An Religiosi Mendicantes ab Ordinario approbati possint hodie ex Prouincialis commissione dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum cum iis coniugibus, qui inter se affinitatem contraxere. pagina 288.
180. An possit Episcopus semper dispensare ad petendum debitum cum coniugè, qui voto castitatis adstrictus iniuit coniugium. ibid.
181. An Episcopus possit dispensare ad debitum petendum cum eo, qui post castitatis votum iniit coniugium, nondum tamen illud consummauit. p. 289
182. An Episcopus in casu magnæ necessitatis possit dispensare in voto Religionis ac castitatis perpetuæ. ibidem.
183. An regulares possint suorum priuilegiorum vi, vrgente necesitate, in voto castitatis absolutæ dispensare sicut potest Episcopus. ibidem.
184. An ea omnis suppressio veri, quæ si exprimeretur, omnino Pontificem à dispensatione impertienda retraheret, vel difficilius eam impertiret: reddat dispensationem subreptitiam? pagina 290.
185. An taciturnitas veri, aut ex-

expreſſio falſi pertinens tantum ad cauſam impulſiuam, reddat ſubreptitiam diſpenſationem. pagina 291.

186. An ſit ſubreptitia diſpenſatio, ſi ſemel petita, & à Pontifice denegata, quando poſtea impetratur prioris denegationis mentio à petente non geritur. p. 291.

187. An qui obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum affine vel conſanguinea, ſed ea minime vſus, poſtea petit aliam diſpenſationem ad coniugium cum alia conſanguinea ſeu affine ineundum teneatur prioris diſpenſationis mentionem gerere, ne ſecunda diſpenſatio ſit ſurreptitia. ibid.

188. An gerenda ſit neceſſario mentio copulæ ex ſola humana fragilitate inter cognatos vel affines habitæ, vt valida eis ſit diſpenſatio? pagina 291.

189. An copula inceſtuoſa habita fuit ſpe facilius impetrandæ diſpenſationis: is animus ſit nunc neceſſario explicandus. ibidem.

190. An dum Ordinario Pontifex committit, vt diſpenſet cum aliquibus *Dummodo copula non interuenerit*: contrahentes poſſint initam copulam denegare, dum ab Ordinario interrogantur. pag. 293.

191. An quando plura adſunt impedimenta, neceſſarium ſit, omnia illa in eadem petitione referre, vt ſimul diſpenſentur. ibidem

192. An facienda neceſſariò ſit mentio de multiplicitate eiuſdem gradus, vel diuerſi in conſanguinitate, affinitate, publica honeſtate, ac ſpirituali cognatione, ne ſubreptitia ſit diſpenſatio? pag. 294.

193. An quando contracturi conſanguinei, vel affines diſtant inæqualiter à ſtipite, ſatis ſit mentionem remotioris gradus in petitione fieri? pagina 295.

194. An neceſſarium ſit explicare in petitione, num proquinquitas graduum ſit in linea recta, an in tranſuerſa. ibidem.

195. An cum diſpenſatio petitur ad impedimentum publicæ honeſtatis in primo gradu, neceſſarium ſit exponere, num ex ſponſalibus proueniat. pag. 296.

196 An quando impedimenta affinitatis, & publicæ honeſtatis concurrunt, ſatis ſit mentionem fieri affinitatis, publica honeſtate ſilentio ſuppreſſa. ibidem.

197. An valida ſit diſpenſatio, quando erratur in Diœceſi eius, cum quo diſpenſatur. ibidem.

198 An inualida ſit diſpenſatio eo ſolum quod in ea aliquid taceatur, quod ex Curiæ Romanæ ſtylo eſt exprimendum. pagina 297.

199. An qui petit diſpenſationem voti: quod certo ſcit emiſiſſe ſed in petitione exprimit votum eſſe dubium, adiiciens tamen aliam veram cauſam, ob quam aſſolet Pontifex diſpenſare, valida ſit diſpenſatio. ibidem.

200 An vitiet diſpenſationem, qui in precibus plures enarrat cauſas, ex quibus aliquæ ſunt veræ, aliquæ falſæ. pagina 298.

201. An impetretur diſpenſatio allegando fore, vt fœmina innupta maneat ex dotis defectu: cum tamen non ex defectu dotis, ſed quia deformis, aut grandæua ſit proueniat ab aliis non duci valida ſit diſpenſatio. ibid.

202. An quando diſpenſatio voti caſtitatis, aut Religionis, non explicat eſſe ad vnum, aut plura matrimonia: poſſit ad plura extendi. p. 299

203. An neceſſarium ſit, vt quando impetrans mittit Romam, ad diſpenſationem obtinendam cauſæ verificentur, vt valida exiſtat. ibid.

204 An

204. An causæ dispensaionis debebant esse necessariò veræ, tempore, quo Pontifex, vel Pœnitentiarius committit Ordinario, vel Confessori dispensandi commissionem? pagina 300.

205. An causæ dispensationis debeant necessariò subsistere, quando post Pontificis, vel Pœnitentiarij expeditionem, Ordinarius, aut Confessor eam exequitur. ibidem.

206. An necessarium sit vt perseueret dispensationis causa eo tempore, quo executioni mandatur nempe cum ipsum matrimonium initur? pagina 301

207. Trium voluminum de Sacramentis ad Deiparam Epilogus. pag. 302

R, P.

R.P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS

Liber Vigesimus Quartus.

SPONSALIA.

Licet Sponsalia ordine doctrinæ subsequantur Matrimonium, cùm ad illud ordinentur tanquam in finem, & à fine ordine doctrinæ inchoandum sit in moralibus: quia tamen ordine temporis Sponsalia Matrimonium præcedunt, de his præmitto tractationem. Quæ quidem omnia ad sponsalium pertinentia exponent, & quasdam ob causas dissoluantur, enunciabunt.

SECTIO PRIMA.

De Sponsalibus receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De conditionibus requisitis ad Sponsalia.

1 Sponsalia dicuntur ab spondendo; mos enim erat olim, vt puella nuptura promitteretur viro à patre, vel à tutore, vel ab amicis, ideóque dicti sunt sponsi quasi alteri promissi: sponsor, qui promittebat; & cõtractus ipse, sponsalia. *leg. 2. & 3. ff. de sponsal.* Tripliciter autem sumuntur. Primò per promissionem futuri Matrimonij. Secundò pro matrimonio non adhuc consummato. Tertiò pro donis, quæ dabantur à sponso sponsæ. At prima acceptio est maximè propria. Vnde in legibus quoties de spõsis occurrit mẽtio, sumũtur primo modo,

quamuis in materia fauorabili etiam nomine vxoris,& maritatę veniunt spōsę. *Leg. Non sine C.de bon qualib.* Sylueſt.*v.ſponſalia q.*1.*dicto* 2.

2 *Quidnam ſponſalia.*

Igitur *ſponſalia ſunt promiſſio futuræ Nuptiarum.* Dixi *Promiſſio*, quia ſolum propoſitum non inducit obligationem, nec vinculum ſponſalium,quæ, vt valida ſint, tria requiruntur, Primo,vt ſint promiſſio futuri Matrimonij. Secundo, vt ſint inter perſonas iure habiles. Tertio, vt manifeſtentur verbis, vel ſignis.Dicuntur autem à D.Thoma Sacramentalia, non quod habeant aliquam vim ſanctificandiMatrimonio præuiam:ſed quod ſint præuia ipſi Sacramento Matrimonij. Filliuc. *tract.* 10 *num.*232.

3 *Concubitus cum ſponſa non eſt adulterium.*

Concubitus cum ſponſa non eſt adulterium Quia non violatur alicuius thorus, qui ſponſis antè Matrimonium non conceditur:adulterium autem eſt alieni thori violatio. *Cap. lex illa* 36.*quæſt.*1.D.Tho. 2.2*quæſt.*154.*art.*8.

Non ſufficit ad ſponſalium validitatem interna promiſſio. Quia modus connaturalis inter

4 *Requiritur externa promiſſio.*

homines ad ſe inuicem obligandum, eſt per verba externa. Nec etiam promiſſio Deo facta tenet. Quia non eſt melioris boni. Si autem veſtiatur aliquibus circumſtantiis,vt quia voueat quis in remedium concupiſcentiæ, vel in Dei honorem quod pauper illa ſit vel meretrix:valebit.Sanchez *d.*3.*&* 4.

Requiritur mutua promiſſio, ad quam non

5 *Promiſſio hæc debet eſſe mutua.*

ſatis eſt acceptatio promiſſionis alterius : ſed neceſſaria eſt repromiſſio. Et quidem quando Matrimonij promiſſio gratis fit, verbi gratiâ, in beneficij accepti memoriam;tunc altero acceptante promiſſionem,nec repromittēte:ſolus promittens obligatur.Quod ſi diù diſtulerit repromiſſionem,cenſetur contemnere, & ità qui promiſit, liber ex tacita remiſſione manebit. Quando verò non eſt facta gratis, ſed reſpectiuè, per modum contractus oneroſi, tunc neceſſaria eſt repromiſſio alterius ad hoc vt ſit efficax.Quia in contractu vltro citróque obligatorio non eſt perfectus contractus, ſine vtriuſque partis obligatione.Sanch.*d.*5.

Promiſſio Matrimonij acceptata ab altero ſuo

6 *Obligat promiſſio acceptata ex iuſtitia.*

ex genere,obligat ex iuſtitia, & ſub peccato mortali. Quia habet rationem pacti : pactum autem non ſeruans poteſt excommunicari. *Cap.* 1. *de pactis.* Intellige modò promittens animum ad ſe obligandum habuerit, ſiue cauſa expreſſa ſit ſiue non ; expreſſio enim cauſæ requiritur iure, ne præſumatur facta ioco, &abſque animo. Item niſi res eſſet notabiliter mutata,& niſi paruitas materiæ excuſaret,quæ debet eſſe quadruplo maior ea, quæ ſatis eſt ad furtum.Sanch.*d.*5.

Promiſſio gratuita Matrimonij facta abſenti, nullóque eam, aceptante, eſt reuocabilis

7 *Facta abſenti eſt antè acceptationem reuocabilis.*

in vtróque foro antè acceptationem, etiamſi fiat ex cauſa pia, modo non feratur immediatè in Deum. Vt autem ſit irreuocabilis, opus eſt,vt abſenti intimetur per nuntium ad id,vel per Epiſtolam, & abſens coram nuntio acceptet.Quod ſi aliquis acceptet pro abſente, tunc ſi eſt gratuita, & fiat per verba directa in preſentem,vt,*promitto tibi me contracturum cum Antonia*,non poteſt promittens retrocedere ſi vero eſt reſpectiua,& præſens nō habet ſpeciale mandatum ad repromittendum,poteſt antè abſentis repromiſſionem reuocari. Quod quibus modis fieri poſſit,vide apud Sanchez *d.*7.*q.vlt.* 8

Conditiones promiſſionis legitimæ.

Promiſſionis legitimæ conditiones expono. Requiritur ex parte intellectus ſufficiens deliberatio,ea ſcilicet,quæ ſatis eſſet ad peccatum mortale. Præterea vt ſit ſubiectum capax, hoc eſt,non ſit à natura neceſſariis ſenſibus deſtitutus. Denique vt habeat vſum rationis ; furioſi enim & mente capti, ſi non habeant dilucida interualla,non ſunt habiles ad contrahendum. Filliuc.*r.*10.*n.*238.

9 *Promittens poteſt ſe multis modis habere, quorum nonnulli obligant ad ſponſalia impleuda, alij non obligant.*

Promittens poteſt ſe habere multis modis. Primò, habens animum ſe obligandi, non tamen implendi : & tunc ſufficit, & obligatur ad ſponſalia. Quia mala illa intentio non implendi, non eximit ab obligatione, quæ naturaliter ſequitur ex ipſa promiſſione facta animo ſe obligandi. Secundo, habens ſaltem implicitè animum ſe obligandi,quia dum promiſit, erat conſcius naturæ promiſſionis, licet non meminerit : & tunc vera erunt ſponſalia. Quia cum non apponat explicitè intentionem contrariam, indirectè ſe obligare cenſetur. Tertiò poteſt tempore, quo data eſt fides habuiſſe animum ſe obligandi:ſed ſtatim fide data promittens habuit animum ſe non obligandi : & tunc etiam valida ſunt. Quia iam obligatio orta eſt ex promiſſione. Quartò poteſt nec explicitè nec implicitè promittens habuiſſe animum ſe obligandi, ſed neque habuit contrarium, quia ſcilicet ignorabat naturam promiſſionis,& obligationem ex ea conſurgētem:& inualida erunt ſponſalia. Quia adeſt voluntariè defectus.Quintò, quando promittens habuit animum promittendi,ſed ſimul animum poſitiuè ſe non obligandi,quæ eſt ficta quædā promiſſio:ex vi promiſſionis non obligatur ad ſponſalia. Quia conditio appoſita eſt contraria ſubſtantiæ promiſſionis. Quod valet etiam ſi addatur iuramentum. Sanchez *d.* 8. *dub.* 2. Ex vi tamen iniuriæ illatæ fictè promittendo. Si quidem promiſſio facta eſt merè gratis, ex altera videlicet tantum parte, vt viri : ad nihil vltra promittens tenebitur,ſi nullum aliud damnum fœminæ redundet, ſi vero per modum contractus,ex vtraque parte ſcilicet:tunc ſi ratione fictæ promiſſionis fœmina defloratа eſt, tenebitur eam ducere ſub mortali. Quia cum alter ex parte ſua contractum impleuerit, tenebitur & alter implere. Sanchez *diſt.* 10.

10 *Varios modos contrahendi ſponſalia verbis expreſſis recolo. Verba quoad ſignificationem de futuro conſtituunt ſponſalia, ſiue ſimpliciter proferantur, vt Ducam te, ſiue addatur verbum promitto vt Promitto me ducturum te. Quia ſemper communi ex ſenſu Eccleſiæ ſumuntur vt promiſſoria.Sotus* 2. 2. *queſtion.* 2. *art.* 1. Sylueſt. *verb. ſponſalia, initio*, & alij cum eo. Verba autem illa, *Promitto me deſponſaturum Mariam*, non ſunt ſponſalia, ſed tantum de ſponſalibus promiſſio. Couar. *de Matrimon. part.* 1. *capit.*4. *numer.* 1. Verbum hoc : *Accipio te in coniugem*,ſponſalia conſtituunt.Quia conſenſus eſt de futuro. Victor. *de Matrimo.* 251. Petr. Ledeſ.*quæſt.*45. *a.*3. *dub.* 1. Verbum hoc : *Volo te habere in vxorem*, ſponſalia ſolummodò conſtituunt. Quia verificantur, licet proferens modo nolit eſſe ſuam vxorem, ſed tempore futuro. Couar.citatus *num.*4. Verba

Varios modos contrahendi verbis ex ſponſalia expreſſiſſime.

ba autem negatiua. Nullam aliam à te ducam, si nullam includant affirmationem explicite vel implicitè, nec sponsalia, nec Matrimonium constituunt. Quia consensus non datur per meram negationem, obligant tamen, supposito quod velit nubere, ad eam ducendo, si verò addatur affirmatio, erunt sponsalia, vel Matrimonium, sponsalia, si dicatur: *Non aliam, sed te ducam*: Matrimonium si dicatur: *Non aliam, sed te duco*. Couar. *numer.* 8. Adrian. *de Matr. quæstio. 2. dub.* 12. Sanchez *d.* 19. Filliuc. *tract.* 10. *numer.* 240.

11 *Sufficiunt ad sponsalia verba de præsenti ad Matrimonii validitatem.*

Quæsieris, an verba de præsenti inter pueres vel impuberes apta ad Matrimonium Clandestinum, sufficiant ad sponsalia? Certe inter puberes probabile mihi est, sufficere, ex *Cap. vnico, de desp. impub. in* 6. vbi habetur, Matrimonium impuberum obligare vt sponsalia: vt scilicet actus qui non valuit eo modo, quo gestus est, valeat eo modo, quo geri poterat. Ergo à pari confirmo ex Declaratione Cardinalium, quæ refertur ab Henriq. *l.* 11. *c.* 9. *n.* 4. At inter impuberes, vel vnum puberem, alterum impuberem habent eodem modo vim sponsalium. Quia ex contrahentium intentione, qui videtur voluisse contrahere spōsalia, casu quod Matrimoniū non valeret, apertè colligitur. Quando autē actus includitur in eo quod fit, si non valet eo pacto, quo fit valet meliori modo, quo potest: sponsalia autem virtutē clauduntur in Matrimonio. *Cap. fin. de desp. impub.*

12 *Signa quæ possunt vertutem suppere vices ad sponsalia, iuxta.*

Profectò signa aliqua supplentia verborum vices, quæ ad sponsalia constituenda sufficere videantur. Inprimis subarratio annuli ex se loquendo est signum æquiuocum ex aliis causis, vt amore turpi. Si tamen consuetudo loci sit, vt annuli traditio sponsalia significet, præsumendum iuxta loci consuetudinem. Angel. *v. sponsalia, n.* 7. Sylvest. *ibi, q.* 1. Armil. *n.* 3. Certe si verba vnius præcesserint, tunc immissio annulli & verbum *recipiam* operatur sponsalia. Quia tacens consentit facto ipso cum annulū recipit. Glossa *Cap. Tua, de sponsal. v. verba.* Item quando habito tractatu inter amicos de Matrimonio contrahendo, sponsus misit arrhas, vel iocalia, nil aliud exprimens, & sponsa acceptauerit sponsalia. Quia id est sufficiens repromissionis signum: & tacens videtur consentire. Abbas *Cap. Cum virum, de regul. n.* 3. Sylvest. *v. sponsalia initio.* Sanch. *d.* 22. Præsentia & taciturnitas contrahentium, quando parentes contrahunt pro filiis satis etiam est, modo contrahentes saltem inter se consentiant, *Cap. vnico de desp. impub. in* 6. Quia cum parentes diligant filios, præsumitur, recte eos filiis consulere: ideóque prælentia & taciturnitas filiorum iure optimo consensus reputatur. At si parentes contrahant pro filiis absentibus, non satis est, vt quando id nouerint, taceant, & non reclament: sed debent etiam tacitè vel expresse ratificare aliquo signo externo, vt ex Cap. vnico citato colligatur.

13 *Verba promissionis ad sponsalia debent in personam determinatam.*

Verba promissionis, vt constituant sponsalia debent necessario ferri in personam determinatam. Quia sicut Matrimonium debet esse cum persona certa, ita etiam sponsalia, quæ sunt eius initium. Sanchez *d.* 26. *num.* 1. citans alios.

14 *Sponsalia facta post prima ficta, valida sunt.*

Sponsalia facta post prima ficta, valida sunt. Quia promissio secunda non tollitur per priorem fictam. Sylvest. *verb. Matrimonium quæst.* 8. Nauar. *cap.* 22. *num.* 79. Sanchez *d.* 15. *num* 1. Ficte contrahens sponsalia, regulariter tenetur verè consentire. Quia vtrinque est contractus *Do, vt des*: & alter iam implenit promittendo per vera sponsalia. Deinde semper sequitur notabile damnum alteri, vt fœminæ præcipue, quare alteri non facile poterit nubere. Sylvest. & Nauar. citati. Henriq. *l.* 11. *cap.* 11. *num.* 3. si tamen nullum damnum ex his sequatur, probabile satis iudico, non teneri ad verè consentiendum. Sanchez *d.* 11. *num.* 1.

4. *ficta valida sunt.*

15 *Valida sunt sponsalia clandestina etiam post Tridentinum.*

Sponsalia clandestina valida sunt, etiam post Tridentinum. Quia lex Tridentini est correctiua iuris communis, ideóque non est extendenda vltra casum expressum. *Leg. Præcipimus, Cod. de appell. at.* Ergo cum solùm irritet Matrimonium clandestinum, non erit extendenda ad sponsalia. Nauar. *cap.* 25. *num.* 144 Cordu. *sum. quæst.* 52. Henriq. *c. de Matr. num.* 8. Sanchez *d.* 12. *num.* 2. Peccatum non est contrahere sponsalia clandestina. Quia nullo iure id prohibetur. Sanch. *d.* 13.

16 *Notabilis disparitas contrahentium non reddit inualida spōsalia consciis.*

Notabilis disparitas contrahentium, si contrahens sit conscius conditionis alterius non reddit irrita sponsalia. Quia cum contrahens sit dominus rei promissæ, & excessus: videtur velle cedere libere iuri suo, & facere excessus donationem. Limito autem id in casu magni scandali secuturi: tunc enim virtus iustitiæ non obligaret ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Molina *tra.* 2. *d.* 271. Cordu. *lib.* 1. *qq. mor. num.* 13. *dict.* 1. & alij apud Sanch *d.* 14.

17 *Soli ij sunt habiles ad sponsalia, quæ sunt habiles ad Matrimonium.*

Habiles sunt ad ineunda sponsalia ij, inter quos nullum est impedimentum, & habent ætatem iure præscriptam. Vnde ij soli sunt habiles ad sponsalia, qui soli sunt habiles ad Matrimonium. Quia sponsalia sunt futuri Matrimonij promissio. Impedimentum, autē, quod nō dirimit Matrimoniū dirimit spōsalia, si hęc præcedāt, vt votū simplex castitatis, vel Religionis. Quia cū sit illicitū cōtrahere cū tali impedimento, sponsalia non possunt ad aliquid illicitum obligare. Excipe, nisi impedimentum esset temporale verbi gratiā ætas in impuberibus. Valent enim inter eos sponsalia, non Matrimonium, vel votum castitatis ad tēpus; licerent enim sponsalia, non Matrimonium pro eo tempore, quo est impedimentum. Nauar. & alij cum Sanch. *d.* 15.

18 *Requiritur septennium ad sponsalia.*

Requiritur autem septennium completum ad sponsaliorum validitatem ex *Cap. literis, & Cap. Accessit, de desp. impuber.* Quia septennio completo incipit communiter rationis vsus, & libertas. Quod si vel vterque vel alter nondum haberent vsum rationis, essent irrita sponsalia. Sicut etiam si ante septennium vterque, vel alter contrahat, nec malitia supleat ætatem, sunt irrita, nisi post legitimam ætatem expresse, vel tacitè ratificentur. *Cap. vni. de desp. impuber. in* 6. Sylue. *v. Matrimonium* 8. *quæstion.* 14. & alij cum Sanchez *d.* 16.

19 *Malitia supplet ætatem.*

Verum malitia potest ætatem supplere, & spōsalia valida effiecre, quæ esset alioqui inualida. Quia *leg. In sponsalibus* 1. *ff. de sponsal.* dicitur, satis esse, sponsos quid agāt, intelligere. Et quia sponsalia sunt via ad Matrimoniū: Ergo hoc ipso, quod ius disponit, maliti ā supplere ætatē in

Matrimonio censetur disposuisse idem in sponsalibus. Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. a. 2. ad 2.* Sylvest. *v. sponsalia q. 2.* Sanch. *d. 16. q. 2.*

CAPVT II.

De Sponsalium obligatione. Vbi de Arris, Fideiussore, & Pacto.

20 *Oritur ex sponsalibus obligatio sub mortali.*

COnditionibus sponsalium expositis, agendum mihi de eorum obligatione siue quæ oritur ab intrinseco ratione præcepti præscribẽtis fidẽ, siue ab extrinseco ratione coactionis iudicialis, vel cõuentionalis. Oritur ergò ex sponsalibus obligatio sub mortali. Quia Cap. *Literis 2.* & Cap. *Requisitum, de sponsal.* supponitur spõsalia obligare ad sui impletionem, & cum materia grauis sit, obligat sub lethali. Et quia obligatio ex contractu est ex iustitia & sub mortali: talis autem est obligatio ex sponsalibus. Sotus *in 4. dist. 27. q. 2. a. 5.* Angel. *verb. sponsalia, n. 2.* Sylvest. *ibi, q. 4.* Sanch. *d. 27.*

21 *Si terminus præfixus non est, non teneris illico spõsalia implere.*

Si nullus sit præfixus obligationi terminus, nec alia cõditio, non tenetur, qui promisit spõsalia, illa statim implere, sed tunc quãdo requireretur ab eo cui facta est promissio: tunc autem obligatur, si commode potest. Quia id est generale in omni debito absque diei præfixione. Abbas *Cap. fin. de præscript. n. 29.* Sylvest. *v. Votum 2. q. 3.* Nauar. *c. 17. n. 79.* Sanch. *d. 18.*

22 *Quid agendũ cum eo qui recusat implere sponsalia.*

Qui absque causa legitima recusat sponsalium fidem implere, prius monendus est, & si renuat, cogendus per Censurã à Iudice Ecclesiastico: nisi attentis circũstantiis, prudẽter arbitretur Iudex, ex inuitis Nuptiis posse timeri scandala, dissẽsiones, ac infælices exitus. Colligo ex *Cap. Ex literis 2. de sponsal.* Quod si *cap. Requisitũ, de sponsal.* dicitur, non esse cogendũ, intellexerim, quãdo rationabilis causa obstiterit. Glos. *Cap. 2. de spõsal. v. Interpositione.* Abbas *n. 4.* Felin. *n. 14.* Sylvest. *v. sponsalia, q. 14.* & alij.

23 *Pœna addita sponsalibus irrita est.*

Pœna adiecta contractui sponsalium est irrita, ideóque is, qui sponsalia violat in vtroque foro non tenetur eã soluere. Quia sic consulitur Matrimonij libertati. Definitur *Cap. Gemma, de sponsal.* & Leg. *Titia, ff. de verborum oblig.* Sylvest. *v. sponsalia, q. 8.* & alij cum Sanch. *d. 30.* Quod si alterius sponsorũ interfit, vel damnum patiatur, poterit pœna exigi ratione interesse damni emergentis, & ratione iniustitiæ admissæ à violante fidem: non vi pœnæ adiectæ, si item illa soluatur, recipiẽs non tenetur restituere, donec iuridicè coactus, ad restitutionem condemnetur. Plura Sanch. *d. 31.*

24 *Etiamsi iurata sit.*

Si pœna adiecta iuramentis firmetur, non propterea addit obligationẽ. Quia pœnæ promissio est interdicta ob publicam vtilitatem, nempe ob libertatẽ Matrimonij ex *Cap. Gemma*, citato. Actus autem principaliter prohibitus in fauorem publicum, non firmatur iuramento, *Cap. si diligenti, de foro compet. cap. 2. de pact. in 6.* Plura Sanch. *d. 31. n. 8. & d. 33. & 34.* vbi de variis pœnæ appositionibus.

25 *Non est culpa lethalis, sponsalia ante ætatem*

Si sponsalia ante legitimam celebretur ætatem, non est propterea culpa mortalis. Quia *Cap. 2. de despons. impuber.* vbi videtur esse præceptũ, intelligitur tantũ de Matrimonio: & patet ex verbo. *Coniugantur*, quod solummodò Matrimonio de præsenti conuenit. Et quia nulla infertur tertiæ personæ iniuria, nec Sacramento. Filliuc. *tr. 10. n. 259.* *legitimam celebrare.*

Iam de Arris apponi solitis in sponsalibus differam præmittendo, arras sumi primò pro donatione, quam vir facit vxori in præmium dotis, secũdo, pro donatione propter Nuptias. Tertio pro pignore, quod datur inter sponsos in signum Matrimonij complendi: & hoc in sensu sumitur in præsenti. 26 *Arræ variæ significationes.*

Licitum est arras apponere amittendas per sponsalium fidei violationem. *Leg. Arris. l. fin. Cod. de sponsal.* Arra traditur in securitatem Matrimonij, pœna vt adstringat contrahentes: quare illa respicit actum fauorabilem, hæc odiosum: ideo illa valet, non pœna. Hinc est, vt arræ tradendæ sint, vt valeant. Quia leges semper de arris loquuntur. *leg. fin. Cod. de sponsal.* Angel. *verb sponsalia, num. 4.* Sylvest. *ibi. q. 9.* & alij, quos sequitur Sanch. *d. 35.* 27 *Licitè sunt arræ amittendæ ob violationem fidei sponsalitiæ.*

Possunt constitui arræ in quacumque quãtitate. Quia leges quę eas permittũt, indistinctè loquuntur, & respiciunt ad ea, quæ frequentius accidunt: frequentius autem modicæ sũt. Hostiens. *sum. tit. de sponsal. §. 1. n. 2.* Couar. *de Matri. p. 1. c. 3. §. 7. n. 9.* & alij cũ Sanch. *d. 35. num. 9.* Erit autem proba cautela tradere magnas pro securitate. Item possunt arræ constitui tam in rebus immobilibus, vt fundo: quam in pecunia, & possunt vtrinque tradi, vt Doctores citati edocent. 28 *In quacumque quantitate constitui possunt.*

Arrarum natura hæc est, vt eas amittat, qui tradit si culpa suaMatrimoniũ nõ sequatur: eo autem secuto, redeunt ad eum, qui tradidit. *leg. fin. Cod. de sponsal.* Sylvest. *v. sponsalia, q. 9.* Angel. *hic. n. 17.* Quod si quis citra culpam recedat, non amittit, sed ipsimet sunt restituendæ. Quia vbi culpa abest, debet abesse pœna. *leg. Arris & l. fin. Cod. eodem.* Et in specie ob ingressum in Religionem non amittuntur, *l. Deo nobis. C. de Episcopis, & cleric.* & communi Doctorum sensu ex Sanch. *d. 36.* Quando autẽ alter tantum dedit arras, & matrimonium non sequitur culpa eius, qui non dedit, tenetur duplum restituere, hoc est, ipsas arras receptas, & tantundem de suo patrimonio. Excipe, nisi sit minor 25. annis, nec impetrauit veniã ętatis, tunc enim tantum tenetur arras restituere, si per ipsũ stetit. *l. fin. Cod. de sponsal.* Innoc. *c. G ẽma.* Ioa. Andre. *n. 8.* Quando demũ vterque arras dedit, & recepit, iniustè recedens, perdit suas, & restituit quas accepit. Plura Sanch. *d. 36.* 29 *Amittit eas qui sua culpa Matrimonium impedit.*

Pœna legalis *Dupli* non debetur ante sententiam Iudicis. Quia est pœna lege imposita, quæ secundũ omnes postulat Iudicis sententiã sed tenetur solum restituere arras receptas: id enim est conditio annexa naturæ contractus. Sylvest. *v. Arra, q. 4.* Lopez *p. 2. Instr. c. 56.* Pœna autem conuentionalis *quadrupli* ex receptiori seutentia non debetur ante Iudicis sententiã. Quia talis est contrahentiũ intẽtio, nisi aliud exprimãt: est enim imponere pœnã iuxta ius cõmune: hoc autẽ nõ imponit nisi per sẽtentiã. Lopez *l. 1. de contract. c. 31.* Nauar. *c. 23. n. 67.* Filliuc. *tr. 10. n. 268.* Sanch. *d. 37. n. 4.* 30 *Pœna dupli, aut quadrupli ante sententiam non debetur.*

Possunt quidẽ alia pacta in spõsalibus interuenire. Potest enim pro securitate Matrimonij interuenire Fideiussor. Quia nullo id iure prohibetur. Hostiens. *sum. tit. de sponsal. §. 1. n. 2.* & alij 31 *Fideiussor potest interuenire sponsalitiæ.*

alij. Pignus autem si præcedat, stipulatio pœnæ non valet. Quia cum principale, id est pœna, non valeat: corruet etiam accessorium. Si verò præcedat stipulatio arratum, valet. Quia arræ ipsæ valent. Sanch. *d.* 58.

32 *Pactum datis cautionibus vtrinque valet.*

Secundum pactum est, vt vir teneatur in certo Oppido moram trahere cum vxore, etsi ibidem fragens alibi migret, teneatur vxor eum sequi, & valeat pœna imposita fragenti fidem. Quæsieris, num valeat hoc pactum? Valet quidem. Quia vt quis in traditione rei suæ potest quodlibet pactum interponere, ita multo magis in sui traditione. Cap. *Verum de condit. apposit. & l.* 1. *c. de pactis.* Si autem noua causa recedendi superuenerit, vt quia cœlum est minus salubre, vel quia contraxit capitales inimicitias: excusabitur, si absq; causa vir domicilium mutet, vxor non tenetur eum comitari. Quia in tali casu lex diuina non obligat. Angel. Sylvest. Armil. Nauar. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *d.* 40.

33 *Cessans pactum transferat alibi domicilium, vxor eū sequi tenetur.*

Cessante verò pacto, si vir transferat alibi domicilium, vxor tenetur sequi verum. Cap. *quæquidem* 32. *q.* 1. Quia coniuges tenentur ad mutuum obsequium, & vir est caput mulieris. Ni faciat, peccat mortaliter. Nauar. *c.* 14. *n.* 20. Sanch. *d.* 41. si sequatur ex hoc graue detrimentum corporis, vel animæ, excusabitur. Nec requiritur in viro causa iusta, domicilium mutandi: sed satis est non adesse causam turpem, & inhonestam. Quia est caput Filliuc. *tr.* 10. *n.* 270.

34 *Quando vxor & quando non tenetur eum coniugem vagantē aut mutantem domicilium sequi.*

Si vir velit vagari, quod tempore contractus Matrimonij non solebat: vel si solebat, id vxor ignorauit: non tenetur eum sequi. Quia est grauissimum onus, nisi iustè vagari vellet, vel facile posset vxor eum comitari. Aut solebat, & vxor sciuit: & tunc tenetur. Quia sciens visa est mariti mores approbare, modo tamen vir ex honesta causa vagetur. Præterea si vir alibi se transferat causa ibi commorandi ad tempus, & eo transacto, reuertendi: si tempus breue sit, non tenebitur vxor sequi: si longum, tenebitur. Eodem que modo si vir in exilium mittatur ob delictum, tenebitur vxor eum sequi. Quia vxor debet sequi viri infortunium. *l. si cum dotem ff. sol. matrim.* Denique quando vxor ex causa necessaria à domicilo recedit, & illud alibi transferre tenetur etiam vir ipsam sequi. Quia quoad mutua bsequia coniugalia sunt pares. Glos. Cap. 1. *de coniu. lepro.* ibi Doctores; & Sanch. *d.* 41.

CAPVT III.

De Sponsalium dissolutione.

35 *Dissoluuntur sponsalia regulariter ob subsequens illa matrimonium.*

MAnifestum est modis possunt sponsalia dissolui. Primò per Matrimonium subsequens validè celebratum cum alia persona. Quia res tradita vni per contractum indissoluibilem, non potest amplius tradi, alteri, cui tantum modo est promissa; si verò Matrimonium subsequens inualidū sit priora sponsalia non dissoluuntur. Quia non præstat impedimentum, quod de iure effectum non sortitur. Manet tamen alter liber à fide sponsalium. Quia per eam voluntatem contrahendi Matrimonium visus est alter ab sponsalibus recessisse. Cap. 31. *Inter virum, & Cap. Adolescens, de sponsal.* Sanch. *lib.* 1. *d.* 48. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. Sylui. *in supplem. q.* 43. *a.* 2. Diana *p.* 2. *tr.* 4. *resol.* 109.

36 *Licet fuerint sponsalia iurata dissoluūtur soluto matrimonio subsequenti.*

Dissoluto Matrimonio subsequente, nō manet obligatio implendi priora sponsalia iurata, nisi forte ratione damni, v. gr. si defloratit sponsam bonæ famæ, nec illi antea satisfecit. Quia iuramentū adhibitū fuit ad confirmandā promissionē: vnde extincta promissione, cessabit etiā iuramēti obligatio. Sanch. *d.* 48. Hériq. *l.* 11. *c.* 13. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 272. *sect.* 2. quæstio problematicè volueda recurret.

37 *Non soluūtur sponsalia priora per secunda, etiam subsequita copula.*

Priora sponsalia nō soluūtur per secūda etiā copula subsecuta. Quia post Tridentinum non transeunt in Matrimoniū etiāsi affectu matrimoniali copula fiat: & hoc verū, quāvis posteriora sint iurata: iuramentum enim fuit de re iniqua, & in tortij præiudicium, quo casu non obligat. Sanch *d.* 40. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 273. & alij.

38 *Dissoluuntur mutuo sponsorum consensu.*

Secundo dissoluūtur spōsalia mutuo consēsu. & mutua ipsorū sponsorū remissione, etiam si cum iuramēto facta fuerint. Quia cū huiusmodi remissio cedat in sponsorum fauorē, poterūt hi cedere iuri suo: & cū iuramētū sit emissū in fauorē partis, remittente parte, Deus etiā remittit. Cap. 1. *de spōsal.* Sanc. *d.* 51. *n.* 8. Sa. *v. spōsalia, n.* 1. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 275. Coninc. *d.* 23. *dub.* 1.

39 *Quid requiratur ad consensus, aut remissionis huiusce validitatem.*

Validitatem verò huius remissionis, annotarim primo, remissionē debere esse liberam: vnde quando alter sponsus remittit obligationem ex metu sibi incusso ab altero contrahēte, sponsalia non dissoluuntur. Secundo notarim, si duo impuceres spōsalia contrahāt, neutrum posse ante pubertatem resilire, puberem autē factū posse quemlibet. Ratio prioris est, ne propter ætatis fragilem inconstantiā sæpe contrahant, totiesque à contractu resiliant. Posterioris autem ratio est, quia quamvis iure permittēte impuberes verè sponsalibus astringantur, idē tamen ius voluit ob immaturū iudiciū, ne ita firma esset, quin eorū cuilibet pubertatē adepto, resilire liceret. Cap. *De illis dist.* 1. & Cap. *A nobis, de sponsal. impub.* Vnde prius pubes factus potest statim ab sponsalibus resilire, non expectata alterius pubertate. Si autem factus pubes, non reclamet statim, id est, intra triduū, in foro externo sponsalia confirmare censebitur. At in foro conscientiæ satis est eum reclamare ad tollendam obligationē, qui interius statuto tempore dissentit, etsi id exterius non exprimat.

40 *Dissoluuntur per fornicationem sequentem tam viri, quàm fœminæ.*

Tertiò dissoluuntur per fornicationem sequentem tam viri, quàm fœminæ, etiam si sponsalia sint iurata: Idem iuris est in fornicatione spirituali, vt hæresi, apostasia, vel infidelitate. Quia est notabilis admodum mutatio, Monuerim autem nocentem semper fœminā adstrictum esse, & in casu quo vterque sit nocens, non compensari delicta. Quia turpior est fornicatio in fœmina, quam viro: quod verum est, licet sponsa vi cognita fuisset: non sic si vir violenter in fornicationem incidisset. Cap. *Quemadmodum, de iure iurando.* Sanchez *d.* 55. *num.* 9. Sylvest. *verb. Sponsalia, quæst.* 10. Couar. *tom.* 1. *de sponsal. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. Reginald. *l.* 31. *c.* 36. *num.* 262.

41 *Soluuntur per morbum contagiosum, vel grauem incurabilem infirmitatem.*

Quartò soluuntur per morbum quemlibet contagiosum alteri sponso superuenientem, vt gallicum. Quia est notabilis mutatio. Idem dicendū de graui infirmitate incurabili, vt epilepsia, fœditate notabili, vt oculorum, vel nasi amissione, paralysi, lepra, vel si os male oleat: nec arte medici subueniri possit. Idem dixerim si notabilis deformitas animi, vel famæ sequatur. Quæ omnia intelligenda sunt ex parte illius, qui est innocens eo enim volente soluentur sponsalia; secus si nolit. Sanchez *d.*57. Nauar. *cap.*22. *num.*27. Tolet. *lib.*7. *c.*21. *num.*6. Diana *par.*3. *tra.*14. *resol.*285. Sylui. *in supplem. q.*43. *a.*3.

42 *Soluuntur quotiès de nouo agnoscitur notabilis morum asperitas.*

Quintò soluuntur, quoties de nouo agnoscitur notabilis morum asperitas vel sæuitia alterius. Vel ob graues & capitales inimicitias inter sponsos ortas. Quia alioquin Matrimonium infœlices haberet exitus. Et est noua causa notabilisque superueniens mutatio. Syluest. *v. Sponsalia, q.*10. Sanch. *d.*58. Filliuc. *tr.* 10. *n.*290. Tolet. *l.*7. *c.*11. *n.*6.

43 *Soluuntur per superuenies impedimentū dirimens matrimonium.*

Sextò, solnuntur per superueniens impedimentum iuris Matrimonium dirimens: si autē impediens tantum sit, probabile est, non solui, votum Religionis si excipias, de quo infrà rius. Item soluūtur quando superuenit aliquid post sponsalia, quod si superueniret ante, mutaret rationabiliter sponsorum animos ad contrahendum: v. gr. ob paupertatem superuenientem alteri, tam quando præcessit promissio dotis respectu sponsæ, quia tunc ea est veluti conditio, sub qua sponsalia celebrantur: quàm etiam si non præcessisset. Sanch. *d.*56. Filliuc. *tr.*10. *n.*292.

44 *Soluuntur per votum simplex Religionis & castitatis præcedens.*

Septimò sponsalia, dirimuntur per votum simplex Religionis, & castitatis præcedens. Propositum tamen cœlibatus seruandi in sæculo, nullatenus sponsalia dirimit. Quia tale propositum, si voto non firmetur, non constituit statum; si verò votum castitatis sponsalibus superueniat, quamvis probabile sit, ea dissoluere; quia est de mediori bono: tamen receptiori ex sententia non dissoluit; quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissæ, & in eius præiudicium. Vnde talis non tenetur ad Religionem aut ordinem Sacrum, ad hoc vt possit votum castitatis seruare, licèt possit ingredi si velit, & liber sit ab sponsalibus. Dixerim ergo, tale votum in ipsius vouentis præiudicium, non tamen in præiudicium sponsæ, obligare. Cap. *Rursus, qui clerici.* Sanch. *d.*46. Sotus *in* 4. *dist.*27. *q.*2. *a.*5. Angel. *v. sponsalia, n.*5. Nauar. *c.*22. *n.*27. Reginald. *l.* 31. *n.* 259. Coninch. *d.*23. *n.*25. & alij.

45 *Ordines Sacri dissoluunt minores, minimè post illa susceptū.*

Ordines minores susceptī post sponsalia non dissoluunt illa: maiores verò dissoluunt. Quia reddunt susceipientem incapacem Matrimonij ob votum solemne castitatis adnexum. Adstrito tamen fide sponsalium non licet ad Sacros Ordines promoueri, nec votum Ordinis Sacri illa dissoluunt ex receptiori sententia, nisi respectu alterius. Quia qui vouet censetur sponsalibus renunciare: vnde alter liber manet. Reginald. *l.*31. *num.*160. Filliuc. *tr.*10. *num.*287. Coninch. *d.*23. *num.*25.

46 *Soluuntur per Religionū ingressum, etiāsi irrata sponsalia fuerint.*

Octauò, soluuntur per ingressum Religionis etiam si iurata sponsalia fuerint. Porrò licèt respectu remanentis in sæculo soluta iam sint respectu ingredientis non soluuntur vsque ad professionem: vndè si antè illam redeat ad sæculum prioribus sponsalibus stare tenetur si sponsa alteri non nupsit. Sanch. *d.*52. Filliuc. *tr.* 10. *n.*180. Coninch. *d.*23. *dub.*3. *n.*21.

47 *Soluuntur per præfixum tempus lapsum.*

Nonò dissoluuntur si tēpore, quo fiunt apponantur etiam dies & terminus de Matrimonio contrahendo. Quia tunc lapsus termini eximit ab obligatione illū, per quem non stetit. Alius verò per quem stetit, adhuc ligatur, ne sua culpa commodū reportet. At si per vtrūque stetisset, liber manet vterque. Tamen si is, per quem stetit, culpa vacet, sponsalia non dissoluuntur. Quod dē dicendum, si absque culpa vtriusque terminus præfixus lapsus fuisset. Cap. *Sicut ex literis de sponsal.* Sanc. *d.*55. Couar. *de Matri. p.*1. *c.*5. *n.*8. Tolet. *l.*7. *c.*21. *c. Reginal. n.*6 *l.*31. *n.*261.

48 *Soluuntur per absentiam alterius in longinquam regionem sine licentia.*

Decimò soluuntur absentia alterius in longinquam regionem absque licentia. Quando autem sponsus esset in loco propinquo, ille expectandus est, vel requirendus, vt intrà certum tempus cōtrahat Matrimonium. Et si iusto impedimento detur, non sūt temerè sponsalia dirimenda. Ius autem Ciuile, quod præscribit, expectandū esse biēnij tempus, si est in eadē Prouincia: & triennij, si est in alia, iuxta receptiorem sententiam correctum est per ius Canonicū, etiam si sponsalia sint iurata. *Cap. De illis de sponsal.* Sanch. *d.*54. Nauar. *c.*22. *n.*26. Tolet. *l.* 7. *c.*21. *n.*6. Coninch. *d.*23. *n.*50.

49 *Soluuntur superueniente affinitate, aut cognatione legali.*

Vndecimò soluuntur, cum superuenit affinitas: vt si sponsus habuerit rē cum consanguinea sponsæ, vel è contra intra quartum gradū: & post Tridentinum intra secundum, cum copula est illicita. Idē dixerim de cognatione legali, vel spirituali superueniente. Nauar. *c.*22. *n.* 27. Hēriq. *de Matr. c.*14. *n.*5. Filliuc. *tr.*10. *n.*295.

50 *Ipsoiure sunt irrita, dolo dantis contractui causam.*

Duodecimò, ipsoiure sponsalia irrita, & inualida dolus dans causā contractui sponsaliorū adhibitus ab altero contrahente conscio & participe doli, si tamen dolus solū incidat in sponsalia, non sunt ipsoiure irrita. Quia adest sufficiens consensus ad contractum, similiter si dolus adhibitus sit à tertia persona sine participatione alterius sponsi, sponsalia non sunt ipso facto irrita: sed deceptus habet ius illa dissoluēdi. Quia adest talis causa seu mutatio, quam si deceptus præuidisset, iudicio prudentis non se ad illa perficiēda obligasset. Sanch. *d.*64. Filliuc *tr.*10. *n.*297. Molina *de iust. d.*152. *n.*7. Reginal. *l.*31. *n.*266. Diana *p.*3. *de Sacram. resol.*287.

51 *Soluuntur, quando non implentur conditiones.*

Decimotertio possunt solui sponsalia, quando non implentur conditiones, sub quibus celebrata fuēre. Imò non sunt valida, nec obligāt donec impleatur cōditio expressa in contractu. Quādo verò sponsalia nō fuēre celebrata sub aliqua cōditione expressa, sed tantūmodò sub tacita: valida sunt absolutè, & non censentur propriè cōditionalia. Quia conditio tacitè subintellecta non reddit actum conditionalem. Coninch *d.*23. *dub.*9. *ad fin.* Bonac. *de Matrim. q.*1. *pun.* 10. *n.*4. Sanch. *d.*67. *n.*3.

CAPVT IV.

Quanam authoritate sint sponsalia dissoluenda.

52 *An requiratur iudicis authoritas quando*

IAm verò ad dissoluēda spōsalia, si natura rei spectetur, nulla requiritur iudicis authoritas

quando certò constat de causa sufficiente ad eorum solutionem. Vndè non est opus relaxatione iuramenti. Per accidens tamen, vt ratione scandali vitandi, fieri potest, vt necessaria sit Iudicis authoritas. Sa *verb. Sponsalia, num.* 12. Sanch. *d.* 69. Gutier. *cap.* 35. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 299.

53 Propria authoritate dissolui possunt Sponsalia. Vel quando causa dissolutionis est publica. Vel quando causa est occulta, & simul etiam sunt occulta Sponsalia. Vel quando Sponsalia sunt publica, sed causa dissolutionis ita est occulta, vt probari non possit in iudicio, nisi magnum scandalum indè timeatur. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. Sanch. *d.* 69. & 70.

54 Iudex quo coram dissoluenda sunt Sponsalia, quando ad eorum solutionem Iudicis requiritur authoritas: est Iudex Ecclesiasticus Ordinarius, vel delegatus, vt Episcopus, vel delegatus ab ipso Episcopo. Parochus verò non est competens. Quia ipse non habet in foro externo iurisdictionem. Sanch. *d.* 69. *numer.* 10. Reginald. *lib.* 31. *num.* 268. Filliuc. *tractat.* 10. *num.* 299.

Quando dubitatur, nùm causa dissoluendi Sponsalia sit sufficiens: aut quando moraliter non constat, adesse causam sufficientem ad illa dissoluenda: non possunt absque Iudicis authoritate dissolui. Quia dissoluens propria authoritate in hoc casu exponeret se periculo committendi iniustitiam contrà alterum sponsum, qui non debet iure sibi acquisito per sponsalia spoliari. Gutier. *cap.* 35. *num.* 7. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 268. Sanch. *d.* 69. *num.* 9. 55 *Quid agendum in dubio de causa sufficientia?*

Tamen vt quis licitè possit recedere ab sponsalibus in foro conscientiæ, satis est, vt vnus testis de certa scientia iurans, vel fama: imò si esset persona fide digna testificans, & de certa scientia testaretur, nec esset necessarium iramentum. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 301. Sanch. *d.* 69. *n.* 9. 56 *Quando possit quis in foro conscientiæ ab sponsalibus recedere.*

SECTIO SECVNDA.

De Sponsalibus, varia Dubia.

CAPVT V.

Circà Sponsalium Obligationem.

DVBIVM I.

An violatio iuris, quod ex sponsalibus acquirunt sponsi in corpus, fornicando cum altero, sit adulterium.

57 Est adulterium.

ADVLTERIVM est. Quia *l. si vxor* 13. *ff. ad leg. Iuli. de adulter.* dicitur: *Diuus Verus, & Antoninus rescripserunt etiam in sponsam hoc ipsum vindicandum*, (id est adulterium) *quia nec Matrimonium qualecumque, neque spem Matrimonij violari permittitur.* Vbi de sponsalibus de futuro est sermo; nam de præsenti non spes Matrimonij, sed Matrimonium ipsum dicitur. Sic Gloss. *ad cap. Quemadmodum, verb. Sponsam, de iureiur.* Abbas *Cap. Discretionem, num.* 4. *de eo qui cognouit consanguineam*, & *ibi* Alexan. de Neuo, *num.* 11. Gregor Lopez *l.* 1. *verb. Odesposada, titul.* 17. *part.* 7. Sarmiento *l.* 1. *select. cap.* 5. *num.* 1. & ex Theologis Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *art.* 3. *num.* 17.

58 Adulterium vera est.

Non est adulterium. Quia ex Gelasio *cap. lex illa* 36. *qu.* 1. & D. Thoma 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. *in corp.* Adulterium est alieni tori violatio, sed accedens ad sponsam de futuro minimè torum violat alienum, cum hic antè matrimonium de præsenti non concedatur sponsis: ergò adulterium non admittit. Ità Henriq. *libr.* 11. *de Matrimon. cap.* 13. *num.* 4. Viuald. *part.* 1. *de sponsal. num.* 9. Ludouic. Lopez *part.* 1. *cap.* 29. & *part.* 2. *de Matrimon. cap.* 36. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 53. *num.* 3. Sanch. *lib.* 1. *d.* 2. *num.* 2.

Idem assero existimans in lege illa pro prima parte adducta concedi vindictam sponso, non ratione adulterij, sed quia est atrox iniuria sibi illata. 59 *Idem assero.*

DVBIVM II.

An circumstantia Sponsalium in fornicatione sit Confessario aperienda,

ESto circumstantia Sponsalium adulterium non constituat, est tamen in Confessione explicanda tàm ex parte sponsæ de futuro, si cum alio fornicetur, quàm ex parte sponsi, si ad aliam accedat. Quia est duplex malitia, altera fornicationis, altera violatorium ac fractorum sponsalium, ob id enim dirimi possunt. *Cap. Quemadmodum, de iureiur.* Sic Sarmien. *lib.* 1. *select. cap.* 5. *num.* 1. Ludou. Lopez *part.* 1. *cap.* 29. Petr. de Ledes. *de Matrimon. qu.* 43. *art.* 1. *dub. vlt.* 60 *Est necessariò in Confessione aperienda.*

Non est necessariò explicanda, nec ex parte sponsæ, nec sponsi. Quia solæ circumstantiæ mutantes speciem sunt necessariò confitendæ, hæc autem non mutat speciem, cum non sit adulterium. Ità Couar. 4. *Decretal. p.* 1. *c.* 1. *num.* 14. Viuald. *part.* 1. *de sponsal. num.* 10. Ledesma *qu.* 43. *art.* 1. *dub. vltim.* ait hanc sententiam esse probabilem. 61 *Aperienda necessariò nō est.*

Vtramque sententiam sustineri posse probabiliter puto, ego autem crediderim cum Thoma Sanchez *lib.* 1. *d.* 2. *num.* 6. eam sponsalium circumstantiam necessariò esse in Confessione aperiendam quando se tenet ex parte fœminæ 62 *Auctoris sententia.*

id est, dum aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro; tunc enim tenetur vtérque delinquens fateri hanc sponsalium circumstantiam. Quia talis fornicatio est contraria fidei in sponsalibus datæ. Verùm quando se tenet ex parte viri, non est de necessitate detegenda in confessione. Quia quamvis etiam contineat ea fornicatio iniuriam, ac circumstantiam diuersam specie iniustitiæ aduersus ius acquisitum sponsæ per sponsalia: verum cum ea iniuria reputetur, prudentum arbitrio, leuis in fornicatione sponsi de futuro venialis culpæ limites non excedit. Quod secus est in sponsæ fornicatione, quæ, prudentum iudicio, atrox sponsi reputatur iniuria.

DVBIVM III.

An sufficiat, ad Sponsalium valorem promissio merè interna facta homini: licet non adsit externa acceptatio.

63 *Sufficit ad sponsalia.* SEcluſa Iuris positiui dispositione attento solo iure naturæ promissio interna homini facta obligat, vt si mente aliquis se obliget, non quidem per modum voti Deo, sed fœminæ ad ducendum illam. Quia non implere, continet mendacium, & saltem est infidelitas, quæ culpa est iure naturæ prohibita. Sic Ledesm. *part. 2. quæstion. 18. art. 1. dub. 3.* Palaci. *lib. 5. de contract. cap. 11.* Mendoza *lib. 1. de pact. cap. 4. num. 8.* Moli. *tom. 2. de Iust. tract. 2. d. 266.* Dicunt hanc sententiam esse probabilem Sotus, Angles, & Aragon. citandi.

64 *Non sufficit.* Non sufficit promissio merè interna. Quia vnus non obligatur alteri nisi per modum sibi connaturalem, & humanum, qui est verbis, vel signis externis: Ergò quamvis Deo, qui cordium est scrutator possit homo actu interno obligari, homini tamen, qui sola intuetur externa, non potest. Ità D. Thom. *2. 2. qu. 88. art. 1.* Tabien. *verb. Votum, initio, & qu. 4. num. 5.* Sotus quamvis dubius, inclinat in hanc partem *lib. 3. de Iust. quæst. 5. art. 3.* Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 16. num. 5.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 95.* Angel. *verb. Votum, initio.* Gutier. *l. 2. qq. Canon. cap. 22. num. 4.* Sanch. *lib. 1. d. 3. num. 5.*

65 *Hìc hæret.* His adhæreo, abnegans, esse mendacium, aut infidelitatem. Quia ea videtur esse tacita conditio illi internæ promissioni, si alteri intimata ab eo acceptetur: nec est simile de promissione interna facta Deo, cui præcordia patescunt.

DVBIVM IV.

An censenda sit sufficiens ad sponsalia repromissio, quando alter fidem dat de Matrimonio contrahendo: alter verò non repromittit expressè, sed acceptat promissionem, verbi gratiâ, dicendo, Placet, vel accepto, vel gratias ago pro beneficio.

66 *Censenda est sufficiens.* EA acceptatio censenda est repromissio, ideóque vera conficiuntur sponsalia, vtérque obligatus manet sponsus. Quia sicut Matrimonium claudicare nequit, sed ex vtráque parte, aut ex neutra debet esse validum, ità & sponsalia: sed dicente altero per verba de præsenti. Accipio te in meam, si mulier respondeat: Placet, est Matrimonium: Ergò dicente altero per verba de futuro: Accipiam te in meam, si mulier respondeat: Placet, erunt vera sponsalia, & censebitur illa repromissio. Sic Palud. *in 4. dist. 27 qu. 1. art. 1. num. 4.* Veracruz *append. ad Specul. dub. 9. ad 2. fol. 44.* Henriqu. *lib. 11. cap. 11. num. 2.* Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 18.* Rosel. *verb. Sponsalia, num. 1.* Sylvest. *ibi, initio.* Nauar. *Sum. Disp. cap. 22. num. 22.*

Ea acceptatio non est censanda repromissio, qua acceptans alligetur. Quia in dubio obligatio inducenda non est, cum sit contrà possessionem voluntatis suam libertatem possidentis: sed acceptans illam promissionem, potest acceptare in quantum est in sui fauorem, nempè, vt solùm promittens ipsi obligetur: ergò si aliud obligationis mutuæ signum non interfit, minimè dicendum est, ex illa acceptatione repromittere, & obligari. Ità Sotus *in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2.* Ludouic Lopez *tom. 2. Instructor. de Matrimon. cap. 16.* Petr. de Ledes. *de Matrimon. qu. 42. artic. 1. dub. 1.* Sanchez *libr. 1. d. 5. num. 5.* & alij. 67 *Non est censenda sufficiens.*

Cum his opinor. Quia tacens quidem consentire censetur in quantum est in sui fauorem non tamen in sui præiudicium. Reg. *Qui tacet, de regul. iuris in 6.* vndè taciturnitas non est sufficiens signum consensus ad obligandum personam, vt benè docet Glossa *l. Filiusfamilias 8.* Ergò similiter acceptans promissionem, censetur solùm acceptare, in quantum est in fauorem sui, vt alter maneat sibi obligatus: non autem in sui præiudicium, vt ipse obligetur. Fateor autem Matrimonium claudicare non posse, nec alia ratione acceptari, quam vt Matrimonium; sponsalia tamen quamvis vt sponsalia claudicare nequeant: at quatenus continent promissionem possunt claudicare, nam potest esse promissio vnius absque alterius repromissione; quare possunt acceptari in quantum promissio obligans solùm promittentem. 68 *Cum hac opinor.*

DVBIVM V.

Dato, quòd simplex ista acceptatio non sit repromissio, is qui fidem dedit, obligatur, ad contrahendum Matrimonium, altero minimè obligato.

OBligatur quidem non vt sponsalium, cum ea nulla sint, quia repromissio defuit: Sed vt simplicis promissionis. Quia quamvis sponsalia claudicare nequeant, sed aut vtérque, aut neuter obligatus debeat manere, at simplex promissio potest esse ex parte vnius, altero ab obligatio immuni manente. vt contingit, dùm aliquid liberaliter promittitur: Ergò cum hìc alter promiserit Matrimonium, altero nihil repromittente, solus promissor obligabitur. Sic Guillerm. quem refert, & sequitur Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 18.* Rosel. *verb. Sponsalia, numer. 1.* Tabien. *ibi qu. 3. num. 4.* Armil. *numer. 3.* 69 *Obligatur quidem.*

Sotus

Sotus *in 4.dist.27.quæstion.2.articul.1.* Henriq. *lib.11.c.13.num.2.* Manu. *tom.1. sum. c.244.n.1. concl.1.*

70 *Non obligatur.*

Non obligatur, si alter non repromittat. Quia Matrimonij promissio non est gratuita, & liberalis donatio; sed contractus onerosus, facio, vt facias: Ergò habet implicitè conditionem tacitam, si alter similiter se obliget; indè se non obligante, nulla consurget ex priori promissione obligatio. Ità Molina *tom.2.de Iust. tract.at.2. d.263.* Veracruz *append.ad specul. dub. 9. ad 2. fol.44.* & alij.

71 *Quid sentiendum.*

Ego autem existimo, quando Matrimonij promissio fit gratis, & liberaliter, tunc altero acceptante promissionem, nec repromittente solùm promittentem obligari: & in hoc casu primam sententiam veram iudico. Si verò promissio illa non gratis facta sit, sed respectiuè, & per modum contractus: tunc necessariam esse crediderim alterius repromissionem, & dum ea non accesserit, priorem promissionem non esse efficacem ad obligandum promittentem, sed posse liberè, & tuta conscientia à fide præstita resilire. Quia dùm celebratur contractus vltrò citróque obligatorius, antequam vtráque pars se obliget, nondum est contractus perfectus, sed antè contractus perfectionem liberè potest alteruter resipiscere. Mecum Sanchez *libr.1. d.5. num.12.*

DVBIVM VI.

An Promissio Matrimonij contrahendi absenti facta possit ante absentis acceptationem reuocari, nemine pro eo acceptante, aut stipulante.

72 *Non potest reuocari.*

NOn potest reuocari, nec necessaria est acceptatio, vt promissio illa Matrimonij absenti facta obliget. Quià *in cap. Veniens, qui Clerici, vel vouen.* promissio Matrimonij absenti facta ponitur tanquam valida, & constat ex contextu nullum absentis nomine acceptasse; ibi: *Mulier cuidam viro absenti, fide data, se nupturam promisit.* Sic Guiller. quem refert, ac sequitur D. Antonin. *3.part.titul.1.cap.18.* Tabie. *verb. Sponsalia. quæstion.3. num.4.* Armil. *numero tertio.*

73 *Reuocari potest.*

Reuocari potest promissio absenti facta, si nullus pro eo acceptet. Quia promissio facta absenti est reuocabilis antè acceptationem, (vt P. Sanchez *lib.1.d.6.* latè ostendit,) nec inuenitur aliquid speciale statutum de Matrimonij promissione: Ergo idem de ea dicendum est. Ità Gloss. *ad cap. Veniens,* vbi ponitur tanquam valida promissio Matrimonij absenti facta: & ait Glossa *verb. Promisit absenti: Per interpositam personam, quæ mandatum habebat ad hoc: aliàs nihil est.* Ioan. Andr. *ibi, num.8. Potest sponderi absenti, dummodo sciat, vel ratum habeat.* Sanch. *citatus, num.24.*

74 *Quid sit necessarium, vt reuocabilis fiat supposito.*

Profectò, vt promissio Matrimonij absenti facta irreuocabilis fit, oportet, vt absenti intimetur per nuncium ad id à promittente destinatum, vel Epistolam: nec sufficit, si aliundè absens certior factus acceptet. Quià in reliquis promissionibus id desideratur iure communi, & Regni, vt docet Sanch. *vbi suprà.* Dum autem coram nuncio à promittente immisso alter acceptat, statim est firma, & irreuocabilis promissio. Quia ex eo, quod nuncius immittitur vt intimet, censetur is quasi procurator, ac gerens promittentis vices, vt promissionis acceptatio coram ipso facta, coram mittente fieri censeatur.

DVBIVM VII.

An promissio Matrimonij absenti facta, aliquo stipulante, seu acceptante absentis nomine, possit reuocari.

73 *Reuocari non potest.*

REuocari non potest. Quia hoc speciale est in Matrimonij promissione, vt possit quis alteri absenti stipulari id est, acquirere illi obligationem: ac proindè non poterit promittens resilire, etiam antè absentis acceptationem. Probatur ex *Cap. Sicut, de sponsal.* Sic Gloss. & Alex. de Neuo *num.15.* & Doctores asserentes, stipulationem hanc naturaliter, & iure Canonico obligare, & quando firmatur iuramento: idem consequenter dicent in promissione hac Matrimonij Hos citat Sanch. *lib.1.d.7.*

76 *Potest reuocari.*

Potest reuocari, quando promissio Matrimonij est respectiua; licet quis nomine absentis stipuletur absque ipsius speciali mandato ad repromittendum: & quamvis verba promissionis dirigantur in præsentem, vt promitto tibi me ducturum Mariam. Quia nemo pro alio stipulari potest in contractibus vltrò citróque obligatoriis: & non obstante stipulatione, liberum est contrahenti retrocedere, donec mutua obligatio alterius sibi sit nota. Ità Sanch. *l.1.d.7. numer.31.* & alij apud ipsum.

77 *Auctoris mens.*

Hoc verum existimo, nisi alter stipulans contraheret promittendo pro absente Matrimonium, id est, pollicendo, se facturum, & curaturum; tunc enim non potest promittens resilire. Quia est mutuus contractus vtrimque celebratus: & sicut stipulans potest cogi, vt curet, & faciat, quod in se est, ad quod se obligauit; ità & promittens tenetur fidem seruare.

DVBIVM VIII.

An ad valorem sponsalium sufficiat, ea deliberatio, quæ ex iracundiæ calore procedit.

78 *Nonnihil præmitto.*

DVpliciter dicitur actus deliberatus. Primò, vt distinguitur contrà motum primò primum, in quo nulla est libertas: & secundo primum in quo tenuis libertas est, & insufficiens ad culpam mortalem. Secundò, quando adest maturum consilium, præuiáque deliberatio omnium circumstantiarum, quæ in ea re occurrere possunt. Quæsierim igitur, nùm deliberatio, quæ ex motu iracundiæ procedit; sufficiat ad sponsalia constituenda?

79 *Non sufficit.*

Non sufficit, sed requiritur plena, ac matura. Quia in *cap. Dinortium, de pœnit. dist.1.* & *Cap. si quis iratus 2.quæstion.3.* & *Reg. Quidquid calore 48.ff. de regul. iuris,* & *lib. 3. ff. de divort.* expressè

expressè habetur, quod calore iracundiæ sit, non prius ratum esse, quam si ex perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse. Et quia *l. 2. ff. ad l. Iul. maiesta.* habetur, iuramentum calore iracundiæ præstitum minimè ligare. Sic Auctores asserentes contractus calore iracundiæ initos ratos non esse, nisi eum plenum iudicium adest, confirmentur. Hi sunt Gloss. *ad cap. Si quis iratus.* Barthol. *in Reg. Quidquid, num. vni.* & *ibi* Decius *num.* 1. Iason *l. si filiam, numer.* 5. *Cod. de inoffic. testam.* Felin. *cap. Matthæus in* 2. *notab.* 2. *de simonia*, & alij.

80 *Sufficit quidem.* Sufficit quidem, nec requiritur plena, ac matura deliberatio. Quia ea deliberatio sufficit ad sponsalia constituēda, quæ sufficit ad lethalē culpam patrandā: sed iracundiæ calor non excusat à culpa lethali: ergò non excusabit à rata sponsalium constitutione. Ita in casu simili de voto, & iuramento, Nauar. *sum. Lati. cap.* 18. *numer.* 7. & Hispa. *num.* 3. Molina *tom.* 2. *de Iust. tract.* 2. *d.* 267. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *qu. num.* 9. & 10. Medi. *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 6. Manuel 2. *tom. sum. cap.* 92. *num.* 1. Ludouic. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 43. Et in propriis sponsalium terminis. Palud. *citat. num.* 9. & Sylvest. *verb. Votum* 2. *question.* 13.

81 *Auctorū resolutio.* Existimo, eam deliberationem exigi, & sufficere, quæ in materia lethalis culpæ sufficeret, vt consensus culpa lethalis esset. Vndè si quis ira, aut alio passionis motu subito percitus sponsalia contrahat, si tanta est passio, vt rationis iudicium obtenebret, & deliberationem ad peccatum mortale requisitam impediat adeò, vt si illo subito motu hominem interimeret, non esset mortale piaculum: tunc sponsalia non erunt valida deliberationis defectu. Si autem non ita impediat deliberationem, quin homicidium illud tunc admissum esset culpa lethalis, sponsalia erunt valida. Probo, id requiri. Quia sponsalia suapte natura obligant ad mortale: Ergò petunt deliberationem ad mortale requisitam. Certè minor deliberatio non est sufficiens ad violandam sponsalium fidem, nec vt actus sit simpliciter voluntarius. Porrò illi textus pro prima parte adducti intelligendi sunt cum iracundia priuat rationis vsu, & deliberatione ad culpam lethalem. Mecum Sanchez *libr.* 1. *d.* 8.

DVBIVM IX.

An destitutus sensibus, quibus naturam, & vim contractus valeat edoceri, (vt surdus, & mutus à natiuitate) possit Sponsalia inire.

82 *Inire non potest.* INire non potest. Quia quamvis instinctu naturæ norit, quid copula sit, illiusque ardore brutorum more prematur: at impossibile videtur, nosse quid Matrimonium sit, vt importat ius in alterius corpus? Ergò in illud consentire non potest. Sic Anchar. *ad Cap. Cum apud, de sponsal. num.* 5. Baldui. *l. Discretus, num.* 1. *Cod. Qui testam. fac. poss.* vbi Iason *num.* 8. Angel. Fulgos. Ludou. de Roma *ibi.* Flamin. *de resign. benef. lib.* 5. *qu.* 3. *num.* 36. & alij.

83 Potest sponsalia inire, si intellectum perspicacem (de more) habeat, ità vt signis edoceri valeat, quid sit Matrimonium, & signis indicare consensum. Quia *cap. Cum apud*, in responsione dicitur: *Videtur, si talis*, (nempè mutus, & surdus, de quo erat quæstio) *velit contrahere, non debet sibi denegari.* Vbi cum in singulari loquatur, videtur intelligere de eodem vtroque morbo laborante. Et quia muti, & surdi simul, secundum omnes possint confiteri; & absolui: ergò, & sponsalia, ac Matrimonium inire. Ità Hostiens. Ioan. Anton. Cardin. & alij quos refert, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *d.* 8. *num.* 12. Ochagau. *quæstion.* 5. *numer.* 3. Villalo *tract.* 12. *diffic.* 4. *numer.* 1. Machad. *libr.* 3. *part.* 1. *tractat.* 6. *docu.* 6. *numer.* 1. Diana *part.* 1. *tractat.* 6. *resolut.* 9. Baunyus *de Matrimon. tractat.* 12. *quæstion.* 11. *assert.* 2. *Potest inire.*

84 *Hoc probabilius puto.* Hoc probabilius puto experimento edoctus; quia plerúmque mutos ità perspicacia ingenij præditos esse vidi, vt multa explicatu difficillima facilè signis manifestent, aliáque ipsis significata intelligent.

DVBIVM X.

An qui est simul surdus mutus, & cæcus, possit sponsalia inire.

85 *Potest contrahere.* POtest sponsalia, ac Matrimonium contrahere. Quia ingenij perspicacia valet naturæ superare defectus, vt huiusmodi eger possit circa cōtractus huiusce obligationē edoceri. Sic Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Panormit. Alex. de Neuo, Henric. Ang. Tabie. Gregor. Lopez, Brunel. apud Sanchez *libr.* 1. *d.* 8. *numero* 13.

86 *Contrahere non potest.* Minimè id potest. Quia cœcus mutus, & cœcus à natalitio non habet vnde possit, quid sint sponsalia, ac Matrimonium edoceri. Ità Anchar. *ad cap. Cum apud, num.* 5. Alex. Carrer. *libr.* 1. *de sponsal. cap.* 4. Sanchez *citat.* Leand. *tractat.* 9. *d.* 1. *quæstion.* 20. Ochagau. *quæstion.* 5. *numer.* 2.

87 *Hoc mihi certum.* Equidem primæ sententiæ fundamentum nullomodo percipere valeo. Vndè existimo secundam longè probabiliorem esse quamvis hæc à natura non habeat, sed casu: nisi antequam in hæc incideret, nouisset, quid esset Matrimonium. Idem dixerim de eo, qui tantùm est surdus, & cœcus à natiuitate. Quia mutus solis, signis edoceri potest, quid sit Matrimonium: cœcus autem signa hæc percipere nequit; nec etiam verba, cum simul surditie laboret.

DVBIVM XI.

An insanus, & mente captus possit Sponsalia contrahere, seu Matrimonium inire, si contrahens cum eo erat conscius furoris, aut mentis impotentiæ.

88 *Potest validè sponsalia contrahere.* POtest validè contrahere sponsalia, ac Matrimonium. Quia in decreto Fabiani Pontif. quod habetur *Cap. Neque furiosus* 32. *question.* 7. dicitur:

dicitur: *Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.* Sic Glossa *Cap. Dilectus de sponsal. verb. Furore*, edocere videtur si contrahens alter erat furoris conscius.

89 *Non parit valida iuramenta.*

Minimè potest. Quia furiosum non posse contrahere, non oritur ex iniuria alteri contrahenti illata, vt si alter conscius sit, videatur illam remittere, ac proindè valida sint sponsalia: sed oritur ex deliberationis defectu, liberique consensus, cuius furiosus, aut captus mente est expers. Ità Præpos. *ad Cap. Dilectus, num. 2.* Couar. *libr. 4. Decretal. part. 2. cap. 2. numer. 7. & 8.* Gregor. Lopez *lib. 6. titul. 2. part. 4. verb. El que fuese.* Henriq. *lib. 11. cap. 4. num. 3.* Sanch. *l. 1. d. 8. num. 15.*

90 *Infirme.*

Idem asserò, dummodò furiosus, vel mente captus perpetuo huiusmodi mentis impotentia laboret: nam si lucidis interuallis gaudeat, potest eo tempore sponsalia, & Matrimonium inire. Quia tunc rationis vsus est particeps. Constat ex *Cap. Quamvis 7. qu. 1.* & ex *l. Diuus, ff. de offic. Præsid.* & docet D. Thom. *in 4. dist. 34. qu. vni. art. 4.* vbi Richard. *artic. 4. qu. 1.* Bonauent. *articul. 1. quæstion. 1.* Sotus *quæstion. vni. artic. 4. concl. 1.*

DVBIVM XII.

An quandò ab aliquo promissio fit animo promittendi, non tamen se obligandi: sunt vera Sponsalia: ac promittens maneat, obligatus.

91 *Sunt vera Sponsalia.*

SVnt vera Sponsalia, & promittens obligatus manet. Quia obligatio est naturalis effectus promissionis, sicut ignis calefacere: Ergò sicut posito igne, vel ei, nolit, apponens, calefactio sequitur: ità posita promissione animo promittendi, statim consurget obligatio. Sic Petrus de Ledel. *de matrimon. quæstion. 43. articul. 1. dub. 2.* & in alio simili, nempè in voto Sotus *libr. 7. de Iust. quæstion. 1. articul. 2. ver. 3.* Pena *part. 1. Instructor. cap. 42. §. secundum Sotum.* Manu. *tom. 2. sum. cap. 91. num. 7.* Aragon. *2. 2. qu. 88. articul. 1.* & alij.

92 *Non sunt vera Sponsalia.*

Nec sunt vera sponsalia, nec promittens manet obligatus. Quia omnis obligatio, quæ non est ex lege, oritur ex priuata hominis voluntate: ergò vbi deest se obligandi voluntas, deficit obligatio. Quia ex *Cap. finali de condit. appos.* vbi conditio contraria substantiæ Matrimonij ipsum annullat, licet verba, & intentio essent contrahendi: ergò cum de natura promissionis sponsalium sit animus se obligandi: vbi animus contrarius adfuerit, nulla erunt. Ità Henriqu. *libr. 11. capit. 13. numer. 2.* & in casu simili de voto D. Bonauent. Richard. Viguer. Palat. Armil. Tabie. Angel. Antonin. & alij quos refert, & sequitur Sanch. *l. 1. d. 9. num. 5.*

93 *Ex hæreo.*

His hæreo Doctoribus, sciens, obligationem promissionis consurgere ex lege priuata, quam promittens sibi imponit. At nulla lex obligat, nisi legislator obligare intendat.

DVBIVM XIII.

An qui promisionem Matrimonij futuri iuramento stabilit animo quidem iurandi, sed expresso non se obligandi: obligetur, constituatque, vera sponsalia.

94 *Obligatur veráque sponsalia constituit.*

OBligatur, veráque sponsalia constituit Quia aliter contrahitur obligatio in voto, quam in iuramento; in illo enim contrahitur per intentionem, in hoc verò per verborum deliberatam attestationem. Sic Hostiens. *Cap. Ad audientiam.* Caiet. *2. 2. qu. 89. articul. 7. ad 4.* Soto *libr. 8. de iust. quæstion. 1. articul. 7. ad 4.* Couar. *de pactis part. 1. §. 5. num. 2.* Ludou. Lopez *part. 1. instruct. cap. 42.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 192. numer. 4. & tom. 2. cap. 92. numer. 7.* Aragon *2. 2. qu. 89. art. 7.* Henriq. *lib. 11. cap. 13. numer. 2. lit. Z*, quamvis in voto contrarium teneat.

95 *Nec obligatur, nec vera constituit sponsalia.*

Nec obligatur, nec vera sponsalia constituit. Quia vt docet D. Gregor. *l. 26. Moral. cap. 7.* & habetur *Cap. Humanæ 22. qu. 5.* humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Deus verò qualia ex intimis proferuntur. Ità D. Bonauent. *in 3. dist. 39. art. 3. qu. 1. num. 4. 6.* & ibi Richard. *art. 1. qu 1.* Gabri. *qu. 1. articul. 2. con. l. 5.* D. Antonin. *part. 2. titul. 10. cap. 6.* & alij ex Theologis, & Iurisperitis, quos citat, & sequitur Sanchez *libr. 1. d. 9. numer. 9.*

96 *Hos sequor Doctores.*

Hos sequor adiiciens D. Thomam *in 3. dist. 39. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 3.* vbi docet, iuramentum, ex ipsa iuramenti, vt iuramentum est, ratione, non obligare; nisi iuxtà iurantis intentionem. Profectò oppositæ sententiæ fundamentum omninò abnego; quia vtráque obligatio voti scilicèt, & iuramenti, pendet ex vouentis, aut iurantis intentione, vt adnotat Medina *Codic. de restit. quæstion. 23. §. His non obstantibus.*

DVBIVM XIV.

Dubitat quis, num sponsalia contraxerit, tenetur ne implere.

97 *Tenetur implere.*

QVi dubitat de promissione, tenetur implere. Quia qui dubitat de voto, se emisso implere tenetur: & quia quamvis in dubio potior sit possidentis conditio, exigitur tamen, vt possessio illa iuuet, bona fide possidentis. Sic in simili voti casu Corduba *in sum. quæstion. 147.*

98 *Haud implere tenetur.*

Haud implere tenetur. Quia in dubio melior est possidentis conditio non tantùm in materia iustitiæ, sed in quacúmque alia: sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contractus dubitetur: ergò in hoc dubio pro libertate est iudicandum. Certè hoc ius in sponsalium fauorem cedit, magnam enim exigunt libertatem. *Cap. Gemma, de sponsi.* Ità in simili casu voti Sotus *lib. 7. de iust. qu. 3. art. 2.* Manuel *tom. 2. sum. cap. 99. num. 5.* Henriq. *lib. 11. cap. 13. num. 5.* & *lib. 8. cap. 45. numer. 13. lit. P.*

Lit.P,Ludouic.Lopez*part.1.Instruct.cap.*45.§. *dubitans.* Sanch. *libr.* 1. *d.* 9. *num.* 11. plures citans.

99 *Idem assero.* Idem assero existimans non obstare requiri bonam fidem possidentis ; quia ante hoc dubium bona fide possidebatur libertas,nec superueniens dubium , quo sollicita diligentia vinci nequit,tollit bonam fidem,vt benè probat Couar.*reg. Possessor.part.*2.§.7.*numer.*4.& Sarmien. *lib.*2.*select.cap.*10. *num.*5. cum aliis,quos refe-runt. Itaque si sufficienti adhibita diligentia, adhuc quis manet dubius , vtrum Matrimonium promiserit,minimè tenetur.

DVBIVM XV.

Certus est quis de promissione Matrimonij dubitat autem de animo se obligandi, tenetur, & non tenetur implere.

100 *Non tenetur implere.* IMplere non tenetur. Quia in dubio non præsumitur animus se obligandi, vt in iuramento docet Hostiens. *Cap. Ad audientiam.* Ioan. Andre.*numer.*8.& alij. Et quia perindè videtur esse dubitare de animo se obligandi,ac dubitare de ipsa promissione;quia deficienti animo,non est promissio. Et quia in hoc dubio prænalet possessio libertatis.Sic in simili casu voti Sotus *lib.*7.*de iust.qu.*3.*articul.*2.*docum.*2. Capua *l.*2. *decis cap.*31.Beia *casu* 49.*fol.*233. Vega *libr.*4. *sum.casu* 417.

101 *Implere tenetur.* Tenetur implere. Quia verba exterius prolata sunt naturaliter signa intentionis:& nullus præsumitur dicere,quod in corde non habet,vt latè probat Sanchez *lib.*1.*d.*15. *num.*9. Quod adeò verum est , vt etiam in iuramento metu extorto , vbi vehemens coniectura de defectu animi se obligandi propter metum concurrit, verissimum sit , præsumi se obligandi animum, vt delicti præsumptio vitetur. Ità Sanch. *lib.*1. *d.*9.*num.*13.secutus doctrinam D.Thomæ,Ne-uo,Couuarru.Soti,Tabie. Gratiani , Gutier. & aliorum,& casum iuramenti,aut voti ad Sponsalia transferens.

102 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Quia forus externus cognita huius dubij veritate sententiam feret proculdubio in promissionis fauorem , pro qua est præsumptio:ergo idem in foro conscientiæ est sentiendum:vtérque enim forus , vbi externus falsæ præsumptioni non innititur , idem iudicat,vt probat Sanch.*d.*5.*nu.*20. Certè dum omninò dubitatur de promissione nulla est ex parte promissionis possessio,sed tota se tenet ex parte libertatis.Quando autem promissio est certa,& dubius animus ; tunc possessio,& præsumptio est ex parte promissionis.

DVBIVM XVI.

An quis fictè promittit Matrimonium , & sub ea spe defloratVirginem teneatur eam ducere.

103 *Non tenetur eam ducere.* NOn tenetur ducere eam , sed satis est dotem ei constituere.Quia iustitia commutatiua tantùm petit,æquale reddi:potest autem id fieri satisfaciendo pecuniis. Sic D. Antonint.*part.* 3. *titul.* 1. *capit.*19. Supplement. Gabrielis 4.*dist.*28.*q.*1.*a.*2.*conl.*5.Barthol. Ledes.*de Matr.dub.*19.*fol.*1296.vbi aiunt, teneri hunc,eam ducere,vel aliter satisfacere. Et aliqui Theologi moderni censent hoc esse probabile.

104 *Eam ducere tenetur.* Tenetur quidem sub culpa lethali,eam ducere. Quia iustitia commutatiua non tantum petit,reddi æquale , sed vt idem reddatur ex iustitia debitum: vt si equum furatus sis nulla restituta pecunia satisfacies : vnum enim pro altero inuito creditore,solui non potest.*lib.* 2. §.*matri.ff.si cert.petat.*Sed hic ex iustitia commutatiua tenebatur habere consensum , vt constat in omnibus contractibus,in quibus interuenit,*do vt des:*vel *facio,vt facias.*Ergo cum possit restituere , adhibendo eundem consensum ex iustitia debitum,ad id tenebitur.Ita D. Tho.*in* 4.*dist.*28.*quæst.*1.*art.*2.*ad* 4.Richard. *ibi,art.*1.*q.*3.Palud.*q.*1.*art.*2.*concl.*4.*&* 5.*n.*14. Antonin. Rosel.Cordu.Salon , Veracruz,Manuel,Vega, Capua,Ludou.Lopez & alij, quos refert,& sequitur Sanchez *libr.* 1. *d.* 10. *numer.*3.

105 *Cum his sententia & doctrina huic aliquas adiicio limitationes.* Cum his omninò sentio.Quia quamvis dānum violatæ virginitatis possit æquè pecunia resarciri,eo quod amissa Virginitas non valeat in eadem specie restitui ; at iustitia ficti consensus deceptio non potest æquè compensari nisi iniustum dolum auferendo , veroque consensu præstito;nā potest in propria forma restitui.Nec potest dici verè æquale,dū in propria fit satis specie.Idem dixerim,quandò non fuerit mutua promissio,sed vir fictè promisit fœminæ matrimonium,si se defloran dam ei traderet:cui promissioni virgo imitens tradit corpus. Quia est perfectus contractus,facio,vt facias,& virgo iam implenit. Huic tamen doctrinæ aliquas adiicio limitationes. Primā,nisi vir notabiliter conditione excedāt : tunc enim fœmina huius excessus conscia non potest allegare se deceptam : debuit enim agnoscere , virum adeo disparem fictè sibi polliceri matrimonium. Quænam autem disparitas sit notabilis , prudentum iudicio relinquo. Secundam , nisi fœmina ex verbis, aut aliis claris coniecturis facilè posset fallacem animum promittētis agnoscere:tunc enim sibi debet imputare,& voluntariè videtur fraudi consensisse. Tertiam , nisi ex eo coniugio scandalum magnum timeatur probabiliter : tunc enim excusatur fictè promittens. Quartam , nisi ex eo matrimonio probabiliter malus timeatur exitus , vt si promittens norit , puellam esse notabiliter leuem. Quintam , nisi fœmina virum decipite dicendo vel fingendo,se virginem esse:quia in iniuriis datur compensatio. Imò licet ipsa non deciperet , si promittens fictè matrimonium existimabat eam virginem:& postea comperiat non esse eam ducere non tenebitur. Quia hæc est vera causa dissoluendi sponsalia vera,nedum ficta.Sextam,non tenebitur ducere,si fœmina defloratapostea cum alio rem habeat: quia hęc est causa iusta recedendi à veris sponsalibus. Porrò si ficte promittens Virgini tantū haberet cum ea tactus non teneretur eā ducere,sed alio modo restituere. Denique quando ficte promittens iam non potest fœminam defloratam ducere , quia sacris est initiatus

vel

vel alteri adstrictus coniugio, tenetur illi fœminæ de nuptiis prouidere.

DVBIVM XVII.

An quando vir est notabiliter dignioris conditionis, vel alia indicia præbuit ficti consensus, vt fœmina facilè posset præsumere dolum; defloratus teneatur, ei aliquid restituere.

106 Tenetur alteri aliquid restituere. ESto non teneatur eam ducere, (vt vidimus) tenetur tamen ei aliquid restituere. Quia dolo defloratus, & subindè iniustitiam admisit. Sic Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3.* Nauar. *c. 22. n. 76.* Ledesm. *2. p. 4 q. 18. a. 2. fol. 241.* Cordu. *l. 1. qu. 13.* Beia *casu 18.* Ludou. Lop. *p. 2. c. 26. de matr.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 2. lit. G,* Nauarra *l. 2. de restit. c. 3. p. 4. dub. 1. num. 427.* Certè ex his Doctoribus aliqui dicunt teneri integrè restituere eo modo quo decipiens, vel vi corrumpens alij melius asserunt, non integrè teneri, sed prudentis arbitrio tradendum.

107 Nihil restituere tenetur. Nihil ei restituere tenetur. Quia cum propter notabilem disparitatem, vel alia fraudis aperta signa viderit fœmina, vel prudenter videre debuerit, se decipi; & nulla necessitate coacta in stuprum consenserit, liberè videtur consensisse, gratisque prostituisse pudorem. Ità D. Thom. *in 4. dist. 28. qu. vni. a. 2. ad 4.* Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 16.* Rosel. *v. Matrimonium 4. n. 2.* Sylvest. *ibid. q. 8.* Tabie. *v. Restitutio, q. 22. §. 23.* Angel. *v. Stuprum, n. 1.* Armil. *v. Restitutio, nu. 22.* & alij, quos sequitur Sanch. *l. 1. d. 10. n. 19.*

108 Eiusdem sum mouet. Cum his opinor, quia quamvis fictus promissor deliquerit contrà iustitiam intentione decipiendi: at ea intentio effectu suo destituta est; fœmina enim se ipsam decepit. At intentio sola mente retenta non obligat ad restitutionem.

DVBIVM XVIII.

An quando fœmina ignorauit excessum viri, aut si nouit, aliter ei promisit deflorator, vt prudenter credere potuisset verè promittere fictus promittens teneatur, eam ducere.

109 Tenetur quidem ducere. TEnetur quidem. Quia est contractus, & mulier ex sua parte impleuit. Nec potest dici à se ipsa deceptam esse, leuiterque fidem adhibuisse: ergo tenetur eā ducere; nec sàtis est pecuniis satisfacere, cum in propria specie possit satisfieri. Sic D. Tho. Sylvest. Antonin. Angel. Armil. Tabie. Nauar. Ludouic. Lopez quos citat Sanch. *d. 10. num. 5.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 1.* Nauarra *lib. 2. de restit. c. 3. p. 4. dub. 2. num. 427.*

110 Non tenetur ducere. Non tenetur ducere, sed aliter restituere instar vi, vel fraude defloratis. Quia non tenetur ad eam ducendam ratione promissionis, fuit enim ficta, & inualida; nec ratione iniustitiæ, & iniuriæ illatæ; nam iustitia non obligat ad restituendum plusquam damnum æstimatur; sed damnum ablatæ dolo pudicitiæ non tanti æstimatur, ac virum digniorem notabiliter eam fœminam ducere: Ergo nullo ratione tenetur. Ità Petr. de Ledesm. *de Matrim. q. 45. a. 4. dub. 1. concl. 2.* Capua *l. 2. dec. c. 78. n. 6.* Valdè probabilem ait esse Cordu. *in quæstionar. l. 1. qu. 13.* & Veracruz *p. 3. spec. a. 19. c. 4.* dicit esse probabilè. Manuel *to. 1. c. 208. n. 8.* At Thomas Sanchez *d. 10. n. 21.* probabiliorem esse testatur.

111 Idem affirmo. Idem affirmo. Quia quando in contractu seruatur æqualitas, vno implente, tenetur alter implere. At quando est inæqualitas, non tenetur fictè contrahens integrè implere, sed æquale reddere tenetur. Quare si res promissa reddita in propria specie esset multo inæqualior, non esset reddenda, sed iustum pretium rei per alterum contrahentem gestæ: Ergò cum matrimonium promissum sit multo inæqualius defloratione, non tenetur ad id fictè promittens.

DVBIVM XIX.

Fictè quis promisit corruptæ fœminæ matrimonium, conscius corruptionis, & conditionis æqualis; tenetur ne ducere eam, quæ sub hac spe ei tradidit corpus.

112 Tenetur eam ducere. TEnetur quidem. Quia fuit contractus, nec disparitas inter contrahentes adest, nec fraus aliqua ex parte fœminæ inuenitur. Sic Palud. *in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. concl. 4. n. 14.* Cordub *in sum. q. 49.* Lud Lop. *in instruct. c. 76.* Manu. *tom. 1. sum. c. 208. n. 8* falsò allegans Sotum, & Nauarrum.

113 Eam ducere non tenetur. Minimè tenetur ducere, sed alio modo iniuriam compensare. Quia eam ducere, non est æquale copulę cum corrupta, sed longè maius. Ità Veracruz *p. 3. spec. a. 19. concl. 6.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 2. lit. R.* Ludou. Lop. *p. 1. c. 77.* Sanch. *l. 1. d. 10. num. 23.*

Hanc partem probabiliorem puto generatim si loquamur. At primam sequerer, quando esset v. gr. vidua bonæ famæ, infamiámque ex copula contraheret, ob quam matrimonio redderetur inepta. Quia non video aliter posse dānum resarciri. Mecum Nauar. *lib. 4. consil. tit. de sponsa cons. 48. in priori edit. in posteriori cons. 7.* Nec audiendum Veracruz patiar, asserentem fictum promissorem non teneri ducere corruptam cuiuscúmque sit conditionis.

DVBIVM XX.

An fictè contrahens Matrimonium per verba de præsenti absque interno consensu: teneatur verè consentire.

114 Non tenetur verè consentire. DIsputatio hæc potius ad librum vigesimum quintum attinet, sed hîc decidenda, quia est valdè præcedenti annexa, & ex eisdem principiis decidenda obiicitur. Igitur fictè contrahens matrimonium non tenetur verè consentire. Quia fictè professionem emittens non tenetur secluso scandalo verè profiteri, sed potest ad eum locum se recipere, vbi cessat scandalum: Ergò similiter fictè ducens

vxorem, non tenetur cessante scandalo, verè ducere vtrobique enim est ficta traditio illic Monasterio, hic autem vxori, & iniuria recipientis. Et quia nullam iniuriam irrogare videtur cum neuter maneat æquè obligatus. Sic Hostiens. *Cap. ex parte, de sponsal.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 19.* Tabie. *verb. Matrimonium, 2. q. 7. §. 8.* Fauent. Rosel. Couarr. Angel. Sylvest. Barth. à Ledesma, Manuel, quos refert Sanch. *d. 11. n. 1.* Ledes. *2. qu. 47. art. 4.* Et Victor. *in sum. de Matrimon. num. 252.* profitetur sententiam hanc esse probabilem.

115 *Verè consentire, tenetur.*

Fictè contrahens matrimonium, tenetur verè consentire. Quia est vtrimque contractus, do, vt des, & alter iam impleuit tradendo per verum matrimonium sui corporis potestatem. Et quia sequitur alteri grauissimum damnum, cum enim in foro Ecclesiæ nequeat fictum alterius probare consensum, non permittitur aliud inire coniugium, continentérque viuere cogetur. Ità D. Tho. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1.* Scotus *in 4. dist. 30. q. 1.* Maior. *in 4. dist. 27. q. 1.* Adrian. *q. 2.* Sotus *q. 1. a. 3.* Nauar. *c. 22. num. 76.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 3.* Bannes *2. 2. qu. 77. art. 3. dub. 1.* Sanch. *d. l. 11. num. 4.*

116 *Auctoris iudicium.*

Profectò secunda sententia moraliter, & regulariter est verissima; quia, semper sequitur graue damnum fœminæ, tùm infama, quare alteri nubere non poterit: tùm etiam, quia aliud coniugium non permittetur inire. Cæterùm si nullum ex his incommodum, nec aliud notabile sequeretur, probabiliorem primam sententiam esse, ingenuè profiteor. His enim exclusis damnis, eius fundamenta maximè vrgent.

DVBIVM XXI.

An promissio Sponsalia constituens debeat, necessariò geri coram Parocho, & testibus, & an Sponsalia clandestina sint, irrita.

117 *Debent coram Parocho & testibus geri necessariò.*

VErto in quæstionem, an sicut Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* irritauit Matrimonium clandestinum, ita clandestina sponsalia irritauit? Eo ipso irritauit, vndè promissio sponsalium debet fieri coram Parocho, & testibus ne irrita censeantur. Quia in Lege *Oratio ff. de sponsal.* dicitur: *Oratio, quæ quasdam nuptias Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est. Rectè tamen dicitur, in his casibus sponsalia nullius esse momenti.* Ergò eo ipso, quod Tridentinum irritauit matrimonium clandestinum, censetur similia sponsalia irritasse. Sic Alexand. de Neuo *rubr. de sponsal. num. 6.* Albornoz. *tr. de arte contract. l. 4. n. 1.* Matienzo *l. 5. recopil. tit. 1. gloss. 1. num. 41. & 51.* & alij.

118 *Non debent necessariò geri.*

Minimè irritauit, vndè Sponsalia celebrari coram Parocho, & testibus, necessarium non est, sed clandestinè gesta omninò sunt valida. Quia lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum, est correctoria iuris communis, & proindè extendenda non est vltra casum expressum, *l. Præcipimus, C. de appellat.* ergò cum solùm irritet matrimonium clandestinum, non debet extendi ad sponsalia: sed tanquam casus omissus relinquendus est iuris communis dispositioni, *l. commodissimè, ff. de liber. & posthum.* Ità Nauar. *cap. 25. num. 144.* Corduba *sum. q. 52.* Gutier. *l. 1. qq. Canonic. c. 18. num. 9.* Henriq. *l. 11. c. 5. num. 8.* Gutier. Azeue. Vega, Manuel, Barth. & Petr. de Ledesma, Ludou. Lopez Gallego, & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *libr. 1. d. 12. num. 2.*

Hanc sententiam amplector, sciens ex Glossa *Cap. Statutum verb. Numerandum, de præbend. in 6.* & Tiraquello *de primogen. q. 24. numer. 2.* & aliis, legem correctoriam, per quam reducimur ad ius commune, esse fauorabilem, & extendendam: atque ita omnis intellectus, per quem ad ius commune reducimur, fauorem continet, & extendi debet, eóque res facilè ad suam naturam redit. Porrò *l. Oratio*, pro prima parte adducta, intelligenda est, quando prohibetur matrimonium absolutè, seu omnibus modis: cum enim tunc nullomodo possit contrahi matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitæ: & sic nulla; at contrahentes clandestinum matrimonium, tantùm sunt inhabiles ad clandestinè contrahendum: quare promissio clandestina valet, est enim rei licitæ promissio: nempè matrimonij contrahendi eo pacto, quo iubet Ecclesia. 119 *Hanc tenuè amplectitur.*

DVBIVM XXI.

An sit culpa Sponsalia clandestina contrahere.

VAlida quidem sunt, (vt vidimus *Probl. 21.* clandestina Sponsalia. Quæsierim autem, nunc licita sint? Culpa est huiusmodi Sponsalia inire. Quia eo ipso, quod *cap. finali, de clandest. desponsat.* prohibetur matrimonium clãdestinum, Sponsalia clandestina prohibita censentur; nam prohibito aliquo, censetur prohibitum omne id, per quod illud peruenitur, *l. Oratio. ff. de sponsal.* Sic Angel. *v. Clandestinum, n. 1.* Sylvest. *v. Matrimonium 6. q. 7. dicto 5.* & 6. Tabie. *v. Sponsalia, q. 1. n. 2.* Armil. *ibi, n. 14.* Rosel. *v. Impedimentum, impedit. 1. n. 12.* Paluda. *in 4. dist. 28. q. 2. art. 2. numer. 14.* Caiet. *verb. Sponsalia.* asserens esse culpam mortalem. 120 *Culpa est.*

Culpa non est, clandestina inire Sponsalia. Quia nullo iure prohibetur. Nam *Cap. finali, de cland. desponsat.* tantùm prohibetur matrimonium clandestinum, & axioma illud: Prohibito matrimonio, censetur prohibitum omne id, per quod ad illud peruenitur, desumptum ex *l. Oratio*, non habet locum in hoc casu, vt *Probl.* proximo vidimus. Ità Veracruz *append. ad specul. dub. 9.* Ludou. Lop. *p. 2. instruct. de matrim. cap. 17.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5.* Sanch. *lib. 1. d. 13. num. 2.* 121 *Culpa non est.*

Idem assero existimans, non obstare doctrinam communem affirmantem, prohibitionem matrimonij clandestini factam *Cap. finali*, extendi ad sponsalia. Nam Hostiensis *ibi*, quem reliqui sequũntur, fatentur, id non haberi ex textu, sed ex testus ratione, eo quod eadem inconuenientia ex sponsalibus clandestinis sequantur, cum sæpè per copulam, & alios actus transeant in matrimonium: quod cum hodie cessarit per decretum Tridentini *sess. 24. c. 1.* illa prohibitionis ratio cessat. 122 *Idem affirm.*

DVBIVM

DVBIVM XXIII.

Notabilis contrahentium vero animo Sponsalia disparitas, quando contrahens conscius erat conditionis vilioris alterius ea, irritet.

123 Irritat quidem. Quia si quis prodige meretrici spondeat pro corporis vsu, non tenetur ità prodige implere, cum sit peccatum: sed promissio matrimonij facta notabiliter impari, est prodiga: ergò non obligat. Sic Sotus *l.4. de iust. q.6. a.1. ad 2.* Ledesma *2.p.4.q.18. a.5.* Salon *2. 2.q.61. art.5. contr.4.* Bannes *art.5. dub.5. concl.3.* Manuel *to.1. sum.c.40.n.4.* Palati. *l.5. de contract. c.11.* addens cum Soto Bannes, & Manuele, esse verum, quamvis promissio iuramento firmetur.

124 Irritat. Non irritat. Quia cum contrahens sit dominus rei promissæ, & notabilis excessus conscius, videtur velle, liberè suo iuri cedere, & excessus donationem facere. Ità Veracruz *p.1. spec. a.19. concl.3.* Molina *to.2 de iust. tr.2.d.271.* Cordu. *in quæstionar. l.1.q.13. dicto 1.* Sanch. *l.1.d.14.n.2.*

125 Cum ea offen. Profectò quamvis puella nobilis (v.gr.) & dines prauè faciat, sponsalia contrà parentum voluntatem cum ignobili, aut paupere contrahendo, eo quod executio esse nequeat sinè aliorum scandalo, & ipsius puellæ dedecore, & ità prodigè, & cum peccato promiserit: existimo teneri, contractum implere, nec ausus fuerim affirmare oppositum, eo quod est contrà Ecclesiæ praxim fidem huiusmodi seruare cogentis. Hoc tamen limitarim, nisi scandalum magnum ex eo matrimonio probabiliter timeatur. Quia virtus iustitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest: sed contrahere matrimonium cum magno illo scandalo, est apertè lethale piaculum, cum notabiliter charitas proximi lædatur, dissolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia: ergò. Colligitur id ex *Cap. Cum in tua, de sponsal.* & ità docet ibi Glossa, *verb. Scandalo.* Abbas *ibi numer.4.* Præpos. *nu.2.* & alij.

DVBIVM XXIV.

An verba de præsenti inter puberes clandestinè prolata, quæ constituunt matrimonium clandestinum irritum inxtà Tridentinum: habeant, vim Sponsalium.

126 Habent vim sponsalium. Habent vim Sponsalium, & vt talia obligant. Quià *Cap. vnico de desponsat. impub. in 6. §. Idem quoque* habetur, matrimonium impuberum obligare, vt Sponsalia, vti actus, qui non valuit eo modo, quo gestus est, valeat modo, quo geri poterat. Ergò similiter, quando matrimonium clandestinum puberum non valet, vt matrimonium, valebit tamen vt Sponsalia: siquidem Tridentinum clandestina Sponsalia non irritauit. Sic Henriq. *lib.11. cap.5. numer.4.* asserens, sic Cardinales declarasse. Corduba *in sum. qu.52.* Barth. de Ledes. *de matrimon. dub.18.* Vega. *lib.6. sum. casu 120.* Ortiz *in sum. cap.16. de matrim.* & alij.

127 Non habent. Non habent vim Sponsalium, nec vt talia obligant. Quia in Tridentini decreto dicitur: *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom.III. P.II. *Ad sic contrahendum, eos Sancta Synodus omninò inhabiles reddit.* Ergò sic contrahentes nihil prorsus efficiunt: si enim valeret contractus vt Sponsalia, non essent omninò inhabiles, sed aliquo modo habiles existerent; sicut *Cap. Vnic. de sponsat. impuber. in 6.* loquens de impuberum matrimonio, non appellat eos inhabiles, sed potius dicit, valere contractum, vt Sponsalia. Ità Nauar. *l.4. consil. tit. de sponsal. cons.1.n.3.* Azeue. *l.5. recopil. tit.1.l.1. num.23. 33. & 36.* Palati. *in 4. dist.18. q.vlt.* Petr de Ledes. *de matr. q.45. art.5. pun.2.* Manuel *to.1. sum. cap.220. n.1.* Vega. *lib.6. sum. casu 104. & 122.* Sanch. *libr.1. d.20. numer.5.*

128 Hanc eligo sententiam. Primam sententiam satis esse probabilem puto, sed secundam, vt probabiliorem eligo. Quia quoties ius resistit contractui, nulla prorsus ciuilis, aut naturalis oritur obligatio, (vt probat Sanchez *lib.1.d.7.num.16.*) sed Tridentinum huic contractui resistit, illúmque pœna afficit tanquam peccata fouentem: ergò ex eo nulla oritur obligatio. At posset obligatio oriri ratione damni illati. Si enim clandestinè contrahens copulam habuit, licet non teneatur ratione contractus fœminam ducere: tenetur tamen ratione iniustitiæ, & damni fœminæ illati.

CAPVT VI.

Circà ætatem necessariam ad Sponsalia contrahenda.

DVBIVM XXV.

An sit necessarium, vt septennium sit omninò completum.

129 Nonnulla suppono. SVppono ex *sect.1.* septennium completum ad Sponsalia contrahenda desiderari. Constat ex *Cap. Literas*, ibi: *Antequam septimum annum compleuerit.* Quia septennio completo incipit communiter rationis vsus, & libertas. Sic D. Thom. *in 4. dist.27. qu.2. art.2.* quem omnes sequuntur Theologi. Quæstioni autem do: an necessarium sit, vt septennium omninò sit completum, vel sat sit, moraliter completum esse, quia parum deficit: quod dubium procedit, quandò non constat malitiam ætatem supplere, de quo inferius.

130 Non est necessarium. Non est necessarium completum esse omninò septenium, sed sufficit, moraliter completum esse, v. gr. si duo, vel tres dies deficerent. Quià quod parum distat à re, parum, aut nihil distare videtur, teste Aristot. *2. Physic.* Sic D. Thom. *in 4. dist.27. q.2.a.1.* Antonin. *3.p.tit.1.c.18.* Sylvest. *v. Sponsalia, q.1. dicto 2.* Tabie. *ibi, q.4.n.5.* Turrecrem. *Cap. Vbi non est, n.2.* Barth. de Ledes. *de matrim. dub.11.*

131 Necessarium est. Necessarium est completum esse septennium metaphysicè, vbi de malitia ætatem supplente non constaret. Quia vel vna die deficiente, verè non diceretur septennium completum,

sed inceptum. Ità Couar. 4. *decretal. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. Mandosi. *de ætate minori, c.* 14. *n.* 11. *& de matrim. c.* 13. *n.* 2. Ludou. Lop. *p.* 5. *instruct. de matr. cap.* 17. Alex. de Neuo *cap. Literas, de desponsat. impub. fine.*

132 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi probabilius est. Quia ad testamentum, in quo anni quatuordecim completi requiruntur, video testamentum minimè valere, si vna dies desit, & *l. Qua ætate, ff. de testam.* tanquam quid specialiter notandum definitur, sat esse vltimam diem anni decimi quarti cœptam esse similiter video, non valere professionem, si vna dies deficeret ad decimi sexti anni complementum. Attamen tanquam quid speciale cum præfatis Doctoribus, & Thoma Sanchez *l.* 1. *d.* 16. *n.* 4. dixerim fauore matrimonij, vltimam diem septennij inchoati latis esse ad sponsalium ineundorum valorem.

DVBIVM XXVI.

An ad sponsalia validè, & licitè contrahenda, malitia suppleat ætatem.

133 *Non sunt valida.* QVæstio est, vtrũ sponsalia antè septenniũ valida sint, si eo tempore rationis vsus contrahentibus adsit? Non sunt valida. Quia vbi certa ætas iure præscribitur, præueniri nequit, vt constat in professione, & testamento. Sic Abbas *cap. Iuuenis, n.* 5. *& c. Gemma, n.* 6. *de sponsal.* Rosel. *v. Impedimentum, imped.* 13. *n.* 9. Angel. *v. Sponsalia, n.* 5. *& v. Matrimonium* 3. *impedim.* 14. *n.* 2. Hostiens. *sum. tit. de spons. n.* 5. *&* 8. Archidiac. *c. vni. de desponsat. impub. in* 6. *ante numer.* 1.

134 *Valida sunt.* Valida sunt, malitia ætatem supplente. Quia Iurisconsultus *l. In sponsalibus* ait; satis esse spõsos, quid agant, intelligere. Ergò si puer pollens ingenio, & iudicio, quid in hoc contractu agat, antè septennium intelligat, erit validus. Ità D. Tho. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 7. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 18. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Henriq. *l.* 11. *c.* 13. *n.* 9. Ledesm. 2. *in* 4. *qu.* 45. *a.* 2. Vega *l.* 6. *sum. casu* 101. Manuel *tom.* 1. *sum. c.* 244. *n.* 3. Sanch. *l.* 1. *d.* 16. *n.* 9. citans ex iurisperitis Goffredum, Anchoram, Calderinũ, & alios.

135 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam; quia cum sponsalia sint via, & dispositio ad Matrimonium, eo ipso, quod Ius disposuit, in matrimonio malitiam ætatem supplere *Cap. de illis, el.* 2. *de desponsat. impub.* censetur idem in sponsalibus dispositisse per *l. Oratio, ff. de sponsal.*

DVBIVM XXVII.

An in quacúmque ætate malitia septennium, aut via ordinaria, aut miraculosè præueniat: valida sint, Sponsalia.

136 *Non sunt valida.* NOn sunt valida, sed vna cum rationis vsu exigitur ætas septennio proxima, nec sufficit rationis vsus antea habitus. Quia ideò Ius præscripsit septennium completum, vt id exigatur: vel saltem quòd moraliter possit dici septennium, siuè ætas septennio proxima. Et quia sicut in matrimonio non satis est, vt malitia ætatem suppleat quoad potentiam generationem, sed vltrà requiritur discretio ad coniugalem consensum, vt constat ex *Cap. finali. de desponsat. impub.* ità in sponsalibus non satis erit vsus rationis quicúmque, sed talis, qualis septennio, vel proximè aduenit. Sic D. Antonin. Ledesm. Ludou. Lop. apud Sanch. *l.* 1. *d.* 16. *n.* 13. Victor. *de matr. n.* 284. Veracruz *p.* 1. *spec. a.* 16. & alij.

137 *Valida sunt.* Valida sunt sponsalia in quacúmque ætate contracta, si via ordinaria, vel miraculosè vsus rationis acceleretur. Quia septennium non præscribitur, quasi id necessarium sit, sed quia ea ætate Ius præsumit vsum rationis aduentare. Ergò si quacúmque ætate antè septennium vsus rationis illucescit, erunt vera sponsalia: non enim maior est ratio de proximis septennio, quam de multo minoribus, si eodem rationis vsu gaudeant. Ità Sanch. *citatus.* Petr. de Ledesm. *de matrimon. qu.* 43. *art.* 2. *dub.* 2. Alexand. de Neuo *cap. Iuuenis, de sponsal.* vbi ait, si constet de prudentia pueri, sexto ętatis anno sponsalia valere. Anton. Gabriel *tom.* 2. *libr.* 17. *vers. Sponsalia fol. mihi* 312. ait, esse communem sententiam valida esse sponsalia quadriennio contracta.

138 *Idem assero.* Idem assero, existimans, Ius non ideò præscribere septennium completum, vt id exigatur, sed quia communiter tunc rationis vsus aduenit. Certè matrimonium semel contractum indissolubile est, & ideò vltrà potentiam generandi requirit discretionem: sponsalia autem ab impuberibus contracta solubilia sunt, si alter pubertatem adeptus reclamet; vndè non mirum, si ad ea contrahenda qualiscúmque rationis vsus sufficiat.

DVBIVM XXVIII.

An sufficiat, ad Sponsalia contrahenda is rationis vsus antè septennium, qui satis est, vt puer ille possit lethaliter delinquere.

139 *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia ad delictum lethale satis est aduertentia præsentis mali, nec aliqua futurorum prouidentia desideratur: ad sponsalia tamen cum sint obligatio ad futurum perpetuum statum, requiritur etiam futurorum prouidentia. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 2. Ludou. Lop. *p.* 2. *instruct. ca.* 37. Petr. de Ledesm. *de matrimon. qu.* 43. *art.* 2. *dub.* 1. Henriqu. *l.* 11. *c.* 13. *num.* 9.

140 *Sufficit quidem.* Sufficit quidem is rationis vsus, qui ad culpam lethalem est satis. Quia is vsus rationis satis est, ad obligandum se per votum solemne Ordinis Sacri, quod tamen est perpetuum: & per votum simplex Religionis, quæ est status perpetui obligatio, & maior, quam sponsalium: nam votum annexum Ordini Sacro nullatenus solui valet nisi per Pontificis summi dispensationem: votum etiam illud Religionis indiget eadem dispensatione, vel irritatione paterna, nec potest propria pueri voluntate dissolui, at sponsalia sola pueri puberis facti voluntate dirimi possunt. Ità D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *a.* 2. *ad* 7. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 18. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *art.* 2. *ad* 3. Viuald. Ledesma 2. Philiarch, Vega, Lopez, Manuel, & alij, quos sequitur Sanch. *l.* 1. *d.* 16. *num.* 16.

Cum

141 Cum his opinor. Quia si ea futurorum prouidentia, quam prior sententia postulat desideraretur incaute præscriptum esset, septennij tempus; ea enim tenerrima ætate præsentium non habet puer prouidentiam, ne dum futurorum: & vix eo rationis vsu pollet, vt capax sit lethalis praculi.

Cum his opi-nor.

DVBIVM XXIX.

An sit lethalis culpa Sponsalia, ante legitimam ætatem inire.

142 Nonulla præmitto. PRæmitto *Cap. 2. de desponsat. impub.* præscriptionem: *Districtius inhibemus, ne aliqui quorum vterque, vel alter ad ætatem Canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur: nisi forte aliqua vrgentissima necessitate interueniente: vtpote pro bono pacis, &c.* Quæ quidem verba præceptum graue continere ad lethale peccatum obligans assero cum Palud. *in 4. dist. 28. qu. 2. art. 1. n. 8. &* 10. Nauarro *sum. Hisp. cap. 22. num. 31.* Henriq. *lib. 11. cap. 13. num. 23.* & aliis. Hoc præmisso, quæstioni respondeo.

143 Non est lethalis culpa. Non est lethalis culpa sponsalia ante legitimam ætatem inire. Quia textus ille non intelligitur de sponsalibus; dicit enim: *Non coniungantur*: At sponsalia non sunt proprie coniunctio, sed coniunctionis promissio: & cum res pœnalis, & prohibitoria sit, non est extendenda vltra propium significatum. Sic Abbas *Cap. 2. de desponsat. impub. num. 5.* Præpos. *num. 2.* Sanch. *l. 1. d. 17. numer. 4.*

144 Lethalis culpa est. Lethalis culpa est. Quia textus ille de sponsalibus intelligitur, & prohibet ea non tantùm antè septennium, sed etiam antè pubertatem. Ratio autem prohibitionis est, nè contrà bonum commune matrimonia impediantur; quãdo enim vterque, vel alter est impubes, oritur publica honestas, & facilè puberes effecti, ab eis resiliunt: impeditúrque, ne possint eorum consanguineis matrimonio colligari: & ex tali dissolutione discordiæ, rixæque oriuntur. Ità Glossa *ad illud cap. 2. verb. Coniungantur.* Hostiens. *ibi.* Rosel. *verb. Matrimonium 2. num. 6.* Sylvest. *verb. Matrimonium 5. qu. 6.*

145 Primæ sententiæ adhæreo. Primæ sententiæ adhæreo, indicans textum de sponsalibus minimè loqui. Aliundè verò, non video vndè culpa lethalis sit, cum nulla tertiæ personæ irrogetur iniuria, nec Sacramento, Sponsalia enim haud Sacramentum sunt. Imò nec venialem culpam in hoc contractu inuenio, cum nullo iure prohibeatur: etsi pueri ante septennium rationis vsu sunt destituti, expertes sunt culpæ, & nihil prorsus agunt, sed Psittaci instar, verba proferunt. Si autem vsus rationis septennium præueniat, ea esset ætas Canonibus ad sponsalia gerenda præscripta, (vt vidimus suprà.) Quare non video, quonam pacto ius prohibere potuerit, sponsalia antè rationis vsum contrahi.

CAPVT VII.

Circà verba, vel signa, per quæ sponsalia contrahuntur.

DVBIVM XXX.

An dum quis ait: Nullam aliam ducam nisi te, *constituat Sponsalia, vel Matrimonium.*

146 Constituit matrimonium, vel sponsalia. CVm Sponsalia & matrimonium contrahi possint verbis, scriptura, & nutibus; quæsierim, an dum quis ait: *Nullam aliam ducam, nisi te*, illa dictio *Nisi* solam negationem includat, & ita non constituat matrimonium adiuncta verbo præsentis temporis: nec sponsalia, si verbum futuri sit; vel potius includat affirmationem ducendi illam, & sic constituat matrimonium, vel sponsalia? Certè includit particula *Nisi* affirmationem & ita constituunt illa verba sponsalia, vel matrimonium, iuxtà verbum adiunctum. Quia dictio *Nisi* cum sequitur negationem affirmat: vt Nullus nisi Antonius currit, est affirmare Antonium currere, & nõ alios; & quando sequitur affirmationem, negat: vt Omnes nisi Antonius, currunt, est affirmare alios currere, Antonium verò minimè, *l. si cum, §. Qui iniuriarum, ff. si quis cautio. & l. Actione, C. de tran actio.* At in præsenti casu particula *Nisi* sequitur negationem ducendi aliam: ergò affirmat, hanc ducendam esse. Sic Palud. *in 4. dist. 27. q. 1.* Adrian. *q. 2. de matr. dub. 12.* Palati. *dist. 27. qu. 1.* Angel. *v. Matrimonium 3. num. 12.* Sylvest. *ibid. qu. 10. dicto 4.* & alij.

147 Nec matrimonium, nec sponsalia constituit. Non includit particula *Nisi* affirmationem, vndè nec constituit sponsalia, nec matrimonium, sed est promissio conditionata, *si aliquam ducturus sum, te ducam*: quare potest libere sic promittens à matrimonio abstinere. Quia hoc suadet communis loquendi modus, cui standum est in vtróque foro, quando de intentione non constat. Nam si quis promittat, nullam se Religionem nisi Carthusiam professurum, nemo affirmabit, teneri eum Carthusiam inire; sed tantùm teneri, aliàs Religiones non ingredi, & liberum sibi esse Carthusiam eligere, & solùm supposita Religionis electione, teneri Carthusiam ingredi. Ergò similiter dicendum in nostro casu. Ità Henriq. *libr. 11. cap. 13. n. 4. & c. 12. n. 7.* Manuel *tom 1. sum. c. 216. nu. 7.* Sanch. *lib. 1. d. 19. num. 5.* Barth. Ledes. *de matr. dub. 9.* Vega *lib. 6. sum. casu 92.* Veracruz *part. 1. spec. artic. 17. dub. 5.* Coninch. *d. 21. numero 29.*

148 Hos sequor Doctores. Hos sequor, intelligens tamen sententiam hanc, nisi ex coniecturis appareat, voluisse contrahentes per ea verba matrimonium, vel sponsalia inire: vt si de hoc tunc temporis tractabatur. Cæterùm quidquid sit in simplicibus affirmationibus, in quibus fortè dictiones exceptiuæ iunctæ affirmationi, negant: & negationi, affirmant; verum in promissionibus, & contractibus ea doctrina non est vera; sed sensus est conditionalis ob communem loquendi vsum. Idem dixerim de dictione *Quam*, vt *Nullam aliam, quam te ducam*; nam vtráque dictio, *Nisi* & *Quam* idem significare reor.

DVBIVM XXXI.

An quandò verbis de præsenti, quibus contrahitur matrimonium, adduntur alia de futuro, vt: Accipio te in meam in crastinum, *seu* ex crastino: *contrahatur matrimonium, & non sponsalia.*

149 *Non contrahuntur sponsalia, sed matrimonium.* NOn contrahuntur sponsalia, sed matrimonium. Quia in hoc casu ex nunc fit corporum traditio, etsi executio differatur in crastinum. Sic Hurtad. *d.*1. *de matr. diffic.*13. *num.*51. Martin. de Ledes. *p.*4. *q.*47. *art.*3. Coninch. *d.*21. *num.*37.

150 *Non contrahitur matrimonium, sed sponsalia.* Non contrahitur matrimonium, sed sponsalia. Quia verba illa ratione additi solùm efficiũt consensum de futuro. Ità Sanch. *l.*1. *d.*18. *n.*11. Basil. Pont. *l.*2. *c.*8. *n.*1. Victor. *de matr. num.*251. Petr. de Ledes. *de matr. q.*45. *art.*3. *dub.*1. Filliuc. *tr.*10. *p.*1. *c.*7. *n.*242. Villalob. *tr.*12. *diffic.*5. *nu.*5. Trull. *lib.*7. *de sacr. cap.*1. *dub.*7. *num.*2.

151 *Huic hæreo sententiæ.* Dixerim huic hærens sententiæ, hisce verbis solummodo sponsalia constitui; quia consensus est de futuro; neque enim statim fœmina in vxorem accipitur.

DVBIVM XXXII.

Hisce verbis: Ex nunc habebo te in meã: *vel*, Ex nunc prouidebo tibi sicut vxori: *vel*, Ex nunc eris mea vxor, *An contrahatur matrimonium, quod sit Sacramentum?*

152 *Nonnulla suppono.* SVppono, verba, quę sonant de futuro, sed significant de præsenti ratione adiunctí, quãdò iunguntur particulæ illi adiunctæ, verbis importantibus executionem, matrimonium constituere: ex. gr. *Ex nunc*, vel *semper*, vel *omnibus diebus vitæ meæ*, vel *deinceps*, vel *post hac*, vel *ab hoc tempore habebo te*, vel *tenebo te in vxorem*, vel *Prouidebo tibi, sicut vxori*, vel *Tractabo te sicut vxorem*, vel *eris mea vxor*. Quia re vera importãt sensum de præsenti; nam si deinceps, seu semper est habenda fœmina in vxorem: ergò modò est vxor. Quæsierim autem, nùm præfata verba constituant matrimonium, quod Sacramentum sit?

153 *Constituunt matrimonium, quod non sit Sacramentum.* Constituunt quidem verum matrimonium, sed non quod sit Sacramentum. Quia si quis dicat: *Ex nunc te baptizabo in nomine Patris, &c.* simul abluens, non esset Sacramentũ Baptismi; non enim sunt verba de præsenti, quamvis signum, seu factum ipsum denotet intentionem de præsenti. Sic Theologi quidam apud Petrum de Ledes. *de matrimon. qu.*45. *art.*3. *dub.*2.

154 *Constituunt matrimonium, quod est Sacramẽtum.* Constituunt verum matrimonium, quod sit Sacramentum. Quia nullus est matrimonij contractus in lege Euangelica, quod Sacramentum non sit: At hic est verus matrimonij contractus, vti illi fatentur: Ergò & Sacramentum. Ità Sanch. *l.*1. *d.*18. *num.*15. Petr. de Ledesma *citatus*. Palaus *d.*2. *pun.*8. Trull. *l.*7. *c.*1. *dub.*7. *num.*4. Basili. Pont. & Bonac. quos citat, & sequitur Leand. *tract.*9. *d.*1. *qu.*37.

155 Hanc sector doctrinam cuius fundamentum constat ex *Cap. si quis diuinis* 30. *q.*5. & ex *Cap. Ex parte, de sponsal.* Nec obstat simile de Baptismo, quia verba determinata habet, qualia non habet matrimonium: sed sufficiunt verba, vel signa qualiacúmque sint, consensum præsentem exprimentia. *Hinc dig mentem.*

DVBIVM XXXIII.

An quandò verbis futuri temporis importantibus executionem nulla additur particula gerens significationem de præsenti: vt, Habebo te, tenebo, tractabo vt vxorem, *vel* Prouidebo tibi vt vxori: *constituatur matrimonium, & non sponsalia.*

156 *Constituitur matrimonium, non sponsalia.* COnstituitur matrimonium, & non sponsalia. Quia hæc verba significant executionem actus consummati: vndè contrahentes videntur tacitè præsentem consensum significare; obligant enim se ad matrimonij executionem. Neque quis potest aliquam fœminam in vxorem habere, nisi prius cum ea contrahat, & qui vult cõsequens, scilicet habere eam in vxorem, vult necessariò antecedens, nempè cum ea contrahere, *l. Illud, ff. de acquisit. haredit.* & *cap. Præterea, de offic. delega.* Sic Ludou. Lop. *part.*2. *Instruct. c.*36. *de matr.* Manu. *to.*1. *sum. cap.*216. *n.*6. Angel. *v. Matrimonium*, 2. *num.*9. & 11. Sylvest. *ibid. qu.*9. & 10. & alij plusquam 26. Doctores apud Sanch. *d.*18. *n.*16. Basil. Pont. *l.*2. *cap.*9. *n.*3.

157 *Constituunt sponsalia, non matrimonium.* Constituunt sponsalia, non matrimonium. Quia ea verba, *Habebo te in vxorem, &c.* intelligi possunt omninò vera, quamvis modo non habeas, sed tempore futuro: Ergò non significãt consensum de præsenti. Et quia hæ locutiones sunt æquiualentes: *Pro aliquo tempore futuro habebo te in vxorem*, & *Habebo te in vxorem*: Sed prior non constituit matrimonium: sed solùm sponsalia: ergò nec posterior. Ità Sanch. *citat.* Trull. *l.*7. *c.*1. *dub.*7. *n.*4. Petr. de Ledes. *de matr. dub.*9. Palud. *in* 4. *dist.*27. *q.*2. *a.*4. Henriq. *l.*11. *cap.*11. *num.*6. & alij duodecim Doctores penès Sanchez. Rebel. *de spons. qu.*3. *num.*5.

158 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia probabilius reor, præfata verba non significare consensum de præsenti; nam licet statim obligationem inducant, non tamen obligant ad illam statim exequendam; Ergo per ea verba sponsalia solummodo contrahuntur: minimè matrimonium.

DVBIVM XXXIV.

An matrimonium fiat per hæc verba: Volo *tecum contrahere: te ducere, te habere in vxorem.*

159 *Fit matrimonium, non sponsalia.* FIt matrimonium, non sponsalia. Quia verbũ *Volo* adiungitur verbo denotanti executionem actus perfecti: vt *Volo te habere vxorem*. Vndè matrimonium fit, non sponsalia, quæ consensum de futuro promittunt. Sic Cardin. *in Cap. Ex literis, de desponſ.* Basilius Legion. *lib.*1. *cap.*9. *num.*8. & alij penès ipsum.

160 *Fiunt sponsalia, non matrimonium.* Fiunt sponsalia, non matrimonium. Quia ea verba verificãtur, licet proferẽs nolit modò esse suam vxorem, sed tempore futuro. Ità Sanch. *l.*1. *d.*18. *n.*25. Aton. *cap. ex literis*. Menoch. *de Arbitrar. l.*2. *cent.*5. *casu* 496. *num.*23. & 29. Conar. 4. *decretal. p.*2. *c.*4. §.1. *num.*4. & alij.

Ego

161 Crediderim, verba verba ad vnius alterius. Ego autem crediderim, præfata verba esse æquinoca, ideóque posse pro contrahentium arbitrio fieri matrimonium, vel sponsalia, aut nihil. Nam si proferens ea verba, velit significare consensum de præsenti, & aliter id intelligat erit matrimonium. Si autem velit alteri offerre mattimonij fidem, & alter id intelligat, erunt sponsalia; si denique velit solùm significare simplex desiderium posteà contrahendi, nihil fiet. Cum Hurtado *d.1.disput.13.* & Trullench. *lib.7.cap.1 dub.7.n.5.* opinor.

DVBIVM XXXV.

An subarratio annuli sit sufficiens sponsalium indicium.

161 Non est signum sponsal. NOn est signum sufficiens. Quia est æquinocum: quare si nihil præcesserit, ex quo sponsalia præsumi valeant, haud eorum signum existent; ex aliis enim causis, vt ex amore turpi id fieri potest. Sic Sotus *in 4.dist.27.q.2.art.1. concl.3.* Barth. Ledes. *de matr.dub.9* Sanch. *lib.1. d.22.* multos citans Canonistas, ac Iurisperitos.

163 Signum sufficiens est. Signum sufficiens est. Quia frequens est eorum qui expetunt cum alipua matrimonium inire, ei annulum exhibere. Ita Lublin. *v. sponsalia n.5.* hisce verbis: *Sponsalia non vno, sed variis modis contrahuntur, vt puta, re, verbis, literis & consensu. Re contrahuntur, per nudam subarrationem, vel annulli missionem.* Hactenus ille ex Daniele venatorio accipiens.

164 Audiuntur recentiores. Ego autem sic quæstioni respondeo. Ex se loquendo subarratio est signum æquinocum, ideóque non constituit spósalia, nisi consuetudo loci sit vt annulli traditio ea significet; vel nisi habito tractatu inter amicos de matrimonio contrahendo misit sponsus annulum, vel iocalia nil aliud exprimens, & sponsa acceptauit. Quia hoc est signum sufficiens mutuæ promissionis quando sponsæ de tractatu constitit. Mecum Glossa *ad Cap. Tuæ de sponsal. v. Verba.* Paluld. *in 4.dist.27.quæst.1.art.1. numer.* 10. Rosel. *verb. Matrimonium 2. num.* 17. Henriq. *libr.* 11, *cap.* 13. *numer.* 6. addens, idem esse, si pecunias nomine sponsalitiorum immittat.

DVBIVM XXXVI.

An Quando parentes contrahunt sponsalia (vel matrimonium) pro filiis præsentibus & tacentibus, cum contractum ipsi filij intelligant sint, valida.

165 Valida non sunt. VAlida non sunt, nisi aliud signum concurrat. Quia taciturnitas in re tam graui non satis exprimit consensum: cum ex verecundia, aliisve causis procedere valeat. Sic Angel. v. Matrimonium. *1.num.5.* Supplementum Gabriel. *in 4.dist.27.quæst.1.art.2.concl.4. & quidam* Neoterici apud Henriquez *libr.11.cap.2. num.6.*

166 Valida sunt. Valida sunt Sponsalia. Quia sic expresse deciditur *Cap.vnico.§.finali, de desponsat. impub. in 6.* cuius decisionis ea est ratio, quià cum parentes plus filios, quàm se ipsos diligant *lib.Isti quidem.8.ff.de eo, qui met. cau.* præsumitur, recte eos filiis consulere: quare præsetia, ac taciturnitas filiorum iure optimo consensus reputatur.

DVBIVM XXXVII.

An sit speciale, vt dum parentes pro filiis contrahunt, sufficiat præsentia, ac taciturnitas illorum.

167 Non est hoc speciale in parentibus. HOc non est speciale in parentibus, sed idem dicendum est de quocumque extraneo: vnde quilibet contrahens pro alio præsente, ac tacente potest valida sponsalia perficere. Quia agitur de re naturaliter appetibili, & fauorabili, in qua tacens consentire censetur. Et quia in *Cap. 1. de matrim. contracto contra Eccl. interdic.* iudicantur sponsalia, contracta à fratre pro sorore præsenti, & consentiéte: & non intelligi de expresso cõsensu, cõstat: quia statim textus ponderat aliqua taciti consensus signa. Sic Richar. *in 4.dist.27.art.1.quæ. 3.ad 1.* Victor. *sum.cap.150.* Sotus *in 4. dist.27. quæst. 1.art.5.* Ledes. *2. part. quæst. 47. art.2.* Henriq. *libr. 11. cap. 2. num. 6. liter P.* Vega *libr.3.sum.cap.152.* & alij.

168 Hoc est in parentibus speciale. Hoc speciale est in parentibus, vnde si alij in contractu sponsalium respondeant desiderabitur aliud signum consensum internum expri- mens, vt valeant sponsalia, aut matrimonium. Quia quamvis matrimonium appetibile, sit, at cum tali viro, aut fœmina contrahere, potest esse nociuum, quare cum parentum munus sit filios matrimonio collocare, & præ nimio amore, quo ipso prosequuntur, præsumatur fore, vt eos bene consulant, iure optimo iudicatur consensus ex præsentia filij tacentis: quæ ratio in aliis non militat. Ita D.Tho *in 4. dist.27. q. 1. ar.2.quæstiunc.2.ad 3.* Palud. *q.1.a.1.concl. 1.n.4.* D.Antonin. *3.p.tit.1.c.2. ante §.1.* Sanch. *lib.1.d. 23.num.7.* ex Iurisperitis multos allegans.

169 Hanc eligo sententiam. Hanc eligo sententiam cum in *Cap.vnico §. finali de desp. impub. in 6.* lego tanquam quid speciale hoc de parentibus statui. Porrò in casu posito *Cap.* illo *1.de matr.contracto*, dixerim cum Glos. ad fuisse expressum consensum, & textum ponderare alia signa tacita, vt confirmet, eum consensum fictitium non fuisse.

DVBIVM XXXVIII.

An Quando parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, vel infantibus qui doli capaces non sunt, satis sit; dum postmodum nouerunt, vel facti sunt doli capaces, taceant, minimè reclamantes.

170 Satis plane est. SAtis quidem est. Quia eadem prorsus est ratio, ac quando ipsis præsentibus & tacentibus, parentes contrahunt. Sic D.Tho. *in dist. 27.quæst.2.art.2.ad 1.* Palud. *quæst.1. art. 1. concl. 1.num.4.* Victor. *in sum. de matrim. numer. 267.* Sotus *in 4.d.27.quæst.2 art.2.ad 1.* Henriq. *l. 11. c.13.num.5.* Manu. *tom.1.sum.cap.234.numer.4.*

171 Satis minimè est. Quia textus *Cap. vnico de desp. impub. in 6.* manifestè constituit, differentiam inter sponsalia à parentibus nomine filiorum præsentium, & tacentium contracta, quo casu dicit, valere, si non contradixerint: & inter contracta, filiis absentibus, quo casu dicit, non valere, nisi certiores facti ratificauerint tacitè, vel expressè: Ergo in hoc casu vltra taciturnitatem, petit alia expressa, aut tacita signa consensus. Ita Corduba *in sum. qu.* 193. Vega *libr. 6. sum. cap.* 31. Sanchez *lib. 1. d. 23. num.* 17. plures legisperitos ad illam legem afferens huius mentis sectatores.

Satis minimè est.

172 Idem assero legis illius appositæ differentiæ nitens: cuius assignorationem, quia quando puer est præsens, & intelligit, quid nomine suo agatur, magis præsumitur si dissentiat, illum reclamaturum, quam dum absens est, quo casu sæpe obliuiscitur, vel parum curat, fortè existimans, se posse postmodum reclamare, vel nondum consensum præstitisse.

Idem assero.

CAPVT VIII.

Circa Sponsalium implendorum obligationem.

DVBIVM XXXIX.

An Sponsaliorum impletio obliget sub lethali piaculo.

173 CVM de conditionibus ad sponsalia constituenda requisitis egerimus, iam de obligatione ex ipsis consurgente differendum nobis est. Hæc autem potest oriri, vel ab extrinseco, vel ab intrinseco ratione præcepti naturalis obligãtis ad fidem seruandam: vel ab extrinseco, & hoc vel ratione coactionis iudicialis, quia Iudex cogit: vel conuentionalis, quia ex partium conuentione pœna per fidem frangentem soluenda adiecta est: aut traditæ arræ per eundem amittendæ. De hisce igitur obligationibus hoc Capite sermo procedet. In primis autem quæsierim, num sponsalia sub graui culpa obligent?

Nonnulla Præmitto.

174 Minimè obligant sub culpa lethali. Quià *l. 1. C. de sponsal.* dicitur: »*Aly desponsata, renunciare conditioni, & nubere aly non prohibetur.* VbiGlos. & Cynus, dicunt idem esse secundum ius Canonicum. Sic Gratian. *dub. 27. quæst. 2. §. sed aliud, & § finali.* & tanquam probabile hoc exhibet Abbas, Panormit. *Cap. Requisiuit, de sponsal. num. 6.*

Non obligant sub mortali.

175 Obligant proculdubio sub lethali piaculo. Quia res est grauis, maximáque alteri infertur iniuria, si non impleantur sponsalia. Et quia omnis contractus obligat ex iustitia: sed hic est contractus, facio, vt facias, est enim mutua, ac reciproca obligatio: Ergo obligat ex iustitia, & sub mortali. Ità D. Tho. *in 4. dist. 27. qu. 2. art. 1. ad 2.* Palud. *qu. 1. art. 2. post 3. concl. num. 14.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 18.* Caiet. *in sum. verb. sponsalia*, Sotus *in 4. dist. 27. q. 2. art. 5.* Henriq. *lib. 11. cap. 13. num. 1.* Moli. *tom. 2. de inst. tract. 2. d. 271.* Sanchez *libr. 1. d. 27. num. 2.* plures afferens.

Sub mortali obligant.

Hoc mihi certum. Nam *Cap. Desponsatæ. Cap. De coniugali 27. quæs. 2. & Cap. Ex literis.* Supponitur, sponsalia ad sui implementum obligare, Vnde *libr. 1. C. de sponsal.* in contrarium adducta iam est per Canones correcta. 176 *Hæc mihi certum.*

DVBIVM XL.

An Teneatur, statim implere, qui sponsalia contraxit, nullo præfixo termino.

177 TEnetur statim, habita commoda opportunitate, implere. Quia communis sententia habet, emittentem votum, nullo præfixo termino, teneri statim, vbi commodè potuerit, implere; nam per hoc votum dedicat vouens totum vitæ suæ tempus Deo, ideo tenetur statim implere, ne Deum eo tempore, quo votum differt, defraudet. Hac ratione vtuntur Palud. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. concl. 2.* & Sylvest. *v. Votum 2. quæst. 2.* ad probandum, non satisfacere obligationi promittentem fœminæ matrimonium, si antè mortem contrahat; quia promisit toto vitæ spatio cum ea conuiuere: Ergo in mora, si statim habita opportunitate non impleat, eo quod defraudet sponsam eo tempore. Sic Barthol. à Ledes. *de matrim. dub. 13.*

Tenetur statim.

178 Non tenetur statim implere. Quia id generale est in omni debito absque diei præfixione: solum enim tenetur debitor à creditore requisitus soluere, vt constat ex *libr. Debitores præsentes. C. de pignorib.* Ergo si in sponsalium contractu dies appositа obligationi non sit, nec alia conditio, non tenetur promissor statim implere; sed tantum requirente eo, cui facta est promissio, tunc verò cum alter petit, tenetur, si commode potest. Ita Sanchez *libr. 1. d. 28. n. 2.* Palud. *in 4. dist. 38. quæs. 3. art. 2. num. 14.* Sylvest. *verb. Votum 2. quæs. 3.* Angel. *v. Mora, numer. 1.* Nauar. *cap. 17. num. 79.* Manuel. *tom. 2. sum. c. 43. num. 4.* & alij apud Sanch.

Non tenetur statim.

179 Cum his opinor, adiiciens, si conscius alter sponsus, minimèque oblitus, & potens commode petere executionem fidei in sponsalibus datæ, non petat ea impleri, tutus est promissor, si verò alter petat impleri, vel si non petat, id proueniat ex oblitione; non erit promissor tutus: sed tenetur statim habita commoda opportunitate implere. Quod maximè pro fœminis annotandum; licet enim expetant sponsalia perfici, sæpe non audent id petere, vel non instant ob sponsorum timorem: vnde hi tuti non erunt, quia ea dilatio non est sponsæ voluntaria.

Cum his opinor.

PROBL.

DVBIVM XLI.

An sit Cogendus per Iudicem, sponsalium fidem seruare, qui citra legitimam causam ea implere recusat.

180 Cogendus non est, sed si monitis non acquieuerit, relinquendus. Quia cum excommunicationis metus in virum constantem cadat, contrahens excommunicatione coactus, inuitus & inualidè contrahet. Sic D. Tho. *in 4. dist. 27 q. 2. art. 1. ad 2.* Angel. *v. sponsalia, n. 41.* Armil. *num. 7.* Manuel. *tom. 1. sum. cap. 244. num. 1.* Vbi limitat, nisi sequatur infamia.

181 Cogendus est per censuram, si prius monitus, renuat implere. Quia Iudex tenetur ex officio compellere, ad reddendum vnicuique, quod iuum est, & ex iustitia debitum: sed contrahens sponsalia tenetur ex iustitia seruare fidem: Ergo tenetur Iudex illum compellere. Ita D. Bonauent. *in 4. dist. 29. quæst. 3.* Palud. *ibi, dist. 27. q. 1. art. 2. num. 14.* D. Antonin. *part. 3. d. tit. 1. cap. 18.* Petr. de Soto *lib. 18. de matrim. §. Quoad primum.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 1. c. 1.* Sanch. *l. 1. d. 29. n. 4.*

182 Idem assero, nisi attentis circumstantiis Iudex prudenter arbitretur, ex inuitis nuptiis grauia mala, scandalaque timeri, vt perpetuas dissensiones, iurgia inter coniuges, virum, relicta vxore discessurum. Et hoc est quod *Cap. Ex literis, el 2. de sponsal.* dicitur, cogendum esse, nisi rationabilis causa obstiterit. Quia tũc Iudex coactionem denegans, actori fauet; vitat enim ipsius graue damnum: vt si petenti proprium gladium, ad se interficiendum, Iudex denegaret.

DVBIVM XLII.

An cogendus sit solus ille, qui sponsalia iuramento confirmauit.

183 Solus, qui sponsalia iuramento confirmauit per Iudicem cogdẽus est ad eorum impletionem. Quia *Cap. Ex literis, el 2. de sponsal.* reddens textus huiusmodi coactionis rationem, ait: *Quia contra iuramentum venire, periculosum est:* Ergo supponit lex, solummodo cogendum esse eum, qui sponsalia iuramento firmauit. Sic Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 2. a. 3.* Viguer. *l. institution. cap. 16. §. 7. vers. 7.* Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub. 8. fol. 1229. & dub. 10.* Beia *in sum. casu 18.* Vega *libr. 2. sum. casu 513.*

184 Etsi sponsalia iuramento confirmata non sint, cogendus est promissor ad implendum. Quia hæc compulsio ratione iniustitiæ admissæ locum habet, quæ quidem siuè sponsalia iurentur, siue non, committitur. Et quia Ecclesia non tantùm iuramentum, sed & simpliciter promittentem compellit. Ita Glos. *ad Cap. 2. de sponsal. verb. Interpositione.* Abbas *ibi, num. 4.* Alex. de Neuo, Felin. Andre. Hostiens. Henric. Rosel, Brunel. Couarr. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *l. 1. d. 29. n. 4.*

Cum his opinor, iudicans textum *Cap. Ex literis*, non obstare, dum ad coactionem ponderat iuramenti religionem; quia narrat facti contingentiam, non autem eo quod solùm iuramento ius compellendi innitatur. 185 *Idem affirmo.*

DVBIVM XLIII.

An si alter sponsorum damnum patiatur, quando alterius culpa matrimonium nõ initur, possit ob hoc pœna exigi ratione interesse, in quantum interest.

SVppono quæstionem procedere non de pœna, quæ verè pœna est diminuens proprium patrimonium, hæc enim adiecta sponsalium contractui, prorsus, est irrita: quare violans fidem, non tenetur in vtroque foro, eam soluere. Quia id definitur expresè *Cap. Gemma, de sponsal. & l. Titia, 134. ff. de verbo. obligat. & l. finali, C. de sponsal.* Rario verò est, vt matrimonij libertati consulatur ne timore pœnæ soluendæ ineatur coactè. Crediderim tamen solummodo venialem esse culpam pœnam sponsalibus adiicere; quia cum ea minimè valeat, & ideò ad matrimonium non compellat, res adeò grauis haud videtur. Quæsierim verò an esto pœna vt pœna minime valeat, nec exigi possit: an saltem si alterius sponsorum interfit, damnumque patiatur, possit pœna exigi ratione interesse, in quantum interst, quando alterius culpa non contrahitur matrimonium? 186 *Quadam suppono.*

Potest pœna exigi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, verbi gratiâ, si sponso intererat matrimonium perfici, eo quod sponsa admodum erat locuples, nec ità locupletem inueniet. Quia hoc in casu non exigitur pœna vt pœna est. Sic Glossa licet dubitans, *l. Titia, v. Matrimonia, ff. de verbor. obligat.* Idem videtur tenere Glos. vnica *l. 2. ff. de sponsal.* Cardinal. *Cap. Gemma, n. 5. q. 4.* 187 *Potest pœna exigi ratione lucri cessantis & damni emergentis.*

Non potest exigi pœna ratione lucri cessantis vel damni emergentis, nisi sponsus violans fidem dolo inierit sponsalia, vt alter sponsus damnum illud patiatur. Quia ob solutionem interesse illius timidior redderetur sponsus, nè à sponsalibus recedat, vnde plena matrimonij libertas impedietur, quæ fuit ratio prohibendi pœnam. Et quia Ius solum concedit arras *l. finali C. de sponsal.* Ità Hostiens. *in sum. tit. de sponsal. §. 1. num. 1.* Barthol. *l. Titia, num. 3.* Ioan. Andr. *Cap. Gemma, num. 7.* Anton. *num. 8.* Anchara. *num. 12.* Abbas *numer. 11.* Henric. *num. 6.* Rosel. *v. sponsalia. num. 7.* Angel. *n. 6.* Sylvest. *quæst. 8. dicto 2.* 188 *Non potest ea ratione.*

Ego autem crediderim posse exigi interesse consistens in damno emergenti: vt si alter sponsus ratione sponsalium expensas fecisset; non autem consistens in lucro cessante, quod ex matrimonio prouenire debebat. Quia interesse damni non potest species pœnæ appellari, sed damni resartio: at lucrum cessans non potest dici propriè lucrum, nam matrimonium minimè ad illud dirigitur, nec ius ad illud habetur, nisi matrimonio iam contracto. Mecum Sanchez *libr. 2. 30. numer. 15.* asserens, hanc sententiam esse longe probabiliorem, ad cuius 189 *Auctoris resolutio.*

ius robur citat Dynum, Baldum, Alexandrum de Neuo, & Præpositum.

DVBIVM XLIV.

Esto pœna sponsalibus adiecta minimè debeatur & nulla sit: At sit soluatur, recipiens teneturne eam restituere.

190 *Tenetur restituere.* TEnetur recipiens restituere. Quia promissio illa pœnæ est omninò irrita, nullasque vires habet, vt constat ex *l. finali C. de sponsal.* ibi: *Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex vtraque parte nullas vires habebit.* Ergo si alter soluat, recipiens tenetur restituere. Probo consequentiam: nam cum soluens non gratis donet, sed virtute promissionis pœnalis, si transferretur dominum in recipientem, immunisque à restitutionis onere euaderet: magnas vires ex parte illius haberet promissio: & falsò diceret textus, ex neutra parte vires sortiri. Sic alio simili, nempè in lucro comparato à ludentibus pecunia credita, Sotus *l. 4. de iust. de iust. quæs. 5. art. 2.* Alcoz *l. 4. de ludo, cap. 30* Medina *l. 1. sum. c. 14. §. 29.* Gutier. *de iuram. p. 1. c. 33. num. 1.* Ludoui. Lop. *l. 2. de contract. c. 22.* Idem equidem dicerent in nostro casu, cum in vtroque æquè reddatur irrita promissio iure humano.

191 *Non tenetur restituere.* Recipiens minimè restituere tenetur, donec iudice exactus, ad restitutionem condemnetur. Quia iura tantum irritant promissionem illam soluendi pœnam, quod est dicere, promittentem minimè teneri soluere: quod vtique fatemur; at nullo pacto significat dominij trãslationem in recipientem impediri, eumque inhabilem effici ad retinendũ: Cum ergò pœnalia sint, minimè sunt ad hoc extendenda. Ita in simili Perez *lib. 4. ord. tit. 4. lib. 9.* Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. d. 515.* Henriq. *lib. 7. c. 35. num. 6.* Bannes *2. 2. qu. 32. art. 7.* Vega *lib. 3. sum. casu 288.* Sanchez *lib. 1. d. 31. num. 2.* Ludou. Lop. *de contr. lib. 1. c. 22.*

192 *Hanc sententiam probabiliorẽ reor.* Hanc sententiam probabiliorem iudico, quam roboro ex *l. Generaliter 36. ff. de verbis obligator.* vbi dicitur, stipulationes turpes nullius esse momenti. At probabilissima sententia habet, esse ad hunc sensum nullius momenti, vt stipulans minimè teneatur soluere: si tamen soluerit, recipiens immunis sit à restitutionis obligatione. Et quidem si recte textus perpendantur stipulationem hanc pœnalem irritantes, solum denegare videntur actionem exigendi pœnam promissam, & tutum reddere promittentem à solutione: vt constat ex *l. Gemma & l. Titia.* Nec mirum esse debet hoc, quia in aliis simile videmus; legatarius enim in minus solemni testamento relictus, iuxta opinionem Soti *lib. 4. de iust. quæs. 5. a. 3.* Alcozer. *lib. de ludo, c. 24.* & aliorum, non tenetur legatum receptum restituere, cum tamen hæres minimè illud soluere teneatur.

DVBIVM XLV.

An pœna contractui sponsalium adiecta possit iuramento obligatorio firmari.

193 *Potest iuramento firmari.* POtest quidem. Quia esto promissio pœnæ peccatum sit, eius tamen impletio non esset contra bonos mores naturales, cum omni culpa vacet, vt constat; nam quamvis promittere pœnam, prohibetum sit, soluere tamen nullibi prohibetur. Ergò iuramentum illud confirmat sponsalium contractum, & obligat. Certè promittens mulieri nummos, vt copiam sui corpris faciat, peccat vtique tanquam ad malum inducens: at si iurauit soluere, tenebitur iuramentum seruare; quia soluere, peccatum non est, & iuramentum, quod absque peccato seruari potest, obligat. *Cap. cum contingat, de iureiur.* Ergo idem dicendum est de promissione pœnæ. Sic Alex. de Neuo *ad cap. Gemma, de sponsal. num. 10.* Corneus *cons. 294.* Humbert. *repetit. auth. Sacramen. puber. num. 133.* Tabien. *v. sponsalia. quæs. 8. num. 9.* Armil. *ibi, num. 11.* Molina *to. 1. de iust. tract. 2. d. 151.* Hanc sententiam satis esse probabilem Sanchez *citandus* affirmat.

194 *Non potest firmari iuramento.* Minimè potest iuramento obfirmari. Quia talis promissio pœnæ interdicitur ab publicam vtilitatem: nam ratio prohibitionis est ob matrimonij libertatem *l. finali. C. de sponsal.* ibi: *Cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. &c.* Ergo quod geritur contra eam præscriptionem culpabiliter plane, haud potest iuramento confirmari. *Cap. Gemma. de sponsal.* ibi: *& ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda*: id est tanquam improba damnanda; non enim dixit negatiue: *Non est probanda*; sed priuatiuè: *Merito est improbanda.* Si enim negatiuè dixisset posset dici solum denegare illi assistentiam, & actionem in foro externo; cum autem dixerit priuatiuè improbandam esse, manifestè significat, tãquam improbam condemnandam, iusque illi resistere, tanquam bonis moribus aduersæ. Ità Sanchez *lib. 1. d. 32. n. 21.* citans plurimos Iurisconsultos, nempe Bartolum, Angelum, Cumanum, Alciatum, Antonium, Alexan. Neuo Præpositum, Antonium Gomez, & alios.

195 *His adhæreo.* Quibus adhæreo, quia non tantum ea promissio culpa est, sed etiam soluere pœnam promissam; quamvis enim tradere pecuniam illam promissam gratuita donatione, culpa vacaret: at culpa non vacat, dum traditur virtute promissionis illius: est enim approbare promissionem, cui vtrumque ius illam improbans, resistit, & matrimonij libertati aduersatur. Cæterũ promissio illa soluendi mercedem debitam pro vsu corporis venali, bona est, & actus iustitiæ: & si aliquam malitiam habeat, ea est omnino extrinseca, ratione inductionis ad malum, qua nullo modo solutio vestitur. At vero promissio soluendi pœnam, est omnino illicita contra matrimonij libertatem.

DVBIVM

DVBIVM XLVI.

An Arrhæ amittendæ per frangentem sponsalia, possit, in eorum contractu apponi in qualibet quantitate.

196 Nomulia sponsa.

ARrha tripliciter vsurpatur. Primo pro quadam donatione, quam vir facit vxori in dotis præmium. Secundo pro donatione propter nuptias. Tertio pro pignore, quod in sponsos traditur in signum complendi matrimonium, quod vulgò appellamus: *Dar señal.* Sicut in aliis contractibus dum inter partes conuenit de ipsis perficiendis, solet aliquid in signum, & pignus tradi perficiendi contractum & in hac acceptione in hoc & sequentibus quæstionibus *Arrhæ* nomen vsurpo: nam de Arrhis in ordine ad primam, & secundam acceptionem postmodùm *lib.* 25. disputabo. Moneo autem, necessarium esse, dum traduntur Arrhæ, vt expresse dicatur, dari in futuri matrimonij signum: nam simpliciter traditæ, sponsalitia largitas reputantur: vt apte annotat Ant. Gom. *lib.* 50. *Tauri, num.* 12. Certum est, licitum esse, arrhas apponere amittendas per sponsalium fidei violationem, *l. Arrhis,* & *l. finali C. de sponsal.* & *lib.* 1. *tit.* 11. *part.* 4. & *lib.* 84. *tit.* 18. *part.* 3. Rationes autem, cur pœna interdicitur, non autem arrhæ, variæ assignantur; sed frequentior ea est: quia cum pœna non statim tradatur, sed promittatur in futurum, facile; & incautè in magna quantitate promittitur: arrha autem cum re ipsa tradi debeat in sponsalium contractu: in minori quantitate, ac maturiori consilio traderur: nec tantus suberit timor amittendi arrhas iam traditas, quantus soluendi pœnam promissam.

197 Constitui non possunt in qualibet quantitate.

Hoc præmissio quæsierim, num arrhæ possint, in quavis quantitate constitui? Minimè possunt, nec valent, quando tantæ sunt vt contrahentium qualitate attenta, verisimile sit fore, vt timore arrhas amittendi, matrimonium à tradente ineatur. Quia ideò excluditur, ne matrimonij obstet libertati: Ergo vbi arrhæ tantæ sunt, vt idem efficiant, similiter excludentur. Sic Ioan. Andr. *C. Gemma, de sponsal. numer.* 9. Abbas *num.* 8. Henric. *num.* 9. Alex. de Neuo *num.* 15. Rosel. *verb. sponsalia, num.* 7. Angel. *ibi, num.* 12. Sylvest. *quæst.* 9. *dicto* 2. Brunel. *de sponsal. concl.* 16. *num.* 4.

198 Possunt constitui.

Possunt arrhæ in quacumque quantitate apponi. Quia leges permittentes arrhas generice, ac indistinctè loquuntur: respicientes scilicet ad ea quæ frequentius accidunt, *l. Nam ad ea. ff. de legib.* & cum frequentius accidat, modicas tradi arrhas, eas absolutè admisere: nec quia in quodam speciali casu magnas tradi contingat, noua lex eas irritas ast constituenda; lex enim cessante ratione in particulari minimè cessat. Ità Ludou. Lop. *part.* 2. *instr. de matrim. cap.* 36. Sanch. *lib.* 1. *d.* 35. *num.* 9. citans Hostiensem, Cardin. Bald. Angel. Iason. Gregor. Lop. Mansue. & alios, Tabie. *verb. sponsal. quæs.* 8. *num.* 9. Couar. 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 9.

199 Hoc mihi verius.

Hoc verius existimo asserens, adhuc non militare eandem rationem in magnis arrhis, quæ in pœna: cum enim illæ traditæ sint, facilius, ac suauius amittuntur, quam nondum tradita pœna soluitur.

DVBIVM XLVII.

An Arrhæ sint, necessariò in quantitate numerata constituendæ.

200 Sunt constituendæ necessario in quantitate numerata.

ARrhæ non possunt in specie, verbi gratiâ in fundo constitui, sed in quantitate numerata sunt constituendæ. Quia *lex finalis C. de sponsal.* permittens arrhas, de ipsis in quantitate numerata constitutis loquitur, cæteras-que annullat pœnas. Et quia exigitur, vt arrhæ corporaliter tradantur; dicit enim lex, *Accipiat,* & vt duplicari possint, cum alius in duplum teneatur: quæ arrhis in specie constitutis competere minimè possunt. *l. Lutius* §. *Impuberum. ff. de legat.* 2. Sic Barthol. *l. Titia, num.* 10. Anton. *Cap. Gemma num.* 8. Anchara. *num.* 10. Abbas *num.* 8. Neuo *num.* 26. Rosel. *verb. sponsalia, num.* 7. Suar. *lib.* 3. *fori tit. De las arrhas lib* 1.

201 Non sunt necessariò in quantitate numerata constituendæ.

Arrhæ possunt in specie constitui, nec necessario debent in quantitate numerata assignari. Quia leges permittentes arrhas indistinctè loquuntur, *Lex* 84. *tit.* 18. *part.* 3. expressè approbat arrhas in specie constitutas. Et quidem aptè tradi potest fundi possessio pro arrhis datis, sicut traditur, dùm venditur. Ità Sanch. *lib.* 1. *d.* 35. *num.* 12. Ludou. Lop. *part.* 2. *instruct. de matr. c.* 36. Couarru. 4. *decretal. p.* 2. *c.* 3. §. 7. *num.* 7. Sylvest. *verb. sponsalia, quæs.* 9. *dicto* 3. Angelus *ibi, n.* 13. & ex Iurisperitis multi citati à Sanchez.

202 Non possunt.

Hoc verius reor, quia potest etiam tradi fictè fundi possessio, si per clausulam constituti tradens, constituat se alterius nomine possidere. Potest etiam duplicari, si matrimonio non secuto, reddatur fundus, & eius æstimatio.

DVBIVM XLVIII.

An possint, Arrhæ vtrinque constitui, altero tradente certam earum quantitatem, & altero similiter Arrhas reddente.

203 Non possunt.

NOn possunt. Quia si arrhæ vtrinque constituantur, nihil re vera dari videtur. *l. Qui sic, 55. ff. de solut.* ibi: *Non alienatur nummi, qui sic dantur, vt reciantur.* Sic Barth. *l. Titia, n.* 9. *ff. de v. obligat.* Anto. *Cap. Gemma, de sponsal. num.* 8. Abbas *numer.* 8. Neuo *num.* 25. Rosel. *v. sponsalia num.* 7. Angel. *num.* 13. Sylvest. *quæs.* 9. *dicto* 3. & alij. Communis est, & valde probabilis sententia, Thoma Sanctio asserente.

204 Possunt plane.

Possunt omnino. Quia leges absolutè permittunt arrhas, nec in vanum est hæc mutua traditio: dans enim arrhas perdit, quas dedit, & restituit, quas accepit, si per ipsum stet, quominus coniugium celebretur. Ita Sanchez *l.* 1. *d.* 35. *num.* 14. Gregor. Lop. *lib.* 84. *tit.* 18. *part.* 3. *verb. Tal vinna.* Couar. 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 3. §. 7.

§.7.*num.*7.Speculat.*tit.de sponsal nu.*1. Cynus *l.finali.quæs.*6.*C.de sponsal.*Bald *ibi,nu.* 7. Salic. *num.*8.Paul.*l.Titia num.*4. Iason *ibi numer.* 31. Aretin. *numer.* 8. Cuman. *numer.* 8. Alciat. *numer.*15.

205 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia huius sententiæ fundamentum contraria corruit nitens illa lege *Qui,Sic.*Nam ea lex procedit,quando dans aliquid tantundem recipit purè, ità vt nullo casu teneatur reddere : At qui recipit arrhas, & tradit, tenetur tantundem arrharum reddere, & suas amittit, si culpabiliter resiliat.

DVBIVM XLIX.

An qui fidē sponsalium sua culpa violat teneatur, in foro conscientiæ arrhas receptas, & pœnam quadrupli conuentionalem restituere.

206 *Duplicem pœnam legalem & conuentionalem iniustè ab sponsalibus resilienti solitam imponi pramitto.* ALtera est pœna legalis imposita *l. finali,C.de sponsal.*vt recipiés arrhas si iniustè à sponsalibus resiliat, teneatur & ipsas, & duplum reddere. Est altera pœna conuentionalis, quando inter contrahentes conuentum est, vt resiliens teneatur quadruplum arrharum soluere. Et quidem pœnam dupli minimè deberi antè Iudicis sententiam, apertum est; quia est pœna lege imposita, quæ iuxta omnes sententiam Iudicis desiderat : sed solùm tenetur hic arrhas receptas restituere ; id enim pœna non est, sed conditio naturæ contractus annexa. De pœna autem conuentionali mea quæstio procedit, num violans sponsalium fidem teneatur eam simul cum arrhis restituere in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam?

207 *Tenetur restituere pœnā conuentionalem ante sententiam.* Tenetur quidem. Quia perinde est, ac si condemnatio interuenisset,cum pacto se sponsi obligarint ad illam pœnam soluendum, & nil tam naturale sit, ac pacta seruari, *l.i.ff. de pactis.*Sic Palud.*in 4.dist.*27.*quæs.*1.*art.* 2. *num.* 13.Nauarra *lib.*3.*de restit. cap.*2.*dub.* 10. *num.* 274.Felin.*cap.* 1.*de constitut.num.*46. Deci.*in* 1.*lectura,num.*73. Menchaca *lib.*1. *controuers.c.* 7.*num.*21.

208 *Non tenetur.* Non tenetur.Quia intentio contrahentium, & eas pœnas constituentium, quando aliud expressis verbis non exprimunt in contractu, ea est, vt per tales pœnas compelli possint ad fidem seruandam,& ad eas, secuta condemnanatione, teneatur:eorum enim intentio in dubio iuxta iuris communis pœnam imponentis præscriptum, intelligenda est; nam actus præsumitur factus secundum propriam eius naturam,vt latè Menoch.*de præsumption. lib.*6. *præsump.*10.Ità Adrian.*quodlib.*6. *art.*1.*corol.*3. Ledesma 2*part.*4.*q.*18.*art.*3.Victor.quem refert,& sequitur Ludou.Lop.*l.* 1.*de contract. c.* 31.Palaci.*l.*4.*de contract.c.*5.Nauar. *Sum. Hisp. c.*23.*n.*68.*Iati.n.*67.

209 *Huius sententiæ.* Magis mihi sententiæhæc arridet;quia non video, qua ratione probetur perinde esse, ac si condemnatio interuenisset,cum pacto se obligant contrahentes ad soluendam pœnam illam; quia pactum soluendi illam pœnam intelligitur,secuta condemnatione.

DVBIVM L.

An In contractu sponsalium possint, pignora interuenire.

SCio,posse interuenire fideiussores pro securitate matrimonij contrahendi ; quia nullo iure id prohibetur. Num possint interuenire pignora?Minimè quidem. Quia *l.finali*, *C.de sponsal.* reiicitur omnis pœna demptis arrhis. Sic Anton.*Cap.Gemma,de sponsal.nu.*9.Abbas *ibi,num.*10.Præpos.*num.*14. Rosel.*verb. sponsalia num.*7.Angel.*ibid.num.*15.Sylvest.*q.*8. *dicto* 3.Brunel.*de sponsal,concl.*16.*num.*7. 210 *Interuenire non possunt.*

Possunt pignora interuenire. Quia hæc *arrha* vocantur *l.*1.*C.si rector.*iuncta Glos.*v. Pignora.* Et quia traduntur loco arrharum. Ita speculat.*tit.de sponsal.*§.*Primo igitur, numer.* 4. Archidiac.30.*quæst.*2.*c.*1. Azo. *in sum.de sponsal.num.*12. Hostiens.*tit.de sponsal.*§. 1.*& Cap. Gemma,ad verbum illud:Propter pœnæ interpositionem.*Innocent.*ibi,num.vni.*Ioan.Andr.*num.* 7.Cardin.*num.*3.*quæs.*1.Neuo *num.*30.Federic. *cons.*149.& alij. 211 *Possunt interuenire.*

Vnam, & alteram sententiam probabilem esse reor. Ast ego crediderim, minimè posse pignora interuenire,si præcedat stipulatio pœnæ & pignora tradantur:secus arrharum stipulatione præcedente. Ratio est, quia cum principale non valet,corruit accessorium,quod eius naturam sequitur. *Reg. Accessorium* 42.*de regul. iuris in* 6.Ergo cum pœna non valeat, arrhæ autem admittantur, pignora arrhis accessoria valida erunt,exclusis iis,dùm pœnæ accedunt. In dubio autem,quando traduntur pignora,nulla præcedente pœnæ stipulatione, valent, licet nulla mentio arrharum fiat; quia censetur ea pro arrhis tradi. Nec admitto limitationem Anchar.&Barto.dicētium,valere pignora,dum traduntur in quantitate,secus si in specie; nam similem arrharum limitationem superius reprobaui. Mecum Sanchez *libr.*1. *d.* 38. *numer* 4. 212 *Auctor vitatur distinctione.*

DVBIVM LI.

An Valeat, pactum in sponsalibus adiectum, vt vir teneatur in certo Oppido moram trahere cum vxore.

NOn valet.Quia *l.Titio centum,* 70.§. *Titio centum el* 2.*ff.de condit.& demonst.*dicitur: *Titio centum relicta sunt ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa Ciuitate domicilium habeat : potest dici, non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur.*Ex quo textu constat, non valere conditionem legato adiectam, vt teneatur legatarius in certo loco habitare, eo quod quandam seruitutis speciem contineat : & proinde legatum, reiecta conditione, deberi : Ergo similitèr eadem conditio ab sponsalibus reiicietur. Sic Neuo *cap.* 1.*nu.*9.*de coning.lepro.* Couar. 4. *Decretal. p.* 2. *c.*7. 213 *Non valet.*

cap.7.n.5.Anton.Gomez 2.variar.cap.10.num. 24.Ludou.Lop.part.2.instruct. de matrim. cap. 34. & alij.

141 Tales omittimus.

Valet illud pactum, & vir tenetur eam fidem seruare. Quia sicut in rei suæ traditione potest quilibet pactum interponere, *Cap. Verum de conditio appost.* Ita in traditione sui per matrimonium. Et quia *Cap. Gemma, de sponsal.* & *l.Titia, ff. de verb.oblig.* Sola pœna in matrimonio coniungendo, vel dissoluendo interposita prohibetur, eo quod matrimonij obstet libertati: sed hæc pœna seu conditio est potius in matrimonij fauorem, vt conseruetur indiuidua vita, & cohabitatio inter coniuges. Ita Hostiens. *tit. de coniug. seruo. num. 5.* Rosel. *verb. Vxor, num.3.* Angel. *ibi, num.6.* Sylvest. *quæs.8.* Tabie. *quæs. 2. num.3.* Armil. *num.6.* Villalob. *in communib. l.v. numer. 115.* Nauar. *c.14.n.10.* Manu *to.2. sum.c.15.n.2.* Ludou.Lop. *p.1.instruct. c.54.* Sanch. *l.1.d.40.n.2.*

215 Eidem sum mentis.

Eiusdem sum mentis, ratus legem *Titio centum*, reprobantem conditionem habitandi in certo loco, intelligendam esse, dum ea conditio vana est, & in nullius fauorem cedens. At pactum hoc sponsalium adiectum contractui, cedit in maximum vxoris fauoré, nè patria deserta, inter extraneos vitam gerere teneatur.

CAPVT VIII.

Circa dissolutionem Sponsalium per Religionis ingressum, votum Castitatis simplex ac Sacri Ordinis receptionem.

DVBIVM LII.

An per Religionis ingressum, professione non secuta, dissoluantur sponsalia.

216 Non dissoluuntur.

SPonsalia dirimuntur ob Religionis ingressum, si professio non sequatur: quare si nouitiatus tempore sponsus Religionem deserat, tenetur vtrumque fidem sponsalium seruare. Quia ingrediens non statim iure suo cedere videtur, sed sub ea conditione, si professus fuerit, cum experiendi gratia ingrediatur, an sibi expediat, sponsalia perficere, vel potius Religionem profiteri. Sic D. Tho. *in 4. dist. 27. quæs. 2. art.3. ad 1.* Tabie. *v. sponsalia, qu.9.n.10.* dum asserunt, sponsalia dirimi per Religionis ingressum; quia est mors spiritualis: quam tamen solam professionē esse, constat; expresse Durand. *in 4. dist.27.q.3.a.3.* Palud. *ibi, q. 1.a.3. casu 5.n. 23.* Celaia, *q.1.* Viguer. *l.instit.c.16.§.7.vers.7.* Petr. de Ledes. *de matrim.q.43.a.3.dub.2.*

217 Dissoluuntur sponsalia per solum Religionis ingressum.

Dissoluuntur sponsalia per solum Religionis ingressum, etiam professione non secuta: ac proinde sponsus alter manens in sedulo potest aliud matrimonium inire. Quia eo ipso, quod quis Religionem ingreditur, satis declarat, se sponsalibus renunciare: Ergò manens in sæculo ab obligatione eximitur fidei seruandæ priori contractui. Et quià ea personæ mutatio notabilis est; magno enim dedecori fœminæ tribueretur, si illi, qui Monachus fuit, nubat: & è contra viro, si duceret Monialem. Ita Sanch. *l.1.d.42.n.2.* Angel. *v. sponsalia, n.22.* Sylvest. *ibi, q.10. casu 2.* Nauar. *c.22. Hispanè n. 23. Latinè n.26. casu 2.* Sotus *in 4. dist.27.q.2. a.5.* Cordu. *sum.q.136. pun.1.* Henriq. *l.11.c.14. n.3.* Manu. *to.1. sum. c.245.n.1.* Vega *lib.3. sum. casu.323.* & alij.

218 Hos sequuntur Doctores.

Hos sequor. Quia existimo, sic se habere nouitiatum & professionem, sicut sponsalia & matrimonium: ille enim dispositio est, & via ad professionem: hæc autem ad matrimonium: Ergò sicut professio dirimit matrimonium ratum *Cap. ex publico, de conuers. coniuga.* ita nouitiatus sponsalia dissoluit.

DVBIVM LIII.

An per ingressum Religionis, professione non secuta, dissoluantur sponsalia ex parte vtriusque sponsi.

219 Non dissoluuntur ex parte vtriusque.

NOn dissoluuntur ex parte vtriusque, sed solum ex parte manentis in sæculo; quare si ingrediens habitum deserat, liberum erit manenti in seculo, matrimonium perficere: sicut sponsi fornicationem non omninò sponsalia dirimuntur, sed solum ex parte innocentis. Quia quamvis ingrediens cedat iuri suo, manens in sæculo minimè cedit. Sic Petr. de Ledes. *de matrim.q.43.a.3.dub 2.* Henriq. *lib. 11. c.14.n.3.* Manuel. *to.1. sum. p.2.l.2.c.1.* addentes, Nisi manens in sæculo iam alia sponsalia contraxisset: tunc enim videretur iuri suo pariter cedere.

220 Ex parte vtriusque dissoluuntur.

Ex parte vtriusque dissoluuntur, quando sponsus bona fide Religionem ingreditur, vt communiter fit: secus si dolosè, & animo statim exeundi: fraus enim nemini patrocinari debet. *Cap. ex tenore, de rescript.* Quare sicut manens in sæculo potest libere aliud inire matrimonium: ita similiter nouitius ille, si Religionem deserat. Quia quamvis expressum non inueniatur, vt nouitiatus omninò sponsalia dissoluat, sicut de professione respectu matrimonij rati inuenitur: at ex quadam proportione, & similitudine duci potest argumentum; vt sicut per professionem, per quam consummatè aliquis Religiosus efficitur dissoluitur omnino matrimonium ratum, sponsalia consummans: ita per nouitiatum, qui initium quoddam est professionis, & per quem nouitius initiatiné (vt ità dicam) fit Religiosus, dirimantur omninò sponsalia, quæ matrimonij sunt initium. Ita Vivaldus *candelab. de sponsal. cap.5. num. 40.* Nauar. *cap. 22. num.26.* Sotus *in 4. dist.27. qu.2. a.5.* Cordu. *sum. quæs.136. pun.1.* Barthol. de Ledes. *de matr. dub.13. casu 1.* Vega *l.3. sum casu 323.* Sanch. *l.1.d.42. n.5.* asserens Neotericos doctissimos hanc sententiam tenere.

221 Secundam eligo sententiam.

Primam sententiā probabilissimā esse reor, & probabilissimā planè secunda, & anceps diu hærens, cui subscriberem potius: secundā elegi. Quia votum Religionis dirimitur per ingressū bona fide animo permanendi, ita vt si vouens egrediatur experiens, eum statum sibi non

conuenire, liber maneat à voto: Ergo talis ingressus sufficit ad dirimendum omninò sponsalia; maior enim est obligatio voti Religionis, quam sponsalium, cum ea dirimat secundùm omnes.

DVBIVM LIV.

An qui sponsalia iurauit, possit ingredi Religionem antè matrimonium omninò contractum.

222 *Non potest ante matrimonium ratum.*

NOn potest, sed prius tenetur contrahere matrimonium, vt iuramentum impleat postmodumque ante consummationem ingredi valet. Quia iuramentum factum in fauorem tertij, cui est ius acquisitum, non potest in melius commutari: v. gr. si iurauí Petro, me illi daturum centum aureos, non satisfacio, si pauperiori dem mille. Certè qui tenetur soluere debita, si soluendo est, tenetur prius ea soluere, quam Religionem ingrediatur, iuxta omnium sententiam: sed hìc per iuramentum contrahendi acceptatum à tertio, est illi debitor, potestque implere citra Religionis impedimentum, prius contrahendo, & deinde antè consummationem ingrediendo Religionē: Ergo tenetur. Sic Richard. *in* 4. *d.* 29. *a.* 2. *q.* 4. Ledes. 2. *p.* 4. *q.* 45. *art.* 3. Maiol. *l.* 1. *de irreg. c.* 34. *n.* 6. Angles *florib.* 2. *p. q.* 11. *a.* 3. *dub.* 1. Vega *l.* 1. *sum. casu* 389. Moli. *to.* 1. *de iust. d.* 149. Rebel. *l.* 4. *de matr. q.* 8. *sect.* 6. *concl.* 2.

223 *Præest quidē ante ratum matrimonium.*

Potest Religionem ingredi, non contracto prius matrimonio. Quia iuramentum sortitur naturam, & conditiones actus super quo imponitur, *Cap. Quemadmodū, de iureiur.* vnde cōditio tacite in actu inclusa includitur similiter in iuramento: sed promissioni matrimonij inest tacita conditio: nisi promittens Religionem elegerit: Ergo & iuramento. Constat minor, quia ipsimet matrimonio rato inest hæc conditio, alias non liceret ad Religionem transire, ne dum ipsis sponsalibus: & proinde cum ingrediens Religionem conditionem impleat, non erit periurus, minimè contrahendo. Ita Basil. *lib.* 12. *c.* 10. *num.* 13. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 281. Bonac. *q.* 1. *punct.* 5. *n.* 4. Becan. *q.* 21. Hurtad. *d.* 2. *diffic.* 2. Coninch. *d.* 23. *dub.* 2. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 207. Sanch. *l.* 1. *d.* 43. *n.* 3.

224 *Hæc mihi verissima sententia.*

Hanc sententiam tanquam verissimam teneo. Nam frustraneum omninò iudico, contrahere matrimonium animo statim Religionem ingrediendi, cum sit fœminam illudere, quæ huiusce animi conscia omnino tale abduceret coniugium. Nec re vera momentanea illa solutione iuramentum impletur. Quoties enim nulla est in creditore turpitudo iuramentum firmat contractum, nec impletur momentanea solutione; quia dum illi fœminę se contracturum iurauit, animus in matrimonio per manendi adfuit, & sic à fœmina acceptatum est iuramentum. Hæc tamen sententia intelligenda est nisi necessitas vrgeret ad prius contrahendam: verbi gratiâ, si ita dedecori fœminæ satis consuleretur, vel proles ex ea nata efficeretur legitima: tunc enim teneretur contrahere, & matrimonio rato nec consummato posset ingredi Religionem. Huiusmodi autem obligatio non consurgit ex iuramenti vi, sed ad damnum illud reparandum.

DVBIVM LV.

An qui sponsalia iurauit, & post sponsalia se se voto Religionis adstrinxit, licitè possit, matrimonium inire, animo firmo Religionem ingrediendi antè consummationem.

LIcitè potest. Quia sic contrahens non agit contra votum castitatis, aut Religionis ineundæ: vtrumque enim tantum obligat ad non contrahendum animo consummandi; alias nunquam liceret eo animo contrahere absque voti dispensatione. Addo, nullam inferri iniuriam alteri coniugi, cum hic iure suo, quod habet ingrediendi Religionem antè consummationem vtatur: & contractus vtrinque æqualis sit: idem enim alteri licet. Sic Caiet. *verb. Matrimonium, cap.* 1. Angles *p.* 2. *qu.* 11. *de imped. matr. art.* 3. *dub.* 1. Petr. Ledes. *q.* 53. *de matr. art.* 1. *dub.* 1. Texada *in Theol. mor. tom.* 2. *l.* 4. *tr.* 1. *n.* 237. Angel. *v. Matrimonium,* 8. *impedi.* 5. *n.* 1. Scotus *in* 4. *dist.* 38. *q. vni.* & alij. 225 *Licitè potest.*

Minimè potest absque culpa lethali. Quia euidenti periculo exponitur sic contrahens mutandi animum, votumque violandi. Et quia rectæ rationi repugnat, vt quis tradat potestatem sui corporis alij, ad idque se obliget, quod implere minimè intendit. Ita Nauar. *sum. c.* 16. *n.* 10. Petr. Soto *lect.* 14. *de matr.* Sanch. *l.* 1. *d.* 43. *n.* 7. Ochagau. *q.* 18. *n.* 8. Bonac. *q.* 1. *pun.* 5. *n.* 11. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 281. *& p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 75. Palao. *to.* 5. *d.* 1. *pun.* 16. *n.* 8. & plurimi apud Sanchez citatum. 226 *Non potest sine lethali piaculo.*

Existimo, hanc sententiam longè probabiliorem esse. Quia eo animo cōtrahens videtur planè matrimonij Sacramentum illudere, & notabilem fœminæ iniuriam inferre nā cogit ipsam absque nuptiis esse, donec ipse profiteatur; & si egrediatur esse Monachi vxorem cum dedecore: & eo professionem emittente, non facilè alij nubet, & suspitionis nota non leui afficietur: suspicabuntur enim multi eam ob vitium aliquod fuisse relictam. 227 *Hæc mihi verissimum.*

DVBIVM LVI.

An qui emisit votum Religionis, aut castitatis, posteaque virginem defloranit, fide data de matrimonio contrahendo: teneatur potius ad matrimonium, quam ad votum.

TEnetur ad votum prius emissum. Quia obligatio posterior minimè potuit priori derogare. Et quia hic ratione promissionis nō tenetur, nulla enim fuit tanquā rei illicitæ cōtra votum promissio; neque etiam ratione dāni, quia violans virginem nuptiis non promissis, non tenetur eam ducere, sed aliter satisfacere perinde autem est non adesse promissionem, vel eam esse nullam. Sic Nauar. *lib.* 228 *Tenetur ad votum potius, quam ad matrimonium.*

*l.5.consil.tit.de sponsal. consil.21.*Rodrig *to.1 sum. c.28.n.11.*Viuald. *part.3.c.14.n.64.*Ochagau. *tr. 21. q. 18.n.12.*Hurtad. *d.1. diffic. 21.*

229 Tenetur potius ad matrimonium, quam ad votum.

Tenetur potius ad matrimonium. Quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis: hic autem notabilissima est mutatio, cum vinculum iustitię fortissimum superuenerit, & grauissimum proximi damnum, si votum impleatur. Et quia iustitiæ vinculum fortius est, quam charitatis: At ob charitatis vinculum superueniens, tenetur quis Religionis votum præcedens suspendere: verbi vgratiâ, ratione parentum indigentiæ: Ergo à fortiori propter iustitiæ vinculum, quale hoc est. Ità Sanch. *l.1.d.45.n.3.* Valq. *opusc. de restit. c.6.n.10.* Azor. *p.3.c.5. diffic. vlt.* Reginal. *l.25.n.95. & l.31.n.158.* Lessi. *lib. 2.c.10.dub.4.* Coninch. *d.23.num.34.* Diana, Machado, Bonacina, Basilius Baunyus, Palaus, & Trullench, quos affert, & sequitur Leander *tr. 6.d.2.q.5.*

230 Idem iuramenti.

Eiusdē sum mentis. Quia ære granatus alieno, si soluendo sit breui, non potest ingredi Religionem, quamvis illius voto prius fuerit adstrictus; sed tenetur differre: & quamvis breui non possit soluere, si tamen est spes fore vt possit, probabilissima sententia est, non posse ingredi: & quamvis aliqui censeant oppositum, hoc fūdamento innituntur, quod persona non sit obligata: sed in hoc casu potest deflorator statim ducendo fœminam, soluere, & persona est obligata: Ergo non obstante priori voto, tenetur. Scio doctissimos Salmanticenses Magistros huic mentj adhæsisse.

DVBIVM LVII.

An sponsalia dissoluantur, voto simplici castitatis superueniente.

231 Dissoluuntur sponsalia.

DIssoluunt omninò. Quia sponsalibus semper inest tacita conditio: Nisi voluero ad meliorem statum transire; nullus enim censetur velle magno bono status castitatis renunciare, nisi ob matrimonium. Et quia vbi concurrunt duo vincula incompatibilia, & validâ fortius prævalet *Cap. si inter, de sponsal.* At vinculum voti castitatis est incompatibile cum sponsalibus, vt patet, & est fortius quia inducit obligationem fidelitatis respectu Dei: sponsalia verò respectu hominis. Sic Basil. *l.12.c.12. n.4.* Diana *p.3.tr.4.resol.208.* Petr. de Ledes. *de matr.q.43.art.3.dub.3.* Azor. *tom.1.lib.11.cap. 21.quæs.10.* Suar. *lib.2. de voto cap.4. num.13.* Vasq. *opusc. de restit. cap.3.§.1.dub.6.n.17.* Bonac. *q.1.p.5.n.13.* Bauny. *de mat.tr.12.q.15.dicto 3.*

232 Non dissoluuntur.

Minimè dissoluuntur. Quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissæ, & in eius præiudicium: verbi gratiâ, si promisi domum Antonio, & postmodum Ecclesiæ repromisi, prior promissio prævalet: sed sponsus per sponsalia promisit suum corpus alteri: ergò repromissio eiusdem corporis facta Deo per votum non est illi accepta. Et quia nullo iure probatur inesse sponsalibus illam tacitam conditionem; nisi continentiæ statum elegero. Ità vigiuti Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *l.1.d.46.n.9.* Tolet. *l.7.c.21.* Hurtad. *d.2.diffic.3.* Coninch. *d.23.n.35.* Filliuc. *tr.10.n.259.* Felbel. *de sponsal.q.8.sect.2.n.47.* Becan. *q.22.n.3.* Villalob *tr.13.diffic.12.n.9.* Laym. *tr.10.p.1.c.2. num.6.* Machad. *l.1.p.1.tr.7.docum.9.n.6.*

Inuitus (fateor ingenuè) à P. Thomæ Sanctij sententia recedo, primæque adhæreo, hoc nitens fundamine: vel illud castitatis votum post sponsalia emissum, validum est vel non. Hoc secundum dici potest *Cap. Veniens, Qui Clerici, vel vouentes:* Vnde ipse Sanchez fatetur, vouentem illum obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium. Si ergo validum est votum, non possunt sponsalia consistere; quia incompossibilis est obligatio absoluta voti cum sponsalium obligatione. 233 *Primam sententiam eligo.*

DVBIVM LVIII.

An Sponsalia dissoluantur per subsequens votum Sacros Ordines suscipiendi.

CErtum est, Ordines minores post sponsalia assumptos, minimè sponsalia dirimere quoad vtrumque coniugem. Quia is status matrimonio non repugnat; secus autem de Ordine Sacro, cum incapacem matrimonij reddat suscipientem. Quæritur autem, an sponsalium fide astrictus possit ad Sacros Ordines promoueri, & votum ad eos ascendendi sponsalia dirimat. 234 *Nonnihil suppono.*

Sponsalia non dissoluuntur voto Ordinis Sacri suscipiendi. nec illis adstrictus potest ad eum promoueri. Quia in Ordine Sacro votum inclusum ex se, & ex natura sua simplex votum castitatis est, & per accidens tantum solemne dicitur, quia ex Ecclesiæ statuto effectum voti solemnis, qui est matrimonium contractum dirimere, sortitur: sed votum simplex castitatis non dirimit sponsalia: Ergo nec votum Ordinis Sacri suscipiendi. Sic Sanch. *l.1.d.47.n.3.* citans Paludanum, Maiolum, & Ludou. Lopez. Quibus addo Coninch. *d.23.dub.3.* Hurtad. *d.2. diffic.4.* Reginal. *l.31.n.160.* Basseus *sponsalia 3. num.9.* Villalob. *tract.12.diffic.12.n.10.* Palaus *to. 5.d.1.punct.19.num.2.* 235 *Sponsalia non dissuuntur per id votum.*

Dissoluuntur sponsalia voto ascendendi ad Sacros Ordines. Quia in Sacro Ordine solemne castitatis votum includitur *Cap. vnico, de voto, in 6.* At sponsalia verè dissoluuntur per subsequens castitatis votum, vt Problem. proximo ostendi. Ità Nauar. *cap.22. num.25. casu 10.* Sylvest. *v. sponsalia, num.7.* Sotus *de iust. q.1. art.3.* Cordu *qu.136.p.4.opin.5.* Henriq. *l.11.cap. 14.num.4* Vega *l.8.casu 41.* Basil. *lib.12.n.3.* Diana *p.3.tr.4.resol.108.* 236 *Dissoluuntur per id votum.*

Cum his opinor, admonens, vouentem castitatem, seu Ordines Sacros eximi ab sponsalibus, teneri tamen implere votum, Religionem, aut Sacros Ordines suscipiendo. Certe qui asseruere Problem. 57. voto simplici castitatis sponsalia dirimi, idem de voto ascendendi ad Sacros Ordines affirmabunt. 237 *Cum his opinor.*

CAPVT IX.

Circà sponsalium dissolutionem per matrimonium cum alia contractum, per posteriora sponsalia per puberi dissensum, per temporis ad contrahendum præfixi transactionem.

DVBIVM LIX.

An extinguantur, omninò priora sponsalia cum vna contracta per matrimonium validum cum altera initum.

238 *Nonnulla suppono.*

CErtum est ex *sect.*1.priora sponsalia dirimi per subsequens cum alia matrimonium si validum fuit *Cap.si inter, de sponsal.*& *Cap.*1.*de sponsal duorum.*Si tamen irritum esset matrimonium, obligarent ad huc priora sponsalia:non enim præstat impedimẽtum, quod de iure non sortitur effectum. *Reg. Non præstat, de regul.iur.in* 6.Quæsierim verò, vtrum per matrimonium validum priora sponsalia contracta cum alia,extinguantur omninò, ità vt soluto matrimonio professione Religionis aut morte, nulla maneat illorum obligatio,sed penitus sit extincta.

239 *Non extinguitur omninò.*

Non extinguitur omninò:vnde soluto matrimonio,tenetur sponsus priora sponsalia implere.Quia promissio simplex Religionis non extinguitur per traditionem incompossibilem posteriorem matrimonij consummati; sed suspenditur,& eo soluto,omninò obligat:Ergò similiter promissio matrimonij non extinguitur per incompossibilem traditionẽ alterius matrimonij.Sic Adrian.*in* 4.*q.*2.*de matr.ad* 2.Vega *l.*6.*casu* 125.Petr.de Ledesm.*de matr.q.* 43. *a.* 3.*dub.*2.*ad* 2.Coninch.*d.*23.*n.*32.Basil.*l.* 12.*c.* 13.*n.*4.Hurtad.*d.*2.*diffi.*7.Diana 3.*p.tr.*4. *resol.* 209.& alij.

240 *Omninò extinguntur.*

Omnino extingũtur,ac proinde, soluto matrimonio,nulla supereſt perficiendi priora spõsalia obligatio. Quia per illud matrimonium extincta sunt,vt probant textus initio Problematis adducti:Obligatio autem semel extincta amplius non reuiuiscit, *Cap. Quæris,de consecr. dist.*4.Et quia cum sint obligationes eiusdẽ rationis extinguitur prior per fortiorẽ superuenientem:vt votum strictioris Religionis omninò extinguitur professione secuta in laxiori. Ità Sanch.*l.*1.*d.*48.*n.*3. Bonauent.*in* 3.*dist.* 29. *a.*3.*q.*2.Henriq.*l.*11.*c.*13.*n.*3.*&* c.14.*nu.* 2. Rodrig.*c.*245.*n.*8.Bonac.*q.*1.*pun.*5.*nu.*8. Becan.*q.* 24.*n.*3.Filliuc.*tr.*10.*n.* 272. Villalob.*tr.*12.*diffic.*12.*n.*11.Machad.*l.*2.*p.*1.*tr.*7.*docum.*7.*num.* 1.

241 *Eiusdem mentis sum.*

Cum his opinor existimans primæ sententiæ fundamentum minimè vrgere. Nam votum& matrimonium sunt distinctæ rationis obligationes:quædã enim fit Deo,altera autem homini,& ideò non mirum,si obligatio veri non extinguatur,sed suspensa perseueret, constante matrimonio;secus autem est de sponsalibus,& matrimonio, quæ sunt obligationes eiusdem rationis factæ homini.

DVBIVM LXIX.

An priora sponsalia dissoluantur,copula subsecuta cum posteriori, ratione damni illati.

CErtum est non dirimi priora sponsalia per posteriora; quia fides posterius data in prioris præiudicium irrita est. Quod intelligendũ est ex parte contrahtẽis posteriora spõsalia, nam ex parte alterius dissoluta manet, licet cum posteriori sponsa non sit habita copula: quia contrahens posteriora sponsalia eo ipso prioribus renunciat. Quæsierim verò num quamvis ratione sponsalium priora non dirimantur per posteriora cum copula,ratione tamen damni illati dissoluantur? 242 *Nonnulla suppono.*

Dissoluuntur ratione damni illati, vnde si posterior esset virgo, insciaque priorum sponsalium, & deflorata esset spe promissi matrimonij, tenetur defloror eam ducere. Quia ratione huius damni tenetur defloror non obstante voto Religionis vel castitatis prius emissi cum ea iniure coniugium,ratione damni illati: Ergo potiori titulo posteriora sponsalia perficere tenebitur prioribus non obstantibus. Maior *in* 4.*dist.*27.*q.*5.Palat.*in* 4.*dist.*28.*d.*1. 243 *Dissoluuntur ratione damni illati.*

Non dissoluuntur damni illati ratione, sed prior sponsa ducenda est. Quia iniuria posteriori illata non aufert ius suum priori. Ità Sotus *in* 4.*dist.*27.*q.*2.*a.*4.*dub.*4.Hẽiq.*l.*11.*c.*13.*n.* 3.Manu.*to.*1.*sum.c.*245.*n.*8.Sãch.*l.*1.*d.*49.*n.*5. 244 *Non dissoluuntur damni illati ratione.*

Cum his sentio,& illud de voto minimè esse simile iudico; quia ex voto oritur obligatio ex promissione autẽ matrimonij cum defloratione oritur ex iustitia, cuius multo strictior est obligatio.Certè Deus non ità exactè promissionem sibi factam petit impleri,ac homini: non enim cum damno & iniuria tertij impleri vult: homo autem propter iniuriam alteri illatam iure suo priuari nolunt. Fateor,ex quadam æquitate priorem sententiam esse præferendam aliquando; verbi gratiâ, quando deflorata graue damnum pateretur, magnamque honoris iacturam: prior vero leuiter læderetur; quia teneri priorem iudico, modicum illud malum sustinere, ad vitandum proximi grauissimum, vt aduertit Henriquez vbi suprà,addens,posse in hoc casu Iudicem damnare illum,vt secundam ducat. 245 *Cum his opinor.*

DVBIVM LXI.

An priora sponsalia dissoluantur, per posteriora iuramento firmata.

DIssoluuntur quidem. Quia vis iuramenti sponsum constituit posterioris promissi debitorem. Sic Abbas teste Anton.*ad Cap. sicut,de sponsal.*Innocent.*ad Cap.Veniens num.*1. *de iureiur.* vbi Imola *num.*4. dicit hoc posse probabiliter sustineri. 246 *Dissoluuntur quidem.*

Minimè dissoluuntur.Quia iuramentum illud fuit de re iniqua, & in præiudicium tertij quo casu nullo modo obligat, *Reg. Non est obligatorium, de regul.iur.in* 6.Ita Bonauent. *in* 4. *dist.* 247 *Minimè dissoluuntur.*

dist.28.in expositt.liter.C. Richard.*dist.27.a.3.q.* 4.Palud.*q.1.a.3.casu 6.n.24* Sotus *dist. 27.q.2.a.* 4.*dub.3.*Henriq.*l.11.c.13.n.3.* Manu.*to.1.sum.* c.54.*n.*o.Henriq.*l.1.d.50.n.2.* Viuald.*de sponsal.p.1.c.4 n.14.*& alij.

248 *Hoc mihi omnino certum.*

Hoc mihi omninò certum,nec auderem oppositum sustinere, Attamen si dum contracta sunt posteriora sponsalia,suberat iusta, ac sufficiens causa recedendi à primis: tunc teneretur hic ad posteriora:quia minimè peccat posteriora contrahens:quare sponsalia erunt valida,& iuramentum obligabit.

DVBIVM LXII.

An quando secunda sponsalia non fuere valida,quia contrahens primis ligatus erat, nec aderat iusta recedendi causa, si antè celebratum matrimonium cum priori dissoluantur sponsalia: teneatur, hic qui iurauit, ad posteriora.

249 *Tenetur iurat.*

TEnetur profectò. Quia licet posteriora vi sponsalium non tenuerint, valent tamen vi promissionis. Iuramentum enim rei illicitæ si postea licita fiat,obligat.Sic Nauar.*capit.* 11.*n.vlt.*Couar.5.*Decret.p.*1.*c.*4.§.1.*n.*10.

250 *Non tenetur.*

Minimè tenetur. Quia sponsalia posteriora non valuerunt etiam in ratione promissionis, cum rei illicitæ promissio fuerit: & quod ab initio validum nō est, tractu temporis non cōualescit, *Reg. Non firmatur, de regul.iur.in 6.* Et quia promissio emissa tempore inhabili, non obligat tempore habili.Ita Abbas *ad Cap. Placuit.n.4.de coniugio.*Penna,quem refert,& sequitur Ludou.Lop.*part.1.Instructor.c.* 43 Sanch.*l.1.d.50.num.6.*

251 *Hanc sententiam longè veriorem puto.*

Hanc sententiam longe veriorem existimo. Nam si quis habens castitatis votum contrahat sponsalia,non tenetur ad ea quāvis postea in voto sit dispensatus:ab initio namque nulla fuere ratione impedimenti impedientis:sed similiter in nostro casu fuerunt nulla ratione impedimenti priorum sponsalium: Ergo. Hoc verò priori sententiæ concesserim, in speciali casu teneri non ratione promissionis præcisè, sed rationi dāni illati Virgini defloratæ,aut viduæ honestæ magnā famæ iacturam patienti.

DVBIVM LXIII.

An iura concedentia impuberibus, vt,adepta pubertate, possint à sponsalibus anteà initis resilire,loquantur solum permissiue & in foro externo.

252 *Nouella hypoth.*

QVæstioni ansam nobis exhibent Caput *De illis el* 1.& Caput *A nobis de desponsat.impub.*vbi deciditur,impuberes resilire non posse à sponsalibus initis antè pubertatem: ea verò adepta posse. Ad cuius resolutionem suppono hosce textus non loqui de sponsalibus infantum sed impuberum. Quia *Cap.de illis,*dicitur,*Intra eosdem pubertatis annos altero existente,cum sponsalia contrahunt*: At infantes nequeunt sponsalia contrahere. Igitur quæ-

sierim , num iura solùm permissiuè & in foro externo loquantur , an in vtroque foro ?

253 *Non loquuntur iura in vtroque foro.*

Solùm permissiuè , & in foro externo loquuntur. Quia ridiculum videtur , & rationi dissonum asserere valida esse impuberum sponsalia , & minimè obligare tempore , quo implenda sunt : vt vanus esset contractus, si toto præcedenti tempore validus esset , & eo quo implendus esset , non obligaret. Sic Anton. *ad Cap. De illis , num.* 5. Neuo *num.*14. Hugo apud Henricum *capit.* 2. *de sponsal. numer.* 7. Angel. *part.* 2. *quæs.* 1.*de essential. matri. art.* 4.*diffic.*2.

254 *In vtroque foro loquuntur.*

Textus quidem hi in vtroque foro procedunt , ac proinde ex solo impuberis dissensu adepta pubertate, absque alia causa licitè sponsalia dissoluuntur. Quia ex sola reclamatione alterius pubertatem adepti habetur *Cap. De illis,* sponsalia esse dissoluenda : & *Cap. A nobis* idem habetur. At si esset solum permissio,prius monendus esset resiliens vt dicitur *Cap.Ex literis,el* 2.*& Cap.Acquisiuit,de sponsal.*Præterea quia hæc concessit ius, vt immaturo puerorum iudicio consuleretur,ne tanto vinculo indissolubiliter obligari possint:sed nō satis consultum esset sola permissione: peccarent enim lethaliter resiliendo. Ità Sanch.*l.*1.*d.*41. *n.*19. Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæs.*1. *art.* 3. *casu* 10. *numer.*8. Ludou. Lop.*part.* 2. *instruct. de matr. capit.* 38. Sum. Confes. *tit. de sponsal. quæstion.* 17. Henric. *capite* 2. *de sponsal.*

255 *Nec asserendum iudico.*

Hoc indubitanter asserendum iudico. Quia eodem pacto consuluit ius pueris circa sponsalia, quocirca vota: sed hæc licet valida sint, possunt ex solo patris , vel tutoris consensu in vtroque foro cassari: Ergo similiter sponsalia impuberum possint in vtroque foro dissolui,ipsis impuberibus adeptis pubertatem dissentientibus.

DVBIVM LXIV.

An impuberum sponsalia possint valide iuramento firmari.

256 *Non firmatur iuramento.*

VErto in quæstionem , num impuberum sponsalia ità firmentur iuramento , vt neutri liceat pubertatem adepto, resilire.Non firmantur iuramento , & ideo possunt resilire pro libito. Quia *Cap. Pueri, & Cap. Parvuli* 22.*q.*5.impuberes iurare prohibentur. Et quià iuramentum additum contractui sortitur easdem contractus conditiones *l. finali,C. de non numer. pecun.* sponsalia autem impuberum iure habent tacitam conditionem:Nisi facti puberes resilierint.Sic Henric.*c.*2.*de sponsal.n.*9. Palud.*in* 4.*dist.*27.*q.*1.*a.*3.*casu* 10.*n.*28.Anton. *c.De illis,el* 1.*de desponsat.impub.nu.*5.ibi Cardin. *n.*2.& quidem antiquiores testes Ioan. Andr. *c.Ex literis,n.*3.

257 *Iuramento firmantur.*

Iuramento firmantur , & ideo non possunt prolibito ab sponsalibus resilire. Quia quamvis de aliis contractibus non constet inter Doctores;an firmentur iuramento, necne : id tamen prouenit , quia secluso iuramento inualidi erant : Cum vero sponsalia impuberum secluso iuramento valida sint licet

dissolubilia: dicendum adiectum est, iuramentum adiectum ea confirmare, indissolubiliaque reddere. Ità Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 7. Viuald. *de sponsal. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 46. Henriq. *lib.* 1. *d.* 51. *num.* 22. Ludou. Lop. *par.* 2. *instructor. de matr. c.* 8. Ex Iurisperitis Abbas, Anton. Neuo. Anchar. Præpositus. Couar. & alij apud Sanchez *citatum.*

Eiusdem mētis sum. Idem assero, adiiciens, iuramentum vt firmet sponsalia, præstandum esse ab impuberibus doli capacibus, vt omnes fatentur. Quando autem dicantur doli capaces ad hunc effectum non constat inter Doctores. Aliqui dicunt esse tales post septennium. Ego autem crediderim quoad hunc effectum dici doli capaces, quādo sit à proximi pubertati sunt, vt intellectu, ac discretione polleant, ad firma omninò & irreuocabilia reddenda sponsalia. Tunc vero pubertati proximum masculum dixerim, quando decimum & dimidum annum excedit, fœminam verò nonum & dimidium.

DVBIVM LXV.

An sponsalia possint, mutuo contrahentium consensu dissolui.

258 *Minimè possunt.* MInimè possunt. Quia *Cap.* 2. *de sponsal.* dicitur: *Qui de contrahendo matrimonio sibi fidē dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem obseruent: si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne deterius inde contingat, potest in patientia tolerari.* Vbi textus videtur apertè negare, licitum esse, mutuo consensu sponsalia dissolui: & solum permitti timore peioris exitus. Sic Hugo, quem refert, & sequitur ibi Glossa *v. Tolerari.* Ioan. Andr. *Cap. de illis, nu.* 1. *de sponsal.* Lancellot. *instit. iuris canoni. l.* 2. *tit. de sponsal. v. Tolerari.*

259 *Possunt planè.* Sponsalia puberum dissolui possunt mutuo ipsorum consensu. Quia omnis res per quascúmque causas nascitur, per easdem dissoluitur, *cap.* 1. *de reg. iuris.* Ergo cum sponsalia ex mutuo consensu consurgant, eodem dissoluūtur. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæs.* 2. *a.* 3. *ad* 5. D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *c.* 18. §. 1. *casu* 5. Sanch. *l.* 1. *d.* 52. cicans Goffredum, Hostiensem, Innocentium, Henricum, Felinum, Brunellum, & alios.

260 *Cum his opinor.* Cum his opinor, & textum allegatum pro parte prima sic intelligo: Quia vulgi opinione attenta videntur hi vinculum fidei præstitæ offendere, monendi sunt, vt contrahant, à malique apparentia desistant: quamvis malum non sit, & si nolint, tolerat Ecclesia, non solum permittens, sed approbans.

DVBIVM LXVI.

An quando sponsalia firmata sunt iuramento in Dei honorem principaliter præstito possint mutuo contrahentium consensu dissolui.

261 *Nonnulla promitto.* SI illud iuramentum in partis fauorem præstitum sit, certum mihi, satis esse mutuum consensum ad sponsalium dissolutionem. Quia iuramentum dirigitur in Deum tanquam in testem promissionis homini factæ; quare remittente, homine etiam ipse Deus remittit, vt ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 89. *a.* 9. *ad* 2. & aliis accepi. Quando autem iuramentum est principaliter in Dei honorem præstitum, verbi gratiâ: si intuitu pietatis quis iuret fœminæ pauperi se eam ducturum, ambigitur, num mutuo consensu possint sponsalia dissolui?

262 *Non possunt mutuo consensu dissolui.* Non possunt. Quià iuramentum factum Deo pietatis intuitu, voto æquiualet, vt docent omnes: At in voto nihil potest persona priuata, cum soli Deo ius acquiritur. Et quia id iuramentum Deo præstatur, cuius iuri alter renunciare nequit. Sic Sotus *lib.* 8. *de iust. quæs.* 1. *art.* 9. *ad* 2. Rosel *verb. sponsalia, num.* 8. Angel. *ibi, num.* 20. Syluest. *qu.* 10. *casu* 1. Sanchez *citandus* probabilem esse fatetur hanc sententiam, quam D. Tho. *vbi suprà* confirmat, docens, eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, remittere non posse.

263 *Possunt planè.* Possunt planè mutuo consensu dissolui. Quia quamvis iuramentum Deo præstitum sit, ipse Deus illud recipit in partis vtilitatem: Ergò pars, cui debetur, potest remittere, sicuti alia debita condonare. Ità Sanch. *lib.* 1. *d.* 54. *num.* 8. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Ludo. Lop. *p.* 1. *instruct. de matr. c.* 38. Nauar. *c.* 22. *n.* 25. *casu* 1. Viuald. *p.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *n.* 31. Philiarc. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 1.

264 *Eiusdem sunt mentis.* Eiusdem mentis sum; quia ideo potest pater aliqua filiorum vota irritare, vt omnia impuberum, & realia puberum minorum: & Prælatus in votis subditi dispensare; quia potest tollere materiam, qua sublata, votum cessat: sed similiter pars condonare potest sponsionem in sui fauorem factam: Ergò consequenter iuramentū.

DVBIVM LXVII.

An dùm terminus sponsalibus contrahendis præfixus est, eo transacto, maneat liber is per quem non stetit.

265 *Manet liber.* LApsu termini sponsalibus adiecti, semper ea dissoluuntur ex parte eius per quem non stetit. Quia cū sponsalia sint matrimonij initiū, iis perfectè initis non dicitur contractus cōsumatus: vnde licet ex interuallo adiiciatur terminus, censetur contractui non perfecto adiectus, & consequenter eius lapsus extinguet obligationem. Et quia licet sponsalia sint contracta absolutè, negari nequit, quin sint respectiua, & tacitam conditionem recipiant: Consentio in te, si tu in me cōsenseris; dies autē postea adiecta est ex partium consensu, ad purificanda hæc sponsalia: Ergo si per alterum stetit, videtur cessare ex parte alterius obligatio hæc respectiua deficiente ea tacita conditione: si tu consenseris in me. Sic D. Tho. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 2. Palud. *ibi, q.* 1. *a.* 3. *casu* 4. *n.* 20. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 18. *ante* §. 1. Sotus *in* 4. *d.* 27. *q.* 2. *a.* 5. *casu* 5. Barthol. Ledes. *de matr. dub.* 13. *casu* 5. Veracr. *p.* 1. *spec. a.* 21. *casu* 10. Philiarc. *de offic. Sacerd. to.* 1. *p.* 2. *d.* 2. *c.* 1. Vega *l.* 3. *sum. casu* 324.

266 *Non manet liber.* Lapsu termini sponsalibus adiecti, ea non dissoluuntur ex parte eius, per quem stetit. Quia terminus ille censetur adiectus ad solicitandam obligationem, nec lapsus promissionem extinguet. Ità Angel. *verb. sponsalia, num.*

num.27.& verb.Obligatio,7.Sylueſt.ibi, qu.11. & verb. ponſalia,q.10.caſu 5.Tabie.verb.Obligatio,qu 3.num.4.Armil.ibi, num.4. Brunel. de ſponſal.concl.8.num.4.Couar.4. Decretal.part.1. cap.5.num.8.Gregor.Lopez lib.7. verb.Excuſacion,titul.1.part.4.Ludou.Lopez part.2.inſtruct. de matrimon.cap.38.

267 Sub diſtinctione quadruplicem reſſum.

Ego autem cum Sanctio lib.1.d.53.numer.5. diſtinxerim.Si ſponſalibus iã contractis,tractetur ex interuallo de die matrimonij celebrandi, lapſus termini neutrum liberat ab ſponſione; quia cum accedat contractui ſponſalium perfecte inito, cenſetur adiectus ad ſolicitandam obligationem:nec eius lapſus obligationem extinguet.Si autem tempore ipſo, quo Sponſalia contrahuntur, apponitur terminus vt ſi aliqui non abſolutè dent ſibi fidem de matrimonio contrahendo,ſed de contrahendo tali termino: tunc lapſus termini eximit ab obligatione illum, per quem non ſtetit; quia cum nullus ſit contractus perfectè initus,ſed in ipſomet ſponſalium contractu terminus ſit imbibitus : cenſetur adiectus ad extinguendam obligationem. Profectò ſecundę ſententiæ Doctores iuxtà huiſmodi ſenſum locutos eſſe non dubito.

CAPVT X.

Circà Diſſolutionem Sponſalium ob abſentiam Sponſi, ob fornicationem alterius, ob ſuperueniens iuris impedimentum, & ob accedentem fœditatem.

DVBIVM LXVIII.

An diſſoluantur, Sponſalia ob alterius ſponſi abſentiam in longinquum profecti, abſque alterius licentia.

268 Nonnulla ſtatuo.

AC in re Ius Ciuile diuerſum diſpoſuiſſe videtur, quam Ius Canonicum. Hoc enim nullum præſcribit tempus expectandi ſponſum abſentem,ſed liberum, ait eſſe alteri,matrimonium aliud inire.*Cap. De illis de ſponſal.* Illud verò *lib.2. Cod. de ſponſal.* decidit ſponſum abſentem intrà eandem prouinciam biennio expectandum eſſe : & *libr.2. Cod.de repudiis*,ait,dum ex cauſa neceſſaria abeſt,expectandum eſſe, donec cauſa ceſſet. Igitur ſic conciliarim leges: Aut ſponſus abeſt ex cauſa neceſſaria,verbi gratiâ,ob parentum ægritudinem,obitum, &c.& tunc expectandus eſt donec ceſſet impedimentum,iuxtà *l.ſæpè, ff. de ſponſal.* aut abeſt ex cauſa probabili, & iuſta, non tamen neceſſaria:& tunc, ſi in eadem eſt prouincia eſt biennio expectandus, iuxtà *l. 2. Cod. de ſponſal.* ſi verò in alia prouincia moratur,triennio expectandus eſt,iuxtà *l. 2. Cod. de repudiis.*His præmiſſis,quæſierim, nùm Ius Canonicum correxerit Ius Ciuile,& ità non ſit neceſſarium expectare tempus Iure Ciuili præſcriptum ?

269 Non diſſoluuntur hoc in caſu ſponſalia.

Ius ciuile correctum non eſt, & ità tempus ab eo præſcriptum ſetuandum, nec diſſoluuntur Sponſalia ob ſponſi abſentiam eo ipſo,quod ſine alterius licentia in longinquum fuerit profectus.Quia Ius Canonicum.*Cap.De illis*, non negat tempus,legale eſſe expectandum;ſed tantùm præſcribit,liberum eſſe ſponſæ,alij nubere, ſi ſponſus abſit:quæ abſentia iuxtà legis ciuilis deciſionem videtur accipienda ; legum enim correctio vitanda eſt *l.Præcipimus, Cod.de appellat.*Sic Palud.*in 4.diſt.27.qu.1. art.3. caſu 3. num.19.*D.Antonin.*3.part. titul.1. cap.18.§. 1. caſu 2.*Viguer.*l.inſtitution. cap.16.§.7. verſ.7.* Petr.de Ledeſ.*de matrimon. qu.43.art.3.* Et ex Iuriſperitis Hoſtien.*ad Cap.De illis verb. Liberum.*Ibi Ioan.Andre.*num.6.*Anton.*num.3.* Anchar.*num.2.* Roſel.*verb. Sponſal. numer. 8.* & alij.

270 Diſſoluuntur omninò.

Correctum eſt Ius ciuile per Canonicum: quare ſponſo in loginquam ſe regionem transferente,non obtenta ſponſæ licentia, liberum eſt huic relictæ,diſſolutis ſponſalibus, alij nubere. Quia tam longè recedens videtur Sponſalium iuri cedere.Et quia *Cap. De illis*,dicitur, licitum eſſe,ac poſſe relictam aliud liberè contrahere matrimonium, ſi autem triennium expectare deberet, iam non poſſet liberè. Ratio autem diuerſitatis inter Ius Canonicum,& Ciuile ea eſt, quia hoc ſolùm bonum publicum conſiderat, nec peccatum attendit, vt notatur *Reg.Poſſeſſor mala fidei, de reg.iuris in 6.* Illud autem peccatum conſiderat ; quare cum ob ſponſi abſentiam immineat fornicationis periculum ſponſæ,illi concedit, poſſe liberè contrahere.Ità Sotus *in 4.d.27.qu.2.art.5.*Henriq. *l.11. cap.14. num.5.* Viuald. *part.1. de ſponſal. cap.5.num.36.*Ludouic.Lopez *part.2.inſtruct.de matrimon.cap.38.*Philiarch.*de Offic.Sacerd.tom. 1.part.2.libr.2.cap.1.*Manu.*tom.1.ſum. cap.245. num.4.*Nauar.*cap.22.numer.26.caſu 4.* Angel. *verb.Sponſalia,num.26.*Tabie.*ibi, q.9. num.10. caſu 2.*Armil.*num.12.* Sanchez *libr.1. d.54. num.6.*

271 Hoc probabilius reor.

Probabiliorem hanc puto ſententiam,idémque aſſerendum reor, quamuis Sponſalia iuramento ſint ſtabilita,hac tamen differentia,quod ad diſſoluenda Sponſalia iurata Iudicis authoritas requiratur:ſecùs ad non iurata.

DVBIVM LXIX.

An diſſoluantur, Sponſalia per ſponſæ fornicationem vi oppreſſæ.

272 Nonnulla, vt certa ſtatuo.

CErtum eſt, Sponſalia etiam firmata iuramento diſſolui per ſequentem fornicationem,& per fornicationem ſpiritualem, vt ſi alter ſponſus labatur in hæreſim.Nec eſſe conſtituendam differentiam,ſiue vir,ſiue fœmina poſt Sponſalia fornicetur : nam ſimiliter Sponſalia diſſoluuntur ; quia ſimiliter vir fornicans frangit fidem,& ſuſpectus alteri redditur de fide in futurum ſeruanda.Quæſierim verò,nùm Sponſalia diſſoluantur ob fornicationem ſponſæ vi oppreſſæ ?

173 *Non dissoluũtur.* Non dissoluuntur. Quia sponsa culpa vacauit; nec similis copula ius dat separandi matrimonium quoad torum, vt omnes fatentur: nec fœmina fidem frangit, nec suspecta redditur in futurum. Sic Tabie. *verb. Sponsalia. qu.* 9. *numer.* 10. *casu* 6. Armil. *ibi, num.* 12. Rainer, & Hugo, quos refert, & sequitur Rosel. *verb. Sponsalia, num.* 9.

174 *Dissoluuntur quidem.* Dissoluuntur quidem. Quia est notabilissima mutatio, & maxima infamiæ nota vir afficietur; tari enim credent, omninò inuitam cognitam esse: & qualitercúmque id cueniat, abhorrent viri cum huiusmodi contrahere. Ità Palud. *in* 4. *d.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. *casu* 1. *numer.* 17. D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *cap.* 18. §. 1. *casu* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 5. Petr. de Ledes. *de matrimon. qu.* 43. *art.* 3. *causa* 6. Henriq. *libr.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Nauar. *cap.* 22. *num.* 27. Couar. 4. *Decret. p.* 1. *c.* 5. Sanch. *lib.* 1. *d.* 55. *num.* 7. & alij plures apud ipsum.

175 *Hos sector Doctores.* Hos sector Doctores circà resolutionem, non autem eorum fundamentum aliud, quo nituntur admiserim: nempè quia vir fœminam huiusmodi ducens, bigamus efficietur. Ratio enim hæc generaliter non probat. Nam si spõsa vi cognita, non esset alias virgo, vel sponsus viduus esset, ratio nihil efficit, quia alio ex capite id bigamiæ vitium erat contracturus. Vndè illud fundamentum pro secunda sententia adduxi, nam illa ratio omnes casus complecti existimo.

DVBIVM LXX.

An Sponsalia dissoluantur, per sponsi omninò inuiti, culpæque expertis fornicationem.

176 *Dissoluuntur planè.* Dissoluuntur quidem. Quia quoad fornicationem ambo sponsi æquales iudicantur. Sic Gloss. *Cap. Sic quippè, fine,* 27. *qu.* 2. Nauar. *cap.* 22. *num.* 27. *ver.* 9.

177 *Minimè dissoluuntur.* Minimè dissoluuntur. Quia vir culpa vacat, quare ex hoc capite non est, cur dissoluantur: nec fœmina incurrit aliquam notam, vel aliud damnum. Ità Sanch. *lib.* 1. *d.* 55. *n.* 8. Henriq. *d.* 11. *cap.* 14. *numer.* 6. Sylvest. *verb. Sponsalia, qu.* 10. *casu* 7. Rosel. *ibi, num.* 8. Angel. *num.* 26. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 5. Paludan. *ibi, qu.* 1. *artic.* 3. *casu* 1. *num.* 18. & 31.

178 *Idem assero.* Profectò ambo sponsi iudicantur æquales quando fornicatio culpabilis est; secùs verò cum inculpabilis. Quia vir cum ea contrahens, graue damnum patitur, fœmina verò nullum prorsus. Ideò secundæ hæreo sententiæ.

DVBIVM LXXI.

An si vtérque sponsus post Sponsalia fornicatur, compensentur delicta, ita vt liceat vtrique à Sponsalibus recedere.

179 *Compensantur delicta.* COmpensantur delicta, nec licet vni, aut alteri à Sponsalibus subterfugere. Quia in causa matrimonij vtérque est æqualis, & mutua fornicatio compensatur: nec quamvis fœminæ fornicatio grauior, ac fœdior appareat, permittitur viro fornicanti diuortium. Sic Paludan *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *articul.* 3. *numer.* 17.

180 *Non compensantur.* Non compensãtur delicta, quare licet sponsa fornicans non possit resilire ob sponsi fornicationem, poterit tamen vir fornicans resilire. Quia iniquè fieret compensatio, vbi detrimentum multo est grauius, vt est detrimentum viri ob sponsæ libidinem. Multo enim turpior est fornicatio in fœmina, vt multis probat Tiraquel. *lib.* 1. *connub.* Ità Sanchez *lib.* 1. *d.* 55. *numer.* 9. Henriqu. *libr.* 11. *cap.* 14. *numero* 6. asserens hanc esse communem sententiam.

181 *His hæreo.* His hæreo, (vt in ore trium hæc sententia persistat) iudicans, simile illud de matrimonio locum non habere; quia multo facilius soluuntur sponsalia, quam matrimonium, quoad thorum: illa enim ob quamlibet mutationem notabilem superuenientem soluuntur: hoc autem minimè.

DVBIVM LXXII.

An ob superueniens Iuris impedimentum impediens soluantur Sponsalia.

182 *Nonnihil præmitto.* SVperueniente impedimento dirimente, certum est, Sponsalia dissolui; verbi gratiâ, si contractis sponsalibus, oriatur affinitas inter sponsos ex fornicatione cum consanguineis in primo, vel secundo gradu. Quia iam non potest inter illos matrimonium consistere. Quæsierim verò, nùm dissoluantur Sponsalia superueniente impedimento solùm impediente?

183 *Dirimuntur ex parte innocentis.* Dirimuntur ex parte innocentis tantùm, ne alter ex crimine suo reportet commodum; quare licet dispensationem obtineat, non habet ius ad priora sponsalia. Quia iam innocens ius dissoluendi acquisierat. Sic quidam teste Paludano *in* 4. *dist.* 27 *qu.* 1. *art.* 3. *num.* 31. quam sententiam ipse probabilem esse docet, *nu.* 32. & citat Magistrum *in* 4. *dist.* 35. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 5. *casu* 8. Lancelot. *inst. iuris Canon. lib.* 2. *tit. de sponsal. verb. Diffamatus.* Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion.* 43. *art.* 3. *causa* 3.

184 *Non dirimuntur.* Minimè dirimuntur. Quia impedimenta impedientia, excepto voto, iuxtà multorum sententiam, non sunt in vsu, nec indigent dispensatione. Ità Paludan. *citatus.* Sanchez *l.* 1. *d.* 56. *num.* 3.

185 *Hoc mihi verius.* Verius hoc existimo si votum simplex excipias. Quia talia impedimenta matrimonio obstant, dùm res est omninò integra secus quando Sponsalia præcesserant, & sic matrimonij inchoatio.

DVBIVM LXXIII.

An ob fœditatem alterius solùm oculi amissi possunt Sponsalia dissolui.

186 *Nonnulla suppono.* SVppono, Sponsalia etiam iuramento firmata dissolui, notabili fœditate, vt oculorum, vel nasi amissione, vel paralysi, aut lepra

lepra superueniente. Quia iuramentum intelligitur,rebus in eodem statu per manentibus. Idem dixerim de quolibet morbo contagioso superueniente alteri sponso,vel de graui infirmitate incurabili;vel si os malè oleat, nec arte medica possit huic incommodo subueniri. Idē à fortiori dicendum,si animi , vel famæ notabilis deformitas sit secuta , verbi gr. si sponsus furti, vel alterius criminis turpis sit damnatus. Quia maior est morum,& famæ,quam corporum habenda ratio. Ad quæstionem autem voco,nùm si alter solùm oculus amittatur sit causa sufficiens ad sponsalia dissoluenda?

187 Non est causa sufficiens. Quia *Cap. Quemadmodum,de iureiur.* licitur, Sponsalia dissolui *Non est causa sufficiens.* oculorum amissione , aut prioris euentu. Sic Paludan. *in 4. dist. 27. quæstion. 1. artic. 3. casu 7. num 2.*

188 Est sufficiens causa. Quia Sponsalia dis- *Est sufficiens causa.* soluuntur ob quamcumque notabilem mutationem,quæ si à principio adesset , obstaret, ne Sponsalia contraherentur Hæc autem mutatio proculdubio impediret:ergò. Ità D. Antonin.*part. 3. titul. 1. cap.* 18. §. 1. *casu 3.* Nauar. *cap. 22. num. 27. casu* 8. Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap.* 1. Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion. 43. articul. 3. causa* 5. Sanch. *libro 1. d. 57. numero* 3. Basil. *libro 12. capite 17. numero quarto.* Toletus , & Rebellum asserens.

189 Idem assero , quia textus ille vim non fa- *Idem asserit.* ceret in vtriusque oculi amissione , sed in notabili deformitate , & magna mutatione : satis autem notabilis est fieri coclitem.Profectò si hæc oculi amissio fieret formaliter,id est,visus amissione ob guttam sirenam,nubeculam, aut cataractam , crederem Sponsalia non dissolui, quia visu altero in lumine permanente,notabilem non censerem adfuisse mutationem,leui deformitate.

DVBIVM LXXIV.

An si sponsa Sponsalium tempore pulcherrima esset dissoluantur Sponsalia , ea notabiliter deformi effecta.

190 *Non dissoluuntur ob fœditatem.* NOn dissoluuntur. Quia textus *Cap. Quemadmodum*, solùm hoc concessit, dum deformitas contingit ob oculorum aut nasi amissionem.Sic Couar.*4. Decret. part. 1. cap. 5. num.* 6.Matienzo *l. 5. recopil. titul. 1. Rubr. gloss. 1. numer.* 47.Ludouic.Lopez *part. 2. instruct. de matr. cap.* 38. Alexand. Carter. *lib. 1. sponsal. capite* 15.

191 *Dissoluuntur quidem.* Dissoluuntur planè.Quia res non in eodem permanent statu , estque notabilis admodum immutatio, & talis , quæ à principio existens sponsalia impediret.Ità Sanch. *lib. 1. d. 57. numer.* 4. Nauar. *cap. 22. num.* 27. Basil. *libr. 12. capit. 17. num.* 5. Bonacin. *hic. qu. 1. punct. 8. numer.* 10. Hurtad. *d. 2. diffic. 13. num.* 49. Diana *part. 3. tract. 4. resolut.* 185. Palaus *p. 5. d. 1. punct. 27. num. 5.*

192 *Dissoluuntur quidem.* Hoc verius esse puto,adiiciens dissolui etiam ex parte spōsæ,ob notabilē deformitatē obuenientem sponso propter eandem rationem : quamvis ad id maior in eo deformitas requireretur , quam in fœmina. Quod quidem non sponsorum,sed Iudicis arbitrio est decidendum. Nec enim quilibet defectus pulchritudinis censendus est sufficiens , ad Sponsalium dissolutionem,sed ille tantùm, qui quemlibet prudentem eius conditionis à matrimonio contrahendo abstraheret.

CAPVT XI.

Circà Sponsalium dissolutionem propter morum asperitatem propter paupertatem superuenientem , & propter causas antecedentes ignoratas.

DVBIVM LXXV.

An propter notabilem morum asperitatem , seu sæuitiam alterius sponsi denuò cognitam , dissoluantur Sponsalia.

193 *Non dissoluuntur ob asperitatem.* NOn dissoluuntur Quia *Cap. Veniens, qui cleri. vel voluen.* dicitur , non dissolui eo quod sponsa plura audierit de sponsi scelleritate. Et quidem non omnia quæ audiuntur vera sunt:& sponsæ prudens taciturnitas valet sponsi acre ingenium reformare ad mansuetudinem : prudentiórque viri industria haud difficile rixosam fœminam ad debitum moderamen adducet. Non inueni huius sententiæ Auctorem , sed quidem haud omninò improbabilem esse censuerim.

194 *Dissoluuntur quidem.* Dissoluuntur quidem. Quia hæc est sufficiēs causa ad gerendum matrimonij diuortium. *Cap. Literas, de restitut. spoliat. fine:* Ergò à fortiori Sponsalia dissoluet. Ità Sanchez *libr. 1. d. 58. num. 1.* citans Armil. Præpos. Sylvest. Tabie. Neuo,& alios. Basil. *12. cap. 17. num. 6.* & penes ipsum Canisi. Tolet. Coninch.

195 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi omninò certum ob vim fundamenti;quia hoc vtitur textus *Cap. Quemadmodum,de iurciur.* ad probandum,fornicatione dirimi sponsalia:nam ea est iusta diuortij causa: Ergò si morum asperitas sufficiens est ad diuortium matrimonij gerendum, erit plusquam sufficiens ad Sponsalia dissoluenda.

DVBIVM LXXVI.

An sponsa dotem sponso promittente , quam superueniente inopia , soluere non valet : dissoluantur Sponsalia.

196 *Dissoluuntur quidem.* NOn dissoluuntur , si dolo caruit promittens sponsa. Quia culpa omninò caret,& ità par non est,vt damnum dissolutionis sponsalium innocens experiatur. Sic Bald. *ad Cap.*

Cap. Quemadmodum, de iureiur. num. 8. Alexand. Neuo *ibi, num.* 16.

296 *Dissoluuntur quidem.* Dissoluuntur planè, nec tenetur alter eam ducere. Quia promissio dotis est veluti conditio, sub qua Sponsalia celebrantur; quare deficiente conditione etiam citra fœminæ culpam, non obligabunt. Ità Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 5. *casu* 6. Barth. à Ledes. *de matrimon. dub.* 13. *casu* 10. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 245. *numer.* 5. Vega. *lib.* 3. *sum. casu* 325. Sanch. *lib.* 1. *d.* 59. *num.* 2. Basil. *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 8. Coninch. *d.* 23. *num.* 69. Bonac. *quæstion.* 1. *punct.* 8. *numero* 11. Becan. *quæstion.* 31. Hurtad. *d.* 2. *diffic.* 14.

297 *Hoc mihi longè verius.* Hoc longè verius existimo, quamvis Sponsalia iuramento firmata sint, quia iuramentum eadem contractus imbibit conditiones.

DVBIVM LXXVII.

Dotis promissio non præcesit, sed superuenit sponsæ paupertas: Hoc in casu dissoluuntur ne Sponsalia.

198 *Non dissoluuntur.* NVlla dotis promissione præuia, non dissoluuntur sponsalia ob paupertatem sponsæ superuenientem. Quia dote non promissa, non est verum omnia bona in dotem sponderi, vt aliqui asseruerunt. Et quia sibi sponsus imputare debet, quod nullum de dote pactum inierit. Sic Hostiens. Neuo, Ioan. Andr, Couar. Menoch. Petr. Gregori. & alij apud Sanch. *libr.* 1. *d.* 59. *num.* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 1. *art.* 2. *numer.* 14. Manu. *tom.* 1. *sum. c.* 245. *numer.* 3. limitans, vt intelligatur. Si sponsus aliàs sit dives adeò, vt valeat matrimonij onera sustinere.

299 *Dissoluuntur quidem.* Licèt non fuerit præuia dotis promissio, Sponsalia, superueniente inopia sponsæ, dissoluuntur. Quia sponsa dives censetur omnia bona sua in dotem promittere, vt tradit Barthol. *l. si constante, num.* 78. *ff. solut. matrimon.* & alij: Ergò si facultatibus labatur, cum dotem tacitè promissam soluendo non sit, deficiente conditione, sponsalia non obligabunt. Ità Henriqu. *lib.* 11. *cap.* 14. *numer.* 6. Sanch. *lib.* 1. *d.* 59. *num.* 4. Tolet. *lib.* 7. *capite* 21. Basil. *libro* 11. *capite* 17. *numero* 8. Coninch. *d.* 23. *numero* 69. Rebel. *libro* 4. *quæstion.* 8. *numer.* 66.

300 *Hoc verius puto.* Hoc verius puto, quia quidquid sit de sententiæ fundamento, quod satis dubium esse fateor; negari non potest, quin adsit notabilis mutatio, quæ à principio existens, contrahi Sponsalia proculdubio impediret.

DVBIVM LXXVIII.

An dissoluantur, Sponsalia, quando vtrique sponso inopia superuenit.

301 *Non dissoluuntur.* NOn dissoluuntur. Quia inopia vnius paupertate alterius compensatur. Sic Bonacin. *de matrim. qu.* 1. *punct.* 8. *num.* 14.

302 *Dissoluuntur autè.* Dissoluuntur profectò. Quia per vtriusque inopiam accedentem minimè ab eis præuisam redditur multo difficilius futuri matrimonij onus, quàm per alterius duntaxat: Ergò si per sponsæ superuenientem inopiam potest sponsus resilire, (vt *Problem.* proximo vidimus) à fortiori per vtriusque poterit. Ità Rebel. *libr.* 4. *q.* 8. *capite* 70. Palaus *d.* 1. *puncto* 28. *numero* 4. Basil. *libro* 12. *capite* 17. *num.* 8. Seraphin *dec. is.* 258. Riccius *dec. is.* 131. Leand. *tractat.* 9. *d.* 1. *quæstion.* 46.

303 *Cum hic obs. nor.* Certè cum in hoc euentu, verè non sit substantia, qua matrimonij onera valeant subire, non est locus præfatæ à Bonacina compensationi. Imò addiderim timorem iustum, ac probabilem exhæredationis esse sufficientem causam Sponsalia dissoluendi; quia est timor cadendi ab statu tempore sponsalium habito.

DVBIVM LXXIX.

An dissoluantur Sponsalia, quando alter sponsus notabiliter fit ditior, altero in eodem statu permanente.

304 *Dissoluuntur ex parte illius qui factus est ditior.* DIssoluuntur ex parte illius, qui factus est ditior. Quia illius status notabiliter factus est dignior. Sic Ochagau. *qu.* 23. *num.* 7. Hurtad. *d.* 2. *diffic.* 14. *numero* 52. Trullench. *libro* 7. *capite* 2. *dubio* 12. *numero* 4. Leand. *tractat.* 9. *d.* 1. *quæstion.* 47.

305 *Non dissoluuntur,* Minimè dissoluuntur. Quia propterea quod vnus dirissimus redditur, alter non est deterioris conditionis effectus: vt (exempli gratiâ,) si promisi vendere equum pretio, quod tunc erat iustum, nihil nocebit valor multo auctior tempore traditionis, ne tradere tenear. Ità Sanchez *libr.* 1. *d.* 59. *numer.* 7. asserens ità Neothericos doctissimos sentire. Coninch. *d.* 23. *numero* 69. Gutier. *de matrimon. capite* 33. *numero* 4. Reginald. *libro* 31. *capite* 36. *numero* 363.

306 *Ad hanc inclinor tem.* Ego quidem vtramque sententiam admodum probabilem reor. Attamen ad secundam inclinor; quia esto non fierent sponsalia, si antè ea diuitiæ amplæ obuenirent sponso: at iam initis, aliquid dandum contractus initi obligationi, cum illa diuitiarum accretio in maiora matrimonij commoda exunder.

DVBIVM LXXX.

Iurauit quis se aliquam ducturum, nulla dotis promissione præmissa: Tenetur ne ipsam ducere, si cum ipsa sit locuples, nullam ei dotem velit assignare.

307 *Tenetur eam ducere.* TEnetur eam ducere, si vir sit dives onerâque matrimonij valeat sustinere. Quia fœmina dives non tenetur dotem quam non promisit, destinare. Cum enim matrimonium sine dote constare possit, conditio destinandæ dotis extrinseca est: conditiones verò extrinsecæ non intelliguntur, nisi exprimantur, *l. si ita stipulatus, §. Chrysogonus, ff. de verborum obligation.* Et quia sibi sponsus imputare debet, nil fuisse pactum de dote constituenda. Sic Couar. 4. *Decret. part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 5. Matien. *libr.* 5. *recopil. titul.* 1.

titul.1. rubr. gloss.1. numer.47. Ludouic.Lopez *part.2.instruct.de matrimon.cap.38.* Manu.*tom.1. sum.cap.97.num.8.*

308 Non tenetur non ducere. Eam ducere non tenetur. Quia licet matrimonium constare possit sine dote: non tamen decens, & honestum est, vt dote priuetur. Ità Sanchez *libr.1.d.60.numer.2.* Gutier. *de iuram. part.1.cap.37.numer.3.& de matrimon. cap.33. num.5.* Paludan. *in 4.dist.28.qu.1.art.2.concl.4.* Bonacin. *qu.1.punct.8.num.11.* Filliuc. *tract.10. num.286.*

309 Consentire tenetur. Consentio quidem. Quia dotis conditio non est omninò extrinseca matrimonio, & tacitè de ea actum videtur, vel totius patrimonij mulieris, vt voluêre multi Doctores, quos refert Sanchez *d.59. num.4.* vel saltem partis patrimonij iuxtà viri dignitatem, vt annotatur, *l. Mulier bona, & l. Quæro, ff. de iure dotis.* Imò addidit Paludanus citatus, licèt Virginem promissione matrimonij habita aliquis defloraret, intelligi promissionem dotis constitutam esse iuxtà propriam possibilitatem.

DVBIVM LXXXI.

An causæ sufficientes ad Sponsalia dissoluenda, dum post ipsa accidunt: satis sint, ad id, si Sponsalibus præcedant, & fuerunt probabiliter ignoratæ.

310 Iuxta num 311. CAusæ aliæ à fornicatione (de qua mox) sufficientes ad dissoluenda Sponsalia si post ipsa acciderent, verbi gratiâ, lepra, morbus gallicus, &c. si Sponsalia præcedant satis non sunt ad ea dissoluenda etiamsi sint probabiliter ignoratæ. Quia *Cap. Quemadmodum de iureiur.* definitur Sponsalia minimè per morbum præcedentem dissolui. Sic Paludan. *in 4. dist.27.qu.1.articul.3.num.33.* Et supplem. Gabriel. probabile reputat, dum hanc quæstionem Problematicè defendit, *dist.eadem, qu.2. art.3. dub.5.*

311 Satis sunt. Satis sunt omninò ad Sponsalia dissoluenda. Quia si quis vendat occultando vitium mercis, est sufficiens causa ad venditionem dissoluendam: Ergò à fortiori vitium occultum est causa sufficiens ad dissoluenda Sponsalia contracta per illius vitij ignorantiam: cum nullus sit contractus tantam libertatem exigens, ac Sponsalium. Ità Barthol. Petr. de Ledes. Henriq. Sotus, quos sequitur Sanchez *libr.1. d.73. numer.2.* Lessi. Rebel. Coninch, Reginald. quos citat, & sequitur Bonacin. *quæstion. 1. punct.8. num.16.* Diana *part.3.tract.4.resol.187.* Palaus *d.1 punct.19.num.1.* Layman. *lib.5.tract.10.p.1. cap.2.num.18.*

312 Cum his. Cum his sentio, quia video, in iure paria esse, aliquid superuenire, & præcedere ignoranter; res enim dicitur fieri, quando primum innotescit. *Cap. Pastoralis, de excepti.* iuxtà illud Marci vlt. *Data est mihi omnis potestas*, id est, ex nunc est nota. Profectò insignis facta est mutatio, cum contrahens denuò inuenit notabile vitium anteà ignoratum: & rebus notabiliter mutatis promissio non obligat, *Cap. Quemadmodum.*

DVBIVM LXXXII.

An teneatur Sponsalibus celebratis stare sponsus cum famina, quæ putabatur Virgo, post modum noscitur fuisse ab altero defforata.

313 Tenetur dem. TEnetur quidem. Quia *Cap. Quemadmodum de iureiur.* definitur, Sponsalia minimè dissolui ob fornicationem precedentem; & quamuis probabile sit, ob alias causas præcedentes ignoratas posse Sponsalia dirimi: non possunt ob præcedentem fornicationem. Nam ideò fornicatio subsequens dissoluit, quod verisimile non sit sponsam fidem seruaturam matrimonij, quę sponsalium fregit. Quę ratio in fornicatione antecedenti deficit; multi enim incontinentes antè Sponsalia inueniuntur, qui iis initis continent, & ad hoc matrimonium ineunt, vt contineant. Sic Nauar. *libr. 4. consil. titul. de diuort cons.2.num.1.* Paludan. *in 4. dist. 27 qu.1.art.. num.33.& 34.* Supplem. Gabr. *ibi, qu.2.art.3.dub.4.*

314 Minimè tenetur. Minimè tenetur, sed propter præcedentem sponsæ fornicationem, qui eam ignorabat cum Sponsalia celebrauit, putans esse Virginem potest sponsalia dissoluere. Quia causa hæc denuò cognita notabilem mutationem agit, cum ignominiosum sit viro, fœminam corruptam ducere: & prudenter magni æstimat, eam Virginem coniugio illigari. Ità Sanch. plusquam viginti patronos annumerans *libr.1. d.64. numer.3.* Palaus *tom.5.d.1.punct.19.numer.4.* Trullench. *libr.7.cap.2.dub.9.num.3.* Basil. *libro 12. capite 17. numero 17.* Bauyn. *tractat.12. de matrimon.quæstion.16.dicto 1.* Leand. *tractat.9.d.1. quæstion.50.*

315 Idem assero. Idem assero, quia vir graue damnum incurret cum bigamus fiat, ac proindè ad Ordines, si illos eligat promoueri non possit. Idem dixerim, si sponsus Virginem esse putaret, cum tamen sit vidua: tum ob irregularitatem, quam incurreret; tum quia non infima nota est, viduam ducere.

DVBIVM LXXXIII.

An dum novat sponsus suam sponsam viduam esse, ob fornicationem præcedentem sibi cum contraxit Sponsalia incognitam, habeat, ius ea dissoluendi.

316 Ius habet ad dissoluendum. IVs non habet. Quia viduam in hoc piaculum antè Sponsalia incidisse non ita futurum deturpat sponsum, ac si cum virgo putaretur à Virginitatis flore decidisset; maiorem enim arguit facilitatem maritis exosam Virginem deliquisse, quam viduam. Sic Hugo *ad Cap. Raptor, 27. quæstion. 2.* D. Antonin. Syluest. Henriqu. citati à Sanchez *lib. 1. d.63. num.4.* & à contrario sensu apud ipsum videntur tenere Rosella, Angel. Tabie. Armil. Cordu. Sot. Barth. & Petr. à Ledes. Viuald. & Lud. Lop. *part.2.instr. de matrimon.cap.36.* Dicunt enim, dissolui Sponsalia, quando sponsus putabat, Virginem esse: quare contrarium videntur sentire, dum sciebat esse viduam.

Ius

317 *Non habet ius,* Ius quidem habet, ab sponsalibus recedendi. Quia est notabilis mutatio, & causa dennò cognita, quæ virum prudentem meritò retraheret in principio ab sponsalibus ineundis: nec enim mediocri infamiæ, ac dedecoris nota afficitur, ducens inhonestam, cum tamen putaret viduam modestia, & honestate præditam esse. Ità Sanch. *citatus.* Moli. *tom. 2. de Iust. tractat. 2. d. 272.* Fauent Nauar. *cap. 22. num. 27. casu 9.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 1.* Absolutè enim indistinctéque docent, dissolui Sponsalia ob fornicationem sponsæ præcedentem ignotam.

318 *Hoc verius puto.* Hanc sententiam veriorem existimo. Adiicio tamen, si sponsus conscius erat, sponsam impudicam esse, & infamam ob fornicationes, licet postmodùm detegantur aliæ fornicationes præuiæ sibi ignotæ, quæ paulò plus eam reddunt infamem; non esse sufficientem dissoluendi sponsalia causam; quia non est notabilis mutatio.

DVBIVM LXXXIV.

An possunt, ex parte sponsæ dissolui Sponsalia ob fornicationem viri præcedentem ab ipsa ignoratam.

319 *Possunt quidem.* POssunt quidem. Quia dissolui possunt ob fornicationem viri subsequentem: ergò ob præcedentem. Consequentiam probo, quia in iure paria, sunt, aliquid superuenire, & præcedere ignoranter: siuè nunc sciri, & nunc esse. Res enim dicitur fieri, quando primum innotescit, *Cap. Pastoralis, de exception.* Sic Nauar. *sum. cap. 22. num. 27. casu 9.*

320 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia nulla nota, nulla ignominia est fœminæ viro nubere, qui antè sponsalia impudicus fuisse agnoscitur, huiusmodi nàmque impudicitiæ contrahit in remedium. Ità Sanchez *libro 1. d. 63. numero 9.* Moli. *tom. 2. de iust. tractat. 2. d. 272.* & alij communiter.

321 *Hoc mihi certum.* Hoc tanquam certum tenendum esse reor abnegans oppositi fundaminis consequentiam; quia paria non sunt, nunc esse, & nunc cognosci, quando eadem est ratio impedimenti, idémque inconueniens, siuè illud præcedat, siue sequatur, vt contingit in lepra, morbo contagioso, & cæteris huiusmodi: tunc enim quando vitium erat ignotum perindè inuoluntaria est promissio, siuè id præuium, siuè subsequens sit; at in fornicatione viri non est idem inconueniens quando præcedit, & quando subsequitur; quia quando subsequitur, dat ius dissoluendi Sponsalia eo quod est contra eorum fidem, indéque suspitio oritur de non seruanda matrimonij fide; & ideò non dat non dissoluendi Sponsalia quando præcedit, quia cessat hæc ratio, quæ totalis est. At fornicatio fœminæ vltrà hanc rationem concedit ius dissoluendi Sponsalia ob infamiam viri, & notabilem differentiam, quæ versatur inter matrimonium cum fœmina pudica, vel cum honesta: quæ ratio æquè procedit in fornicatione fœminæ sequenti, vel præcedenti ignorata. Fateor tamen si sponsus existimabatur non valdè vitiosus, & denuò agnoscat sponsa eum esse notabiliter vitijs addictum ita vt notabilem prudentis arbitrio mutationem hæc notitia efficiat: esse iustam causam, vt sponsa à fide præstita resiliat; quia talis esset, si denuò superueniret, & à principio cognita impediret Sponsalia contrahi. Mecum Ochagau. *quæstion. 23. num. 10.* Filliuc. *tractat. 10. part. 1. numer. 296.* Moure *tractat. 3. cap. 17. §. 1. numer. 20.*

DVBIVM LXXXV.

An laborans defectu aliquo occulto, verbi gratiâ, si mulier sit corrupta, teneatur eum alteri parti volenti secum inire Sponsalia, aperire.

322 *Tenetur quidem.* TEnetur casu, quo defectus notabilis sit, verbi gratiâ, si mulier sit corrupta. Quia notabiliter nocet sponso. Sic Ochagau. *qu. 23. num. 25.* & alij.

323 *Non tenetur* Non tenetur hunc notabilem aperire defectum. Quia si hoc esset illicitum, maximè quia sic contrahens faceret contrà iustitiam: sed nullo modo contrà iustitiam agit: nam sibi imputare debet contrahens, si non diligenter inquisiuit. Ità Hurtad. *d. 2. diffic. 17.* Coninch. *d. 23. dub. 12.* Basil. *lib. 12. c. 18. num. 6.* Leand. *tract. 9. d. 2. quæstion. 55.* Palaus *tom. 5. d. 1. punct. 3. numer. 1.*

324 *Cum hu opinior.* Non cogendus est contrahens, vt aperiat, an corrupta nobilis, an ignobilis, ob rationem expositam ab hisce Doctoribus. Vndè infero, recens nuptam, quæ virgo reputatur, licitè posse aliquibus mediis vti, ad suum vitium occultandum, ne deprehensa à viro inique tractetur; in hoc nàmque viro non nocet, & sibi fauet. Per accidens autem poterat huiusmodi fœmina impediri à sponsalibus contrahendis eo defectu non manifestato, & à fortiori à matrimonio ineundo, si prudenter timeret, matrimonio contracto, defectum agnoscendum esse, & comparem egerrimè laturum, grauésque indè discordias obuenturas.

DVBIVM LXXXVI.

An si defectus est pernitiosus, vt morbus gallicus, vel lepra: teneatur contrahens, alteri aperire.

325 *Omninò tenetur.* TEnetur omninò. Quia sic contrahens, alteri ignoranti pernitiem affert, quod simpliciter malum est: Ergò tenetur parti ignaræ, ideóque paratæ contrahere, aut recusare nuptias, aut defectum aperire. Sic Coninch. *d. 23. num. 96.* Basil. *lib. 12. cap. 18. num. 5. & 6.* Diana *part. 3. tractat. 4. resolut. 287.* Palaus *tom. 5. d. 1. punct. 30. num. 5.*

326 *Nullatenus tenetur.* Non tenetur, sed potest cum ignaro huiusmodi occulti defectus contrahere Sponsalia. Quia in hoc nulla iniustitia reperitur, sed simulatio defectus. Vndè corrupta concedens sui corporis vsuram, non solùm iam coniugi, sed etiam alteri promittenti sibi nuptias, potest licitè defectum corruptionis aliquo artificio occultare; quia tunc non tam fingit, se esse Virginem.

nem, quam simulat corruptionem. Ità Leand. *tract. 9. d. 2. qu. 56.* Sanch. *d. 68. num. 7.* Hurtad. *d. 2. diffic. 17.* Filliuc. *libr. 10. part. 2. capite 9.*

327 *Non iuratus.* Cum his sentio, adiiciens, si interrogatus contractuus, an ægritudine occulta laboret, respondeat negatiuè mentaliter subintelligendo, *in communi existimatione*, aut *ad aperiendum tibi*, non peccare; quia non tenetur, ad interrogationem directè respondere. Imò si interrogata mulier, nùm sit virgo affirmatiuè respondeat, mentaliter subintelligendo, sub communi *existimatione*, non peccabit saltem mortaliter; quia ad tam duram quæstionem non tenetur vniuocè satisfacere.

DVBIVM LXXXVII.

An alter sponsus aliquo laborans vitio, cuius si alter conscius esset, iustam haberet causam, Sponsalia dissoluendi: Possit coram Iudice compellere alterum, vt Sponsalia impleat, à quibus iniustè ob illius defectus ignorantiam, resilit.

328 *Non potest implere.* NOn potest sponsus cogere alterum, ad fidem sponsalium implendam, quando aliquo vitio occulto, (verbi gratiâ, morbo gallico) laborat, cuius si alter conscius esset, posset iustè resilire. Quia eo ipso quod vnus contrahens est illo vitio maculatus, alter re vera, & coram Deo est absolutus à fide præstanda promissioni: Ergo ille non potest cogere hunc, quod non debet præstare. Antecedens patet, quia si nosset alterius defectum, secundùm omnes absolutus maneret: notitia autem facti non absoluit re ipsa, sed factum ipsum. Ergò antè notitiam erat re ipsa absolutus, & solùm ex conscientia erronea tenebatur. Sic Nauar. *cap. 22. num. 23.* Couar. *4. Decretal. part. 2. cap. 7. num. 4.* Armil. *verb. Adulterium, num. 4. & 8.* Angel. *num. 3.* Basil. *lib. 12. cap. 18. num. 7.* Villalob. *tractat. 12. diffic. 14. num. 3.*

329 *Possunt compellere.* Si Sponsalia fuêre valida patiens occultum vitium potest alterum sponsum cogere stare Sponsalibus, dum alter nescit tali scientia illud vitium, vt iustè possit ab Sponsalibus resilire. Quia sicut per adulterium vnius eximitur alter ab obligatione reddendi, & si illud sciret, posset obiicere: sic per fornicationem, aut morbum gallicum, vel aliam iustam causam in vno sponso existentem, eximitur alter ab obligatione implendi Sponsalia: & si illam nosset, posset obiicere: & vtrobique est eadem dissoluendi ratio, scilicet, quia frangenti fidem fides seruanda non est. Ità Sanchez *lib. 1. d. 68. num.* ... Hurtad. *d. 2. diffic. 17.* Palaus *d. 1. punct. 30. num. 8.* Trul. *lib. 7. cap. 2. dub. 14. à nu. 1.* Leand *tract. 9. d. 2. qu. 57.*

330 *Non tenetur aperire.* Scio Coninch asseruisse id posse geri casu dũ taxat, quo defectus sint occulti, & alteri minimè pernitiosi; secùs autem si graui eum pernitie afficiant. Ast ego absolutè posse eum cogere existimo. Quia licèt ignarus defectus, ius habeat dissoluendi Sponsalia ex parte sui: tamen ea non dissoluit ex causa iusta, quam ignorat, nempè quod non velit contrahere matrimonium cum illo, qui eiusmodi defectu laborat. Nam quamvis eo ipso, quod non vult contrahere, dissoluat Sponsalia ex parte alterius: eo enim ipso cedit iuri suo, & alterius obligationi: non tamen aufert sibi obligationem, qua adstrictus est laboranti eo defectu; vndè defectu laborans potest alterum defectus ignarum compellere, vt secum contrahat matrimonium, ad satisfaciendum obligationi, qua adhuc ad contrahendum illigatur.

DVBIVM LXXXVIII.

An quando adest causa sufficiens ad Sponsalium dissolutionem, ad id sit necessaria Iudicis authoritas.

331 *Est necessaria.* SPonsalia valida nunquam possunt propria authoritate dissolui. Quia *Cap. Duo pueri, de sponsal.* pœnitentia imponitur cuidam, eo quod iudicio Ecclesiæ irrequisito sponsam dimiserit. Et *Cap. Sæculares, 33. quæstion. 2.* pœna afficiuntur, qui absque authoritate Ecclesiæ seperantur. Sic Innocent. *Cap. De illis de desp. impub.* vbi de impuberibus dicitur, si ad pubertatem venientes reclament, iudicio Ecclesiæ seperandos esse.

332 *Non est necessaria.* Etiamsi Sponsalia valida sint, vbi est certitudo causæ, & facti, nulla Iudicis desideratur authoritas, sed si aliquando desideretur, erit ratione scandali vitandi. Quia Sponsalia tacitam conditionem habent, Nisi aliquis casus ex præfatis accidat. Quare occurrente aliquo ex iis, licitum est ex natura rei, propria authoritate dissoluere, sicut deficiente conditione. Ità Sanch. *l. 1. d. 69. n. 3.* Basil. *libr. 12. cap. 18. n. 8.* Nauar. *cap. 22. num. 18.* Rebel. *l. 4. q. 8. sect. 9.* Ochagau. *q. 23. n. 16.* Bonac. *q. 1. pun. 1. n. 5. & 9.* Hurtad *d. 2. diffic. 18.* Palaus *d. 1. punct. 31. nu. 1.* Trul. *lib. 7. cap. 2. dub. 16.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 245. num. 11.*

333 *His adhærens doctrinam expono.* Ego quidem his adhærens, doctrinam expono. Si causa dissoluendi Sponsalia publica sit, ac certa, tam de iure, nam est in iure expressa: quam de facto, certum enim est, talem causam adesse; tunc licèt Sponsalia sint publica possunt propria authoritate dissolui. Quia tunc scandalum cessat, cum dissolutionis causa manifesta sit. At si certa sit dissolutionis causa de iure, & de facto, licet occulta, & sint etiam occulta Sponsalia: possunt etiam propria authoritate dissolui; quia cessat similiter scandalum. Verum dum causa certa est de iure, & de facto, occulta tamen, & Sponsalia publica: Iudicis desideratur authoritas ad ea dissoluenda: non tamen iudico, esse culpam lethalem propria authoritate dissoluere, nisi indè graue scandalum oriretur. Quia nullibi in iure cauetur, eam authoritatem esse necessariam, & dissoluens iure suo vtitur. Imò si causa ita occulta sit, vt coram Iudice probari nequeat, dissoluens Sponsalia publica authoritate propria, non delinquet. Quia petita licentia probationis defectu denegabitur: & ex alia parte recuperat innocens rem sibi debitam, quam fas est, propria authoritate capere, quando in iudicio,

recuperari nequit. Porrò cum causa dissolutionis est dubia, vel de iure, quia non est certum esse sufficientem: vel de facto, quia alter non est certus, eam adesse: lethale crimen erit, propria authoritate Sponsalia dissoluere. Quia adest probabile iniustitiæ periculum, dum alter in dubio iure suo acquisito, vt fides data impleatur. Monuerim denique, Iudicem, cuius authoritate sponsalia sunt dissoluenda, solùm esse Ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum; quia hæc est materia spiritualis; non autem Parochum; quia non est foro in externo Iudex.

DVBIVM LXXXIX.

An quandò ex aliqua sufficienti causa dissoluuntur Sponsalia iuramento firmata, sit necessarium petere iuramenti relaxationem.

334. *Est necessaria relaxatio iuramenti.* IN omnibus euentibus quibus licitum est sponsalia dissoluere, ob causam præcedentem ignoratam, vel superuenientem, si iuramento stabilita sint, necessarium est, petere iuramenti relaxationem. Quia est iuramentum rei licitæ, quod necessariò seruandum est, nisi relaxetur. *Cap. Si verò, de iureiur.* Sic Soto *in 4. dist. 27. quæstion. 1. articul. 3. ad 1.* Vigueri. *l. institut cap. 16. §. 7.* Ludouic. Lopez *part. 2. instruct. cat. 46. de matrimon.* dicens, promittentem ei, quam Virginem esse putabat, non teneri implere: licèt iurarit; quia potest petere iuramenti relaxationem.

Nulla opus est relaxatione. Quia si iura- 335
mentum conditionem contineret, illa non *Non est necessaria.*
impleta, nulla desiderata relaxatione, minimè adstringeret: sed in casibus omnibus præfatis inest tacita conditio iuramento: Ergò. Probo minorem, quia iuramentum accedens contractui, ipsius naturam, & conditiones sortitur, *Cap. de non numer. pecun.* Sponsalia autem habent tacitam conditionem: si res in eodem statu permanserint, id est, si causa non superueniat, aut præcedens denuo cognoscatur legitima ad ea dissoluenda. Ità Sanchez *libr. 1. d. 67. numero 1.* Bonacin. *quæstion. 1. pun. 10. numer. 6.* Gutier. *de matrimon. cap. 15.* Leand. *tractat. 9. d. 2. quæstion. 60.* Basil. *lib. 12. cap. 18. num. 8.*

Idem prorsus affirmo; quia euanescente 336
matrimonij promissione, necessum est, obliga- *Idem affirmo.*
tionem iuramenti prorsus euanescere. Profectò iuramentum rei licitæ fateor obligare, donec relaxetur, nisi conditio expressa, vel tacitè subintellecta deficiat.

LIBER XXV.

MATRIMONII ESSENTIA.

PRÆMISSO Sponsalium, iure iam Matrimonij Essentiam expono, indissolubilitatem exprimo, consensum necessarium innuo, Clandestinum Coactum, & Conditionatum enuncio. Præterea de Ministro, & aliis solemnitatibus differo. De debito coniugali, de Diuortióque tractatum expono.

SECTIO PRIMA.

De Matrimonij Essentia receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

Essentiam Matrimonij, præceptum, diuisionem, aliásque describo proprietates.

1 Vnde Matrimonij nomen deriuatur & in quo eius essentia consistat.

MATRIMONII nomen deriuatur à *matre*. Quia mulier nubit, vt mater efficiatur. Appellatur alio nomine *Nuptiæ, Connubium*. Nuptiæ verò & Connubium ab obnubendo, seu velando nuncupantur. Quia quasi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum benedicitur. Appellatur etiam *Coniugium* ab effectu. Quia duos, vt vna caro efficiantur, coniungit, & sub eodem iugo perpetuo colligat. Vasq. *de Matrimon. d.* 10. *cap* 1. Filliuc. *tractat.*10.*cap.*1.Pontius *de Matrim.lib.*1.*cap.*1. *num.*3.

2 Tripliciter considerari potest, vnde & duplex oritur definitio.

Matrimonium tripliciter consideran potest. Primò, vt officium naturæ ad liberos procreandos, & definiri potest: *Maritalis coniunctio viri, & fœminæ inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*. Secundo consideran potest, vt remedium concupiscentiæ, ad seruandum in voluptatibus modum. Tertiò, vt notæ legis Sacramentum ad onera Matrimonij diuina gratia subleuanda, & definitur: *Sacrum signum gratiam conferens, qua & reprimere concupiscentiam, & fideliter cohabitare ad prolem educandam Coniuges valeant*. Sanch. *l.*2. *d.*1.*n.*1. Bonacin. *de matrim.q.*2.*pun.*1.*n.*1. Ponti. *cap.*2. *num.*10.

3 Quo consistat Matrimonij essentia.

Cum in Matrimonio plura inueniantur, nempè mutuus consensus, externus contractus, mutua corporum traditio, quodnam vinculum ortum ex contractu, obligatio ad reddendum debitum, ius, quod est in vtróque ad alterum, vsus, & consummatio Matrimonij: quidditas tamen, & essentia eius consistit in vinculo illo, quo formaliter sunt coniuges vniti, quod oritur ex mutua traditione; vndè nec consummatio Matrimonij, nec consensus internus, nec externus contractus sunt id, in quo Matrimonij consistit essentia: nec mutua corporum traditio. Quia illa transit, Matrimonio permanente. Nec mutua obligatio, & subiectio, ad reddendum debitum. Quia hæc cessat, vel alterius adulterio, vel ingressu Religionis communi ex consensu, manente tamen Matrimonij consummati vinculo. D. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *articul.* 2. Victor. *de Matrimon. num.* 246. Henriqu. *libr.* 11. *capite* 8. *numero* 2. Hurtad. *de matrimon. d.* 3. *diffic.*1.

4 De præcepto Matrimonij naturali.

Olim Matrimonium cum pusillus hominum grex, erat in præcepto. Quia homo tenetur speciem generatione conseruare, sicut suum individuum tueri tenetur per cibi sumptiónem: & ideò tunc singulos obligabat. Nunc verò, multiplicatis adeò hominibus hoc præceptum obligat solùm communitatum Rectores, vt necessitate occurrente compellant subditos ad coniugia ineunda Valent. *tom.*4.*d.*10.*quæstion.*1. *punct.*4. Viuald. *part.*1.*de matrim.num.*9. Henriq. *lib.*11.*cap.*1.*num.*5.

5 Obligat præceptum, necessitate vrgente, etiam voto castitatis illigatos.

Verum hoc præceptum naturale sit, ideò obligat necessitate vrgente etiam Religiosos, Moniales, & alios castitatis voto illigatos. Quia votum, quod vim habet à propria voluntate non potest præcepto naturali de conseruanda specie præiudicare. Imò extrà casum necessitatis conseruandæ speciei, teneretur quis Matrimonium inire sub mortali, quando sequerentur seditiones, & bella in Republica, nisi Principis filius vxorem duceret: & tunc teneretur hic ad coniugium ratione præcepti scandali vitandi, & impediendi Reipublicæ incommo-

da. Sanch, *lib.2.d.3.num.4.* Bonac. *qu.2.punct.3. num.4.* Henriq. *l.11.cap.2.* Diana *part.3. de Sacram. resol.289.*

6 *Ad quid Matrimonium fuerit institutum, & quando.*

Antè Adamī lapsum institutum est Matrimonium ad naturæ officium: eo autem secuto, in concupiscentiæ remedium: in noua lege eleuatum est à Christo, vt esset Sacramẽtum. Porrò in lege naturæ institutum fuit, & præceptũ à Deo illis verbis Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini.* In nouo autem Testamento eleuatum fuit in Sacramentum, quando Christus dixit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet. Mat. 19.* Reginal. *l.31.num.9.* Henriq. *l.11. cap.2.*

7 *Status coniugalis cœlibatu inferior.*

Status cõiugalis inferior cœlibatu est. Definitur à Triden. *sess.24.can.10* cõtrà hęreticos nostri temporis, qui vel æquãt Matrimonio Virginitatem, vel etiã præferunt. Pater ex 1. ad Cor. 7.38. *Qui matrimonio iungit Virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Ratio est, quia cœlibatus consulitur à Christo *Mat.19.12. Qui potest capere, capiat:* & est Deo gratior, habẽtque plurima spiritualia commoda, quibus coniugalis caret status.

8 *Matrimonium Legitimum.*

Matrimoniũ diuiditur in *Legitimum, Ratum, & Consummatum.* Legitimũ dicitur, quod legitimo consẽsu contrahitur, quale est apud infideles: potẽstque dici, *Contractus* quidã, *quem infideles celebrando non peccant*, cũ sit in officium, seu propagationẽ, & conseruationem humanę naturæ, ac in concupiscẽtiæ remediũ. Non tamẽ est Sacramentũ; quia infideles carẽt Baptismo, qui est ianua omniũ Sacramentorũ. Sanch. *l.2.d.1.n.9.* Setus *in 4.dist.26.q.2.a.3.* Hoc autẽ Matrimoniũ inter infideles contractũ non potest fieri verũ Sacramentũ, etiãsi postea baptismũ recipiãt. Quià Matrimonium Sacramentũ est essẽtialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullatenus poni potest. Ponti. Vasq. Coninch apud Dianã *p.3. de Sacram. resol.253.*

9 *Matrimonium Ratum.*

Matrimoniũ *Ratum* dicitur, quãdo est Sacramentum nondum tamẽ copula carnali consũmatum, quale fuit aliquorũ Diuorum qui post initum coniugium ad castitatis exemplum operam nõ dedẽre licitæ voluptati. Porrò inter fideles non potest esse Matrimonium, quod Sacramentum non sit. Quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio Sacramenti à contractu Matrimonij. Receptior autem sententia oppositum edocet, de quo *sect.2.* Certè Matrimonium ratum aliud est *Verum* aliud *Præsumptum.* Verum est, vbi nihil esse essentiale abest. Præsumptum, quod verũ esse ab Ecclesia præsumitur, siuè tale sit, siuè non. Quia cum Ecclesia ex signis extetnis iudicet, illud habet pro vero Matrimonio, quod legitimis argumentis tale probatur: & *contra præsumptionem eiusmodi* (inquit Pontifex *Cap. Iis, qui, de sponsal.*) *non est probatio admittenda.* Item aliud est *Clandestinum*, aliud *Publicum.* Clandestinum est, quod quod tã occultè cõtrahitur, vt exindè legitima probatio nõ appareat. Publicũ est, quod in Ecclesia manifestè est celebratum. Post Tridentinum omnia Matrimonia, quæ præsentiam Parochi, ac testiũ non habent clandestina censẽtur, adeóque nulla, vbi Concilium est receptũ, etiãsi factum per alios multos probari posset.

10 *Matrimonium Consummatũ.*

Matrimonium denique consummatum est, quando est iam copula carnali perfectum. Lege Sanchez *d.1.num.9.* Sotum *in 4.dist.26.q.2. art.vlt.*

11 *Materia, & forma Matrimonij.*

Circà materiam, & formam Sacramenti Matrimonij, tot sunt sententię, quot capita. Canus *l.8.de locis topicis, c.5.* docuit, materiam Matrimonij esse consensum coniugum per verba expressum, vel signa: formam verò Sacerdotis verba. Nauarrus *c.22. n.20.* putauit, materiam esse consensum mutuum, formam autem verba, quibus consensus exprimitur. Maior. *in 4. dist. 26.q.1.* iudicauit, materiam esse verba, formam vero mutuum consensum. Vasq. *d.3.c.5.* Opinatus est, ipsos contrahẽtes esse materiam formã autem verba Henriq. *l.11.c.2.n.5.& 6.* existimauit, materiam esse verba, quæ à priori contrahente proferuntur: formam verò illa, quæ à posteriori. Receptior tamen sentẽtia edocet, verba, seu signa, quibus consensus exprimuntur esse sibi inuicem materiam, & formam. Vndè traditio corporum ipsorum contrahentium est huius Sacramenti materia, forma verò est acceptatio eorundem expressa per verba, vel signa. Quia traditio illa corporum imperfecta est, inepta, & inefficax, donec acceptetur: & accedente acceptatione perficitur, & determinatur Matrimonium: ergò vtráque verba sunt materia, quatenus important traditionem; & sunt forma, quatenus acceptationem important, & sic se inuicem determinant. Sanch *l.2.d.5.n.6.* Suar. *tom.3.d.2.sect.1.* Coninch *d.24. numer.33.* Rodrig. *cap.215.* Filliuc. *tract.10.cap.1.n.7.& 8.* Diana *part.3. de Sacram. resol.251.*

12 *Minister Matrimonij nunquã fuit Sacerdos, sed ipsi contrahentes.*

Minister huius Sacramenti nunquam fuit Sacerdos, nec ante, nec post Tridentinũ: sed ipsi contrahentes sunt Ministri conficientes Sacramentum. Quia Matrimonium Clandestinum, quod sine Sacerdote celebrabatur antè Tridẽtinum, erat verum Sacramentum. Post Concilium autem verba Parochi, vel alterius Sacerdotis non sunt de essentia Matrimonij, sed iis prorsus omissis, Matrimonium constat. Suar. *d.16.sect.1.* Reginald. *l.31.num.51.* Coninch *d.24.num.34.* Sanch. *lib.2.d.6.*

13 *Sacerdos potest dici accidentarius huius Sacramenti Ministe.*

Potest tamen dici Sacerdos Minister accidentarius, quamvis essentialis non sit. Quia ex officio iungit, & benedicit contrahentes; & per hoc assistendo Matrimonio, & sponsos benedicendo in peccato mortali, mortaliter non delinquit. Quia ipse non ministrat, nec conficit Sacramentum: sed quasi vnus ex testibus, præstantior quidem reputatur. Coniuges verò contrahentes in mortali, licet grauiter peccent, quatenus Sacramentum recipiunt, quia obicem apponunt ad gratiam: non tamen delinquunt, quatenus administrant. Quia ipsi nõ sũt Ministri ad id munus consecrati; sed solùm illis quadam est necessitate concessum. Suar. *d.16. sect.4.* Henriq. *lib.1.cap.2.* Mercer. *in supplem.3. part.qu.42. dub.3.*

14 *Potest Matrimonium inter absentes per procuratorem celebrari.*

Potest Matrimonium inter absentes per procuratorem celebrari. Quatuor tamen conditiones requiruntur, vt procurator absentis nomine validum ineat Matrimonium. Prima, vt habeat speciale mandatum ad Matrimonium, nec sufficit generale ad omnia negotia. Secunda, vt sit mandatum ad contrahendum cum certa persona, nec sufficit generale ad contrahendum cum quacúmque. Tertia, vt procurator per se ipsum exequatur, nec enim substituere potest, nisi expresè hoc in mandato cõtineatur. Quarta, vt tempore, quo procurator contrahit, non sit reuocata potestas; si enim sit

reuocata,

reuocata,quamvis reuocatio lateat procuratorem,& alterum coniugem, est Matrimonium irritum,licèt iuramentum de potestate procuratori non reuocanda fuerit præmissum. *Cap. fin. de procurat. in 6.* Molina *de contract. d.51.* Filliuc.*tract.*10 *c.1.q.*10. Sanch.*l.2.d.*11.*&* 12. Henriq.*l.*11.*c.*2.*n.*2. Coninch *d.*24.*n.*67. Præterea,post Tridentinum,requiritur,vt procurator celebret Matrimonium coram Parocho,& testibus alioquin inualidè celebrat. Sicut item inualidum est Matrimonium contractum per literas, quando illud Parocho,ac testibus non innotescit. Quandò verò illis innotescit per literas traditio, & acceptatio vtriúsque contrahentis, est validum.Sanch.*d.*12.*n.*3.Gutier. *de Matr.c.*45.Henriq.*l.*11. *c.*2.*n.*6. An autem Matrimonium contractum per procuratorem, aut literas sit Sacramentum , *sectione.* 2. exponam.

15 *Etas ad Matrim. necessaria.*

Ætas iure requisita ad Matrimonium validè ineundum,est pubertas, nempe annus duodecimus in fœmina,in viro autem decimus quartus.Hæc verò ætas in vtróque debet esse completa:quamvis satis sit vltima dies anni duodecimi in fœmina , & decimi quarti in viro. Ideò autem hæc ætas à Canonibus definitur, quòd tunc ad copulam habiles præsumantur , & ad coniugalem consensum. *Cap. Continebatur.Cap. Attestationes.* D. Thom. *in supplem. q.*58.*a.*5. Sylui,*ibi.*Diana *p.*3.*tr.*4. *resol.*177. *& part.*5.*tract.*5.*resol.*16.

16 *Impossibile antè ætatem aliquam adimplendam Matrimonium initi.*

Portò antè assignatam pubertatis ætatem in dubio,nec mas,nec fœmina præsumuntur apti generationi.Vndè antè eam ætatem asserenti hanc aptitudinem incumbit onus probandi. Quia præsumptionem contrà se habet.Nauar. *c.*22.*n.*19.Couar. 4. *Decretal.p.*2.*c.*5.*num.*3.Fateor,aliquando malitiam posse ætatem supplere ad Matrimonij validitatem antè ætatem iure præscriptam initi,si tunc adsit potentia generandi,& sufficiens ad se obligandum discretio.Expresè definitur *Cap.De illis. Cap. Puberes.Cap.fin.de desponsimpub.*

17 *Quanto tempore antè assignatam ætatem malitia suppleat.*

Quæritis,quanto tempore antè assignatam ætatem malitia suppleat? Existimo Iudicis arbitrio relinquendum. Quia nihil videtur iure præscriptum.Sanch.*d.*104. Scio tamen à Gaspare Hurtado *de matr.d* 22.*diffic.*12. vnius integri anni spatium assignari.Quia exprimi id, inquit,in *Cap.Continebatur,de desponsimpub.*ac proindè puella habens vndecim completos annos,& puer tredecim annumerans,sunt proximi pubertati , vt malitia ætatem supplente, possit validè Matrimonium inire.

18 *Peccatum letale dirimi Matrimonium antè ætatem legitimam inita.*

Demùm contrahere Matrimonium antè ætatem legitimam,est peccatum mortale. Quia textus *Cap.*2. *de desponsimpub.* continet præceptum obligans ad lethale. Dicit enim Pontifex: *Districtius inhibemus* , quibus in verbis prohibitio est continens præceptum. Interueniente autem iusta causa, ex licentia Episcopi, mortale non esset,antè ætatem legitimam coniugium contrahere,vt præfato *in Cap.habetur.* Sanch.*l.*1.*d.*17.*n.*5.Gutier.*de matrim.c.*2.*n.*16. Bonac.*de matr.q.*1.*pun.*4.*n.*6.Filliuc.*tr.*10.*p.*1. *n.*259.Ponti.*l.*7.*c.*65.*n.*3.Henriq. *l.*11. *cap.*13. *num.* 13.

CAPVT II.

De Matrimonij indissolubilitate.

19 *Matrimonij significatio, & indissolubilitas.*

MAtrimonium ratum significat vnionem dissolubilem Christi cũ anima in gratia existenti: consummatum verò indissolubilem eandẽ Christi cum anima repræsentat.Quia solùm per Matrimonium consummatum fiunt coniuges vna caro:quare solùm coniugiũ consummatum eam significat coniunctionem,per quam Christus factus est vna caro cũ Ecclesia per Incarnationis mysterium. Vndè secundum omnem sententiamMatrimonium consummatum saltẽ iure diuino indissolubile est.Mat.19. *Quos Deus coniunxit , homo non separet.* Quod etiam habet locum in Matrimonio infidelium consummato.Quia lex Christi omnes obligat, licet ex eius dispensatione explicata per Paulũ 1.*Cor.*7.dissoluatur,si alter tantùm conuertatur ad fidem.*Cap.*2.*de conuers.coniug.*Filliuc.*tr.*10.*c.* 2.Sanch.*l.*2.*d.*13.*num.*1.Bonac.*q.*2.*pun.*11.*n.*1.

20 *Dissolubile est Matrimonium ratum ob professionem solemnem in Religione approbata.*

Quamvis Matrimonium ratum per se,& ex sua natura dicatur perpetuum vinculum,& indissolubile:ex priuilegio diuino dirimitur Matrimonij rati vinculum per trium votorum solemnium in approbata Religione professionem.Vndè coniugatus,qui antè consummatum Matrimonium huiusmodi professionem gerit, remanet liber à coniugij obligatione;& licitũ est vxori in sæculo manenti cum alio Matrimonium inire.Trident.*sess.*24.*can.* 6. Less.*l.*2. *de Iust.c.*41.Sanch.*lib.*2.*d.*18.Sylui.*in supplem. 3.p.qu.*61.*art.*2.

21 *Quando Matrimonium ratum dirimitur vel nõ dirimitur per vota religionis.*

Non autem dirimitur Matrimonium ratum per vota simplicia,quæ emittuntur à quibusdã Tertiariis Diuorum Dominici,Francisci,& Augustini,qui collegialiter non viuũt,sed in propriis domibus degunt. Per vota autem Tertiariorum vtriúsque sexus,qui collegialiter viuũt sub Prælati regimine ex vi suæ Regulæ approbatæ , sub qua vota illa emittunt ; dissoluitur Matrimonium non consummatum. Quia eorum vota absoluta,& absque restrictione sunt professio solemnis,vt respondit Paulus III.cõsultus à Patribus Dominicanis.Idem asserit Põtius *l.*9.*c.*8.de votis de gentium propriis in domibus sub arbitrio,ac regimine Prælati. Quia eo ipso vota eorum sunt professio solemnis.Per vota Equitum S.Ioannis dissoluitur Matrimonium ratum. Quia eorum professio est solemnis,& in ea absolutæ castitatis voto illigantur absque restrictione. Secus dixerim de votis, & professione Equitũ D.Iacobi,Calatrauæ,& Alcãtaræ,quamvis sint Religiosi.Quia Matrimonium anteà factũ est cõpatibile cũ eorũ votis, vouẽt nãque solùmodò castitatẽ coniugalem. Præterea per vota Clericorũ,& Monialiũ Ordinis Militaris in claustro viuentium, dissoluitur Matrimoniũ nõ consummatũ. Quia sunt solẽnie,& absoluta.Sanch.*l.*1.*d.*18. Azor.*to.*1.*l.*13. *c.*6.*q.*4.Ponti.*l.*9.*c.*8.Non deniq; dirimitur per vota Scolariũ,& Coadiutorum etiã formatorũ nostræ Societatis Iesu.Quia sũt simplicia,licet publicè emittãtur.Nec per consecrationẽ alterius cõiugis in Episcopũ,aut per susceptionẽ Ordinũ Sacrorũ.Quia ius deficla solẽni professione

ſtatuit. Sanch. *d.* 18. *num.* 7. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *qu.* 3. *punct.* 3.

22 *Vt Matrimonium dicatur indiſſolubile, debet eſſe conſummatum.*

Igitur vt Matrimonium dicatur indiſſolubile, debet eſt conſummatum: & tale cenſetur quacúmque arte ſemen recipiatur intra vas naturale, ſiue penetratio vaſis fiat, ſiue non. Et hoc verum, quamvis dæmonis miniſterio ſemen viri in vaſe debito recipiatur. Quia ea copula ſufficiens eſt generationi, per eámque ſponſi vna caro efficiantur. Non verò conſummatur per copulam præcedentem. Quia matrimonialis non eſt, ſed fornicaria.

23 *Bimeſtre conceditur à iure ſponſis ad deliberandum circà Religionis ingreſſum.*

Porrò bimeſtre à iure præſcriptum antè conſummationem Matrimonij eſt ſponſis, non ad profitendum in Religione, quam poſſunt inire, ſed ad deliberandum de Religionis ingreſſu: ad profitendum enim datur integer annus, qui quidem à Iudice coarctari nequit, ſine cauſa vrgenti. Quia Tridentinum generaliter, & per verba negatiua ſtatuens, nè antè annum fiat profeſſio, eſt generaliter, & in omni caſu intelligendum. Illud autem bimeſtre conceſſum ſponſis ad deliberandum de Religionis ingreſſu non eſt ità præciſum, quin Iudex poſſit, cauſa cognita, illud reſtringere, aut prorogare. Quia licet quando datur terminus à lege abſque Iudicis miniſterio, nequeat Iudex reſtringere, vel prorogare, cum non ſit ſuprà legem: ſecùs tamen eſt, vbi datur miniſterio Iudicis: vt contingit in *Cap. ex publico*, vbi non ſignatur bimeſtre, ſed mandatur Iudici, vt deſignet: licèt Iudex ab eo bimeſtri facilè diſcedere non debeat, cum iuris ſit terminus. Nauar. *cap.* 16. *num.* 24. Armil. *verb. Diuortium*, *n.* 5. Sotus *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 4. Henriq. *lib.* 12. *c.* 5. *n.* 8. Rodrig. *c.* 238. *n.* 2. Sanch. *l.* 2. *d.* 24. *num.* 12.

24 *Tranſacto bimeſtri, poteſt quilibet coniux Religionem inire ſi Matrimonium non eſt conſummatum.*

Tranſacto bimeſtri, poteſt quilibet coniux Religionem ingredi, ſi Matrimonium nondum ſit conſummatum, quamvis plures anni elapſi ſint ab inito Matrimonio, quamvis alter nolit, & anteà interuenerit iniuſta debiti negatio. Quia, in præfato *Cap. Ex publico*, *de conuerſ. coning.* abſolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem antè conſummatum Matrimonium: & duo menſes tantùm aſſignantur, vt intrà eos nequeant coniuges cogi ad conſummandum: & vt eis tranſactis poſſint cogi, vel ad Religionem ineundam, vel ad conſummandum.

CAPVT III.

De Cauſa efficiente Matrimonij, quæ eſt conſenſus mutuus.

25 *Ad Matrimonij eſſentiam pertinet mutuus conſenſus contrahentium.*

NEceſſarius eſt ad Matrimonium mutuus conſenſus. Quia in Matrimonio eſt mutua corporum traditio: ſed quod eſt vnius, non traditur alteri, abſque proprio conſenſu. Imò iuxtà receptiorem ſententiam per nullam potentiam poteſt Matrimonium conſtare abſque proprio cõſenſu. Quia cõſenſus eſt de eſſentia Matrimonij; res autem per nullam potentiam poteſt abſque ſua eſſentia conſiſtere. Quod ſi vinculum hoc de potentia Dei abſoluta conſiſtere nequit abſque contrahentium conſenſu: multo minus humanæ poteſtati hoc erit cõceſſum. Poterit quidem Princeps, quando bono communi expedierit, aliquem compellere, vt alicui nubat; ipſo tamen inuito, Matrimonium conſiſtere nequit. Sanch. *l.* 2. *d.* 26. Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 3. *qu.* 1. Victor. *de Matrim. num.* 7. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 3.

26 *Conſenſus Matrimonium conſtituens non eſt explicitè in carnalem copulam, ſed implicitè.*

Cum carnalis copula non ſit de Matrimonij eſſentia, ſed eius effectus, & operatio: perfectio autem eſſentialis conſiſtat in mutua corporum traditione ad copulam: hinc conſenſus Matrimonium conſtituens, non eſt explicitè in carnalem copulam, ſed in ius ac poteſtatem ad eam: implicitè autem, & virtute ad copulam tẽdit. D. Tho. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *a.* 1. Suar. 3. *p. q.* 29. *a.* 2. *ſect.* 1. Viuald. *de Matrim. n.* 50. Henriq. *libr.* 11. *cap.* 15. *num.* 1.

27 *Tria Matrimonij bona recenſentur.*

Propterea Doctores tria bona conſtituere, quæ neceſſariò debent à contrahentibus intendi, vt Matrimonium ſine piaculo ineatur. Primùm eſt bonum Sacramenti, quod inuenitur in Matrimonio, quo cõiuges ſe diligunt, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, gratiámque recipiunt, qua facilius vinculum perpetuum poſſint tollere. Secundùm eſt, bonum prolis, quæ geratur, & educatur ad diuinum obſequium; & licet non ſemper ea ſequatur, ſaluatur tamen ſemper in ipſo fine intrinſeco, ad quem Matrimonium dirigitur. Tertium bonum eſt fidei, ſeu fidelitatis, quo coniuges ſibi mutuo obligantur ad reddendum debitum, cuique alij corpus negandum. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 3. *q.* 3. Bonac. *hic*, *qu.* 1. *punct.* 10. *num.* 4. Sanch. *libr.* 2. *d.* 29. *num.* 4. Tolet. *lib.* 7. *cap* 2.

28 *Quodnam bonum horum trium, neceſſariò debeat à contrahentibus intendi.*

Profectò contrahens Matrimonium debet ſaltem implicitè intendere bonum Sacramenti: quod præſtatur, quando non habet contrariam intentionem. Quare ſi haberet animum etiam corde retentum aduerſum bono Sacramenti, intendens non contrahere Matrimonium niſi ad tempus: non eſſet verum Matrimonium. Non eſt tamen opus, vt implicitè intendat alia duo Matrimonij bona: imò quamvis haberet intentionem aduerſam aliis duobus Matrimonij proximè aſſignatis bonis cor. de ſolo retentam, nec in pactum deductam; Matrimonium valeret. Ratio prioris eſt, quia de ratione Matrimonij eſt vinculum eſſe perpetuum: intendens autem Matrimonium inire diſſolubile ad tempus: verè non intendit Matrimonium. Poſterioris verò, quia ea intentio nihil attinens ad contractus ſubſtantiam aufert; nam poſito, quod velit quis contrahere, obligatur ex vi contractus ad non agendum aliquid contrà prædicta bona, non obſtante ſua intentione. D. Tho. *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 3. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 74. Tabie. *v. Matrimonium*, 2. *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *n.* 11. D. Antoni. 3. *p. tit.* 1. *c.* 19.

29 *Veniale peccatum eſt, Matrimonium ob copulam contrahere.*

Cum Matrimonium ad copulam ordinatur, & non principaliter ad ſobolem, vel ad concupiſcentiæ remedium, ſed ad alios fines indifferentes, Matrimonio tamen extraneos, vt pulchritudinem, diuitias, &c. eſt peccatum veniale. Quia Matrimonium primario inſtitutum fuit à Deo in naturæ officium ad ſobolis propagationem; ſecundario autem in concupiſcentiæ remedium. Rodrig. *tom.* 1. *c.* 240. *n.* 2. Henriq. *l.* 11. *c.* 4. *n.* 2. Caiet. *tract.* 12. *de matri. qu.* 3. Valdui. *part.* 1. *de matri. numer.* 68. Si tamen fines indifferentes Matrimonio extranei, ſunt ſolùm cauſa

causa secúdaria, & applicationis ad cõtrahendum, nulla erit culpa. Quia nulla est debiti finis inordinatio. Nauar. *c.* 22. *num.* 79. Angel. *v. Matrimonium* 2. *n.* 25. & 26. Couar. 4. *c Decretal. p.* 2. *c.* 1. *n.* 7.

30 Excludere expressa conditione Matrimonij fines lethaliter peccant.

Quando verò Matrimonium non contrahitur ratione copulæ coniugalis, tunc licitè contrahitur, scilicet, quamvis non intendatur soboles, nec concupiscentiæ remedium, vt contigit Matrimonio Deiparæ. Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *n.* 20. At si contrahentes expressa conditione excludant Matrimonij fines, lethaliter peccant. Quia Sacrilegium est grauis iniuriæ Sacramentis illatæ, expresse excludere finem, ad quem sunt instituta. Henriq. *l.* 11. *cap.* 4. *num.* 2. Tabie. *v. Mattimonium* 2. *quæst.* 4 *num.* 2.

31 Sin sufficit quicquid in vsum ad Matrimonium introductum.

Ad Matrimonium celebrandum non sufficit si verbis, aut signis exprimatur. Quia de ratione Sacramenti est, esse signum externum sensibile. Non est tamen necesse, vt consensus exprimatur per verba determinata: sed sufficit si nutus & signa sufficienter illum manifestent. Quia nullum est præceptum obligans sub mortali, ad contrahendum verbis Matrimonium. Fateor tamen, aliquod piaculum esse, non exprimere verbis consensum, quando iusta causa non subest contrahendi sine verbis. Quia non recedendum à communi vsu, & regula certa, & ordinaria absque causa iusta Sanchez *lib.* 2. *d.* 30. & 31. Coninch. *d.* 24. *nu.* 63. Filliuc *tr.* 10. *c.* 3. *q.* 4. Gutier. *c.* 63. *n.* 23. Rodrig. *to.* 1. *c.* 216. *n.* 5.

32 Valet matrimonium si tempore interueniat consensus contrarius præcedenti.

Necessarium non est, consensus vtriusque coniugis simul tempore præstari, sed satis est temporis mora intercedente: modo consensus prioris coniugis nõ sit reuocatus. Quia in omni contractu satis est consensus diuerso tempore adhiberi. Exigitur autem moralis simultas: ita vt nõ magnum interuallum inter vnius & alterius consensum apponatur. Quia in aliis etiam contractibus per longi temporis lapsum hæc voluntas non manet virtute, sed reuocatur. Sanch. *lib.* 2. *d.* 32. *num.* 3. Henriq. *l.* 11. *cap* 3. *mm.* 6. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 216. *num.* 8. Nauar. *c.* 22. *mm.* 80. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 3. *q.* 6. Vega *lib.* 2. *sum. casu* 71.

33 Quæ inter nullum obstet valori contractus præteritus præsenti, sed bene futuro.

Quod autem interuallum, inter vtriusque coniugis consensum obstet huius contractus valori, non conueniunt Doctores. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. putat, distantiam septennij obstare. Henriquez *l.* 11. *c.* 3. biennij distantiam, Barthol. Ledesma *hic dub* 17. existimat, vnius anni interstitium obstare. Ego verò cũ Sanchez *l.* 1. *d.* 32. *n.* 3. opinor, taxationem distantiæ obstantis remittendam esse prudentis arbitrio, perspectis peculiaribus circumstantiis. Qui aliquando longum tempus censendum est à quolibet fuisse præscriptum, vt quando quis per Epistolam consentit in procul abtentem; & aliquando breue, aut breuissimum, vt quando quis consentit in præsentem, à qua citò, vel statim cõsensum expectat. Quoties verò quis consentit & non expresse in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum suo consensui præscribit: censetur implicitè tempus aliquod limitatim suo consensui præscribere. Quia nullus est, qui velit per consensum alterius expectare, & quo ad hoc suspensus manere. Huttad. *de matr. d.* 3. *diffic.* 8 Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 292.

34 Quando consensus alterius fuit minus legitimus sufficit vt hic de nouo consentiat si alter consensit non reuocauit.

Quando consensus alterius coniugis fuit minus legitimus, eo quod fuerit fictus, vel metu extortus: satis est, vt ille, qui minus legitime consensit, denuo consentiat, dum alter consensum non reuocauerit. Quia cum consensus, alterius validus de se fuerit, iam ex parte huius consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui fictè aut metu externè consenti. Nauar. *ca.* 22. *nu.* 80. Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *mm.* 6 Filliuc. *tr.* 10. *n.* 84. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 191.

35 Necessum non est eum qui iterum est consensurus conscium fieri nullitatis Matrimonij.

Profectò in hoc casu necessarium non est, eum, qui iterum est consensurus, conscium fieri nullitatis Matrimonij; sed sufficit, vt qui est conscius inducat ignarũ, vt maioris amoris causa renouent consensum, id est dicendo mutuo, *Ego te in coniugem accipio*; aut in signum consensus se amplexando. Quia huic consensui nil videtur deficere, vt sufficiens sit, cum sit consensus personæ habilis, quo consentit in traditionem corporis. Imò consentire putarim esse, habere copulam affectu maritali, quamvis alter nullitatem ignoret. Quia copula huiusmodi videtur esse sufficiens signum coniugalis consensus. *Sect.* 2. quæstio recurret. Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 12. *quæstion.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. Sanchez *lib.* 2. *d.* 32. *mm.* 10.

36 Quando inualidum fuit defectu consensus vtriusque nõ sufficit vt cõsensus interuenus ab vtroque præstetur.

Quando Matrimonium fuit inualidum defectu consensus contrahentis vtriusque, vel ob metum vtriusque incussum: tunc ad validandum id non sufficit, vt consensus internus ab vtroque præstetur; sed requiritur, vt aliquo externo manifestetur signo. Quia Matrimonium inualidum defectu consensus vtriusque contrahentis, de nouo ita est celebrandum, ac si antea celebratum non fuisset. Non est tamẽ necessarium, vt de nouo coram Parocho & testibus præsentes iam externo contractui fuere. Et quia in Tridẽtino *sess.* 24. *c.* 1. *de refor.* vbi irritantur Matrimonia facta absque præsentia Parochi & testium aliorum, clandestina solummodo irritantur, quæ antiquo iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incommoda, & grauia peccata, maxime eorum, qui clam cum vna contrahebant, eaque relicta, aliud publicum matrimonium ineibant, cui malo non poterat Ecclesia mederi, cum ipsi de priori coniugio minimè constaret. At hæc ratio non extenditur ad hunc casum, cum prius Matrimonium inualidum, in foro Ecclesiæ validum ac publicum, fuerit: (eius enim nullitas, & impedimentum occulta sunt) & subinde si aliud coniugium vellent inire, impedirentur ab Ecclesia credenti Matrimonium illud publicum validum fuisse: Ergo Tridentini decretum hunc casum minimè vnquam comprehendit. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Bonac. *de matr. quæstion.* 2. *pun.* 9. *num.* 3. Nauar. *cap.* 22. *num.* 80. Coninch. *d.* 24. *dub.* 10. Hurtad. *d.* 3. *diffic.* 11.

37 Ad validandum Matrimonium publice nullum gerendus cõsensus coram Parocho & aliis testibus.

Certum tamen est, ad reualidandum Matrimonium publice & plene probabile nullũ, quamvis coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium esse illud iterum coram Parocho & testibus aliis celebrari. Quia prior contractus fuit publice nullus, & posterior, vtpote factus absque præsentia dictorum, non

posset ab Ecclesia validus iudicari ex defectu probationis requisitæ à Tridentino, faciendæ testimonio Parochi & testium aliorum. Omnes communiter.

38 *Validum est coniugium si subest aliquis error facti, vel iuris, & vterque consentiat, quantum in ipsis est.*

Validum est Matrimonium, si subest aliquis errori facti, vel iuris, & vterque consentiat, quantum in ipsis est, si verò contracto aliquo Matrimonio, quod validum ex errore existimetur, denuo in illud consentiatur, non ideo conualidatur; sed tantum ratificatur contractus, qui nullus est. Aragon. 2. 2. *quæs.* 33. *a.* 6. *c.* 3. Nauar. *cap.* 22. *num.* 47. Cum vero impetrata dispensatione, vel cessante impedimento, de nouo consentiendum est in Matrimonium anteà scienter nullum, vtriusque consensus requiritur vt externè renouetur. Quando verò ratificandum est Matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, coniux inscius de priori nullitate, certior fieri debet, celata nullitatis causa, & renouandus consensus. At si scandalum timeretur, vel rescissio Matrimonij cum infamia, satis esset cautè inscij consensum de nouo exquirere, dissimulata nullitate. Coram Parocho autem tunc renouandus est consensus, quando anteà coram ipso Matrimonium contractum esset, vel impedimentum ab aliquo ex assistentibus cognitum fuerit; quamvis in hoc casu dispensationis beneficio posset etiam secretò inter contrahentes tantùm renocari. Sanchez *l.* 2. *d.* 33. & 34. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 10. *cap.* 3. *quæs.* 7. Aragon. 2. 2. *quæs.* 33. *art.* 6. *capit.* 3. Nauar. *cap.* 22. *numer.* 47. Coninch *d.* 24. *dub.* 10. *num.* 90.

39 *Non sufficit taciturnitas ad consensum exprimendum.*

Non sufficit taciturnitas ad exprimendum regulariter matrimonialem consensum. Quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus. Ius tamen aliquando accipit taciturnitatem pro consensus expressione, vt accidit, quando quis promittit fœminæ quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipsius gerente: & pater vel mater, vel curam illius gerens pro ea repromittit; tunc enim validè Matrimonium contrahitur, si fœmina interius consentiat de præsenti. Quando tamen puella tacet, & nullus pro ea respondet, quamvis ipsa interius consentiat, non est validum: neque quando aliquis promittit de præsenti puellæ tacenti, & extraneus pro ipsa respondet, & repromittit. Quia quæ parens, vel tutor agit, censetur agere in gratiam, & fauorem puellæ, cuius curam gerit: & tunc valet regula Iuris, *Qui tacet consentire videtur*: Quando autem extraneus pro tacente respondet, puella non tenetur loqui, nec promissio alterius est illi simpliciter grata: vnde taciturnitas pro expressione Consensus non accipitur. Couar. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Nauar. *cap.* 22. *num.* 58. Sanchez *lib.* 2. *d.* 23. Conich *d.* 21. *dub.* 3. Gutier. *cap.* 13. *n.* 1. Laym. *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *numer.* 13. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 270. 271. & 272.

40 *Quæ coniecturæ sufficientes censerí debent ficti consensus.*

Quamvis regulariter loquendo Indicis arbitrio committatur decernere, quænam coniecturæ sufficiant, vt certitudinem moralem faciant ficti consensus in Matrimonio: sufficientes tamen hæ debent censeri: Primò, si cum vir protulit verba consensus in continenti reuocat: potest enim præsumi, per errorem proculisse. Secundò, si vir statim se fictè consensisse aperiat, aliudque Matrimonium ineat, vel transeat ad Religionem, aut ad Sacros Ordines promoueatur. Tertiò, si vir, asserens, se fictè consensisse, sit longè dispar, ita vt prudentis arbitrio vix credi possit, eum illam duxisse. Tamen hoc in casu, viro non promoto ad Religionis statum, non est tutum fœminæ ad alias transire nuptias, cum passim suppetant exempla virorum, qui cœco amore capti, nuptias valde impares celebrarunt. Quartò, etsi ea disparitas non inueniatur, fictus tamen consensus detegitur à viro, si id iuramento confirmet, & probabile sit, eum non peierare, & simul aliam ducat vxorem, vel Religionem profiteatur, vel Ordinem Sacrum assumat. Quintò, si puella neget, verum consensum se præstitisse, verisimilibus coniecturis metum patris comprobans, estque honestæ vitæ, & alij nubit. Sanchez *l.* 2. *d.* 45. *n.* 5. & 6. Nauar. *c.* 22. *numer.* 76. Sylueſt. *verb. Matrimonium* 4. *q.* 9. *dicto* 3. Victor. *numer.* 249. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæs.* 1. *art.* 3.

CAPVT IV.

De Matrimonio Clandestino.

MAtrimonium *Clandestinum* dicitur, quod clam fit: quod duobus modis potest contingere. Primò, quando fit sine Parocho & testibus. Secundò quando celebratur denunciationibus omissis. Quando autem reliquæ solemnitates prætereuntur, non Clandestinum sed minus solemne appellatur. Filliuc. *tra.* 10. *cap.* 5. *quæs.* 1. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *nu.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 117. *num.* 1. 41 *Quid Matrimonium Clandestinum.*

Matrimonium sine Parocho, & duobus vel tribus testibus, est inualidum, quamvis antè Tridentinum validum fuerit: vnde copula animo maritali habita, absente Parocho & testibus, modò non sufficit ad Matrimonium, licet aliàs fuerit sufficiens. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. Et id coatrahentes sine Parocho & testibus, peccant mortaliter. Quia faciunt irritum Matrimonium, & Sacramentum, & contrà Ecclesiæ prohibitionem in re graui. Ex Declaratione autem Cardinalium Matrimonium non est Clandestinum, & inualidum, quod domi celebratur, modo præsentes sint Parochus, & testes. Rebellus *part.* 2. *l.* 1. *quæs.* 7. *n.* 11. Coninch. *d.* 27. *dub.* 1. 42 *Matrimonium Clandestinum est inualidum.*

Matrimonium Clandestinum semper fuit illicitum. Patet ex Tridentino *sess.* 24. vbi habetur, Ecclesiam semper illud fuisse detestatam ac prohibuisse. Idem constat ex *Cap. Nullus* 30. *q.* & *Cap. Cum inhibitio, de clandest. desponſ.* Vnde Matrimonium sine Parocho & testibus aliis ineuntes, delinquebant contra Matrimonij bona & contra Ecclesiæ præceptum: quod cum esset de materia graui, eius trangressio mortalis erat ob grauissima incómoda ex illo prouenientia. Tamen concurrentibus grauissimis causis, poterat licitè fieri de quibus lege Nauarrum *capit.* 16. *numer.* 37. Sotum 43 *Semper fuit illicitum.*

in

in 4. dist. 28. quæstion. 1. art. 2.

44 *Non sufficit ignorantia ejus validitatis.*

Qui inuincibiliter ignorat legem irritantem Concilij, non ideo valide contrahit. Quia ignorantia quamvis inuincibilis non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad actus valorem. Sotus, Medin. Nauar. Rodrig. & alij apud Sanchez *libr. 3. d. 17. numer. 9. 10. & 11.*

45 *Mortale est contrahere sine præmissis Denunciationibus.*

Quamvis illud clandestinum Matrimonium quod absque præmissis Denunciationibus contrahitur validum sit, quia iure antiquo validum erat, & ab eo recedendum non est absque manifesto decreto irritanti: peccatum tamen mortale est, sic contrahere, quando denunciationes omittuntur sinè facultate, aut legitima causa. Quia in re grauissima grauibus obnoxia incommodis præceptum Ecclesiæ violatur. Nauar. *cap. 22. num. 70.* Reginal. *l. 31. num. 222.* Sanch. *l. 3. d. 5. n. 6.*

46 *Facultas dispensandi in denunciationibus Ordinario conceditur.*

Facultas verò dispensandi in denunciationibus antè & post Matrimonium consummatum, in Tridentino Ordinario conceditur. Nomine Ordinarij intelligendus est Episcopus, aut alter, Prælatus habens iurisdictionem quasi Episcopalem, qui non sit subditus Episcopo, aut etiam Vicario generali: non autem Parochus, aut alius Sacerdos inferior. Bonac. *quæstion. 2. punct. 6. num. 7.* Filliuc. *tract. 10. capit. 5. quæstion. 6.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 237.*

47 *Quis Concilium denunciationes præcedat.*

In Concilio Lateranensi generali II. præceptum erat, vt denunciationes Matrimonio præmitterentur, quod decretum Tridentinum innouauit, iussitque, vt Matrimonio præmittantur tres denunciationes à proprio contrahentium Parocho ttibus in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè faciendæ. Lateran. 2. *cap. 51.* Trident. *sess. 23. cap. 1.*

48 *Quando non sit peccatum mortale vnâ ex omnes denunciationibus omittere.*

Iuxta multorum sententiam, non esset mortale si Parochus vnam denunciationem omitteret, si moraliter certus esset, nullum subesse impedimentum. Sylues. *ver. Matrimonium 6. quæst. 7.* Sanchez *l. 3. d. 5. nu. 7.* Imo aliquando Matrimonium potest sine denunciationibus celebrari: etiamsi nõ adsit Ordinarij facultas, quando scilicet periculum est in mora, ita vt Episcopus non possit adiri, & alioquin Episcopus teneretur dispensare, si adiri posset. Reginal. *lib. 31. num. 224. & 226.* Tenetur verò Episcopus dispensare, vt Matrimonium sine denunciationibus celebretur, quando alioquin publicum aliquod sequeretur incommodum, aut priuatim notabile malum. Coninch *d. 27. dub. 6.* Sanch. *lib. 3. d. 10. num. 6.*

49 *Prælatus alterius contrahentis potest dispensare in vtrumque de denunciationibus & alteri delegare.*

Episcopus, vel Prælatus alterius contrahentis potest cum vtroque in denunciationibus dispensare, sicut potest alteruter Prælatus ratione connexionis vtrumque coniugio copulare Sanch. *libr. 3. d. 7. numer. 7.* Bonac. *de Matr. q. 2. punct. 6. n. 7.* Et hoc maxime verum de Prælato, in cuius Diœcesi celebrandum est Matrimonium. Et hanc dispensandi in denunciationibus facultatem potest Episcopus alteri delegare, cum illi iure Ordinario competat. Reginal. *lib. 31. num. 235.* Præterea qui possunt in denunciationibus dispensare, possunt similiter ex iusta causa breuiare vel producere denunciationum tempus: & ne festiuis diebus, sed ferialibus gerantur. Sanchez *lib. 3. d. 7. num. 5. & 6.* Diana *part. 3. tract. 4. re. al. 237. & 239.*

50 *Iusta causa ad dispensandum in denunciationibus.*

Vt Episcopus valeat in denunciationibus dispensare, iusta debet subesse causa. Porrò ex Doctoribus hasce iustas causas collegi. Quando creditur Matrimonium iniustè impediendum, vt per maleficia, aut parentum seu aliorum fraudes: Quando contrahentes sunt adeò ætate dispares, vt rubore ex publicatione sint afficiendi: Quando denunciationes fieri non possunt absque detrimento, aut notabili incommodo in fama, in corpore, vel in bonis fortunæ, aut sine scandalo: Quando vicinum est tempus, quo prohibitum sit nuptiis benedici, vt tempus Aduentus, vel Quadragesimæ. Quando notabilis sponsis subest commoditas Quando magnates sunt contracturi: Quando in mortis constitutus articulo, vult concubinam ducere. Verùm cum hisce septem in casibus Ordinarius dispensat, debet informari, num aliqua impedimenta subsint inter contrahentes. Henriq. *lib. 11. cap. 5.* Nauar. *cap. 22. num. 7.* Filliuc. *tract. 10. cap. 5. quæs. 7.* Reginal. *libr. 31. num. 235.* Coninch *d. 27. nu. 57.* Sanch. *lib. 3. d. 9.*

51 *Mortale est Matrimonium consummare ante præmissas denunciationes.*

Quemadmodum lethale piaculum est, Matrimonium ante præmissas denunciationes contrahere ita peccatum mortale erit illud, illis non præmissis, consummare. Quia contrahentes se periculo exponunt fornicationis, non adhibendo diligentiam ab Ecclesia præscriptam. Et hoc non tantum prima vice, sed etiam quoties dant operam copulæ. Quia eadem prorsus militat præcepti ratio, cum fornicationis periculum immineat, haud adhibita diligentia necessaria, vt facilius impedimenta detegantur. Nauar. *cap. 22. num. 83.* Reginal. *l. 31. num. 237* Sanchez *lib. 3. d. 11.* Coninch. *d. 27. num. 52. & 58.* Scio tamen problematice posse hanc sententiam sustineri, de quo *Sect. 2.*

52 *Quid Tridentinum circa denunciationes iusserit explicatur.*

Concilium itaque Tridentinum præscripsit *sess. 24. cap. 1. de reform.* in primis, denunciationes faciendas esse in propria Parochia: & quando sponsi sunt diuersarum Pariochiarum, in vtraque gerendas, si vero contrahentes habeant plura domicilia, seu Parochias, agendas esse in illa, in qua diutius habitant, & principaliorem habent larem: vel potius in ea Parochia sponsorum in qua verosimilius est sciri impedimenta, verbi gratiâ: in Parochia, vbi fuit antiqua parentum habitatio. Deinde iubet, denunciationes à proprio contrahentium Parocho geri, vel ab alio ex ipsius Parochi licentia, Parochus autem denunciationes absque legitima causa omittens per triennium ab officio suspendendus. Item præscribit, denunciationes tribus diebus festis continuis publicari. Non peccaret verò Parochus mortaliter si vno vel altero die festo omittat, ratione paruitatis materiæ: Secus si multos dies festos inter vnam & alteram denunciationem interponat. Demum præcipit, gerendas esse in Ecclesia inter Missarum solemnia. Dixerim ex Doctoribus, posse fieri extra Ecclesiam in loco, ad quem magna populi copia confluit, vt in prædicationibus: imò posse die non festo proferri, quando ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedit. Quia legis ratio saluatur. Sic ex Cardidalium declaratione Reginal. *l. 31. num. 2[illegible]*

*num.*225.Henriq.*lib.*11.*cap.*7.*num.*1. Coninch *d.*27.*num.*46.Rodrig.*cap.*217.*num.*6. Sanchez *libr.* 3.*d.* 6. *nu.* 8. Bonac. *de Matr. quæstion.... punct.* 6. *num.* 17. *&* 18. Diana *part.*3.*tract.*4. *resol.*236.

53 *Sub mortale tenetur quisque, impedimẽtum, quod adesse nouit in contrahere molitẽ tibus manifestare.*

Sub lethali piaculo quisque tenetur manifestare impedimentum, licet occultum, quod nouit adesse inter eos, qui contrahere volunt. Quia quilibet tenetur, saltem superiore præcipiente, peccatum inferens tertio damnum detegere. Non tenetur autem denunciare cõscius impedimenti cum graui suo incommodo; etsi timeat probabiliter, magnum scandalum ex denunciatione euenturum quamvis mandatum denunciandi sub excommunicationis pœna sit latum. Rodrig.*cap.*216.*num.*9. Sanchez *lib.* 3. *d.*13.Nauar.*cap.*22.*numer.*81. Reginal.*libr.*41. *num.*128.

54 *Qui audiuit ab alio adesse impedimẽtũ, vt debeat manifestare?*

Qui autem nouit impedimentum ex solo auditu, vt si audierit à persona fide digna, tenetur, ea non denunciante, manifestare. Quia dictum hominis fide digni facit fidem & veram notitiam. Secus si audiuit à persona non certo id sciente: vel si non meminit à qua persona audierit. Demùm si impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, non statim est denunciandum, sed laborans eo impedimento monendus fraternè, vt à coniugio ineundo desistat, si ex monitione speretur vtilitas. Quod si monitis non acquiescat, erit denunciandus. Bonac. *de Matr. q.*2. *pun.*6.*n.*20.Sanch.*l.*3.*d.* 13,*nu.* 7. Coninch *d.*27.*n.*61.

CAPVT V.

De Ministro solemnitatis Matrimonij.

55 *Minister solemnitatis Matrimonij est Parochus & duo testes, qui necessario adesse debent, vbi Tridentina est acceptatum.*

SOlemnitatis Matrimonij Minister est Parochus & duo testes. Hi semper adesse debent, etiamsi in mortis articulo contrahendum esset Matrimonium; neque in eo dispensare quacumque ex necessitate poterit Episcopus. Filliuc.*tract.*10.*cap.*6.ex Trideotino *sess.*24.*cap.* 1. In loco tamen, vbi non est promulgatum, aut receptum Concilium saltem quo ad hoc particulare. decretum, validum est Matrimonium sine Parocho, & testibus. Quia lex non obligat, nisi sit promulgata, & acceptata. Vndè si incola vnius loci, in quo promulgatum, & acceptatum fuit Tridentinum, transferat se ad locũ, vbi promulgatũ non fuit, aut acceptatum: sine præsentia Parochi, ac testium, poterit Matrimonium validè contrahere. Quia hoc est speciale in contractu, vt iuxtà solemnitates receptas in loco, vbi gerendus est, celebretur: Sanch. *lib.*3.*d.*18.*num.*28.Reginal.*lib.*31.*n.*176.Henriq. *lib.*11.*cap.*3.*num.*8. Ponti. *l.*5. *cap.*9. E contra si incola illius loci, in quo non est acceptatum Tridentinum, ad eum locum diuertat, vbi est acceptatum, non potest contrahere sine Parocho, & testibus. Quia licet extraneus non teneatur legibus loci, ad quem diuertit absque intentione ibi manendi maiore anni parte: in contractibus tamen debet sequi leges, ac conditiones præscriptas in eo loco, in quo illi celebrantur: sed Matrimonium est verus contractus: Ergo. &c Coninch.*d.*27.*dub.*1. Leg. *si fundus, ff. de euicti.* & alij communiter.

56 *Duobus in casibus valid. est coniugium sine assistẽtia Parochi.*

Valida tamen sunt duobus in casibus Matrimonia contra formam Tridentini contracta. Primus est, cum Parochialis Ecclesia proprio Parocho caret vacans vtique: & simul Cathedralis caret Episcopus atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi: nulluque alius ibi est, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat: Matrimonium valet absque præsentia Parochi, seruata tamen in eo, in quo potest, forma Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Secundus est, si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario vterque hæreticorum metu lateat, ità vt vere ignoretur, vbinã sit; vel si eodẽ metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absq; Concilij forma, adhibitis tamen duobus testibus. Sic declaratio Cardinalium edita 16 Ianuar. anno 1603. apud Syluium *in supplem. q.* 43. *art.*5.*quæst.*4.

57 *Vbi Tridentini constitutio viget, necessitate Sacramenti exigitur præsentia Parochi proprij.*

Vt valeat igitur Matrimonium in locis vbi Tridentini constitutio viget, exigitur necessitate Sacramenti assistentia proprij Parochi, vel alterius Sacerdotis de eius, vel Ordinarij licentia. Sufficit autem Parochus alterius contrahentium, verbi gratiâ, si coniugium in Parochia spõsi celebretur, sufficit spõsi Parochus: & si in Parochia sponsæ, sponsæ Parochus. Quia licèt quoad reliqua Sacramẽta Parochus alterius contrahẽtis nõ sit vtriusq; Parochus: at quoad Matrimoniũ Parochus alterius est vtriusq; ratione cõnexionis, eo quod Matrimoniũ non nisi inter duos potest consistere Henriq. *libr.* 11. *cap.* 3. *num.*2.Rodrig.*cap.*219.*num.*5.Filliuc.*tract.* 10. *cap.*6.*quæs.*2.*&* 3. Coninch. *d.* 27.*dub.*2. *num.* 18.Sachez *lib.*3.19. *num.*4. Illos autem, qui duplicem habent Parochiam habitationis, verbi gratiâ, qui hyeme habitant vno in loco, æstate verò in alio; quilibet Parochus ex duabus illis habitationibus potest cõiungere. Quia vterque est eorum Parochus. Gutier. *cap.*62. *numer.* 4. Coninch. *citat. num.* 19. Sanchez *lib.*3.*d.* 24. *num.*2.

58 *Quinam Parochus vagorum Matrimonio debeat interesse.*

Matrimonio vagorum, qui nullibi habent domicilium, potest quilibet Parochus valide interesse, sicut quilibet potest eorum confessiones audire, & Sacramenta administrare. Caueat tamen Parochus, nè illorum Matrimoniis assistat, prius quam adhibuerit debitam diligentiam in indagandis impedimentis: & antequam obtinuerit ab Ordinario licentiam assistendi illorum coniugio, vti Tridentinum præscribit *sess.*24.*cap.*7.Gutier.*cap.*65.*nu.*6. Sanch. *lib.*3.*d.*25.

59 *Parochus alterius contrahentis tis potest valide assistere in alterius Parochia.*

Portò sufficit proprius alterius contrahentis Parochus, etiamsi in Parochia alterius sibi non subditi Matrimonium celebretur. Quia Matrimonio assistere reducitur ad iurisdictionem voluntariam, cum non exigat causæ cognitionem. Ergò validè extra Parochiam exercetur. Hinc infero, proprium Parochum sine piaculo suos subditos coniungere nõ solum extra propriam Parochiam, sed etiam extra propriam Diœcesim. Quia ex Tridentini decreto constat, formam ab eo præscriptam, & seruandam in eo intrinsecè ac essentialiter sitam esse, vt adsit Parochus,

Parochus, vel alius de Parochi, aut Ordinarij licentia Sacerdos, ac duo seu tres testes: Ergo reliqua omnia extrinseca sunt, & accidentaria, scilicet locus, tempus, &c. Aſt quamvis ordinariè in loco Sacro debeat fieri: ex causa tamen Parochus posset assistere in loco non Sacro, puta si malitiosè Matrimonium esset impediendum, vel accessus, ad locum Sacrum sine periculo non pateret. Non esset mortale assistere domi, etiamsi non adeò graues causæ intercedant, modo solemnitates postea in Ecclesia peragantur, puta benedictio, & aliæ cæremoniæ in Rituali præscriptæ. Rodrig. *cap.* 219. *num.* 5. Henriq. *libr.* 11. *cap.* 3. *num.* 1. Reginal. *lib.* 31. *num.* 177. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 232. Sanch. *l.* 3. *d.* 19. *num.* 11.

60 *Non est necessarium Parochum esse presentem vt matrimonium valeat.*

Non est necessarium, Parochum, qui Matrimonio interest, Sacerdotē esse. Quia Parochus non Sacerdos exercere potest omnia, quæ à potestatis Ordine non dependent: sed interesse Matrimonio, non est actus ordinis: & illius præsentia non requiritur in hoc casu ad functionem Sacerdotalem exercendam. Verùm quamvis validè possit Parochus non Sacerdos Matrimonio assistere: non tamen licitè. Quia cum debeat benedictionem impertire, & ex præcepto Ecclesiæ dicere: *Ego vos coniungo:* hoc vt decenter perficiatur debet à Sacerdote geri. Itaque si contingeret, Parochum non Sacerdotem assistere, non potest stola vti, nec impertire benedictionem. Nauar. *lib.* 4 *consil. tit. de sponsal. consil.* 30. Henriq. *libr.* 11. *cap.* 3. Filliuc. *tract.* 10. *numer.* 203. Reginal. *libr.* 31. *numer.* 177.

61 *Non qui de licentia Parochi assistit debet esse Sacerdos.*

Attamen alter, qui de licentia Parochi assistit, debet esse Sacerdos, vt Tridentinum ait. Vnde minimè conferri potest hæc licentia non Sacerdoti. Igitur assistente Diacono de licentia Ordinarij vel Parochi Matrimonium erit irritum. Sanchez *lib.* 3. *d.* 20. *nu.* 10. Bonac. *de Matr. quæs.* 2. *punct.* 8. *num.* 16. Gutier. *cap.* 61. *num.* 16. & 17. Non requiritur autem vt Sacerdos, cui datur licentia à Parocho assistendi Matrimonio, sit approbatus ab Ordinario: imò validè assistit, quamvis sit excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis. Quia hæc assistentia non est actus iurisdictionis, exercerique potest per excommunicatum, & irregularem, vel etiam degradatum. Sayr. *de Censur. l.* 5. *c.* 22. *n.* 26.

62 *Parochus excommunicatus assistere valide potest.*

Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, suspenso, vel irregulari non tolerato, validū est. Quia excommunicatus, suspensus, vel irregularis, dum Parochia non priuatur, manet in possessione, & verus Parochus est. Quia præsentia Parochi requiritur in Matrimonio, quasi authoritatem illi præstans: sed authoritatem præstare actui præsentia alicuius non est actus iurisdictionis: Ergo potest valide fieri ab excommunicato non tolerato. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. Reginal. *libr.* 31. *num.* 177. Coninch *d.* 17. *num.* 24. Gutier. *cap.* 62. *num.* 23. Diana *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 78.

63 *Archiepiscopus non potest coniungere subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi.*

Archiepiscopus non potest coniungere subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi. Quia non est illorum Ordinarius nec Superior nisi in gradu appellationis, Hanc autem licentiam præter Parochum dare potest Episcopus, Vicarius eius generalis, Prælatus habens authoritatem quasi Episcopalem, vt sunt Cardinales in suorum titulorum Ecclesiis, & quidam Abbates in Ecclesia nulli Episcopo subiecta, & Vicarius Parochi habens facultatem administrandi Sacramenta, & assistendi Matrimoniis, siue sit permanens, siue amobilis. Licentia tacita ex ratihabitione de futuro, qua alienus Sacerdos probabiliter credit, Parochum ratihabiturum, sufficiēs non est, vt sit validum Matrimonium, Quia valor Sacramenti non potest esse in pendenti, sed statim aut debet esse validum, aut irritum. Necessarium verò non est, dare licentiam in scriptis. Quia Tridentinum hoc non exigit: & scriptura non est de essentia gratiæ priuilegij. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *numer.* 4. Rodrig. *c.* 217. *n.* 16. Reginald. *l.* 31. *num.* 178. Coninch *d.* 17 *n.* 17.

64 *Delegatus Sacerdos vt Matrimonio assistat, non potest alteri Sacerdoti id delegare nisi delegatus sit ad vniuersitatem causarum.*

Sacerdos, qui delegatam habet authoritatem assistendi Matrimonio, illam non potest alteri Sacredoti delegare, nisi delegatus sit ad vniuersitatem causarum. Vnde qui ad tempus vel per Episcopum, vel per Parochum constitutus ad curam Pastoralem administrandam, alium ad hunc effectum subdelegare potest. Quia delegatus est ad omnia Pastoralia negotia. Vicarius autem Pastoris, qui simul cum ipso curam administrat, alium sibi substituere nequit. Quia delegatus ad vniuersitatem causarum non censetur. Multoque minus quilibet alius Sacerdos, quem fortè Parochus in aliquo negotio sibi coadiatorem adhibuerit, Doctores communiter.

65 *Licentia assistendi Matrimonio per metum extorta valet per dolum minimè.*

Cum licentia assistendi Matrimonio extorta fuit per metum leuem aut grauem, Matrimonium est validum. Cum autem extorta fuit per dolum & mendacia versantia circà causam finalem, est inualidum: secus quādo licētia fuit extorta per dolum, & mendacia versantia solummodò circà causam impulsiuam. Gutier. *c.* 69. *num.* 14. Reginal. *lib.* 31. *num.* 182. Sanch. *l.* 3. *d.* 39.

66 *Parochus prohibitus ab Episcopo assistere Matrimonio adhuc validè assistit &c.*

Parochus interdictus seu prohibitus ab Episcopo, assistere, Matrimonio, adhuc validè assistit. Quia posita ea prohibitione Parochus adhuc iurisdictionem retinet. Idem dixerim, quando huiusmodi prohibitio facta fuit Vicario, vel adiutori Parochi. Imo Parochus, cui vetitum fuit à superiore administrare Sacramenta ob inscitiam, validè adhuc Matrimonio assistit. Quia huiusmodi assistentia non est propriè Sacramenti administratio, modo Parochus sit compos sui, & externo sensu contrahentium consensum percipiat siuè per se immediatè, siue per interpretem; quod verum est, etiam si per vim inibi detineatur. Quia sic saluatur finis decreti Concilij, qui est, vt tale Matrimonium constet Ecclesiæ. A fortiori valebit, quando Parochus dolo vocatus intereſt cōiugio. Idem dixerim, si casu interfit: est enim eadem ratio. Peccabunt autem mortaliter contrahentes, si Parochum vi detineant. Quia & ipsi infertur iniuria, & Ecclesiæ authoritas contemnitur. Rodrig. *part.* 1. *c.* 217. Reginal. *l.* 31. *num.* 179. Sanchez *l.* 3, *d.* 39. *n.* 1. Bonac. *de matr. q.* 2. *punct.* 8. *n.* 19. Filliuc. *tr.* 10. *cap.* 6. *quæs.* 3.

67 *Parochus iniustus tituli Beneficij huius bens, validè assistit.*

Parochus iniustum titulum Beneficij habens eo quod commisit delictū aliquod, ratione cuius priuatus fuit ipso iure Beneficio: vel quia acceptauit Beneficium in communicatione:

vel

vel quia habet Beneficium incompatibile validè assistit Matrimonio, modò in iudicio nondum fuerit illo legitimè spoliatus. Quia adhuc est Parochus cum titulo, & errore communi. Sanchez *lib.3.d.22.num.60.61. &c.* Henriq. *l. 11.cap.3.num.4.* Rodrig.*cap.217.num.8.* Filliuc. *tract.10.cap.6.quæs.4.* Reginal.*lib. 31.num. 97.* Lessi.*lib.2.cap.29.dub.8.num.67.& 68.*

68 *Vt autem eius gesta valeant tria requiruntur.*

Porrò vt ab huiusmodi Parocho iniustum titulum Beneficij habente gesta valeant, tria debent concurrere. Primum, vt adsit titulus coloratus, seu putatiuus: qui adesse censetur, quando superior legitimus confert alicui dignitatem, vel Beneficium, seu collatio est invalida ob occultum aliquem impedimentum recipientis collationem, vt si fiat excommunicato. Titulus coloratus est, quando aliquid recipit dignitatem, vel Beneficium à legitimo superiore, sed postea perpetrat delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus illa dignitate, aut Beneficio: vel quando superior occultè dignitatem, vel facultatem reuocat. Secundum, vt adsit error communis, seu probabilis, quo aliquis communiter habeatur pro vero titulari Beneficiario, Parocho &c. non vero sufficeret vnius vel alterius error. Tertium, vt nullum adsit impedimentum iuris diuini, vel naturalis. Hisce concurrentibus, gesta per Iudicem, Prætorem, Parochum, & Confessarium valida sunt. Quia ius humanum defectum veri tituli supplet, vt habetur. leg. *Barbarius. ff. de offic. Prætor.* Et huiusmodi defectus etiam ab Ecclesia, quando adest opinio probabilis. Quia tunc censetur adesse error communis, & titulus coloratus: verbi gratiâ, quando est opinio probabilis aliquem posse à reseruatis absoluere, aut à censuris, aut posse Matrimonio assistere: tunc enim sequens opinionem probabilem, validè absoluit, validè Matrimonio assistit. Diana *p.4.tr.4. resol.4.& tr.1.miscel.resol 29.* Crousers *ad cap. 7.regulæ Minor.lect.22.fol.701.* Secus dixerim, si cum titulo colorato, & errore communi interueniat impedimentum iuris diuini, vel naturalis: nam tum Prælatus, vel Ecclesia non potest huiusmodi supplere defectum, cum non habeat potestatem in superiorem: sicut potest supplere, & de facto supplet defectum iuris humani, ne aliàs sequantur multa incommoda, multæ perplexitates, multa dubia, & scrupuli. Bonac. *de matr.q.2.pun.8.n.25.* Caiet. *v. Confessio iteranda.* Palud. *in 4. dist. 17. quæstion. 6. art.1.*

69 *Inualida sunt gesta illius qui absque legitima authoritate se in Parochi intrusit officium.*

Gesta per illum, qui absque legitima authoritate se in Iudicis, Parochi, vel Confessarij intrusit officium, foro in vtroque sunt inualida. Quia intrusus non habet titulum verum, vel coloratum. Vnde si aliquis simplex Capellanus vel Sacerdos à laico Parochus constitueretur, inualidè Matrimonio, assisteret, & inualidè absolueret, quamvis communiter pro vero Parocho haberetur. Nauar. *cap.9.num.9.* Gutier. *cap.62.num.26.* Coninch. *d.17.num.26.* Sanch. *l.3.d.22.num.29.*

70 *Nō requiritur ad Matrimonij validitatem, vt Parochus aliquibus verbis vtatur: tenetur tamen*

Ad Matrimonij validitatem non requiritur vt Parochus, vel alius Sacerdos Matrimonio assistens, in eius celebratione aliquibus verbis vtatur. Quia Tridentinum in clausula irritante nullam verborum gerit mentionem. Tenetur tamen ex eiusdem Tridentini præcepto his vti verbis: *Ego vos coniungo in nomine Patris, &c.* vel saltem aliis iuxtà patriam consuetudinem. Reginald. *lib.31.num.175.* Coninch *d.17. num. 45.* Sanch. *l.3.d.38. num. 47.* An verò horum verborum omissio sit mortale piaculum, *sect.2.* patebit.

tur tamen ea prouincia præscripto Concil.

Præter Parochum, ad Matrimonij validitatem necessaria est duorum, vel trium testium præsentia, quæ debet esse moralis, & humano modo: vt scilicet aduertant, & intelligant quod agatur. Item debet esse simultanea, & non sufficit successiua. Hinc dormientes, ebrij, furiosi quandiu carent lucido interuallo, non sunt testes idonei. Quia non possunt esse præsentes humano modo. Aliæ autem personæ, quæcumque illæ sint doli capaces possunt esse in coniugio testes, cuiuscumque ætatis, conditionis, & status existant. Vndè impuberes vsum rationis habentes, fœminæ, consanguinei, pater, vel mater, familiares, infideles admitti possunt in matrimonio quamvis non admittantur tanquã testes idonei aliis in negotiis. Quia Tridentinum nullos excipit testes. Nec requiritur, vt testes sint rogati. Quia nullo iure talis solemnitas in coniugio præscribitur. Imo validum Matrimonium esset, quamvis testes per violentiam cogantur assistere, modo aduertant, quod agitur. Nil etiam obstat, quod tanquam alia de causa vocati sint & Parochus, & testes, atque inter conuiuandum (verbi gratiâ) coram illis res geratur, etiam non monitis, modo tunc appareat, contrahentes eorum præsentiam requirere: possintque ea quæ geruntur, cognoscere. Quod si Parocho affectante, de facto non intellexerit, iudicat Sacra Congregatio valori Matrimonij minimè obstare. Vnde non est necessarium, vt Parochus Matrimonio adsit tanquam ex intentione exhibendi suam præsentiam authoritatiuam in persona Ecclesiæ: sed sufficit, quod præsens sit, & possit testari, appareatque ad illum actum esse adhibitum. Idem de testibus dixerim. Quia hi dicuntur præsentes, cum sufficienter aduertant ad id quod agitur, possintque de hoc testimonium ferre. Nec vlla alia præsentia in Tridentino requiritur. Sanchez *lib.3.d.39.* Gutier. *cap.55.num.9.* Reginal. *lib.31.num. 187.* Filliuc. *tract. 10. cap. 6. quæs. 10.* Sylui. *in supplem. quæstion. 45. art.5. quæst.9.*

71 *Necessaria est præter Parochum duorum aut trium testium præsentia, & qualiter debeant hi assistere.*

In Clementina *Religiosi, de priuileg.* excommunicatione reseruata Pontifici vulnerantur Religiosi solemnizantes Matrimonia, haud habita super his speciali Parochi licentia. Monuerim tamen, quod solemnizare Matrimonia, non sit idem, quod ministrare. Quia sicut hoc solis contrahentibus competit, ita per Religiosos fieri non potest. Neq; solemnizare idem est, quod, instar Parochi, contrahentibus adesse. Quia licèt præsentia Parochi iuxtà Tridentinum dici possit quædam solemnitas Matrimonij: non tamen est illa, de qua Canon præsens qui quidem de sola illa solemnitate loquitur, quæ consistit in Sacerdotali benedictione, quam sponsi post Matrimonium ritè contractum solemniter in Ecclesia recipiunt. Præterea assistens Matrimonio sine licentia afficitur suspensione lata in Tridentino *sess. 24. cap.1.* vbi sub pœna suspensionis ipso facto interdictum est Parocho, aliisque Sacerdotibus tàm Regularibus, quam sæcularibus, nè alterius Parochiæ sponsos sine proprij Parochi licentia in

72 *Sub excommunicationis & suspensionis pœna Religiosi prohibetur Matrimonium solemnizare & quamdiu ista solemnizatio.*

Matrimonium

Matrimonium coniungere, aut benedicere audeant; alioquin suspensi maneant, donec ab Ordinario illius, qui Matrimonio interesse, vel benedictionem conferre debebat, absoluantur. Quæsieris, nùm Religiosus solemnizans Matrimonia hoc tempore sine speciali facultate, vtramque Censuram excommunicationem scilicet & suspensionem incurrat? Receptiori ex sententia sola Tridentini suspensione afficitur, in quam excommunicatio Clementinæ in hac parte commutata videtur. Quia ità Sacra Congregatio declarauit: & ne duplex pœna ob idem delictum incurratur. Sayr. *de Censur. l. 4. c. 15. n.* 2. Suar. *de Censur. d.* 12. *sect.* 4. Bonac. *de Matrl. q. 4. pun. 6. n.* 3.

73 *Pœna imposita his qui sine Parocho & aliis testibus Matrimonia contrahunt.*

Contrahentes absque Parocho, & aliis testibus vbi Tridentinum viget, puniendi sunt gravi pœna Ordinarij arbitrio, vti idem Tridentinum statuit. At vbi Tridentinum non viget, cõtrahentes clandestine absque testibus, & forsam etiam absque proprio Sacerdote, sunt etiam arbitraria pœna plectendi, vt præscribitur *Cap. fin. de Clandest. desponsat.* Et ob eiusdem Cap. decretũ sic contrahentes etiam puniuntur in eo, quod eorũ proles sit illegitima, quãdo contrahunt in gradu prohibito, quãvis ignorãter. In aliquibus Diœcesibus excõmunicantur ipso facto Synodali excommunicatione. In Castellæ Regnis illis imponitur pœna priuationis omnium bonorũ, & exilij ab his Regnis, & quod possint à parẽtibus priuari hæreditate. Sanch. *l. 3. d.* 47.

CAPVT VI.

De contractu Matrimoniali sub conditione.

74 *Pœna in Matrimonio conditionata.*

EX conditionibus, quæ Matrimonij contractui apponi possunt, aliæ sunt necessariæ, aliæ turpes, aliæ impertinentes, aliæ impossibiles, aliæ honestæ, aliæ de præterito, & aliæ de futuro. Porrò ex turpibus quædam sunt contra substãtiam & bona Matrimonij, & hæ quæ repugnant præcipuis Matrimonij bonis, id est fidelitati, & Sacramento, id est, indissolubilitati Matrimonij v. gr. Contraho tecum, si generationem prolis euites, vel donec pulchriorem inueniã. Aliæ sunt turpes non contra substantiã, & bona Matrimonij, v. gr. Cõtraho tecũ, si mecũ concubuẽris. Sanch. *l. 5. d. 1. n.* 3. Bonac. *hic, q. 2. pu.* 10. *n.* 3. & 4. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 4. *q.* 11. singula expendo.

75 *De Matrimonio inito sub conditione necessaria.*

Matrimonium initum sub necessaria conditione est absolutum, & validum ante expectationem euentus conditionis non solum in foro externo, sed etiam in interno, modo contrahentes non habuerint intentionem suspendendi consensum vsque ad conditionis euentum: tunc enim Matrimonium sub necessaria conditione celebratum, non est validum de præsenti. Quia non adest mutuus consensus de præsenti. Sicut nec est validũ, si contrahens ponat conditionem necessariam, credens illam esse contingentem. Quia non habet consensum de præsenti cum intendat tantummodò contrahere dependenter ab euentu illius conditionis. Conditio autem necessaria est, Duco te in vxorem, si cras Sol orietur. *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. Nauar. *cap.* 22. *n.* 67. Coninch *d.* 29. *n.* 8. Henriq. *l.* 11. *c.* 12. *n.* 4. Victor. *de Matri. n.* 260. Sanch. *l.* 5. *d.* 2. *num.* 2. Sylui. *in supplem. q.* 43. *a.* 1. *quæsito* 1. *concl.* 5.

76 *Sub conditione turpi contra Matrimonij substantiam.*

Matrimonium sub aliqua conditione turpi celebratum, quæ sit contra Matrimonij substantiam, seu quæ tribus præcipuis bonis aduersetur, irritum est, si conditio adiungatur, vt de futuro præstanda. Quia conditio contra substantiam contractus destruit contractum. Si tamen huiusmodi conditio adhibeatur post contractum Matrimonij, non efficit illud inualidum. Quia iam valide contractum esse supponitur. Idem dixerim, quando huiusmodi conditio non adiicitur vt de futuro præstanda, sed apponitur de præterito, vel de præsenti. Vnde si quis dicat puellæ: Contraho tecum, si fornicationem commisisti, tui anxius remedij: valide statim Matrimonium contrahit, si puella fornicata sit; secus si fornicationem non commiserit. Gutier. *capit.* 28. *numer.* 4. Coninch *d.* 29. *num.* 9. Sanch. *l.* 5. *d.* 9. Couar. *part.* 2. *Epit. c.* 3. §. 1. *n.* 9.

77 *Sub conditione turpi, sed non contra substantiam Matrimonij.*

Conditio autem turpis, quæ non est contra Matrimonij substantiam, sicut & impossibilis adiecta Matrimonio, habetur pro non apposita, Matrimoniumque validum manet, modo adsit absolutus contrahentium consensus. Secus dicendum, si consensus absolutus non adsit, & cõtrahentes non consentiant nisi sub cõditione turpi, vel impossibili: tunc enim non est validum Matrimonium eo quod non adsit consensus de præsenti, qui ad Matrimonij validitatem est necessarius. Lessi. *libr.* 2. *cap.* 18. *numer.* 122. Sanchez *libr.* 5. *d.* 15. Henriq. *libr.* 21. *cap.* 12. *num.* 5. 6. Valent. *tom.* 4. *d.* 10 *quæs.* 3. *punct.* 3.

78 *De conditione honesta possibili de præsenti & præterito; & de possibili de futuro.*

Conditio honesta & possibilis de præsenti, vel præterito adiecta Matrimonio, illud non vitiat, nec suspendit, sed si conditio tunc est vera, verbi gratiâ, si pater tuus vult, vel voluit, est statim validum Matrimonium. Si verò est falsa, est statim irritum. Validum, inquam statim est. Quia tunc nihil deest ad Matrimonium cum adsit consensus mutuus de præsenti, si est tunc vera conditio. Coninch *d.* 29. *num.* 8. Sanch *l.* 5. *d.* 6. *n.* 1. & 2. Diana *p.* 2. *tr.* 4. *resol.* 291. Matrimonium verò celebratum sub conditione honesta & possibili de futuro, non est validum ante conditionis euentum. Quià ea est natura conditionis de futuro, vt suspendat valorem contractus sub ea initi in euentum conditionis. Nauar. *cap.* 22. *num.* 65. Bonac. *hic qu.* 2. *punct.* 10. *numer.* 20. Coninch *d.* 29. *n.* 11.

79 *De conditione inter consanguineos & affines.*

Matrimonium contractum inter consanguineos, vel affines, vel inter alios habentes aliquod impedimentum, sub conditione, *si Papa dispensauerit*, validum est conditione impleta, seu adueniente dispensatione, Quia contrahentes sub illa conditione non contrahunt pro tũc sed pro futuro tempore, nempe pro tempore conditionis adimpletę, quo tempore sunt habiles, & nihil obstat, quominus Matrimonium perficiatur: Ergo verè perficitur tempore illius conditionis impleræ per dispensationem. Sanch. *l.* 5. *d.* 8. *n.* 10. Coninch *d.* 29. *n.* 18. Couar. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 8.

80 *Sponsalia inter eos, quibus habent impedimentum dirimens apposita conditio.*

Scio quosdã Doctores apud Sanch. cõtrarium asseruisse de sponsalibus: talẽ nẽpè promissionẽ esse nullã. Quia ea cõditio tanquã impossibilis

ditione si Papa dispensauerit, valida sunt.

reiicitur: imò huiusmodi cõsangu neos incurrere excommunicationem latam, in Clementina *vnica de consang.* sed crediderim, sponsalia inter eos, qui habẽt aliquod impedimentum dirimẽs, etiã valida esse, appositã conditione: *si Papa dispensarit.* Quia huiusmodi spõsalia respiciũt Matrimonium licitum, nam licet de se sit prohibitum, fit licitum ex dispensatione: & sponsalia nõ ordinantur quomodocumque ad ipsum, sed vt stat sub dispensatione, atque adeò vt licitum. Et ratione conditionis suspenditur obligatio, quam inducunt, vsque ad tempus, quo impletur conditio; vnde sponsalia provt inductiua obligationis, habent tractum veluti successiuum, quo durant, quousque apponitur conditio, atque adeò quousque fit licitum Matrimonium. Ponti. *l.* 3. *c.* 15. *n.* 4. Præposit. *de Matri. q.* 9. *dub.* 3. *num.* 25. Mercer. *in suplem.* 3. *p. q.* 43. *a.* 3.

81 *De conditione impertinenti.*

Porrò Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *a.* 3. censuit cõditiones impertinentes haberi pro non adiectis in Matrimonio, sed nullo iure probat. Quare censuerim, Matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro non esse validũ, antequam verificetur conditio: validum verò esse, ea verificata, & ad impleta. Quia omnis conditio iure non improbata potest Matrimonio apponi: sed hæ conditiones impertinentes nullo iure reprobantur: Ergo possunt validè apponi. Conditio autem impertinens est si quis dicat: Duco te in vxorem, si agnouero te bene morigeratam, vel Pulchram ab aliis existimari. Sanch. *l.* 5. *d.* 18. Gutier. *c.* 82. *n.* 31. Bonac. *de matrim. q.* 2. *pun.* 10. *n.* 24.

82 *In conscitiæ foro standum est intentioni cõtrahentis sub conditione, qualiscumque conditio sit.*

In conscientiæ foro standum est intentioni contrahentis Matrimoniũ sub conditione qualiscumque illa sit, id est, quamvis Ecclesia iudicet verum esse Matrimonium, quando conditio est necessaria, turpis, aut impossibilis: præsumit enim minimè defuisse consensum, huiusmodi conditionibus adiectis. Vnde si contrahens noluit inire Matrimoniũ, nisi eueniente conditione, non erit Matrimonium antè illius euentum; & si nunquam euenire possit, quia impossibilis est, nunquam erit Matrimonium. Quia Matrimonium nullatenus esse potest absque consensu. Quando autem dubius est animus apponentis conditionem, standum est præsumptioni fori externi, & reiecta conditione, iudicandum erit Matrimonium esse quando Ecclesia sic iudicat. In dubio autem pro vtroque foro, pro Matrimonio est iudicandum. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 136. Syluest. *v. Matrimonium* 3. *q.* 2. Sanch. *l.* 5. *d.* 1. *n.* 4. Couar. *p.* 2. *c.* 3. §. 2. Plura de conditionibus apud Sanchez *toto l.* 5.

CAPVT VII.

De petitione, ac redditione coniugalis Debiti.

83 *Actus coniugalis licitus & meritorius.*

ACtus coniugalis ex se est licitus, Fide edocente potestque absque omni culpa exerceri. Quia est actus virtutis iustitiæ, cum redditur coniugi debitum ex pacto matrimoniali cõtractum. Vnde ipse matrimonialis actus in gratia exercitus debitisque vestitus circumstantiis, est meritorius sicut in cæteris bonis actibus iusti contingit. D. Tho. 2. 2. *q.* 153. *a.* 2. Sylu. *ibi* Sanch. *l.* 9. *d.* 1. *n.* 2. & 3. Ponti. *l.* 10. *c.* 1.

Tenentur sibi inuicem debitum reddere, æquali iure. 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat*, similiter & vxor viro. Ideò æqualiter peccant vir & fœmina negantes debitum alteri coniugi petenti, siue expresse per verba, siue interpretatiue alicuius signi id innuentis expressione. Negatio autem debiti peccatum est mortale regulariter. Quia lege iustitiæ reddendum est vnicuique quod suum est: corpus verò vxoris est viri, & è contra. D. Tho. *in* 4. *dist.* 32. *q.* 1. *a.* 2. & 3. Sylvest. *v. Debitum.* Ponti. *l.* 10. *c.* 2.

74 *Tenentur coniuges æquali iure sibi inuicẽ debitum reddere.*

Dantur aliqui casus, quibus coniux debitum obnegando, mortaliter non delinquit. Primò, si petatur beneuolè & amicè non tanquam sibi debitum ex iustitia, sed tanquã amicitiæ quoddam coniugale Symbolum. Secundò, quando alter remisse, ac friuole petit: aut rogatur facilè acquiescit. Tertiò, si rarò coniux abneget debitum, vel si petitum non statim reddatur, sed per breue aliquod differtur spatium. Similiter si cõiux frequentius petat, quam par sit; hæc tamen intelligo, modo non sit incontinentiæ periculum, vel grauis morbi in petente. Nauar. *c.* 16. *n.* 24. Henriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 7. Rodrig. *in su. c.* 142. Reginal. *l.* 31. *n.* 282. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 9. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 14 & *tr.* 14. *resol.* 36.

85 *Dantur aliqui casus, quibus coniuges debitum abnegando non peccẽt.*

Pactum non petendi, nec reddendi debitum mutuo coniugum assensu initum validum est. Quia nulli irrogatur iniuria: & sicut possunt coniuges se mutuo voto ad id ligare, ita possũt mutuo pacto. At potest coniux vterque licitè id pactũ remittere. Quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur: cum ergò mutuo consensu id conuentum sit, nec Deo sit obligata ea continentia: poterit mutua voluntate id pactum dissolui. Nauar. *c.* 12. *n.* 59. Henriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 8. Rodrig. *to.* 1. *sum.* 242. *nu.* 14. Ast si alter coniux nolit pactum remittere, sed illi stare, non tenetur alter reddere: quia non debitum, nam per pactum ius acquisiuit, vt liber sit ab ea obligatione. Si tamen coniux videret alterum pacti initi pœnitere, adeóque ad venerem propensum esse, vt negata sibi copula, probabiliter existimet incontinentia maculandũ: teneretur reddere nõ ex iustitia, sed ex charitate, ad subueniendum periculo ruinæ coniugis Elig. Ballæ *v. Debitum coniug.* 1. *n.* 3.

86 *Validum est pactum non petendi debitum mutuo consensu initum.*

Præterea excusat à reditione debiti animæ periculum, v. gr. si aliqua circumstantia vsũ Matrimonij illicitum redderet. Item excusat vitæ periculũ, vel notabilis infirmitatis, quamvis in coniuge petente incontinentiæ adesset periculũ. Quia obligatio reddendi debitum, intelligitur, salua sanitate & ordine naturæ, seu salua subiecti consistentia. Vnde ob hanc causam excusatur coniux febri laborans, vel statim post prandiũ, vel si petens laprosus sit, aut morbo gallico laboret alterque sit sanus, & Medicorũ iudicio grauis infectionis adsit periculum; & hoc intellige, modo ante Matrimonium sanus nescierit, alterum huiusmodi morbis infectum: nã si sciuerit, tenetur reddere. Quia per Matrimonij contractum ad hoc se obliganit. Itẽ excusatur fœmina à reddendo, quæ iudicio Medicorum non potest prolem viuam edere, & ex hoc imminet sibi periculum vitæ ex partus difficultate. Posset tamen hæc fœmina reddere debitum,

87 *Excusat præterea à reditione debiti animæ periculum, & grauis corporea infirmitatis.*

bitum, imò & petere ad vitandum in se, vel in coniuge incontinentiæ periculum postposito graui mortis periculo, quod certum omnino non est. Sanch. *l.9.d.6.nu.8.* Sa *v. Debitum, n.15* Reginal *l.31.n.283.* Sotus *in 4.dist.32.q.1.a.1.* Bonac. *de Matri.q.4.punct.1.n.4.* Graf. *p.1. l.2.c.83.* Rodrig. *to.1.sum.c.242.*

88 *Per se tenetur coniux debitum reddere, non committendo peccatum vel detrimentum.*

Per se loquendo non tenetur coniux debitum reddere alteri coniugi petenti tempore furoris vel ebrietatis. Quia furiosus vel ebrius humano modo non petit. Per accidens autem fieri potest, vt coniux ei reddere teneatur, verbi gratiâ, si ebrius alioquin expleturus sit libidinem modo illicito. At vir mentis compos peccabit reddendo debitum vxori amenti, cum adsit periculum abortus, & enecandi fœtum in vtero, si ipsa concipiat. Si autem vxor sit sui compos, vir autem amens, licebit reddere viro amenti. Quia periculum prolis potest à fœmina præcaueri. Reginal. *l.31. n.347.* Sa *v. Debitum, n.16.* Henriq. *l.11.c.15.n.10.* Sanch. *l.9.d. 23.*

89 *Excusatur coniux à debito reddendi ex impotentia.*

A reddendo debito excusatur coniux ex coëūdi impotentia. Quia impossibilium non est obligatio. Peccatum verò esset mortale, de industria huiusmodi procurare impotentiā. Quia notabilem proximo coniunctam habet iniuriā. Hoc autem verum, non tantū cum quis sciēter se reddit impotentem modo illicito, vt per crebras pollutiones, aut ad alias accessum; sed etiā cum scienter modo licito, vt per notabilem in vigiliis, vel ieiunii, sexcessum. At culpa vacat coniux se bona fide extenuans honestis studiis, & seruans Ecclesiæ ieiunia, aliáve ex deuotione moderata. Quia per hæc efficietur minus potens, non tamen impotens ad reddendum. Vndè maritus iure iustitiæ non tenetur calidis vti, vt potens ad copulam efficiatur: sed sufficit vtse impotentem non reddat. Aliquando enim lege charitatis ad id tenebitur, dum sine graui corporæ salutis detrimento id potest efficere, & vxor graue incontinentiæ periculum patitur, nisi frequentius sibi coniugali copula subueniatur, similiter non licet vxori, ita se abstinentiis & vigiliis dedere, vt deformis, viroque reddatur exosa. Sylvest. *verb. Debitum* 2. Sanchez *libr. 9. d. 3. numer. 2.* Reginal. *libro 31. numer. 285.* Rosella *verb. Debitum, nu.2.* Filliuc *tract. 10. numer. 305.* Ponti. *lib.10. cap. 2. num.7. & 8.*

90 *Iam excusatur coniux à debito reddendi, non multiplicando prolem, gratia.*

Scio, coniuges communi ex consensu posse à copula abstinere, seclusō incontinentiæ periculo, nè prolem multiplicent, quam alendo non sunt, vt docent Nauar. *c.16.n.25.* Sanch. *l.9.d.15.n.1.* Reginal. *l.31.n.289.* Nō tamen eximitur coniux à redditione debiti alteri coniugi petenti, gratia nō multiplicandi prolem. Quia ageret contra finem Matrimonij primarium qui est prolis procreatio. At mortale piaculum non esset ob eam causam debitum abnegare, quando non esset incontinentiæ periculum in altero coniuge. Quia ab aliis iustitiæ debitis persoluendis excusat incommoditas magna, & difficultas in filiis alēdis videtur esse causa sufficiens ad illum excusandum. Diana *p.3. de Sacram. resol.213.* Sa *v. Debitum, n.18.*

91 *Coniux tenetur reddere alteri coniugi illicitè petenti.*

Coniux debitum potest, imò tenetur reddere alteri coniugi illicitè petenti, quādo in exigente culpa lethalis est non ob aliquam circūstantiam tenentem se ex parte actus; sed ob sōlā circumstantiam personę exigentis, v.gr. si malo fine petat; vel ratione voti castitatis, quo est illigatus. Quia petens cum huiusmodi circumstantia, non amisit ius petendi, quamvis petat illicitè. Tamen quando vitium personale priuat coniugem iure debitum exigendi, tunc alter reddere non tenetur, sed iustè potest denegare: v.gr. si coniux affinitatem contrahat cum tuo coniuge ob copulam cum eius consanguinea habitam: vel cognationem cum eo spiritualem. Quia ex quo actor perdit ius petendi, reus habet ius non debendi, negandi, & excipiendi: si verò sit incontinentiæ periculum in coniuge priuato iure petendi ob affinitatem, aut cognationem spiritualem: lege charitatis tenetur alter coniux innocens ei incommodo subuenire siue reddendo exigenti, siuè petendo. Moneo tamen, coniugem, qui affinitatem, aut spiritualem cognationem contraxit, aut voto castitatis illigatur, non posse reddere debitum alteri, nisi quando ex lege iustitię reddere aliàs adstringitur. Henriq. *l.11.c.15.n.8.* Sylvest. *v. Matrimonium 8.q.15. dicto 7.* Couar. *4. Decret al. p.2. c.7.§.2.n.5.* Sanch. *l.9.d.6.num. 8. 13. & 14.* Coninch *d.34.n.18.*

92 *Mortale est reddere quoties petens mortaliter delinquit ob aliquam ipsius actus coniugalis circumstantiam.*

Mortale est, debitum reddere, quoties petens lethaliter delinquit ob aliquā ipsius actus coniugalis circumstantiam: & non solum ob solam circumstantiam personæ: v.gr. si petatur debitum in loco Sacro, vel publico, aut cum aborsus periculo. Quia sicut petitio afficitur illa praua circumstantia, ità & redditio: vtraque enim polluit locum Sacrum, aduersatur honestati, estque in tertij damnum. Petrus. Soto *de Matr. lect. 16.* Sanch. *l.9.d.6.n.16.*

93 *Debitum negandum non est petenti solum cum veniali piaculo.*

Debitum abnegandum non est petenti solum cum veniali piaculo siue ob circumstantiam personæ, siue ob circumstantiam actus, illicite petatur. Quia adest semper ista causa excusans redditionem, videlicet, ne displiceatur petenti, ne oriantur lites, ac discordiæ inter coniuges. & ne priuetur absque culpa iure reddendi. Henriq. *libr.11. cap.16. numer.6.* Sanchez *lib.9.d. 16. numer. 8.* Diana *part. 3. de Sacram. resol.296.*

94 *Negare licet ad vitandum magnum in bonis pecuniariis aut fama detrimentum.*

Negare licet coniugale debitum ad vitandum magnum in bonis pecuniariis aut in fama detrimentum: vel ad magnam in illis commoditatem acquirendam. Vnde quoties ad familiæ gubernationem, ac rei familiaris necessitatem exigitur coniugis absentia copulæ impeditiua etiam per longum tempus, non debet censeri impedimentum irrationabile, & illicitum. Nauar. *c.16.n.32.* Sotus *in 4. dist. 32.q.1. a.3.* Sanch. *l.9.d.4.n.13.*

95 *Qui filium in necessitate baptizat, aut suscipit iure petendi non priuatur.*

Qui communem prolem in necessitate baptizauit, vel è Sacro leuauit fonte, quando scilicet non aderat alius qui eam dilueret: potest petere, ac reddere debitum, non obstante spirituali cognatione contracta cum coniuge. Quia æquum non est, vt aliquis subeat pœnā priuationis debiti reddendi ac petendi absque culpa, imo ex eo quod satisfecit obligationi filium diluens ne æternùm deperiret. *Cap. Ad limina 30. q.1.* Sylui. *in supplem. quæs.56. art.2.* Coninch. *d.34.n.69.* Henriq. *l.11.c.28.* Valent. *to.4.d.4.q.2.punct.3.*

96 *Priuatur iure petendi qui ex malitia diluit aut tenet communē filium aut proprium cōiugis alterius.*

Qui scienter seu ex malitia extrà necessitatem diluit, aut tanquam patrinus in Baptismo, vel Confirmatione tenet communem filium, aut proprium alterius coniugis, priuatur

natur exigendi debiti potestate tenetur tamen illud reddere. Sanch. *libr. 9. d. 26. num. 7.* Sa *verb. Matrimonij impedimenta, num. 5.* Reginal. *l. 31. num. 291.*

97 *Qui cum coniugis cõsanguineo rem habet petere non potest, reddere tenetur.*

Coniux, qui contraxit affinitatem cum suo coniuge, adulterando cum eius consanguineo, vel consanguinea, non potest debitum petere, reddere autem tenetur. Hæc autem priuatio debiti locum habet quamtumuis copula sit occulta antè omnem Iudicis sententiam. Coniux verò cui debiti petitio interdicta est ratione affinitatis peccat mortaliter petendo, non obtenta dispensatione. Quia in re graui Ecclesiæ præcepto contrauenit. Henriq. *lib. 11. cap. 15. num. 11.* Candelabrum aureum *de Matrimon. 1. part. nu. 97.* Diana *part. 3. tract. de Sacram. resol. 296.* Sylui. *in supplem. quæst ion. 58 art. 4. concl. 2. & 3.*

98 *Impedimentum hoc extenditur ad gradum primum & secundum, non vltra.*

Non impeditur à petitione debiti, qui habuit rem cum fœmina in tertio, ac quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibique eodem gradu affine. Quia contrarium iure præscribi probari non potest. Itaque affinitas incestu cõtracta vsque ad secundum solummodo gradum impedit debiti petitionem. Quod etiam fertur Sacram Congregationem declarasse, & merito. Quia affinitas non impedit, nec dirimit Matrimonium, nisi ob copulam ad quam ordinatur; nã est indecens inter affines: Ergo eo ipso quod eiusmodi affinitas restricta est per Tridentinũ, vt non impediat, neque dirimat Matrimonium nisi in primo, & secundo gradu: etiam censetur restricta vt non impediat petitionem copulæ nisi in eisdem gradibus. Vnde quamvis petere debitum, sit distinctum à contractu Matrimonij: eo tamen ipso quod affinitas non obstat contractui, neque obstabit debiti petitioni. Pontiũ *l. 7. c. 33.* citans multos. Sanchez *lib. 9. d. 27. num. 14.*

99 *Vxor non priuatur iure petendi si per vim vel metum cogitur ad copulam cũ mariti consanguineo.*

Vxor non priuatur iure debitum coniugale petendi, quando per vim absolutam, & metum grauem cogitur ad copulam cum consanguineo, viri in primo, vel secundo gradu. Quià æquum non est, vt quæ caret culpa subeat pœnam priuationis debitum petendi. Nauar. *c. 27. n. 63.* & alij.

100 *Non priuatur iure petendi coniux, qui ex ignorantia inuincibili post coniugium initum affinitatem, vel spiritualem cognationẽ cum suo coniuge contrahit.*

Coniux, qui post Matrimonium initum contrahit affinitatem, aut spiritualem cognationem cum suo coniuge ex ignorantia iuris vel facti inuincibili, non priuatur iure petendi debitum. Quia iura prohibent debiti petitionem, quando, affinitas, aut spiritualis cognatio scienter est contracta. Imo quamvis quis habeat scientiam legis, & facti, nescit tamen, ex huiusmodi copula cum consanguinea vxoris in primo & secundo gradu consurgere priuationem iuris petendi debitum ab vxore: iure petendi non priuatur. Quia ignorantia pœnæ sicut ab incurrenda excõmunicatione, irregularitate ex delicto, & aliis Censuris excusat: ita ab incurrenda priuatione iuris debitum petendi. Sa *v. Debitum, n. 13.* Henriq. *l. 11. c. 15.* Suar. *3. p. d. 67.* Nauar. *c. 16. n. 33. & c. 23. n. 47.* Sãch. *l. 9. d. 32.* Diana *p. 3. tr. 16. resol. 12.*

101 *Qui dubitat de sui coniugij valore non potest debitum petere ante*

Qui de sui coniugij valore dubitat, non potest debitum petere antè diligentiã adhibitam in agnitione veritatis assequẽda. Quia fieri potest, vt Matrimoniũ sit inualidum, vndè fornicationis se periculo exponeret. Attamẽ hic tenetur coniugi alteri, petẽti debitu reddere, qui de coniugij validitate nõ dubitat. Quia alter est in possessione, & m horsit possidẽtis cõditio. Banes *2. 2. q. 61. a. 6. dub 5.* Rodrig. *to. 1 sum. c. 242. nu. 4.* Hẽriq. *l. 12. c. 6. n. 5 & 7.* Diana *p. 4 tr. 3. resol. 15.*

diligentiam adhibitam, tenetur ta-

Et hoc mihi verum quoad redditionem non solum post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, sed etiam antè illam adhibitam. Quia ex duobus malis minus est eligendum, quando alioquin perplexus quis esset vinculo peccati ad vtramque partem, siue agendo siue omittendo agere. At minus malum est, reddere, quam non reddere cum illud opponatur virtuti castitatis, hoc autem iustitiæ.

men red-dere.

102 *Potest reddere, qui post diligẽtiam adhibitam adhuc dubius manet, si vterque dubitat, neuter potest petere, nec reddere.*

Verùm qui post adhibitam diligentiam ad assequendam veritatem, adhuc dubius manet de sui coniugij bona fide initi validitate: potest non solum reddere, sed etiam petere debitum. Quia coniux adhibita sufficienti diligentia, inuincibili ignorantia laborat, quæ à piaculo excusat: & non obstante dubio speculatiuo de valore Matrimonij, potest practice iudicare sibi illo vti licere, cum pro se stet possessio. Quando vero vterque coniux dubitat de valore coniugij bona fide contracti, neuter potest petere, nec reddere ante diligentiam sufficientem adhibitam. Quia vterque se fornicationis periculo exponeret: post diligentem verò inquisitionem vterque potest petere, & reddere. Coninch. *d. 34. n. 105.* Filliuc. *tr. 10. n. 343.* Bonac. *de Matr. q. 4. pu. 4. n. 6.* Valẽt. *to. 4. d. 10. q. 6. pun. 2.*

103 *Non potest petere, qui mala fide contraxit, dubitans de impedimento dirimente, neuter potest petere nec reddere.*

Qui verò mala fide Matrimonium contraxit, dubitans de aliquo impedimento dirimente, nõ potest petere debitum petere. Quia nullum ad id ius acquisiuit per Matrimonium cum huiusmodi dubio contractum, cum possessio mala fide incepta ius non tribuat. Tamen tenetur reddere coniugi petenti, qui bona fide contraxit, nec dubitat de Matrimonij valore. Quia cum hic ius ad copulam acquisiuit, non potest suo iure spoliari ob malam fidem alterius, donec constet, irritum esse coniugiũ. Quando verò coniux vterque mala fide contraxit, dubius de aliquo impedimento dirimente, neuter potest petere, aut reddere. Sanch. *l. 2. d. 42. n. 2.* Coninch *d. 34. n. 101.* Henriq. *l. 11. c. 6. n. 5.*

104 *Qui opinatur coniugium esse nullum, non potest petere, sed tenetur reddere id non opinanti.*

Qui probabiliter opinatur Matrimonium à se bona fide initum, esse nullum, non potest debitum petere, sed non opinanti id reddere tenetur. Si tamen pro validitate, & nullitate Matrimonij opinionem probabilem coniux habeat, tunc potest petere, & reddere. Quia potest sequi opinionem probabilem probabiliori relicta. Reginald. *l. 31. n. 301.* Sanch. *l. 2. d. 44. n. 4.* ex D. Tho. *in supplem. q. 55. a. 9.*

105 *Nec petere nec reddere potest qui moraliter certus est, Matrimonium esse nullum.*

Non potest petere, nec reddere debitum coniux, qui moraliter certus est, Matrimoniũ suũ esse nullũ. Quia ex parte sua cognoscit coniugem alterũ non suũ, quod est malũ intrinsecè. Et hoc verum existimo, quãvis Matrimonium contractum sit bona fide ab altero coniuge, & compellatur ab Ecclesia per excommunicationem, & etiãsi grauissima sequantur scandala, incommoda, & vitæ periculũ. Quia cũ excommunicatio falsa præsũptione nitatur, corã Deo non ligat. Et quia si contrarium assereretur, sequeretur, fornicationem aliquando esse licitam, videlicet, propter famæ, vel vitæ periculum. At hoc dicere erroneum est, cum sit mala intrinsecè fornicatio. Coninch *d. 34. num. 96.* Nauar. *c. 6. n. 39.* Sanch. *l. 2. d. 39. n. 5. & 7.* Sylui. *in supplem. q. 45. art. 4. quæstiunc. 5.* Scio, Molfesium *in sum.*

tom.

10.1.*sum.tr.*4.*c.*14.*n.*90.& alios asseruisse contrariam sententiam probabilitatem habere: nempe fœminam teneri reddere debitum viro impedimentum dirimens ignoranti, si non reddens per illum sit occidenda. Quia cum vir bona fide nitatur, vtitur iure suo petendo debitum, & illa fornicatio erit materialis: & mulier magis tenetur nõ facere alteri apertã iniuriam quam periculum fornicationis materialis vitare. At sententiam hanc reiicio, quia contrarium definitur *in Cap. Inquisitioni, de sent. excommunic.* & illam erroneam Sanchez citatus meritò appellat.

106 *Dubitans de matrimonij valore, non tenetur reddere debitum in priori bimestri.*

Coniux dubitans de sui Matrimonij valore, siue post examen, siue antea, non tenetur reddere debitum in priori bimestri. Quia alter non habet ius petendi. Qui autẽ post bimestre nondum consummauit Matrimonium, & de eius valore dubitat: potest reddere debitum, nè vltra tempus bimestre signatum à iure, alterum coniugem detineat. Quia non tenetur cum tanto suo detrimento, vel alterius, aut Religionem ingredi, aut à redditione debiti in dubio abstinere: vnde licite se illi materialis fornicationis periculo exponit. Vasq. 1.2.*d.*66.*n.*6.*n.* 33. Salas 1. 2.*tr.*8.*d.*vni.*sect.*22.*n.*208.

CAPVT VIII.

De recto Debiti coniugalis vsu.

107 *Actus coniugalis sit licitus, requiritur multa concurrant.*

VT actus matrimonialis non solum sit licitus, sed & meritorius, multæ conditiones sunt obseruandæ his indicatæ versibus:

Sit modus, & finis, sine damno, solue, cohære.
Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito votum.

108 *Requiritur modus vel situs.*

Primo *Modus* requiritur; ex parte enim modi, vel situs congressus coniugalis potest reddi vitiosus, cum scilicet aduersatur coniux naturali concubendi modo, qui si non seruatur rarò tamẽ erit mortale piaculũ, modo seruetur vas naturale, & intra illud semen viri recipi valeat; plerumque tamen graue veniale est, nisi aliqua necessitas excuset: Ponti. *libr.* 10. *capit.* 11. Tolet. *lib* 7. *cap.* 24. *num.* 1. Henriq *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 6. Coninch. *d.* 36. *num.* 80. Reginal. *libr.* 31. *num.* 335. Sanchez *lib.* 9. *d.* 16. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 204.

109 *Quando naturales coniuges sibi mutuo mortaliter aut venialiter delinquunt.*

Contingit, coniuges mortaliter peccare, quando vase naturali dimisso, abutuntur, vel abuti volunt non naturali: Aut procurant voluntariam seminis effusionem extra copulæ coniugalis vsum legitimum: vel tali modo coëunt, ex quo sequitur voluntaria extra vas seminis profusio. Quia tunc impeditur generatio prolis. In reliquis autem, quæ coniuges in copula efficiunt, seruato legitimo vase, culpam venialem non excedunt. Quia generatio minimè impeditur. Graf *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 82. *n.* 13. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 329. Sanch. *l.* 9. *d.* 16. Ponti. *l.* 10. *c.* 11. *n.* 7.

110 *Requiritur finis, in vsu matrimonij.*

Secundo *Finis* asseruandus in vsu Matrimonij. Certè multiplex potest esse per coniuges. Generatio prolis, fuga in continentiæ, debiti redditio, significatio vnionis Christi cum Ecclesia, sanitas corporis, delectatio carnalis. Licitus ergo est actus coniugalis relatus in bonum prolis, aut in bonum fidei, nempe dum exercetur gratia prolis habendæ, aut seruandæ fidei alteri coniugi debitum reddendo. Si finis hic in sola prole sistatur, à culpa veniali immunis non erit. Quia debet intendi proles ad cultum Dei amplificandum: aliàs enim staretur in creatura, nec bonum esset Sacramenti. Sufficeret autem ad meritum, si in ipso actu, vel habitu in Deum referatur. Bonac. *de Matr. q.* 4. *pun.* 6. *n.* 6. Sanch. *l.* 9. *d.* 8. *n.* 2. Reginal. *l.* 31. *n.* 336. ex D. Tho. *in* 4. *dist.* 31. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 1.

111 *Quando ex ne non recto contrahatur culpa lethalis vel venialis.*

Ex circumstantia finis mortalis est coniugalis actus, quando finis ipse est mortalis: vbi verò est venialis finis culpa erit venialis. Et hoc intellxerim de exigente debitum malo fine, aut minus legitimo; reddens enim omni culpa vacat; quia praua illa circumstantia ex parte solius petentis se tenens, non inficit actum reddentis debitum ex iustitia. Quando verò fines extranei, in se tamen liciti, non sunt principalis intentio, ad quam actus coniugalis referatur, sed secundarij, & motiui applicationis ad concubitum, nulla est culpa. Sylvest. *v. Debitum, q.* 2. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 7. Sanch. *l.* 9. *d.* 8. *n.* 11.

112 *Petitio debiti ad vitandã incontinentiam vel tuendam valetudinem à culpa vacat.*

Petito debiti causa fornicationis vitandæ in ipsomet petente tunc (quidem, aiunt) à culpa veniali est immunis, quando, adhibitis aliis mediis, nequit coniux carnis stimulos sedare: secus quando potest conuenienter alio modo ab incontinentia abstinere: tunc enim erit veniale. Scio, hanc limitationem aliquibus non placere, (de quo *Sect.* 2.) & merito. Quia valde anxij redderentur coniuges, præsertim qui sine spe prolis copulantur, si examinare debeant, num aliis mediis, verbi gratiâ, ieiuniis, aliisque corporis afflictionibus quæ possint incontinentiæ mederi, similiter dixerim de petitione debiti ad tuendæ, aut instaurandæ valetudinis finem: hæc enim culpa vacat, etiamsi proportionata adhunc finem alia media occurrant. Quia nulla emergere potest inordinatio cum coniux vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem naturaliter est proportionata. Henriq. *l.* 11. *c.* 16. *num.* 4. Reginal. *l.* 31. *n.* 338. Rodrig. *to.* 1. *sum. c.* 24. *n.* 15. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4.

113 *Quando non vsus Matrimonij ob finẽ voluptatis sic culpa lethalis quando non.*

Vsus coniugij ob finem voluptatis tunc est culpa lethalis, quando voluptas limites Matrimonij excedit; verbi gratiâ quando coniux ita voluptate captus ad suum accedit, vt paratus sit ad accedendum, quamvis suus non esset. Quia vere gerit animum fornicandi. In eo tamen accessu, vt sit mortale peccatum, debet adesse actualis illa praua voluntas: & habitualis ad illum non sufficeret. Quia nullus habitibus, sed actibus meretur, aut demeretur. Proindè culpa esset mortalis, si coniux in actu matrimoniali delectetur in alterius viri, aut fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum. Quia est delectatio morosa in obiecto moraliter malo. Si tamen delectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri, aut fœminæ vt vel sic ad actum coniugalem excitetur: nullam video lethalis culpæ suspitionem. Quia delectatio in nullum obiectum turpe fertur, & ad honestum finem dirigitur. Ab hoc nihilominus coniuges periculo abstraherem. Sylvest. *v. Debitum, q.* 2. Sanch. *l.* 9. *d.* 17. *n.* 6.

114 *Non est veniale ad vxorem accedere voluptatis causa similiter coniuges excusantur.*

Accessus ad vxorem causa voluptatis, veniale non est. Quia libido illa limites Matrimonij nõ excedit, etsi enim actu copula habeatur propter libidinẽ, habitu tamen refertur ad cõiugij fines,

cum à principio coniuges Matrimonium inierint propter illos fines. Verùm honestum est, delectationem capere in re, quam quis licitè potest operari; operans namque propter delectationem, operatur simul ob honestum finem ex parte operis: licèt ex parte sua, id est, operātis propter finē delectabilē operetur. Hac sententia coniuges à multis venialibus excuso piaculis. Scio probabilem contrariam esse sententiam, de qua proprium Problema institutā. Ponti. *l.*2.*c.*21.*n.*6.*&* 7.*&* *l.*10.*c.*10. Diana *p.*3. *tr.*4. *re.sol.*216. Sancius *in select.d.* 23.*n.*25.

115 *Requiritur vt coniugalis actus sit sine damno.*

Tertiò requiritur vt actus coniugalis *sine damno* geratur, id est, vt damnum vitetur, cuius conditionis defectu peccatum mortale quis potest contrahere, verbi gratiâ, quando inde aborsus periculum probabiliter timetur, vt accidit aliquando tempore coagulationis & formationis fœtus: tunc enim matrix ob delectationem aperitur, & materia nondùm perfectè coagulata profunditur. Adest etiam periculum fœtus, quando coniuges congrediuntur proxime antè partum, nam eo tempore potest fœtus haud difficile suffocari ob seminis abundantiam. Tale tamèn periculum raro est ita certum hic & nunc, vt coniuges illud sub mortali vitare teneantur. Reginal. *l.*31.*n.*341. Sylvest. *v. Debitum*, *n.*8. Sanch. *l.*9.*d.* 22.*num.*1. Valent. 4.*to.d.* 10.*q.*6.*punct.*2.

116 *Accedere ad vxorem menstruo tempore mortale non est sed venia. l. & aliquando nec venniale est.*

Menstruo tempore accedere ad vxorem, mortale non est, sed vt plurimum veniale ob inhonestatem, & turpitudinem quæ illo reperitur in actu. Quando autem fluxus menstruus est continuus nullum peccatum eritin viro ad vxorem accedere. Quia raro posset iure suo vti, si à menstruata abstineret vxore, si autem vir fluxum seminis patiatur, non delinquit petendo. Quia semen illud generationi est ineptum, & sic proles nullū inde dānum patietur. Henriq. *l.*11.*c.*15.*n.*7. Tolet. *l.*7.*c.*24.*n.*1. Rodrig. *p.*2. *sum.c.*142.*n.*17. Sanch. *l.*9.*d.*21. Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.*204.

117 *Requiritur vetita debiti coniugalis solutio.*

Quartò requiritur ad rectum Matrimonij vsum, vt coniugale debitum coniugi petenti reddatur, quod innuitur verbo illo *solue*. Et per hoc indicatur potestas, quam vterque habet coniux super alterius corpus: ita vt alter ex iustitia teneatur potenti reddere sub pœna mortalis piaculi, nisi causa rationabilis excusset. In præfatis satis liquide constat. Reginal. *l.*31.*n.*344. Tolet. *l.*7.*c.*24.*n.*2.

118 *Debet procurari simultanea seminis effusio & quando aliud liceat festibus vti.*

At cum propriè potestas, quam habet cōiux in sui coniugis corpus, sit in eius semen: ideo conari debent, vt simul seminent. Quia quamvis semen fœminæ nec actiuè nec passiue ad generationem concurrat iuxtà probabilissimam sententiam, iuuat tamen ad factum formosiorem efformandum. Vnde coniugi tardiori ad seminandum licet se tactibus præparare ad copulam, vt possit simul cum viro seminare. At si vir postquam seminauit, se retrahat ante vxoris seminationem, vxor potest se tactibus excitare, donec seminet. Quia illi tactus ad complementum coniugalis actus ordinantur. Scio quosdam hoc vxori negare, de quo *sect.*2. Henriq. *l.*11.*c.*16. Sa *v. Debitum*, *n.*17. Sanch. *l.*9.*d.*19. Bonac. *hic*, *q.*4. *pun.*6.*n.*14.*&*15. Caiet. 22.*q.*154.*a.*11.*dub.*5. Diana *p.* 2.*tr.*3.*resol.* 38. Filliuc. *tr.*10.*n.*330.

119 Aliquando licet viro ipsa in copula non seminare, scilicet si vxor non seminauit, nec in vno, & altero seminādi extra vas periculū adsit. Quia cōpula absq; seminatione est solūmodo quidā tactus qui licitus est cōiugibus, cessāte pollutionis periculo. Sicut enim possūt coniuges comuni consensu nō vacare copulæ ac generationi: eodē consensu licebit à copula incepta desistere, vbi neutrius seminis sit dispendium. Iusta itē causa non seminādi esset, ne seminatio saluti noceat: vel si coniuges sint pauperes, & prole abundent, quā alendo nō sūc: vel ad sedandā concupiscentiā. Si autem fœmina iā seminarit, vel ad id excitata sit, ita vt probabile periculū seminandi adsit: lethaliter delinquet maritus data opera à copula desistēs antè proprij seminis effusionem. Quia est peccatū contrà naturā, cum sit consūmatus coitus ex parte fœmina ex quo sequi nequit generatio; si verò è cōtrà accidat, nēpè si viro semināte, fœmina antè proprij seminis effusionem à copula desistat, vel data opera nitatur nō seminare, mortale non esset, sed solū veniale. Quia eius semē ad generationē non desideratur. Laym. *l.*3 *sect.* 4.*n.*19. Lessi. *l.*4 *c.*3.*n.*55. Ponti. *l.*10.*c.*11. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*204.*&* 227.*&* *p.*5.*tr.*14. *resol.*47.

Aliquando licet viro non seminare aliquando non licet.

Mulier suæ satisfacit obligationi, si viro exigēti dedat quidē corporis vsū animū tamen ad alia conuertat, ita vt natura nō excitetur. Quia eo ipso cōgressus est aptus ad generationē, sterilis enim, quæ certo nouit, se non seminaturā, potest actū coniugalē exercere, tā petēdo quā reddēdo: quod tamē minimè liceret, si viro semināte requireretur, vt mulier sese ad seminationē excitaret, atq; adeò in illū finē teneretur cū excitatione præfata cōiugi subseruire. Vnde verisimile est coniugatam fœminā, cui venerij nō placēt actus, posse in reddendo debito animū ad alia conuertere, & sic frigidā remanere. Quia semē fœmineū nō omninò requiritur ad generationē: nā concretio naturæ solū requiri ad seminationē videtur. Attamē nō potest mulier ita se gerere, ex intētione generationis impediēdæ. Præpos. *in* 3.*p.q.*6.*de bonis Matr.d.*4.

120 *Licet mulieri debitum reddens animum ad alia diuertere ne natura excitetur ad seminis effusionem.*

121 *Quando liceat viro non seminare etiā si seminarit vxor.*

A mortali excusarim virum, qui in actu coniugali non seminat, quamvis fœmina iā seminarit, si post fœminæ seminationē aduerteret, periculum sibi imminere, si seminet, quod antè coitum non aduertit. Idē assero, si fera aut hostis superueniret, vel si aduersaretur naturali honestati aliquo superueniente; tunc enim potest vir, se retrahere etiam si adsit extravas effusionis periculum. Quia licet natura nullam seminis administrationem homini concesserit vt extrà legitimū Matrimonij congressum effūdere possit: at vt illud nō effūderet intra cōgressū illū, concessit administrationē in casu vrgētissimo, scilicet, ad vitam tuendam, ac naturali consulendū honestati. Sāch. *l.*9.*d.*19.*n.*6.& alij.

121 *Quando superuenit cōiugibus semi. nandi impotentia non licet eis coniugalis actus bene tamen oscula amplexus & tactus.*

Quando autem Matrimonio consummato, superuenit cōiugibus impotentia intrà vas seminādi ob morbū aliquē, ob senium viri, vel aetitudinē fœminæ: nullatenus licita est eis cōiugalis copula sed amplexus, oscula, & tactus, modo periculū pollutionis nō adsit, illis tanquā vere cōiugibus permittuntur. Si verò cōsideratis omnibus circumstantiis, probabilis spes adfuerit intra vas seminandi, licitum est his coniugibus id ipsum per copulam attentare. etiāsi per accidens, ac præter eorum intentionem extrà vas semen profundatur. Quando verò

vxor

vxor semen intrà vas receptum retinere non valet, licitum est nihilominus copula vti. Quia talis effusio præter intentionem euenit & matrix fœminea sæpè necessariũ semen attrahit ad generationem, expulso superfluo. Bonacin. *hic, qu. 4. punct. 6. numer.* 17. Henriqu. *lib. 11. cap. 16. num.* 7. Sanch. *lib. 9. d. 17. num.* 20. 21. & 22. Rebel. *lib. 3. qu. 16.* Reginald. *libr. 31. num. 334.* Nauar. *cap. 22. num. 60.* Mortaliter autem peccaret fœmina statim post coitum mingens, vel quidquam aliud gerens ea intentione, vt receptum semen effundat. Quia faceret contra finem, ad quem semen est à natura institutum. Sanch. *d. 20. num. 3.* Quod si ex Bellochij *de casib. reseru. part. 2. qu. 4. num. 365.* sententia mulier mortaliter non delinquat, quia ex hoc non possit generatio impediri: posset tamen contra conscientiam delinquere. Diana *part. 5. tract. 5. resol. 15.*

123 Tenetur coniugum in eodem thoro, & domo terminis. Vbi & quando tenetur maritus.

Quinto requiritur coniugum cohabitatio in eodem thoro, ac domo, quod innuitur verbo illo, *Cohære.* Vndè qui dimittit vxorem, & per alienas prouincias sine eius licentia, vel casu vrgenti diuagatur, in statu mortalis culpæ est, nec absoluendus, donec proponat, ad vxorem redire. Quia subtrahit ei vsus Matrimonij commoditatem, cui ex iustitia obicem apponere non debet. In aliquibus tamen casibus non tenetur vxor viro cohabitare, & è contrà, verbi gratiâ, per alterutrius fornicationem: & cum alter trahit alterum ad peccandum, ità vt alter non possit se ab ipso liberare, quin peccet: & cum alter sit infidelis, vel hæreticus. & cum vnus coniugum timet sibi infectionem leprę, vel alterius contagiosi morbi, si cum infecto coniuge cohabitet. Portò vxor tenetur sequi virum vltro mutantem domicilium, quando nullum extat pactum in contrarium. Tolet. *lib. 7. cap. 25.* Nauar. *cap. 16. num. 25.* Valent. *tom. 4. d. 10. q. 4. punct. 2.* Sanch. *lib. 9. d. 24. num. 29.*

124 Quando tenetur & quando non tenetur vxor virum sequi.

Profectò cum vxor debeat sequi viri infortunium, non per modum pœnæ, sed tanquam onus Matrimonio annexum: hinc si maritus in exilium pellatur, aut excommunicetur, vel ex causa necessaria aliò transferat domicilium, tenetur vxor illum sequi, quamvis anteà pactum fecerit, domicilium aliò non transferendum. Quandò verò tempore contracti Matrimonij vir solebat diuagari, & vxori hoc notum erat, modo vir non vageretur ex turpi aliqua causa, tenetur sequi virum. Quia censetur, se ad hoc obligari voluisse. Secùs dixerim, si fœmina ignorauit, virum solitum esse vagari, tunc enim non tenetur, eum cum suo notabili incommodo sequi. Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 15. n. 2.* Nauar. *cap. 14. num. 10.* Reginald. *lib. 31. n. 509.* Sanch. *lib. 1. d. 41. num. 12.*

115 De partibus, Locus, Tempus, Tactus, Votum.

Demùm in Carminibus illis *num.* 107. præmissis aliæ particulæ continentur, nempè *Locus, Tempus, Tactus, Votum.* De loco sacro, vbi non licet coniugalem copulam geri, suprà diximus. De tempore, quo congredi cum vxore fas non est, diximus, cum de Sacra Communione sermo processit. De tactibus, & osculis inter coniuges ad sextum Decalogi præceptum sermo redibit. Quandò verò adstricti castitatis voto coniuges petere, vel reddere possint, aut non possint, in materia de Voto dilucidabimus.

CAPVT IX.

De Diuortio ex adulterio.

126 Diuortium quid & quotuplex.

Diuortium est *Legitima viri ab vxore, vel vxoris a viro separatio.* Et iuxtà Iurisconsultum Diuortium dicitur, vel à mentium diuersitate, vel quia in diuersas partes eunt, qui Matrimonium contrahunt. Tripliciter autem potest accipi. Primò, pro Matrimonij dissolutione quo ad thorum, seu quo ad carnalem copulam. Secundò, pro dissolutione Matrimonij quo ad thorum, & habitationem. Tertiò, pro repudio, & pro dissolutione Matrimonij quo ad vinculum. Differunt verò diuortium, & repudium, quod diuortium de sola vxore, atque adeò Matrimonio consummato dicitur: repudium autem de vxore, & de sponsa de præsenti nondum cognita. Sanch. *libr. 10. d. 1. numer. 1.* Bonac. *hic, qu. 4. punct. 5. num. 1.* Sylui. *in supplem. qu. 62.*

127 Licuit Iudæis repudium Gentilibus minimè.

Diuortium quo ad vinculum siue repudium apud Hebræos antè Euangelium, vel licuit ex Dei dispensatione, vel quidem permissum fuit tanquam minus malum ad maiora vitanda. Apud Gentiles permissum fuit ipsorum legibus, non tamen fuit licitum. Quia pro iis Deus non legitur vnquam dispensasse. Post legem autem Euangelicam, nec ipsis Iudæis, nec aliis infidelibus permissum est repudium, nec per illud dirimitur Matrimonium. Quia Christus Dominus *Mat. 19.* id reprobauit. Ideóque Iudæi, & Gentiles repudiantes vxores mortaliter peccant, & cum ad Christianismum conuertuntur, si tempore infidelitatis legitimas repudiarint vxores, cogendi sunt ad illas redire, nisi casus accidat, in quo per conuersionem alterius dirimatur coniugium infidelitatis tempore contractum. Henriq. *libro 11. capite 8. numero 13.* Sotus *in 4. d. 33. quæstion. 2. artic. 2.* Filliuc. *tract. 10. num. 363.* Sanch. *libr. 10. d. 1. numer. 9. & 10.*

128 Quatuor diuortij causæ.

Profectò quatuor sunt diuortij causæ, *Adulterium: Hæresis, & Apostasia: Inductio ad peccatum:* & *Sæuitia.* Sylui. *in supplem. quæstion. 62. articul. 1.*

129 De diuortio ob adulterium.

In primis dissero de Adulterio. Certa fide tenendum, per adulterium Matimonij vinculum non dissolui, sed quo ad thorum, & habitationem. Certè adulterium alterius coniugis est causa sufficiens, vt innocens possit à nocente diuertere, vt constat ex verbis Domini *Mat. 5. & 17.* idque ex Matrimonij natura. Quia fidem frangenti fides seruanda quo ad thorum, & habitationem non est.

130 Matrimonium quoad thorum dissoluitur per omnes luxuriæ species in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio.

Matrimonium quo ad thorum, & habitationem dissoluitur per omnes eas species luxuriæ, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio: & huiusmodi carnis diuisio reperitur primò in omni concubitu naturali cum alio. Quia talis concubitus est adulterium, siue simplex si coniux sit solutus: siue duplex, si cum alio coniugato accidat. Deindè fit carnis diuisio in copula contrà naturam siue Sodomitica cum mare, vel fœmina actiuè, aut passiuè, modo sit

completa. Tertiò fit carnis diuisio per copulam fœminæ cum fœmina, modò semen vnius in vas alterius medio instrumento, vel sine illo immittatur. Denique copula bestialis satis est ad diuortium. Quia caro coniugis cum bestiæ carne diuiditur. Bonacin. *hic, quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 2. Sanch. *libr.* 10. *d.* 4. *num.* 3. & 14. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 367. Syluest. *verb. Diuorti. quæst.* 7. Santi. *in select. d.* 11. *num.* 12.

131 *Minimè autem quãdo caro non diuiditur.*

At dissolui non potest Matrimonium quo ad thorum per eas luxuriæ species, in quibus caro cum alio non diuiditur. Quia tunc non violatur perfectè Matrimonij fides. Vndè per mollitiem non dissoluitur, siue fiat adminiculo proprio, siue alieno extrà vas naturale, vel præposterum. Item nec per oscula, amplexus, & tactus libidinosos, quamvis adfuerit animus perueniendi ad adulterium. Neque per immissionem virilis membri in vas fœmineum absque seminatione. Neque per receptionem seminis in vase absque viri adminiculo: verbi gratiâ, si in balneo matrix attraheret semen à viro profusum. Neque per concubitum cum fœmina, aut bestia, mortuis, vel cum mulieris statua. Quia hæc non est propria diuisio carnis cum alio. Copula autem Sodomitica cum propria vxore inuita non est satis ad dissolutionem. Quiâ per eam non diuidit vir carnem suam cum alio. Si tamen vir admonitus ab vxore desistere nollet, tunc haberet vxor iustam causam diuertendi ob inductionem ad peccatum, de quo inferius. Nauar. *consil.* 1. *de diuor.* Syluest. Tabie. Rosel. Caiet. apud Sanch. *l.* 10. *d.* 1. *n.* 8. Henriq. *l.* 11. *c.* 8. *num.* 13. & ipse Sanch. *num.* 12.

132 *In aliquibus casibus adulterium ad diuortiũ non sufficit.*

Quamvis adulterium per se sit causa sufficiens ad diuortium, in aliquibus tamen casibus verè non licet illud facere. Primò quandò vtérque adulterium patrauit, vel crimen æquiualens. Quia paria delicta mutua compensatione abolentur. Secundò, quando vir expressè, vel tacitè vxorem prostituit, siuè inuitam, siuè volentem: aut conscius adulterij vxoris non vult prohibere, cum absque suo graui incommodo possit. Non sic de vxore conscia adulterij viri; quia si positiuè consentiat, tùm compensabitur: si verò tantùm conscia sit, & non prohibeat, non est satis. Quando autem vir fuit tantummodò causa remota, & occasio adulterij vxoris, verbi gratiâ, si illam iniustè domo expellit, aut necessaria abnegat alimenta: potest ab ea diuortium agere. Tertiò, quando vxor fuit violenter oppressa, etiamsi ipsa per accidens violentiæ caudam dedisset. Si autem non per vim præcisam, sed per metum grauem cognita fuerit, posse virum ab ea diuertere, alios affirmare, alios negare scio, de quo *section.* 2. Quartò, si coniugi copuletur alter sub viri proprij specie latenter, & bona ex parte coniugis fide. Quia sicut ignorantia inuincibilis excusat à culpa, ità & à pœna. Idem asseruerim quandò vxor probabiliter credit, virũ obiisse, alij nubit; Quintò denique, quando coniux innocens condonauit alteri adulterium expresse per verba, aut tacitè per signa. Quod si post reconciliationem relabatur, non releuatur condonatione facta, Quia præcedens venia ad futura delicta non trahitur. Coninch. *d.* 35. *num.* 7. Filliuc. *tractat.* 10. *num.* 371. & 372. Henriqu. *lib.* 11. *cap.* 17. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 321. & 322. Sanch. *l.* 9. tota *d.* 15. vbertim. Diana *p.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 257.

133 *Quid sufficiat, vt coniux in foro conscientiæ diuortium possit facere.*

Vt autem coniux in foro conscientiæ sui coniugis adulterio diuortium gerere valeat, requiritur, ac sufficit notitia moraliter certa, vel suspitio violenta talis, qualis in foro externo *inx in foro* sufficeret, ad conuincendam de adulterio vxorem, vt accidit, quando ipsa adulterium profitetur, vel quando inuenta est nuda cum nudo, vel sola cum solo in lecto, in locis secretis, & la- *conscientia diuortium gerere possit.*
tebris commodis, & horis electis. Ex solis autem osculis, amplexibus, &c. si alia adminicula non concurrant, non fit violenta suspitio. Multò minùs sufficiunt xenia, aut verba amatoria. Sanchez *libro* 10. *d.* 12. *à numero* 39. Sa *verb. Diuortium, numero tertio*, Filliuc. *tractat.* 10. *numer.* 388.

134 *In foro externo probatio requiritur.*

Vt verò fiat diuortium in foro externo, requiritur, vt adulterium probetur, & sit notorium: quamuis probatio hæc pro conscientiæ foro sibi vir ius dicere potest, sublato scandalo, cum defectus probationis non sit ex culpa sua. Diana post alios *part.* 3. *tractat.* 4. *resolut.* 257.

135 *Coniux innocens potest secluso scandalo propria auctoritate facere diuortium ab adultero.*

Coniux innocens conscius adulterij sui coniugis potest, secluso scandalo, propria authoritate facere diuortium ab adultero, siuè delictum sit publicum, siuè occultum. Quia iure naturæ frangenti fidem, fides non est seruanda citra delictum. In foro tamen externo cogendus est redire, donec adulterium probetur. Ipse autem innocens coniux, quamvis per excommunicationem, vel præceptum à Iudice cogatur cohabitare, ex natura rei, & secluso scandalo, non tenetur obedire. Quia præceptum Superioris non obligat in conscientia, quando ex falsa præsumptione procedit. Nauar. *cap.* 2. *numer.* 23. Coninch *d.* 35. *num.* 2. Reginald. *libr.* 31. 287. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 257. Sylui. *in suppl. qu.* 62. *art.* 3.

136 *Duplici in casu tenetur maritus diuortium facere adultera coniuge.*

Duplici in casu tenetur maritus sub mortali facere cum vxore adultera diuortium. Primò, quandò per diuortium emendationis fructum sperat, si verò non sperat, sed potiùs maiora timet incommoda obuentura diuortij occasione, puta rixas, & cædes inter ipsum, & parentes vxoris, diuortium gerere non tenetur. Quia minimè tenetur cum tanto suo incommodo delinquentem corrigere in extrema salutis necessitate non existentem. Secundò tenetur, quando imminet scandalum, vt si ipse existimetur conscius, ac fautor delicti, nec alia ratione valeat scandalo occurrere. Vxor autem regulariter non tenetur dimittere virum in adulterio persistentem. Quia est subdita viro, & ex hoc nullum assolet scandalum obuenire: communiter enim creditur vxori viri adulterium displicere. D. Thom. *in supplem. quæst.* 62. *art.* 2. Sylui. *ibidem.* Sanchez *lib.* 10. *d.* 13. *num.* 5. 6. & 10. Tolet. *lib.* 12. *cap.* 20. Nauar. *cap.* 16. *num.* 18. Coninch. *d.* 35. *dub.* 3. Filliuc. *tractat.* 10. *numer.* 390.

137 *Quid cum vtérque adulterium commisit, sed alter iam emendatus, potest hic petere diuortium ab altero non emendato, quandò eum admonuit, vt se corrigeret, & renuit, imò denuo fuit in adulterium lapsus. Quia quando coniux emendatus monet adulterum, offert illi reconciliationem: Ergò si post monitionem nõ vult emendari, potest emendatus*

ab

ab eo diuertere. Nauar. *lib. 4. consil. consil. 1. de diuort.* Reginald. *lib. 31. numero 321.* Henriqu. *libro 11. capite 17.* Sanchez *libr. 10. d. 7. numer. 4.*

138 Innocens coniux antequam status alterius mutetur, potest, facto diuortio, adulterum cogere, vt ad se redeat. Quia sententia diuortij facta est in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis, vnde iuri suo renuncians, potest illum in amicitiam reuocare. Ponti. *lib. 9. cap. 19. num. 3. & 4.* Diana *part. 3. tract. at. 4. resolut. 257.* Azor. *tom. 1. libr. 13. capit. 14.* Coninch. *d. 35. dub. 1.*

Innocens coniux antequam status alterius mutetur, potest facto diuortio adulterum cogere, vt ad se redeat.

139 Nulla actio requiritur coniugi adultero, vt repetat innocentem lapsum in adulterium post latam diuortij sententiam. Quia retractandum non est, quod semel rectè fuit definitum: & sententia diuortij non fertur sub conditione in fauorem rei, sed absolutè fertur in illius odium. Integrum tamen est Iudici, vt eos ex officio conciliet, illos cogens, quando adest scandalum, vel manifestum innocentiæ periculum. Hinc fornicationi dans operam post diuortij sententiam, non tenetur admittere adulterum à se dimissum, donec per Ecclesiã compellatur. Imò nec tenetur fateri crimen coram Iudice ex officio procedente, nisi iuridice interrogatus. Reginald. *libr. 31. numero 330.* Henriqu. *libr. 11. capite 17. numero 3.* Filliuc. *tractat. 10. numero 378.* Sanchez *libr. 10. d. 9. numer. 30.*

Nulla actio requiritur coniugi adultero, vt repetat innocentem lapsum in adulterium post latam diuortij sententiam.

140 Verùm quando coniux innocens mutauit statum, vel quia in Religione professionem emisit, vel quia Ordine Sacro est initiatus, & postea fornicatur, non potest reddi adultero relicto, neque officio Iudicis. Quia iam Monasterio, vel Ecclesiæ ius est acquisitum, quod non debet ob delictum amitti. Idem dixerim, si innocens sit fornicatus post sententiam, sed antè status mutationem. Nam si postea mutet statum, non potest compelli ad reditum cum vxore. Quia vxor priuata est omni iure, & Iudex ex officio non debet perfectionem statum impedire. Filliuc. *tr. 10. n. 379.* Sanch. *lib. 10. d. 9. num. 35.*

Quando coniux innocens mutauit statum, quia professus est in Ordine sacro initiatus, & fornicatus postea: non potest reddi adultero.

141 Quando adulterium est notorium, vel post sententiam diuortij, coniux innocens potest emittere votum simplex castitatis adultero inuito, vel ad Religionem transire, vel Sacris Ordinibus initiari. Quia coniux adulter priuatus est omni coniugali iure. Nec propterea necesse est adulterum etiam profiteri, sed potest manere in sæculo etiam absque castitatis voto. Sanch. *lib. 10. d. 11. num. 16.* Coninch *d. 35. dub. 5.* Reginald. *lib. 31. num. 326.* Bonacin. *hic, qu. 4. punct. 5. num. 23.* Caueat tamen innocens, ne Ordines Sacros suscipiat, (addit Bonacin.) aut Religionem ingrediatur, quando delictum alterius coniugis est occultum. Quia fieri potest, vt non probato delicto, vxori adulteræ restituatur, aut sequatur scandalum.

Quando adulterium est notorium vel post sententiam diuortij innocens potest votum simplex castitatis emittere vel Religionem aut Ordinem Sacrum inire adultero inuito.

142 Innocens coniux copulam sponte habens cum adultero coniuge etiam occulto, siuè petendo, siuè reddendo, modò adulterij sit conscius, censetur adulterij iniuriam condonare: ac proindè deinceps, non erit sibi integrum facere diuortium. Quia copula illa amicitiæ est actus, & caro anteà per adulterium diuisa ad vnionem restituitur, & fit vna cum innocenti caro; & hoc verum siuè copula fiat antè, vel post diuortium celebratum. Retentio autem a lulteri apud innocentem censetur etiam condonatio, modo innocens sit certus de adulterio, & ipsum sit ità publicum, vt nulla possit tergiuersatione celari. Idem asseruerim, si innocens sponte, & scienter familiarem sese exhibeat adultero, colludendo, ridendo, ac comedendo cum eo: & à fortiori si oscula, & amplexus intercedant. Porrò hæc tacita condonatio solummodò præsumptione nititur, non veritate; quare si sit animus non condonandi, non erit in conscientiæ foro. In foro tamen externo præsumitur. Quia nullum ius decernit, esse condonationem. Graf. *2. part. lib. 1. cap. 12. num. 84.* Lopez *part. 1. Instruit. cap. 295.* Angles *flor. 1 part. de Matrim. quæst. 9. de diuor. artic. 1.* Sotus *in 4. d. 36. qu. vni. art. 1.* Sylvest. *verb. Diuortium, qu. 9.* Filliuc. *tract. 10. num. 293.* Henriq. *lib. 11. cap. 17.*

Quando dicatur censeaturque adulterij coniugis iniuriam condonare delictumque.

CAPVT X.

De Diuortio ob hæresim, vel apostasiam.

143 ALtera causa diuortij iure diuino naturali, & humano Ecclesiastico est hæresis, vel apostasia à fide, in quæ alter coniux labitur. Est de fide in Tridentino *sess. 28. can. 8.* definita veritas, contrà quosdam hæreticos admittentes solam fornicationis causam ad diuortium gerendum. Est tamen inter has causas discrimen, quia ob fornicationem conceditur diuortium perpetuum ob alias autem causas nempè hæresim, inductionem ad crimina, & sæuitiam, solùm est ad tempus, quo durant. Quia causa in fornicatione est ex ipsa coniugij natura, eo quod fides promissa violata fuit, cum autem hæc sit perpetua, ità & dimissio. Cæteræ autem causæ cum non sint ex coniugij natura, perpetuæ non sunt, ac proindè tantummodò dum ipsæ permanent, diuortium permittitur. Bellarm. *lib. 1. de Matrimon. cap. 14.* Nauar. *cap. 22. num. 21.* Sanchez *libr. 10. d. 15. numer. 2.*

Secunda causa diuortij est hæresis aut apostasia à fide in qua alter coniux labitur.

144 Coniux Catholicus potest authoritate propria, imò tenetur à coniuge hæretico non resipiscenti recedere. Quia ius naturæ obligat proprium animæ periculum cauere. Verùm postquam accessit Ecclesiæ sententia damnans hæreticum, in pœnam admissi hæreseos criminis Ecclesia facit ius coniugi Catholico in perpetuum diuertendi ab hæretico etiam resipiscenti. Antè sententiam verò, & condemnationem hæretici tenetur Catholicus resipiscentem admittere ad coniugale consortium. Hinc coniuge hæretico iam Ecclesiæ sententia damnato, integrum est Catholico, ad Sacrum Ordinem transire, sicut & ad Religionem, votóve castitatis se adstringere in sæculo. Ipse verò hæreticus iam damnatus posset etiam ad Religionem transire, obtenta prius Catholici licentia; vel sine illa si iam ipse Catholicus sit professus, vel Ordines Sacros susceperit. Filliuc. *tract. at. 10. num. 396.* Sanch. *l. 10. d. 15. num. 9.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 130. num. 2. con. 1. 2.*

Coniux Catholicus potest imò tenetur propria authoritate à coniuge hæretico recedere.

concl. 2. Porti. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 3. Diana *part.* 6. *tract.* 7 *resolut.* 25.

145 *Antè sententiam Iudicis non potest adulter suum delictum cum hæresi alterius coniugis compensare. Et nim fieri possit post sententiam?*

Antè sententiam de hæresi non potest compensare adulter suum delictum cum hæresi. Quia antè sententiam, non est sufficiens causa diuortij nisi ad tempus, dum scilicet non resipiscit: postquam autem est emendatus, tenetur adulter illum recipere; vndè hæreticus antè sententiam condemnatoriam potest ab adultero diuertere: non hic ab illo, nisi ad tempus. Post sententiam autem, quamvis probabile sit, vtrámque fornicationem, carnalem scilicet, & spiritualem posse compensari: receptiori ex sententia non potest hæreticus vti adulterio pro compensatione. Quia ipsi diuortium est in pœnam hæresis, & adulterium alterius hæretici pœnam non tollit. Imò compensatio minimè datur si vtérque coniux sit in hæresim lapsus. Atque qui hæresis non est damnatus potest diuertere à damnato, & reconciliato: hic autem minimè ab illo nisi ad tempus, dum non resipiscit, & tenetur ad resipiscentem redire, donec condemnetur. Quia in condemnato inuenitur causa sufficiens perpetui diuortij, in non condemnato autem solummodò ad tempus. Sanchez *lib.* 10. *d.* 16. *num.* 3. & 4. Sylvest. *verb. Diuortium, quæstion.* 11. §. 14. Henriq. *l.* 11. *cap.* 17. *num.* 6. & 7. Filliuc. *tractat.* 10. *numero* 399. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *quæstion.* 4. *punct.* 2.

CAPVT XI.

De duobus aliis Diuortij causis, scilicet inductione ad peccatum, ac Sæuitia.

146 *Inductio ad peccandum causa diuorty; non autem grauissima (præter adulterium & hæresim) sceleraconiugum, si alter alterum nõ inducat.*

OB aliud crimen à fornicatione carnali, vel spirituali non licet coniugibus diuortium gerere, si illo non pertrahat alterum ad peccandum. Vndè quantumvis coniux aliis grauissimis sceleribus deditus sit, & incorrigibilis, dummodò coniugem alterum ad delinquendum non inducat, minimè ei licet diuortium gerere. Propterea tertiam diuortij causam assignaui *Cap.* 9. quando coniux à coniuge ad peccandum inducitur, & est timor spiritualis ruinæ. Quia iure naturali, & diuino cuique licet tàm corporis, quàm animæ periculum præcauere. D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæstion.* 1. *articul.* 6.

147 *Speciatim recenseo ad delinquendum coniugis inductiones.*

Hinc iusta causa diuortij erit, si vir sit leno suæ vxoris, vel domi admittat viros parum pudicos, qui absente marito illam sollicitent: & admonitus vir non corrigatur. Item si alter habitare nolit, nisi alter latrocinium exerceat, vel si ad præposteram venerem inducere satagat, vel si alimenta administret ex rebus furto ablatis, sciente fœmina. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 7. Nauar. *cap.* 22. *num.* 22. Filliuc. *tractat.* 10. *num.* 400.

Hoc diuortium ob inductionem ad peccandum, non conceditur perpetuum, sed ad tempus, quo inductio illa ad peccandum durat: & proinde resipiscente coniuge ad peccatum inducente, ac seriò conuerso, tenetur alter eum admittere. Vndè ratione periculi lapsus in peccatum ad hoc diuortium celebrandum, non est necessaria Iudicis sententia. Quia non est perpetuum. Henriq. *l.* 11. *cap.* 77. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 400. Nauar. *cap.* 22. *numer.* 22. Sylvest. *verb. Diuortium, quæst. vltim.* Sanch. *libr.* 10. *d.* 17. 148 *Non est perpetuum huiusmodi diuortium.*

Quarta causa sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum est sæuitia coniugis, quando est tanta, vt absque grauis damni periculo non possit alter cum illo habitare, donec coniux sæuiens sufficienter præstet securitatis cautionem. Non solùm autem sæuitia præterita iustam exhibet causam diuertendi, sed etiam timor futuræ sæuitiæ. Porrò huiusmodi sæuitia potest præsumi quandiù vir retinet concubinam domi, vel etiam extrà domum. Propterea vxor potest à viro recedere, donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, & fideiussoriam, vel saltem iuratoriam expellendi concubinam, illámque in posterum non recipiendi. Item furor alterius coniugis, quando ita est vehemens, vt alter periculum subeat cohabitando. Vel quando vnus coniugum tentauit alterum occidere. Vel quando delictum vnius potest esse alteri grauis damni causa, verbi gratiâ, quando vxor est venefica, liberorum interfectrix: vel quando timetur, vt enecet virum, est causa sufficiens. Nauar. *cap.* 22. *num.* 22. Filliuc. *tract.* 10. *numer.* 402. Sanchez *libr.* 10. *d.* 18. Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 7. §. 5. Sylui. *in supplem. q.* 62. *artic.* 1. 149 *Sæuitia coniugis vnius ainec coniux sæuiens sufficienter præstet securitatis cautionem. Non solùm autem sæuitia præterita iustam exhibet causam diuertendi, sed etiam timor futuræ sæuitiæ. Porrò huiusmodi sæuitia potest præsumi quandiù vir retinet concubinam domi, vel etiam extrà domum. Propterea vxor potest à viro recedere, donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam, & fideiussoriam, vel saltem iuratoriam expellendi concubinam, illámque in posterum non recipiendi. Item furor alterius coniugis, quando ita est vehemens, vt alter periculum subeat cohabitando. Vel quando vnus coniugum tentauit alterum occidere. Vel quando delictum vnius potest esse alteri grauis damni causa, verbi gratiâ, quando vxor est venefica, liberorum interfectrix: vel quando timetur, vt enecet virum, est causa sufficiens. Nauar. *cap.* 22. *num.* 22. Filliuc. *tract.* 10. *numer.* 402. Sanchez *libr.* 10. *d.* 18. Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 7. §. 5. Sylui. *in supplem. q.* 62. *artic.* 1. *uortij causa plerúmque tua, sed ad tempus.*

Quando diuortium est absolutum, ac perpetuum ratione incorrigibilis sæuitiæ, aut furoris alterius coniugis, licet ad Religionem transitus vel ad Sacrum Ordinem ei qui sanus est, & innocens, Quia est eadē ratio, quæ in diuortio per adulterium, vel hæresim. Si verò non sit perpetuum, sed temporale, quale communiter esse solet, non licet. Quia cum diuortium perpetuum non sit, ius coniugale non est amissum, sed eius executio est temporaliter suspensa. Vndè si sanus possit habitare cum altero, non poterit transire ad Religionem. Sanch. *l.* 10. *d.* 18. *n.* 47. & 48. Nauar. *cons.* 5. *de diuor.* Henriq. *l.* 12. *cap.* 5. *n.* 10. 150 *Quid cum diuortium est perpetuum?*

Apud innocentem est educanda proles, quando culpa alterius coniugum diuortium est factum. Ab hac autem regula aliqui casus excipiuntur. Si parens innocens esset infidelis, *facto* tunc apud fidelem, quamvis in culpa fuerit, est educanda. Si mulier ad secundas transit nuptias, tunc apud patrem, etiamsi in culpa fuerit, est educanda. Si mater causam diuortio dedit, & ipsa est locuples, vir autem pauper: apud matrem soboles est alenda. Denique debet proles educari apud parentem innocentem, rei quidem expensis. 151 *Apud quē coniugem, uortio, sit educanda proles?*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Matrimonij Essentia, Dubia.

CAPVT XI.

Circà Matrimonij Essentiam.

DVBIVM I.

An Matrimonium vt est contractus naturalis solo naturæ iure institutum sit.

152 *Institutum est solo iure naturæ.*

EST institutum solo naturæ iure ab Adamo illis verbis, quæ, Deo inspirante, protulit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen.*2, Quia *Mat.* 19. probat Christus matrimonium esse indissolubile ex verbis institutionis, dicens: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Et *ad Ephes.*5. ait Paulus: *Propter hanc relinquet homo:* & subdit: *Sacramentum hoc magnum est.* Vbi clarè significat, ea verba ab Adamo prolata fuisse institutionis verba. Et in Trident. *sess.*24. *initio* dicitur, matrimonium multo ante fuisse ab Adamo signatum. Sic Magist. *in* 4. *dist.*26. *qu.*2 *memb.*2. *artic.*1. D. Bonauent. *ibi, articul.*1. *quæstion.*2. Duran. *in exposit. lite.* Richar. *articul.*1. *quæstion.*3. Hugo *l.* 1. *de Sacrament. cap.*132. Catharin. *contra Caiet. quæstion.*1. *de matrimon.* Ledesm. 2. *part.*4. *quæstion.*44. *articul.*2. & alij.

153 *Non est solo naturæ iure institutum.*

Non est solo naturæ iure institutum, sed simul institutum, & præceptum à Deo illis verbis *Gen.*1. *Crescite, & multiplicamini.* Quia tunc Deus fecit copiam illis, vt iungerentur, & mutuam corporum concessit traditionem, in quo matrimonium consistit. Et quia illis verbis intimatur potissimus matrimonij finis, qui est hominũ multiplicatio: Ergò per illud institutum est matrimonium, quo finis ille compatatur. Ità Sanch. *lib.*2. *d.*4. *numer.*3. ex D. Thom. *in* 4. *dist.*26. *quæstion.*2. *articul.*2. *ad* 4. Paludan. *qu.*1. Altisiodor. Abul. Viguer. Verac. & alij apud Santium *citatum.*

154 *Primam sententiam probabilio rem.*

Ego quidem vtramque approbans sententiam probabilius adhuc putarim, matrimonium, (vt contractus quidam naturalis est,) solùm esse iure naturæ institutum, ac celebratum in paradiso illis Adami verbis: *Hoc nunc os ex ossibus meis.* Quia illis consensum expressit, sinè quo matrimonium constare non potest: & ideò verisimile iudico, aliis verbis similibus Euam respondisse, quibus etiam suum consensum Adamo indicaret. Mecum Basil. *l.*1. *cap.*2. *num.*4. & penès ipsum. Vasq. Petrus Ledesm. Valentia, & alij.

DVBIVM II.

An extiterit præceptum de matrimonio contrahendo.

NOn extitit præceptum de matrimonio contrahendo. Quia nulla verba in sacris huiusmodi præceptum videntur exprimere. Et quia naturalis inclinatio hominum satis erat, vt eos ad coniugia ineunda instituta ex ipso iure naturæ ineunda excitaret. Sic Medina *l.* 4. *de sacror. homin. contin. controu.*2. 155 *Non extitit præceptum.*

Præceptum extitit diuinum positiuum obligans ad matrimonium ineundum dum genus humanum paucis continebatur. Quia sicut ad vitam sustentandam est necessarius cibus in diuiduo, ità generatio ad speciei conseruationem: at tenetur homo se ipsum conseruare cibum sumendo; ergò & speciem generatione. Ne autem homo ab hac obligatione resiliret, operæ pretium fuit præcepto diuino illigari. Ità Sanch. *libr.*2. *d.*3. *numer.* 1. ex D. Thom. *in* 4. *dist.*26. *quæstion.*1. *articul.* 2. *in corp.*, quem omnes sequuntur. 156 *Præceptum extitit.*

Certissimum est extitisse de matrimonio contrahendo præceptum, vel diuinum positiuum, illis verbis contentum: *Crescite, & multiplicamini. Gen.*1. vt Valentia *d.*10. *quæstion.*1. *primam sũpunct.*4. & Coninch *d.*15. *dub.*1. testantur. Vel *tentiam* solùm naturale ab ipsamet ratione naturæ ortum, vt docuêre Basil. *l.*1. *cap.*4. *num.*2. & Vasq. *d.*1. *de matrimon. cap.*3. Vel diuinum; & naturale simul, vt Becan. *capite* 44. *quæstion.* 3. & Rebel. *lib.*2. *quæst.*2. *num.* 3. putauerunt. Vndè primam sententiam omninò improbabilem esse reor. 157 *Hoc certissimum, illis verbis contentum: improbabilem reor.*

DVBIVM III.

An nunc existat, de contrahendo matrimonio præceptum.

NOn extat. Quia reuocatum fuit antè diluuium, vel in lege Euangelica à Christo Domino, cum non possit cum Virginitate, quam consulit ipse consistere. Sic Castro *cont. hæres. verb. Virginitas.* D. Bonauent. *in* 4. *dist.*26. *articul.* 1. *quæstion.*3. Richard. *ibi, articul.* 3. *quæstion.*3. Alex. de Neuo *rubr. de sponsal. numer.*20. 158 *Non extat nunc præceptum illud.*

Extat nunc præceptum. Quia præcepta naturalia non extinguntur, necessitate ablata, licèt pro tunc non obligent. Cessauit igitur obligatio præcepti de contrahendo matrimonio, cum hoc solùm obliget, si adsit genus humanum propagandi necessitas, qualis initio mundi, & 159 *Nunc extat.*

post

post diluuium fuit: quæ cum cessauerit, cessauit etiam præcepti obligatio. Ità Basilius *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Cornejo *d.* 1. *de matrimon. dub.* 9. Petr. Ledes. *de matrimon. quæstion.* 41. *articul.* 1. *dub.* 1. Palaus *d.* 1. *punct.* 1. *numer.* 5. Trull. *libr.* 7. *capite* 3. *a numero* 1. Leand. *tractat.* 9. *d.* 3. *quæstion.* 5.

160 *Et stare, & stiturum reor.*

Existimo nunc extare, extiturúmque matrimonij præceptum vsque ad mundi finem. Quia hoc est præceptum naturale: huiusmodi autem præcepta non extinguntur cessante necessitate, licèt pro tunc minimè obligent, vt constat in eleemosynæ præcepto. Et quia Christus Dominus nulla præcepta naturalia abrogauit, sed tantùm ceremonialia per legem nouam: præceptum autem matrimonij naturale est. Quare olim cum exiguus erat hominum grex, singulos obligat: nunc autem, hominibus multiplicatis, tantùm obligat Rempublicam in communi, vt necessitate occurrenti subditos compellat, vt ex D. Thoma *in* 4. *dist.* 26. *qu.* 1. didici.

DVBIVM IV.

An deficientibus hominibus aliis, superstites solummodò Religiosi teneantur matrimonium contrahere.

161 *Non tenentur.*

NOn tenentur. Quia si huiusmodi casus accideret, iam certum esse mundi finem instare: vndè necessarium non esset à Religiosis contrahi coniugia, vt per ipsos genus humanum instauraretur. Sic Basil. *libr.* 1. *capit.* 4. *num.* 11. citans Richardum, Vasquium, Durandum, & Petrum Ledes. Henriq. *l.* 11. *de matrim. cap.* 1. Rebel. *lib.* 2. *qu.* 2. *numer.* 4.

162 *Tenentur planè.*

Tenentur quidem. Quia præceptum matrimonij naturale est vrgenti necessitate obligans: tunc autem maximè vrget; nec secluſa Dei reuelatione finem mundi adesse constare poterit. Ità Sanch. *lib.* 2. *d.* 3. *num.* 4. citans Sotum, Angl. Viuald. Barthol. à Ledes. Vegam, & Ludouic. Lopez, Molina *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *d.* 22.

163 *Quid opinor, expono.*

Si finis mundi certo instaret, certóque constaret Deum velle mundum perire, nullatenus Religiosi (imò nec alij) tenerentur, inire coniugia; quia inaniter ad eius conseruationem conarentur. At si de mundi dubium esset interitu, nec de Dei decreto constaret, etiam Religiosi tenerentur coniugia inire, vt orbis exitium impedire curarent. Fateor, posse & nunc occurrere casum, in quo aliquis Religiosus teneretur matrimonium contrahere: vt quando sequerentur seditiones, & bella, nisi Principis filius vxorem duceret. Hoc autem non esset ex vi præcepti matrimonij, quod solummodò ratione multiplicandæ speciei, obligat: sed ratione præcepti scandalum vitandi.

DVBIVM V.

An Matrimonium in lege naturæ ac lege veteri fuerit Sacramentum.

SAcramentum fuit. Quia erat rei sacræ signum. Sic Petr. de Soto *de matrimon. lect.* 2. §. *De institutione.* Castro *lib.* 11. *verb. Nuptiæ, har.* 3. Alens. *part.* 4. *quæstion.* 1. *num.* 2. Phigi. *contr.* 10. 164 *Fuit Sacramentum.*

Nec fuit Sacramentum, nec gratiam contulit, sed nudus naturalis contractus. Quia Florentinum *decreto de Sacra.* numerat matrimonium inter Sacramenta nouæ legis, & hæc à Sacramentis veteris legis distinguit, quod gratiam conferant, quam illa minimè conferebant. Et Tridentinum *sess.* 24. *can.* 1. dicit, matrimonium esse Sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum. Ità Sotus *in* 4. *dist.* 26. *quæstion.* 1. *articul.* 1. & 2. Ledes. 1. *part.* 4. *quæstion.* 44. *articul.* 2. Bellarm *lib.* 1. *de matrim. cap.* 5. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 2. *lit. V.* Petr. Ledes. *cum aliis qu.* 32. *de matrim. art.* 1. Sanch. *l.* 2. *d.* 7. *num.* 2. 165 *Sacramentum non fuit.*

Hanc sententiam veram omninò, primamque falsam, imò parum tutam esse crediderim. Potest tamen dici fuisse Sacramentum largè & impropriè; quia aliquo modo coniunctionem Christi Domini cum Ecclesia figurabat: & licet gratiam gratum facientem non conferebat, potest asseri contulisse aliquod gratiæ genus; siquidem hoc præstabat, vt actus ille coniugalis licitus existeret. 166 *Hanc tenco sententiam, primam, at falsam prosus reicio.*

CAPVT XII.

Circà quiddit atem, & institutionem Matrimonij, vt Sacramentum est.

DVBIVM VI.

An Matrimonium fuerit, institutum à Christo Domino Sacramentum illis verbis: Quos Deus coniunxit homo non separet. *Mat.* 19.

COnstat de fide, in lege Euangelica matrimonium eleuatum esse à Christo Domino, vt sit Sacramentum: quandonam verò, dissident Doctores. Igitur institutum non fuit, aut eleuatum Sacramentum. *Math.* 19. illis verbis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quia eleuatum iam fuerat *Ioa.* 2. dum Christus Dominus Nuptiis interfuit. Sic Viguer. *l. institut. cap.* 16. §. 7. *ver.* 1. Ledes. 2. *part.* 4. *qu.* 44. *artic.* 1. Vel in primo suæ incarnationis instanti. Sic Guido 167 *Institutum non fuit. Math.* 19.

Guido *in Enchirid. tr. 1. c. 1.* Vel quia prorsus est certum, quo tempore fuerit à Christo Domino eleuatum. Sic Basil. *lib. 1. cap. 6. num. 1.*

168 *Institutum Matth. 19. fuit.* Fuit eleuatum in Sacramentum, cum Christus Dominus illa verba protulit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Quia de fide est, Dominum Matrimonium in Sacramentum eleuatle; at nullibi ità probabiliter apparet, quam eo tempore, quo ex professo sermonem de matrimonio habuit: ergò. Ità vtérque Sotus, Henriq. Vinald. Palar. Veracr. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *lib. 2. d. 4. num. 5.* Rebel. *lib. 2. q. 1. num. 9.* Basiæus, *verb. Matrimonium, 2. num. 5.* Villalob. *tract. 12. diffic. 5. num. 2.* Machad. *lib. 3. part. 1. tract. 8. docum. 2. num. 4.* Palaus *d. 2. punct. 1. num. 6.* Trul. *lib. 7. cap. 3. dub. 1. num. 2.*

169 *Institutum plenum.* Dixerim matrimonium approbatum quidem fuisse à Domino in Nuptiis Canæ, *Ioa. 2.* institutum verò, seu eleuatum in verum nouæ legis Sacramentum, cum Christus Dominus *Mat. 19.* id commendauit, eiúsque inseparabilitatem præcepit fatus: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

DVBIVM VII.

An post legem Euangelicam matrimonium infidelium sit Sacramentum.

170 *Matrimonium.* SAcramentum est. Quia sic appellatur *Cap. Gaudemus, de diuort.* Sic Adrian. *in 4. qu. 5. de matrimon. §. Ad rationes.* Estius *in 4. dist. 26. §. 6.* & nonulli apud ipsum.

171 *Non est Sacramentum.* Non est Sacramentum. Quia cum Baptismus Sacramentorum ianua sit, vt definit Florentinum *decreto de Sacr. Baptis.* infideles Sacramenti sunt incapaces. Ità Abul. *1. Reg. 8. qu. 41.* Sotus *in 4. dist. 26. qu. 2. artic. 3. ad 4.* Veracr. *part. 3. spec. artic. 35.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 59. art. 2. dub. 1.* Sanch. *lib. 2. d. 8. num. 2.* Basil. *lib. 2. cap. 6. num. 4.* Vasq. *d. 2. de matrim. cap. 10. num. 11.*

172 *Res certissimum.* Certissimum prorsus est, non esse Sacramentum, sed solummodò verum contractum obligantem eos. Nam cum infideles careant Baptismo cuiusvis Sacramenti sunt incapaces. At celebrando huiusmodi contractum non peccant, cum ad propagationem naturæ humanæ sit ordinatum, & in concupiscentiæ remedium: Ergò vt quid licitum eos obligat. Quare præfato *Cap. Gaudemus* appellatur Sacramentum largè, & impropriè, in quantum aliquomodo vnionem Christi cum Ecclesia designat, licet impropriè, quia fide carent.

DVBIVM VIII.

An Matrimonium fidelis cum infideli contractum ex Pontificis dispensatione sit aliqua ex parte, Sacramentum.

173 *Sacramentum ex parte fidelis.* SAcramentum est ex parte fidelis solius. Quia ille solus est Sacramenti capax. Sic Sotus *in 4. dist. 16. quæstion. 2. artic. 3.* Cathari. Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. III. P. II. opusc. de matrimon. quæstion. 1.* Echius *hom. 73. de Sacram.* Bonacin. *qu. 2. de matrim. punct. 2. numer. 3.*

Nulla ex parte est Sacramentum. Quia in hoc casu altera pars est incapax Sacramenti: sed sic est, quod hoc Sacramentum est vnicum in duobus, sicut est in ambobus vnicus, & integer contractus: Ergò si in vno nequit esse Sacramentum, nec in alio. Ità Sanch. *lib. 2. d. 8. num. 2.* Vasq. *d. 2. de matrimon. cap. 4. numer. 20.* Leand. *tractat. 9. d. 4. quæstion. 5.* Henriq. *lib. 11. cap. 2. & lib. 12. cap. 13. num. 3.* Angl. *part. 1. de matrimon. quæstion. 12. articul. 1. dub. 1.* Coninch *d. 24. numer. 24.* Reginald. *lib. 32. num. 2.* & alij. 124 *Non est vlla ex parte Sacramentum.*

Hanc eligo sententiam, quia matrimonium in vtróque coniuge est vnum numero Sacramentum, sicut est vnum numero matrimonium: Ergò si in vno non est Sacramentum, nec erit in altero. 175 *Hanc eligo sententiam.*

DVBIVM IX.

An Matrimonium Infidelium casu quo ambo Baptismo diluantur fiat, Sacramentum.

NOn fit Sacramentum. Quia non potest fieri Sacramentum, quando infideles suscipiunt actu Baptismum: nam cum Baptismus subiectum reddat aptum ad aliud Sacramentum suscipiendum, prius tempore suscipi debet ab infidelibus, vt habiles sint ad hoc, & ad alia Sacramenta suscipienda. Nec potest fieri Sacramentum post Baptismum: quia nequit dari sacramentum matrimonij absque materia, & forma: At hæc nequeunt dari post Baptismum: Ergò. Minor probatur, quia materia, & forma matrimonij sacramenti est primus contractus, vel prima traditio potestatis in coniugum corpus: sed post Baptismum non datur primus contractus, nec prima traditio, sed ad summum renouatio, aut approbatio eorum: Ergò. Sic Vasq. *tom. 2. in 3. part. d. 128. cap. 5. & tom. 4. d. 2. de matrimon. cap. 10.* Coninch *d. 24. num. 25.* Hurtad. *d. 3. diffic. 16.* Basil. *lib. 1. cap. 9. num. 8. & 9.* Albiz *in manuscrip. tract. de matrimon. d. 2. dub. 2.* Cornejo *d. 1. de matrimon. dub. vltim.* Diana *part. 3. tractat. 4. resolut. 253. & 255.* Palaus *d. 2. punct. 2. num. 14.* Bauni. *tractat. 12. qu. 8. de matrimon.* 176 *Sacramentum non fit.*

Est sacramentum, gratiámque confert. Quia statim, ac infideles baptizantur, matrimonium illud vnionem Christi Domini cum Ecclesia repræsentat, cum in Christi fide contractum perseueret, efficitúrque indissolubile saltem vt matrimonium ratum fidelium. Ergò statim ac baptizantur, efficitur sacramentum. Ità D. Thom. *in 4. dist. 39. qu. vni. art. 2. ad 1.* dicit enim, matrimonium infidelium esse sacramentum non actu, quia non contrahunt in fide Ecclesiæ, sed habitu. Ergò, sentit Angelicus Doctor, statim ab baptizantur effici sacramentum: aliàs frustra esset potentia illa, quæ ad actum non reduceretur. Paludan. *in 4. dist. 26. quæstion. 4. articul. 3. num. 25.* Deza *ibi, quæstion. 1. articul. 4. ad 5.* Argenti. *dist. 39. quæst. 1. artic. 1. ad 1.* 177 *Fit Sacramentum.*

Vega.*lib.*4.*sum. casu* 113. Sanch. *libr.*2. *d.* 9. *num.*5.

178 *Hæc mihi sententia magis arridet.* Hæc mihi sententia magis arridet. In cuius confirmationem asseruerim esse nouum matrimonium, nouúmque vinculum non omninò, sed in quantum prius matrimonium, quod erat contractus naturalis prophanus, & solubilis, efficitur insolubilis, sacer, ac repræsentans vnionem Christi cum Ecclesia: sicut in Tridentino *sess.*24.*can.*1. dicitur, Christum Dominum instituisse in lege noua matrimonium, cum tamen iam institutum esset; quia illud vt esset Sacramentum indissolubile, euexit.

DVBIVM X.

An inter fideles possit celebrari matrimonium, quod non sit Sacramentum.

178 *Potest quidè.* POtest quidem. Quia potest quis (quamuis non licitè) contrahere matrimonium sine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod agit Ecclesia, quo in casu, licet illud matrimonium non sit Sacramentum defectu intentionis: est tamen validum in ratione contractus, itavt contrahens nequeat alteri nubere. Sicut is, qui vellet assumere Ordinem Sacrum, non autem obligari castitatis voto, maneret Ordine insignitus, non autem voto illigatus. Sic Vasq.*tom.*3.*in* 3.*part.d.*118. Rebel.*libr.*2.*qu.*5. *concl.*1. Basil.*lib.*1.*cap.*9.*num.*3. citans Scotum, Besoliss. & Almain. Hurtad.*d.*3.*diffic.*19. Villalob.*tract.*13. *diffic.*6. Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 25.

180 *Non potest.* Minimè potest. Quia Christus Dominus fidelium matrimonium instituit in Sacramentum. Ergò ex Christi institutione hæc duo sunt inseparabilia: Impossibile ergò erit inueniri inter fideles ratio matrimonij sine ratione Sacramenti. Ità Sanch.*lib.*2.*d.*10.*num.*6. Suar. *tom.*1.*de Sacrament.qu.*64.*art.*10.*d.*13.*section.*2. Petr. de Ledes.*qu.*42.*artic.*1. *dub.* 7. Coninch. *d.*24.*num.*22. Layman.*tract.*10.*part.*2. *cap.*2.*n.* 2. Cornejo *d.*1.*dub.vltim.* Luisi. Turri. *in sum. part.*2. *cap.*94. *dub.*10.

181 *Auctoris iudicium.* Quid sentiam expono. Si ea intentio non suscipiendi Sacramentum procedat ex errore, quo credat quis, matrimonium Sacramentum non esse, intendat tamen facere, quod fideles per matrimonium efficiunt, verum erit matrimonij Sacramentum; quia hic error non excludit debitam intentionem. Si autem ea voluntas sit vera intentio separandi quantum in ipsis est rationem Sacramenti à matrimonio, & celebrandi merum contractum naturalem: non erit Sacramentum intentionis defectu: attamen nec validum matrimonium erit in ratione contractus; quia ex Christi institutione inseparabile est à contractu matrimonij esse Sacramenti: vndè intentio non consiciendi Sacramentum repugnat intentioni legitimæ faciendi matrimonium, vt est contractus: sicut è contrà qui intenderet facere Sacramentum matrimonij, non autem contractum, nihil efficeret; quia ex Christi Domini institutione hæc duo sunt inseparabiliter coniuncta, & ità se mutuo ponunt, ac destruunt. Vndè non est simile quod de ordine innuitur. Nam id votum non est iure diuino annexum ordini inseparabiliter, vt est matrimonij contractui esse Sacramenti: sed tantùm ex statuto Ecclesiæ, quæ circà Sacramentorum substantiam nil potest immutare.

DVBIVM XI.

An Matrimonium sit vnicum Sacramentum.

182 *Sunt duo Sacramenta.* EST vnicus contractus, sed duo Sacramenta. Quia iuxtà numerum suscipientium, qui sunt duo, multiplicantur. Sic aliqui Neoterici apud Petrum de Ledes.*quæstion.*42.*art.*1.*dub.*3. *ad* 3. Vel sunt duo Sacramenta partialia, & vnum totale, sicut contingit, in duplici Eucharistiæ specie: Et hoc dicit ex aliorum sententia Ledesma non esse omninò improbabile.

183 *Est vnicum Sacramentū.* Est vnicum Sacramentum. Quia licet ibi sint plura materialiter, & in genere entis: at est vnicum signum repræsentans vnicam Christi Domini vnionem cum Ecclesia, & vnica materia, & forma: ac neutra per se hoc repræsentat. Ità Petr. de Ledes.*citatus*, & alij, quos refert. Henriq.*lib.*11.*cap.*2.*num.*1. Sanch.*l.*2.*d.*10. *numer.* 5.

184 *Hoc mihi arridet.* Hoc mihi certum. Quia cum in matrimonio vnica adsit materia, & forma, longe aliter contingit in Eucharistiæ speciebus, quæuis enim per se sua ex materia, ac forma constat, habétque veram signi rationem, gratiámque confert.

DVBIVM XII.

An verba, seu signa, quibus consensus exprimitur, sint sibi inuicem materia, & forma Sacramenti Matrimonij.

185 *Non sunt verba sibi inuicē materia & forma.* NOn sunt. Quia consensus necessariò debet hic formę munus gerere, vt verba determinet ac perficiat, quæ quidem eo secluso nihil efficerent. Ergò verba non sunt sibi inuicem forma, & materia Sacramenti Matrimonij. Sic Maior.*in* 4.*dist.*26.*q.*1. Vel si malis, verba esse materiam, necessariò contrahentium consensus debet formæ munus obire. Quia consensus per verba informantur. Sic Gloss. *ad Cap. Tua, de sponsal.* Abbas *ibi, n.*10. Præpos. *fine.* Neuo *n.*25. Sylvest. *v. Matrimonium,*1.*q.*1. Nauar.*c.*22,*n.*20. Capreol. *in* 4.*dist.*26. *qu.vni. art.*1.*ad* 7. Deza *ibi, qu.*1.*art.*3.*notab.*2.

186 *Sunt equidem.* Sunt equidem verba, aut signa, quibus consensus exprimitur sibi inuicem materia, & forma secundùm diuersas rationes; in verbis enim contrahentium est expressio mutuæ traditionis, qua quilibet tradit alteri sui corporis potestatem: & secundùm hoc dicuntur materia; & expressio mutuæ acceptationis, qua quilibet acceptat traditionem sibi per alterum factam: & secundùm hoc dicuntur forma. Quia traditio illa imperfecta est ineffica, donec acceptetur, & accedente acceptatione perficitur, ac determinatur matrimonium: Ergò

Ergò vtráque verba sunt materia, quatenus important traditionem, & sic per sequentia determinantur: & sunt forma, in quantum important acceptationem: & sic inuicem determinant. Ità Sanchez *l. 2. d 5. num. 6.* Sotus *in 4. dist. 1. qu. 1. art. 6.* Bellarmin. *lib. 1. de matr. cap. 6.* Suar. *tom. 1. de Sacram. q. 6. art. 8. d. 2. sect. 1.* Lud. Lop. *part. 2. instruct. cap. 35.* Petr. de Ledes. *de matrim. qu. 42. art. 1. dub. 4. concl. 7.* Manuel *to. 1. sum. cap. 216. num. 3.*

187 Vtrumque, & tentiis. Idem asseruerim, missis quinque aliis sententiis. Quia hoc pacto saluatur, hoc Sacramentum, sicut alia, constare rebus tanquam materia: rebus inquam, vel propriè, vel proportione quadam: & verbis tanquam forma. Quia ea mutua traditio verbis facta, provt est quid informe, nec suum sortitur effectum, donec mutua acceptatio accedat, nec perficitur nisi per illam: dicitur res. At acceptatio quia complet, & perficit, dicitur verba. Mecum videtur esse D. Thom. *in 4. dist. 26. qu. 2. art. 1.* Nam in solutione *ad 1.* dicit, verba coniugum esse formam: & *ad 2.* actus coniugum esse materiam. Vbi clarè per actus intelligit eadem verba, quæ paulò antè dixerat, esse formam: nulli enim alij actus coniugum præter verba requiruntur ad hoc Sacramentum perficiendum.

DVBIVM XIII.

An contrahentes ipsi sint Sacramenti Matrimonij Ministri.

188 Non sunt contrahentes Sacerdos. NOn sunt contrahentis Matrimonij Ministri, sed Sacerdos, in quantum est Sacramentum, ita vt antè Tridentinum, clandestinum matrimonium legitimum fuerit sine Parocho, non autem Sacramentum. Quia actio Sacramentalis est sacra: ergò ministrum Sacrum, & formam Sacram requirit, ne contractus pure ciuilis, & prophanus existat. Sic Canus *lib. 8. de locis cap. 5.* Auctor. Enchirid. Conc. Coloni. *§. De Ministro.* Petr. de Ledes. *de matr. qu. 42. art. 1. dub. 4. concl. 4.* addens, antè Tridentinum hoc fuisse probabile, secus post illud.

189 Non est Sacerdos sed contrahentes. Non est Sacerdos Minister Sacramenti Matrimonij, sed ipsi contrahentes. Quia cum matrimonium sit contractus, nec illius naturam Christus mutauerit, sed tantùm eleuarit ad esse Sacramenti: sequitur aliorum contractuum naturam, nempè vt ipsi contrahentes suis consensibus se ligent, nec alius præter ipsosmet contractum efficiat. Et quia verba Parochi non sunt de essentia matrimonij, sed iis omninò omissis, matrimonium constat: Ergò Parochus nullomodò est Minister: hic enim necessariò proferre debet verba aliqua, quibus Sacramentum conficiat. Ità Basil. *lib. 1. cap. 8. à num. 1. ad 7.* Vasq. *tom. 4. d. 3. de matrimon. cap. 4. num. 41.* Bellar. *lib. 1. de matrim. cap. 6. 7. & 8.* Suar. *tom. 1. de Sacr. d. 16. sect. 1.* Henriqu. *lib. 11. cap. 2. num. 7.* Coninch *d. 14. num. 34.* Rebel. *lib. 2. qu. 4. sect. 2. num. 6.* Hurtad *d. 3. diffic. 22.* Diana *part. 3. tr. 4. resol. 254.* & alij.

190 Non assis. Omninò teneo, nunquam Parochum fuisse, nec post Tridentinum esse Sacramenti Matrimonij Ministrum: & ità antè Tridentinum clandestinum matrimonium fuisse verum Sacramentum. Quia ante Tridentinum matrimonia clandestina erant vera, & rata, vt definit ipsum Concilium *sess. 24. cap. 1.* ergò, & vera Sacramenta; ideò enim *Cap. Quanto, de diuort.* infidelium matrimonium non appellatur *ratum*, quia Sacramentum non est.

DVBIVM XIV.

An qui contrahunt in mortali coniugium, perpetrent, duo lethalia crimina, vnum suscipiendo, alterum administrando Sacramentum.

191 Duplex peccatum patrant. COniuges peccato lethali affecti celebrantes matrimonium duplex piaculum lethale committunt, vnum, quia Sacramẽtum indignè suscipiunt: alterum, quatenus ministrant Sacramentum. Quia ministrantes in mortali Sacramentum, ex officio, & tanquam Ministri ad id deputati lethaliter delinquunt: sed huiusmodi sunt coniuges: ergò. Sic Nauar. *Cap. 1. §. Sacerdos, num. 10. de pœnit. d. 6. in solut. ad 5.* Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion. 42. articul. 3.* Suar. *tom. 1. de Sacrament. d. 16. section. 4.* probabilem hanc partem esse docet.

192 Non patrant duplex peccatum. Non perpetrant duplex lethale piaculum. Quia non sunt coniuges Ministri consecrati ad id munus: sed solùm illis concessum est necessitate quadam, quia oportuit, materiam, & formam in ipso contractu constitui: contractus autem fieri non poterat nisi per contrahentium consensus: vndè solùm Ministri consecrati lethaliter delinquunt, si culpa lethali affecti ministrent. Ità Paludan. *in 4. dist. 5. qu. 2. num. 22.* Sanchez *lib. 2. d. 6. numer. 4.* Filliuc. *tractat. 10. part. 2. num. 87.* Ioann. de la Cruz, Layman. Sot. Villalob. Gutier. Hered. quos citat, & sequitur Diana *3. part. tractat. 4. resolut. 199.* Bonacin. *qu. 1. punct. 4.* Henriqu. *lib. 11. capite 2. numero 7.*

193 Idem affirmo. Idem affirmo. Quia licèt contrahentes sint instrumenta Christi Domini ad gratiam contrahendam: & instrumentum debet esse causæ principali conforme; at quatenus administrant, nouum piaculum non perpetrant eo quod ad id munus non sunt ministri consecrati; vndè solummodò quatenus suscipiunt in mortali Sacramentum mortali crimine defœdantur.

DVBIVM XV.

An peccet lethaliter Sacerdos, matrimonio in mortali assistens.

194 Lethalitèr delinquit. PEccat lethaliter. Quia est Minister consecratus, ac deputatus ad conficiendum matrimonij Sacramentum: At certum est, ministrantem scienter Sacramentum in mortali, mortaliter delinquere: Ergò Sacerdos assistens matrimonio lethaliter peccat. Sic Canus, Estius, Syluius, quos memorat. Leand. *tractat. 9. dist. 4. quæstion. 12.*

195 Non delinquit lethaliter. Lethaliter non peccat. Quia non est Minister

nister conficiens Sacramentum, quo quidem munere solummodò contrahent. r funguntur, de quo suprà. Ità Henriq. Suar. Ludouic. Lop. quos refert, & sequitur Sanch. *lib.* 2. *d.* 6. *nu.* 5. Bonac. Ledes. apud Leandrum citatum, quos ipse sequitur. Trul. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 6. *numer.* 4. Vega. *lib.* 6. *sum. casu* 117.

196 *Cum hu opinor.* Cum his opinor colligens, non delinquere Sacerdotem benedictionem impertiendo coniugibus; quia non est Sacramentum, sed Sacramentale quoddam.

DVBIVM XVI.

An Matrimonium possit validè inter absentes per procuratorem celebrari post Tridentinum.

197 *Non potest validè celebrari.* MAtrimonium contractum per procuratorem coram Parocho, & testibus post Tridentinum, validum non est. Quia ideò olim matrimonium per procuratorem valebat, nam sufficiebat ad illud mutuus consensus nudus, vt patet ex *l. sufficit, ff. de sponsal.* vbi Iurisconsultus cum præmisisset, sufficere nudum consensum ad Sponsalia, hinc intulit: *Denique constat, absentem absenti desponderi posse.* Vbi Glossa *verb. Constat*, idem intulit in matrimonio: sed hodie satis non est nudus consensus, sed debet esse coram Parocho, & testibus per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. Ergò cessat matrimonium inter absentes. Et quia Tridentinum pro forma petit, vt Parochus præsens sit consensui contrahentium, & aliter matrimonium irritat: quoties autem requiritur præsentia pro forma, non impletur per procuratorem, *l. Obligari* §. *Tutor statim. ff. de author. & consen. tutor.* Sic Barthol. de Ledes. *de matrimon. dub.* 18. asserens ideò huiusmodi matrimonium correctum esse *Cap. finali, de procurato. in* 6.

198 *Potest celebrari.* Matrimonium contractum per procuratorem coram Parocho, & testibus etiam post Tridentinum valet, nec correctum *Cap. finali* est. Quia sic fert praxis totius Ecclesiæ, passim enim post Tridentinum matrimonia per procuratorem celebrantur: essétque intolerabilis error in Ecclesia, tot matrimonia irrita consentire. Et quia finis Tridentini irritantis coniugia clandestina est, (vt constat ex *Cap.* 1. *in proœm.*) vt notum sit Ecclesiæ matrimonium, probarique possit; ne aliud publicè, aliud occultè celebretur: sed quando celebratur per procuratorem coram Parocho, & testibus, satisfit huic fini: id enim constat Ecclesiæ, ac probari potest, sicut quilibet alius contractus gestus per procuratorem sufficienter probatur, itavt contrahens in foro externo cogatur illi stare. Ità Sanchez *lib.* 2. *d.* 11. *num.* 20. Henriqu. *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 2. *& lit. B*, vbi oppositum dicit errorem. Pet. Ledes. *qu.* 42. *art.* 1. *dif. fic.* 7. Basil. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. asserens, id esse notum, nec vlla probatione egere. Palaus *d.* 2. *punct.* 9. *num.* 8. *&* 9. Bauni *tract. at.* 12. *quæstion.* 4. *de matrimon. dicto* 1. Trul. *libr.* 7. *capite* 3. *dubio* 7. *numero* 2. Leand. *tract.* 9. *d.* 4. *quæstion.* 13.

199 *Hoc certum omnino.* Hoc certum omninò reor, oppositámque sententiam minimè (Barthol. de Ledesma viri doctissimi venia) haud posse sustineri. Legendus Sanchez citatus nostram sententiam mirabili roborans eruditione.

DVBIVM XVII.

An Matrimonium inter absentes possit per Epistolas celebrari.

200 *Non potest validè contrahi per Epistolas.* MInimè celebrari potest. Quia cum post Tridentinum necessarium sit consensum coram Parocho, ac testibus præstari, & quando alter recipit literas, licèt coram Parocho, ac testibus consentiat, non sit sufficiens ad matrimonium, donec alter conscius acceptet: non videtur, quo pacto vtriúsque consensus possit coram Parocho, & testibus media Epistola præstari; procurator enim potestatem habet acceptandi, Epistola autem minimè. Sic Petr. de Ledes. *quæstion.* 41. *art.* 3. *dub. vltim. ad* 1. Manuel *tom.* 1. *sum. capite* 216. *numero* 1. *& capite* 220. *numero* 3. Inclinat Veracr. *append. ad specul. dub* 3.

201 *Potest omninò.* Potest per Epistolas validè contrahi. Quia etiam per Epistolam, sicut per procuratorem potest quis proprium consensum coram Parocho, & testibus exponere, ipséque consensus est sufficiens absentis coniugis acceptatio. Ità Sanch. *lib.* 2. *d.* 11. *num.* 3. citans Nauar. Matien. Henriq. Perez, Molin. & Vegam. Coninch *d.* 24. *num.* 9. Bonacin. *quæstion.* 1. *punct.* 5. *num.* 1. Villalob. *tractat.* 13. *diffic.* 9. Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *resol.* 150. Palaus *d.* 2. *punct.* 9. *num.* 11.

202 *Idem affirmo & modum expono.* Idem affirmo nitens rationibus, quibus proximo Problemate probaui, matrimonium per procuratorem initum validum esse; non enim iuris correctio absque necessitate inducenda est: & iure antiquo constat, matrimonium per Epistolam celebratum validum fuisse, *l. Mulierem, ff. de ritu nuptiar. l. Sufficit, ff. de sponsal.* Amplius autem id exponam, explicans quonammodò, celebrato per Epistolam matrimonio, possit vtriúsque consensus coram Parocho, & testibus præstari si Epistolam immittens, scribat se non solùm facere sui corporis traditionem: sed ex tunc traditionem per alterum sibi faciendam acceptare; tunc enim si, Epistola lecta coram Parocho, & testibus, alter consentiat, iam vtriúsque traditio, & acceptatio fit coram eodem Parocho, & testibus. Vel si recipiens Epistolam, rescribat mittenti se accepisse literas, in quibus ipsum in coniugem eam velle certior facta est, & similiter se eum in coniugem velle profitetur. Tunc quidem si huiusmodi Epistola rescripta lecta coram Parocho, & testibus recipiens coram illis consentiat, iam mutua acceptatio, & traditio constat Parocho, ac testibus: quia illa Epistola continet traditionem rescribentis, & acceptationem traditionis factæ à priori mittente: & prior mittens se tradit, & acceptat coram Parocho, & testibus.

DVBIVM

DVBIVM XVIII.

An Matrimonium inter absentes celebratum per procuratorem, vel per Epistolas validum etiam in ratione Sacramenti.

203 Non valet in ratione Sacramenti.

VAlet in ratione contractus, sed non valet in ratione Sacramenti. Quia nullum Sacramentum inter absentes conferri potest, eo quod verba requirantur pro forma. Sic Caiet. *Opusc. de matr. qu.* 1. Bassol. *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 1. Victor. *de matr. n.* 124. Viguer. *instit. cap.* 16. §. 7. *ver.* 4. Canus *de locis, lib.* 8, *c.* 5. Esti. *in* 4. *dist.* 19. §. 5. Sylu. *in* 3. *p. q* 42. *art.* 2. existimans, verba Sacerdotis tanquam Ministri esse necessaria ad matrimonij essentiam.

204 In ratione Sacramenti valet.

Valet etiam in ratione Sacramenti. Quia huiusmodi matrimonium verum est, ratum, & indissolubile: ergò est Sacramentum. Consequentiam probo ex *Cap. Quantò, de diuort.* vbi habetur, ideò matrimonium Christianorum esse indissolubile, quia est Sacramentum. Ità Sanch. *lib.* 2. *d.* 11. *num.* 27. citans viginti Doctores. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *qu.* 1. *punct.* 6. Basil. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 250. Bonac. *qu.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. Trul. *lib.* 7. *c.* 3. *dub.* 7. *num.* 9. & alij.

205 Hoc longè verius puto.

Hoc longè verius puto. Quia matrimonium huiusmodi est validum, & legitimum in ratione contractus naturalis, vt oppositæ sententiæ Auctores fatentur: Ergò etiam erit validum in ratione Sacramenti; quia Christus Dominus in nullo mutauit contractus matrimonij naturam, sed solùm euexit illam ad rationem Sacramenti. Porrò in huiusmodi contractu datur vera materia, vera forma, & intentio Ministri, nempè contrahentium intendentium Sacramentum gerere, & recipere: ergo datur verum Sacramentum.

DVBIVM XIX.

An vt matrimonium contractum per procuratorem sit validum, necessarium sit, dari ti potestatem, vel commissionem coram Parocho, & testibus.

206 Est necessarium.

NEcessarium est. Quia solemnitas requisita ad aliquem actum est necessaria ad dandam commissionem agendi illum actum. Vndè prohibente statuto donationem fieri absque quinque testibus, censetur prohibitum mandatum donandi absque illis, *l. Oratio, ff. de sponsal.* ex qua Barthol. & alij colligunt, prohibito aliquo, censeri prohibitum omne id, per quod ad illud peruenitur: Ergò cum Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. exigat præsentiam Parochi, & testium ad matrimonij valorem, eadem solemnitas desiderabitur ad valorem mandati illud contrahendi. Sic Riminald. *consil.* 467. *num.* 78. *vol.* 4. & probabilem esse hanc doctrinam innuit Sanch. *citandus.*

207 Necessarium non est.

Non est necessarium, sed satis est, vt procurator nomine absentis matrimonium coram Parocho, & testibus ineat. Quia Tridentinum illa *sess.* 24. *cap.* 1. Solùm irritat matrimonium, quandò ipsemet contractus non celebratur coram Parocho, ac testibus: sed mandatum contrahendi non est ipse matrimonij contractus: Ergò non requirit eandem solemnitatem, aliàs decretum maximè correctorium valdè extendendum esset. Et quia praxis totius Ecclesiæ habet, vt post Tridentinum contrahatur matrimonium per procuratorem: & nunquam audiui huiusmodi solemnitatem in mandato dando procuratori asseruari. Ità Sanch. *l.* 2. *d.* 11. *n.* 23. Palaus *d.* 2. *pun.* 9. *n.* 3. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 250. Machad. *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 8. *decum.* 4. *numer.* 3. Leand. *tract.* 9. *d.* 4. *qu.* 17.

208 Eiusdem sunt mentis.

Eiusdem sum mentis. Quia si voluisset Tridentinum illud mandatum absque ea solemnitate annullare expressisset quidem, *l. Item apud Labeonem, §. Ait prætor. ff. de iureiur. & Cap. Ad audientiam, de renunciat.* Vndè omninò improbo Riminaldi doctrinam, eámque approbari ex *l. Oratio ff. de sponsalibus*, mordicus abnegarim.

DVBIVM XX.

An in matrimonio inter absentes inito sint, Ministri ipsi contrahentes, & eorum verba forma.

209 Non sunt contrahentes.

NOn sunt contrahentes, sed ipse procurator Minister est, eiusque verba forma existunt. Quia procurator omninò vices gerit absenti, præstans consensum, & acceptationem. Sic Bassol. *in* 4. *dist.* 26. *q. vni. a.* 2. Scot. *ibi, q. vni. §. de Ministro.* Supplem. Gabri. *dist.* 9. *qu. vni. artic.* 1. *in* 2. *notab.* Bonacin. *quæstion.* 2. *punct.* 5. *num.* 12.

210 Non est Minister procurator.

Non procurator, sed contrahentes ipsi sunt Ministri, & recipiunt in se Sacramentum: & expressiones consensuum ipsorum, quatenus innotescunt per procuratorem, sunt materia, & forma: procurator autem est conditio, sine qua non. Quia hoc est vniuocè matrimonium cum eo, quod per propriam personam contrahitur: non enim est duplex matrimonij Sacramentum: Ergò eandem materiam, formam, ac Ministrum habet. Ità Sanch. *l.* 2. *d.* 11. *num.* 28. Basil. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 7. Petr. Ledes. *qu.* 42. *art.* 1. *diffic.* 7. Trul. *lib.* 7. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 11.

211 Hoc mihi longè probabilius.

Hoc mihi longè probabilius. Quia vbi sunt materia, & forma Sacramentum recipitur: cum ergo matrimonium non recipiatur in procuratore, sed in principalibus contrahentibus, in ipsis erunt materia, & forma, & ipsi gerent se Sacramenti Ministros. Annotarim verò, queisnam prolatis verbis debeat procurator suum munus obire: *Recipio te in vxorem nomine Antonij*: vel *Antonius te, mediante me, recipit in vxorem.* Cui sponsa respondebit: *Ego, te mediante, duco Antonium.*

DVBIVM XXI.

An Procurator in mortali existens, peccet, lethaliter matrimonium alterius nomine contrahendo.

212 *Mortaliter delinquit.* MOrtaliter delinquit. Quia Minister est Sacramenti perficierdi. Sic Basil. *in* 4. *dist.* 26. *q.vni.a.*2. Scot. *ibi.q.vni.* Suppl. Gabriel. *dist.*9. *q.vni.a.*1. Innuit Basil. *l.*1. *c.*8. *num.*11. & *c.*10. *n.*6. & Bonac. *q.*2. *pun.*5. *nu.*12. cum solùm abneget, procuratorem esse Ministrum consecratum ad id munus, seu ad ipsum pertinere ex officio hoc ministrare Sacramentum.

213 *Non delinquit mortaliter.* Non delinquit mortaliter. Quia, vt vidimus, probabilius longè est, procuratorem haud esse huius Sacramenti Ministrum. Imò dato quod Minister esset, minimè piaculum perpetraret; quia non est ad hoc munus consecratus. Ità Cornejo *d.*1. *dub.*5. Sanch. *lib.*2. *d.*11. *n.*19. Henriq. *l.*11. *c.*2. Petr. Ledesm. *qu.*42. *art.*1. *dub.*7. *ad* 4.

214 *Eiusdem sumentis,* Cum his assero, procuratorem peccato lethali infectum minimè delinquere. Sic contrahens alterius nomine; quia nec recipit in se Sacramentum, nec ministrat.

DVBIVM XXII.

An qui procuratori mandatum dedit ad contrahendum, debeat in gratia existere eo tempore, quo credit matrimonium à procuratore celebrandum.

215 *Non tenetur in gratia esse.* NOn tenetur sub lethali piaculo in gratia esse. Quia mittens ferè prorsus ignorat, quonam tempore procurator illud munus obibit. Sic Sotus, & Ludou. Lopez, apud Sanchez *lib.*2. *d.*11. *num.*30.

216 *Tenetur esse in gratia.* Mittens procuratorem tenetur sub lethali esse in gratia eo tempore, quo verisimile est, fore, vt procurator ipsius nomine contrahat. Quia tunc Sacramentum recipit, quod nefas est in peccato recipere. Ità Medina *l.*1. *sum.c.*19. §.13. Petr. de Ledesm. *a.*1. *ante solut. ad* 7. Cornejo *d.*1. *de matr. dub.*5. *n.*3. & 4. Sanch. *citatus.* Basil. *l.*1. *c.*10. *n.*6. Henriq. Rebel. Gutier. & alij, apud Bonac. *q.*2. *pun.*5. *n.*13.

217 *Cum his sentio.* Hæc communis sententia est. Et quamvis primæ sententiæ Doctores excusent ab hac culpa mittentem, quando prorsus ignorat, quo tempore matrimonium celebrandum sit, quod difficile absens potest agnoscere ob casus dilationis, qui contingere assolent: verum nec tunc excusari reor; quia Sacramenti susceptio obligat ad debitam dispositionem sub culpa lethali. Vndè vel tenetur procuratorem non immittere, vel toto eo tempore dispositus esse, quo ille probabiliter est contracturus.

DVBIVM XXIII.

An contrahentes per procuratorem debeant postmodum inter se matrimonium inire, seu irritum ratificare, vt fiat tunc Sacramentum, quod antea non fuerat.

218 *Debent quidem necessariò.* DEbent quidem. Quia matrimonium per procuratorem initum esto verum, & ratum sit, at non est Sacramentum. Nam quāvis Sacramento Pœnitentiæ quatenus est quoddā iudicium, non repugnet geri in absentia, repugnat tamen eo quod est sacramentum. Ergò similiter repugnabit matrimonio, vt Sacramentum est. Vndè vt Sacramentum fiat necessariū est, rursum ratificari. Sic Caiet. & Petr. de Ledes. apud Sanchez *lib.* 2. *d.*11. *num.* 26. & 31.

219 *Non debent necessariò.* Non debent necessariò iterare, vel ratificare inter se coniugium. Quia matrimonium per procuratorem contractum verè est Sacramentum. Matrimonium enim vt contractus, & vt Sacramentum est idem numero, & realiter: & tantū differt penès diuersos respectus; vt enim respicit vinculum contrahentium, dicitur contractus: vt autem eleuatur à Deo ad representandam vnionem Christi Domini cum Ecclesia dicitur Sacramentum. Ergo vtróque modo debet habere eādem materiam, & formam, & causas agentes. Vndè si potest, vt contractus per procuratorem celebrari, poterit etiam vt Sacramentum. Igitur hoc ex capite non debet necessariò ratificari. Ità Henriq. *l.*11. *c.*2. *num.*2. Manuel *tom.*1. *sum.c.*16. *n.*1. & *c.*220. *num.*3. Vega *l.*4 *sum. casu* 264. Cordu. *l.*1. *qu. stionar. qu.*25. Sanch. *citat.*

220 *Necessarium non est sed optimè id geri iussit.* Verùm hoc, si necessitas spectetur, quo ex capite falsam primam sententiam prorsus existimo. At optimè faciunt cōtrahentes per procuratorem, si postmodum ipsimet iterùm matrimonium ineant, ad tollendos solummodò scrupulos, qui possunt circà persistentiam consensus oboriri. Certè quamvis cætera Sacramenta repeti nequeant, eadem materia manēte: hoc tamen est in matrimonio speciale: nam cum sit contractus, eiúsque naturam, & conditiones retineat, potest eo ex capite, quo contractus est, cæterorum more sæpiùs iterari: prudenter autem hoc in casu itera bitur, ne fortè prior consensus fuerit reuocatus.

CAPVT XIII.

Circà Matrimonij Indissolubilitatem.

DVBIVM XXIV.

An Matrimonium tam ratum, quam consummatum ex iure naturali indissolubile existat.

221 *Iure naturali est indissolubile,* MAtrimonium non solùm iure diuino, sed etiā iure naturali est indissolubile. Quia matri

matrimonium ex se, & ex intentione, naturæ ordinatur ad prolis educationem non solum ad breue tempus, sed per totam prolis vitam: Ergò matrimonium ex natura sua debet vsque ad vitæ terminum indissolubile perdurare. Sic D. Thom. *cont. gent. cap.* 122. Scot. *dist.* 26. *quæst. vni.* Vasq. *d.* 2. *de matr. cap.* 7. Bellarm. *lib.* 1. *de matr. cap.* 12. Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 2. Basil. *lib.* 1. *c.* 12. & 13. Filliuc. *tract.* 12. *num.* 33. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 16.

222 *Matrimonij indissolubilitas naturalis.*

Matrimonio indissolubilitas competit ex iure diuino, minimè autē ex iure naturæ. Quia ius naturæ sēper manet immotū, & idē est apud omnes, & omni tēpore: sed antè legē Euangelicam poterat per repudium dissolui etiā consūmatum: & post legem Euangelicam potest etiā dissolui, quando est contractum in infidelitate, & alter coniux ad fidem conuertitur: Ergo signum est eius indissolubilitatem naturalem non esse. Ita Sanchez *lib.* 2. *d.* 14. *num.* 7. Medina *libr.* 5. *de cœlib. capit.* 72. 88. & 89. Coninch *d.* 36. *dub.* 1. Quibus addendi viginti sex Doctores à Sancio citati.

223 *Hæc sententia adhæreo.*

Huic sententiæ pronus adhæreo. Quia si consideare libeat matrimonium, vt est in naturæ officium, ad Sobolem propagandam: Ægrè potest reddi ratio, cur marito ob coniugis sterilitatem non liceat eam dimittere, aut aliam ducere; si vt est in remedium contra fornicationem institutum: cur vxor perpetuo morbo labotans quæ huic malo remedium non adhibet, non poterit dimitti? Ergo ad aliam rationem huius omnimodæ indissolubilitatis est recurrendum.

DVBIVM XXV.

An veteri in lege matrimonium dissolueba. tur, per repudij libellum.

224 *Non dissoluebatur.*

NOn dissoluebatur in lege veteri matrimonium per libellum repudij. Quia constat, solùm impunè geri permissum illis fuisse, ad grauius malum vitandum, vt libellum repudij darent vxori. Iuxta quam sententiam peccabant Iudæi vxores dimittendo, & matrimonium non dissoluebatur. Sic Magister *in* 4. *dist.* 33. quem sequitur Bonauent. & alij.

225 *Dissoluebatur & licitè.*

Licitum fuit Iudæis, vxores dimittere, &, dato repudij libello verè matrimonium dissoluebatur, poterántque aliam ducere vxorem. Quia id innumeris constat experimentis: nec legimus ob iustum iuxta eorum morem repudij datum libellum, aut fuisse punitione, aut correptione graui quidem, affectos. Ita D. Tho. Scot. Durand. & Palud. *in* 4. *dist.* 33. Becan. *c.* 47. *q.* 2. Sanch. *lib.* 10. *d.* 1. Basil. *lib.* 7. *c.* 50. Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 15. Bauni. *q.* 14. *dicto* 4.

226 *Hoc longè probabilius.*

Hoc longè probabilius. Addiderim non solum propter adulterium licuisse Iudæis vxores dimittere, vt putat Tertul. *lib.* 4. *cont. Marc.* sed & ob quamcumque rem turpem, vt ob morbum contagiosum. vel ob simile aliud, quod matrimonium præcessisset; & fortè etiam ob alias causas matrimonio contrarias etiamsi cōiugio superuenissent, vt si mulier venefica esset, aut liberorum interfectrix, vt Becanus annotat. Porrò in lege Euangelica matrimonium consummatum minimè dissolui potest, nec per hæresim, nec ob aliam causam, superstitèque alio coniuge, potest quis nuptias transire ad alias, Tridentino asserente *sess.* 24. *can.* 5. & 7. Quia matrimonium Christianorum est signū coniunctionis Christi Domini cum Ecclesia *Ephes.* at hæc est indissolubilis. Ergo & matrimonium. Vnde expungenda prorsus Caietani *ad cap.* 19. *Matt.* & Catherini *lib.* 5. *annot.* 1. *in comment. Caiet.* & Græcorum sententia asserentium posse aliqua ex causa nostra coniugia dissolui, coniugésque ad alia matrimonia transire.

DVBIVM XXVI.

An Pontifex possit in matrimonio rato dispensare, vt soluto eius vinculo, valeant liberè coniuges, aliud inire coniugium.

226 *Non potest Pontifex dispensare.*

NOn potest. Quia matrimonium ratum est vinculum perpetuum, & indissolubile: Ergo nequit per Pontificem dissolui. Pontifex enim nequit auferre id, quod est de alicuius definitione, cum sit de eius essentia. Et quia si posset dispensare in rato, posset etiam in consummato, cum tantum accidentaliter differant, sicut res oparans, & non operans. Et quia Pontifex nequit dispensare contra ius naturale & diuinum: nec in Sacramentis; hoc enim pertinet ad potestatem excellentiæ Christi. Sic Bonauent. Sotus vterque, & alij viginti nouem Doctores, quos pro hac parte citat Sanch. *l.* 2. *d.* 14. *num.* 1. Basil. *lib.* 9. *cap.* 3. *a num.* 3. Valent. *d.* 10. *quæst.* 1. *punct.* 7. Becan. *cap.* 47. *q.* 4. *n.* 3. Palaus *d.* 3. *punct.* 2. §. 2. *num.* 3. Merat. *de matrim. d.* 6.

227 *Potest Pontifex dispensare.*

Potest matrimonium ratum non consummatum Pontificia authoritate dissolui. Quia in dubiis sententiæ Superiorum standum est, *Cap.* Ad aures, *de temp. Ordin. & Cap. Quid culpatur*, 23. *q.* 2. & maximè Pontificis, cui totius Ecclesiæ regimen incumbit, cui ideò magis Spiritus sanctus assistit: sed varij Pontifices dispensarunt, nam D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 21. §. 3. affirmat se vidisse Bullas Martini V. & Eugenij IV. qui dispensarunt: & Nauar, *in sum. c.* 22. *num.* 21. refert ter, vel quater ad petitionem suam Paulum III. & Pium IV. dispensasse: & Caiet. *in opusc. tom.* 1. *tract.* 28. *quæst. vni.* asserit, suo tempore sæpè Pontifices dispensasse: & Henriq. *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 11. & *liter. F*, affirmat, Gregorium XIII. vnica die cum vndecim dispensasse: & negari non potest quin saltem res sit dubia cum pro hac sententia adsint multi, ac graues Doctores, ac aptæ rationes. Ergo hoc in dubio standum est Pontificum sententiæ, qui sæpe dispensarunt. Ita Sanchez *vbi supra*. quinquaginta referens. Vasq. *lib.* 2. *d.* 165. *cap.* 7. Bonac. *q.* 2. *punct.* 11. *num.* 4. Rebel. *lib.* 2. *qu.* 15. *n.* 4. Coninch. *d.* 26. *num.* 31. Reginal. *lib.* 31. *num.* 38. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 11. *numer.* 2. Laym. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 5. *numer.* 2. Filliuc. *tract.* 11. *nu.* 5. Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 3. Cornejo *tract.* 6. *d.* 6. *dub.* 4.

228 *Hoc mihi probabilius in praxi illud in speculatione.*

Ego quidem primam sententiam speculatiuè probabiliorem, secundam verò in praxi existimarim. Hanc teneo asserens Pontificis potestatem quantum licet, esse extendendam, in iis præsertim casibus, qui Ecclesiæ sunt vtiles. Credo enim firmiter Christum Dominum, qui in necessariis non deficit, suo Vicario contulisse plenam potestatem ad ea, quæ bono Ecclesiæ regimini sunt necessaria: sed potestas dispensandi in matrimonio rato erat valde necessaria in Ecclesia: sæpè enim euenit, vt matrimonio rato dissoluto multa scandala cessent: quod frequentius contingebat ante Tridentinum, cum multi clam cum vna, & ante consummationem publicè cum alia contrahebant, & Ecclesia cum non iudicet de occultis compellebat ad posterius matrimonium inualidum, vnde hi absque remedio manebant. Ergo credendum est, Christum Dominum huiusmodi potestatem suo Vicario contulisse.

DVBIVM XXVII.

An desideretur causa, vt valeat Pontificis rato in matrimonio dispensatio.

229 *Non desideratur causa.*

NOn desideratur causa, sed Pontifex potest ad libitum dispensare. Quia indissolubilitas matrimonij rati est de solo iure humano. Sic Glos. *Cap. Ex publico, de conuers. coniugator.* vbi Alan. Goffred. & Vincent. docent habere Pontificem plenissimam potestatem circa matrimonium ratum, quia naturam sortitur ex constitutione Ecclesiæ. Imò Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 11. *iter. G*, quamvis fateatur, hanc indissolubilitatem esse de iure diuino, & naturali, ait, videri, esse validam dispensationem concessam absque causa; quia Sic expediebat, vt Christus Dominus Pontifici concederet, ne res per plexitate laborarent.

230 *Causa desideratur.*

Causa quidem desideratur, nec sine hac dispensatio tenet. Quia matrimonij indissolubilitas est de iure naturali, & diuino: in quo dispensatio Pontificis absque causa iusta concessa, est prorsus irrita, vt Theologi communiter, ac Iuris vtriusque Doctores fatentur. Ità asserunt Pontificiam dispensationem in voto simplici sine iusta causa esse irritam: quia voti vinculum est de iure naturali, & diuino. Ita Sanch. *libr.* 2. *d.* 15. *num.* 6. citans Anchar. Deci. Couar. Anto. nium Gabriel. Ludou. Lop. Abbat. Curti. Hugon Menoch. Barbos.

231 *Hoc mihi verius expono iustas ad dispensandum causas.*

Existimo satis probabilem primam sententiam esse, sed veriorem secundam iudicarim. Adiicio verò existente causa iusta, non desiderari mutuum coniugum consensum, sed altero eorum inuito, posse Pontificem dispensare. Quia si causa iusta subsit, alterius repugnantia nequit Pontificis potestatem impedire, ne alteri habenti iustam causam dissolutionis, petentique dispensationem consulat, vt Medina *libr.* 5. *de Sacror. homi. contin.* asseruit. Quod si requiras, quænam sint iustæ causæ, vt Pontifex valeat dispensare? Has exposuerim: Notabilem in qualitate disparitatem, quando cœca affectione ac leuitate ducti ineunt matrimonium: Grauem timorem scandali magni futuri, vnde rixæ graues assolent exoriri: Lepram alteri superuenientem: Assertionem alterius, quod animũ contrahendi non habuisset: Virum effici Episcopum: Mutuum coniugum consensum.

DVBIVM XXVIII.

An Pontifex possit dispensare in matrimonio consummato infidelium, dum ambo Sacra vnda diluuntur.

MInimè potest. Quia iam suscepto Baptismo, matrimonium illud est ratum & cõsumatum & coniuges re vera facti sunt vna caro: Ergo est indissolubile ex lege naturæ, nec potest à Pontifice dissolui. Sic Vasq. *d.* 1. *de matr. cap.* 6. *num.* 58. Basil. *libr.* 9. *cap.* 2. *à num.* 8. & alij apud Dianam *part.* 8. *tr.* 1. *resol.* 66. Perez *de matr. d.* 20. *sect.* 10. *numer.* 8. Leand. *tract.* 9. *d.* 5. *quæs.* 6.

232 *Potest omninò.*

Potest omninò. Quia firmius est matrimonium ratum fidelium, quam consummatum in fidelium: maiorem enim firmitatem sortitur matrimonium ex ratione Sacramenti quàm habet fidelium matrimonium: quam ex ratione contractus naturalis quam solum habet matrimonium consummatum infidelium; vnde illud dicitur ratum, hoc autem non *Cap. Quanto, de diuor.* & *Cap. finali*, 28. *quæs.* 1. Cum igitur possit Pontifex dispẽsare in matrimonio rato fidelium vt vidimus: poterit à fortiori in cõsummato infidelium. Ita Sanchez *libr.* 2. *d.* 17. *numer.* 2. Nauar. *libr.* 3. *consil. tit. de conuers. infideli. cons.* 1. *à num.* 12.

233 *Hoc tamen.*

Scio Patrem Vazq. *vbi suprà* hanc sententiam falsissimam esse dixisse: quam ego tanti viri venia probabilissimam, primæque præferendam reor. Cui fauet Abbas *Cap. Ex publico, num.* 14. *de conuers. coniugat.* vbi ait, ex statuto Ecclesiæ per conuersionem solam alterius coniugis dissolui coniugium. Nec fundamentum appositæ partis vrget. Quia cum post factum Sacramentum nondum matrimonium illud sit consumatum, minimè repræsentabit indissolubilem Christi Domini cum Ecclesia vnionem per carnem: vnde putabitur matrimonium aptum fidelium, quod Pontificis dispensatione dissolui potest.

DVBIVM XXIX.

An dissoluatur, matrimonium ratum per Religionis professionem.

234 *Non dirimitur.*

NOn dirimitur matrimonij vinculum professione Religionis: vnde alter coniux in sæculo manens minimè potest aliud inire coniugium. Quia matrimonium indissolubile est ex iure diuino naturali à sua primæua institutione, vt constat *ex* 1 *Cap. vni. de voto in* 6. Ivbi dicitur à Deo institutum esse, & accepisse indissolubilitatem in statu innocentiæ. Sic quidã vt refert Glossa *Cap. de conuers. coniugat. v. Remanere.*

nere. Henric. de Ganda. *quodlib.* 5. *qu.* 39. Erasm. *in cap.* 1. 1. *ad Cor.* Franc. Torens. *de sexta Synodo.* Claud. Espenecæus *l.* 6. *de contin. c.* 4.

235 *Dirimitur omino.* Vinculum matrimonij rati omnino dirimitur solemni alterius professione coniugis; & coniux manens in sæculo est omnino solutus à vinculo, potestque libere ad alias procedere nuptias. Conclusio est de fide definita ab Eusebio Papa, & habetur *Cap. Decreta legalia, 27. quæs.* 2. & à Ioanne XXII. & habetur *in eius extranag. Antiquæ, de voto* & ab Alexandro III. *Cap. ex publico de conuers. coniugat.* & ab Innocentio III (*cap. Ex parte tua, eodem titulo* & nouissime in Tridentino *sess.* 24. *can.* 6 ibi; *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius coniugis, non dirimi: anathema sit.* Constat id ex vsu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione, quod D. Teclæ exemplo probat Sanch. *l.* 1. *d.* 18. *n.* 2.

236 *Etsi de fide definitum sit, tamen oppositum non videtur omnino falsum.* Omninò Problema dissoluitur, nec enim prima pars potest sustineri. Vnde miror Estium *in* 4. *dist.* 27. §. 4. hanc sententiam veriorem vocasse, innuens alteram veram esse: cum ipse fateatur, à Tridentino vti vnicè veram fuisse definitam. Infero, matrimonium ratum non dirimi per vota emissa à quibusdam viris tertij Ordinis D. Francisci. Non enim solemniter profitentur: sed votis simplicibus se illigant. Profecto quamvis olim dirimeretur vitæ Heremiticæ in manu Episcopi, vel alterius Prælati professione eo quod solemnis esset: iam non est, sed Heremitæ aut nulla, aut simplicia solummodo vota emittunt. Et quamvis dirimatur per solemnem trium, aut quatuor votorum professionem in Societate Iesu: non tamen dirimitur per vota Scholarium, vel coadiutorum formatorum in ea emissa, sunt enim simplicia quamvis publice emittantur. Dirimitur autem per Clericorum, ac Monialium Ordinum Militarium sub clausura degentium professionem; quia solemnis est. Denique non dirimitur per ascensum ad Ordinem Sacrum, vel ad Episcoparum, de Ordine Sacro definitum est à Ioanne XXII. *extranag. antiqua de voto*: & de Episcopatu constat ex Ecclesiæ vsu, fatenturque omnes; quia ius de sola solemni professione hoc statuit: votum autem Ordine Sacro annexum est per accedens solemne: nec status Episcopalis quamvis perfectior sit, cum mors spiritualis non sit, repugnat ex natura rei coniugio, sed solo Ecclesiæ statuto: vitæ autem Monasticæ repugnat matrimonium postea contractum.

DVBIVM XXX.

An dirimatur, matrimonium per vota emissa à quibusdam fœminis Religiosis quas Beatas vocitant.

237 *An dissolui. v.* QVæstio procedit de nonnullis fœminis Religiosis D. Augustini, D. Dominici, ac D. Francisci, quæ collegialiter non viuunt, sed in propriis domibus, & *Beatæ* assolent vocitari. An per harum fœminarum vota ratum coniugium dissoluatur? Non dissoluitur. Quia solemniter non profitentur, sed votis simplicibus se illigant. Sic Victor. *in sum. de matr. numer.* 25-6. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *art.* 4. Ledes. 1. *part.* 4. *quæs.* 63. *art.* 3. Sanchez *l.* 1. *d.* 8. *num.* 4.

238 *Dissoluitur quidem.* Dissoluitur quidem. Quia fœminæ solemnem professionem emittunt, subsuntque quamvis in propriis dombus Prælati regimini. Ità Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 6. *num.* 28. Basil. *libr.* 9. *capit.* 8. *numer.* 6. Leand. *tract.* 9. *d.* 11. *quæs.* 17.

239 *Auctorum iudicium.* Scio, Basilium probare ex Bonifacio VIII. Leone X. & ex earum fœminarum Ordinum constitutionibus esse Religiosas substantialiter. At crediderim, probabilius esse contrarium. Vnde existimo per harum vota (simplicia quidem) minimè dissolui coniugium, sunt tamen aliquæ Beatæ tertij Ordinis D. Francisci, ac D. Dominici, quæ in communi viuunt, profitenturque ac veræ Religiosæ sunt, quarum professione ratum matrimonium proculdubio dirimitur.

DVBIVM XXXI.

An Equitum Militarium Ordinum v. gr. D. Ioannis votum, dirimat matrimonium.

240 *Non dissoluitur.* PRofessione Equitum D. Ioannis, qui non viuunt in communi, nec vxores ducere possunt, matrimonium non dirimitur. Quia nō verè, ac propriè Religiosi sunt cum proprium retineant, moreque sæcularium extrà Claustra viuant. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *a.* 4. & *l.* 6. *de iust. q.* 5. *a.* 3. *ad* 3.

241 *Dissoluitur planè.* Dirimitur profecto. Quia & solemnis eorum professio, aliàs non dirimeret matrimonium contrahendum, iuxtà *Cap. vnicum de voto in* 6. & hi Equites verè ac propriè Religiosi sunt. Ità Nauar. *l.* 3. *consil. tit. de conuers. coniugat. cons.* 2. Cordu. *in sum. q.* 178. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 6. Vega *lib.* 6. *sum. casu* 17. Sanchez *lib.* 2. *d.* 18. *numer.* 8. Basil. *libr.* 19. *capit.* 7. *numer.* 3. asserens, sic Cardinalium Sacram Congregationem declarasse. Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *capit.* 6. *quæs.* 4. Sancius *in select. d.* 49. *num.* 10. & alij.

242 *Hoc mihi certum.* Non dubito, quin matrimonium ratum dissoluatur professione Monialium & Equitum Militarium sub clausura degentium; quia solemnis est. Nec iudico esse dubitandi locum circa Equites D. Ioannis, licèt sub clausura non viuant; quia eorum professio solemnis est, & hi verè Religiosi, vt multi asseruêre Doctores (præter assignatos) quos refert, ac sequitur Bobadil. *Polit. lib.* 2. *capit.* 19. *numer.* 11.

DVBIVM

DVBIVM XXXII.

An quandò post matrimonium ratum vterque coniux communi consensu profitetur Religionem, dissoluatur matrimonium ratum.

243 *Non dissoluitur.* NOn dissoluitur. Quia quandò vnus tantum profitetur, quantum in se est vinculo coniugij renunciat, & ideò alter à vinculo illo absoluitur: dum autem vterque profitetur, neuter renunciat. Sic D. Tho. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1.* Palud. *quæs. 1. art. 1. concl. 2. num. 11.* Palac. *eadem dist. d. 2.* Ledesm. *2. part. 4. qu. 63. art. 3.* censet esse probabile. Idem iudicat Sanchez *citandus*, & Henriq. *libr. 11. cap. 8. num. 6. liter. D*,

244 *Dissoluitur planè.* Dissoluitur quidem. Quia hæc dissolutio non prouenit ex iuris propriis renunciatione, nec enim sufficit ad eam vtriusque coniugis renunciatio, nedum vnius: sed oritur ex Christi Domini priuilegio, qui hoc professioni concessit, eo quod mors spiritualis, & status perfectior sit: quæ ratio æque procedit, siue vterque, siue alter profiteatur. Ita Sanchez *l. 2. d. 20. num. 3.* Ledesm. & Henriq. *vbi supra.* Hurtad. *d. 8. diffic. 3. num. 15.* Leand. *tract. 9. d. 11. quæs. 10.* Ochaga. *tr. 2. q. 6. num. 6.*

245 *Idem affero.* Idem affirmo, & moneo, haud esse audiendum Paludanum citatum docentem, non dirimi matrimonium, quando communi consensu alter profitetur, alter autem in sæculo continentiam vouet: quia ambo sunt in proposito conformes. Hæc enim sententia tuta est minimè; quia Trident. *sess. 24. can. 6.* & alij textus absolutè decidunt, vinculum matrimonij rati, per alterius professionem dirimi.

DVBIVM XXXIII.

An professio habeat, vim dissoluendi matrimonium ex iure diuino positiuo.

246 *Non habet vim dissoluẽdi ex iure diuino positiuo.* PRofessio non habet præfatam vim dissoluendi matrimonium ratum & iure diuino: sed vel ex iure Pontificio, vel quia ex natura rei id professioni conuenit. Verùm iure Pontificio dissolui docent Medi. *l. 5. de contin. Sacerd. cap. 87.* Vasq. *1. 2. d. 165. cap. 7.* Lessi. *cap. 41. dub. 8.* Coninch *d. 26. num. 37.* Hurtad. *d. 8. diffic. 4. num. 17.* Ochagau. *quæs. 5. num. 8.* Ducuntur à sufficienti diuisione; quia non dissoluitur iure naturali diuino positiuo: Ergò solo Pontificio humano. Minor sequẽti numero patebit. Dissolui verò iure naturali diuino, siue ex natura rei asserunt Couar. *part. 2. cap. 7. §. 4.* Ledesm. *2. part. 4. quæs. 55. art. 2.* Durand. Bellarm. & alij vsque ad duodecim, seu tredecim Doctores, quos citat Sanchez *libr. 2. d. 19. nu. 1.* Ducuntur, quia professio mors ciuilis est: Ergò ex natura sua est sufficiens ad dissoluendum matrimonium ratum, non consummatum.

247 Professio habet vim dissoluendi matrimonium ratum ex iure diuino positiuo concedente Christo Domino id illi priuilegium. Quia non competit professioni hoc ex natura rei, nec ex iure Pontificio; Ergo ex iure diuino positiuo. *Habet vim dissoluendi ex iure diuino positiuo.* Primum probo, quia si competeret ex natura rei, vel ex iure diuino naturali, non posset dici matrimoniũ ratũ ex natura sua indissolubile: id enim tale dici nequit, quod per causas naturales solui potest: vt cæteri contractus sunt dissolubiles, quia in eorum natura dantur causæ sufficientes dissolutionis. Certè si matrimonium ratum dissolueretur per superuenientem fornicationem, non diceretur ex natura sua indissolubile. Secundum ostendo, nempe id non prouenire ex solo iure Pontificio: quia cum dissolutio matrimonij rati sit certissima, reduci debet in causam certam: incertissimum autem est, posse generali lege statui matrimonij rati dissolutionem: Porro initium huius consuetudinis non inuenitur in iure Ecclesiastico; sed à principio nascentis Ecclesiæ extat. Ergo credendum est, hoc Christi Domini priuilegium per traditionẽ haberi, si igitur hoc nõ prouenit professioni ex natura rei, nec ex iure pontificio, restat, vt ei conueniat ex iure diuino positiuo. Ità Scot. Victor. vterque Sotus. Bartholom. & Petr. de Ledes. & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *citat. num. 3.* Rebel. *part. 2. lib. 3. quæs. 4. sect. 2. numer. 12.* Cornejo, & Machado, quos sequitur Leand. *tr. 9. d. 11. q. 11.*

247 *Hoc mihi probabitur.* Primam sententiam, & secundam satis esse probabilem reor, probabiliorem autem tertiam existimo. Hoc itaque priuilegio Christus Dominus professionem donauit respectu matrimonij rati: quod noluit ei concedere respectu matrimonij consummati. Quia id significat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia per carnem, & ratione iniuriæ prolis & fœminæ in sæculo relictæ: & quia per commixtionem fiant coniuges vna caro, esset acerbum, eos diuidere.

DVBIVM XXXIV.

An Bimestre sit concessum sponsis ad profitendum in Religione, an ad liberandum de ingressu.

249 *Textium præmitto.* PRæmitto textum *Cap. Ex publico conuers. coniugat.* ex cuius intelligẽtia pẽdet huiusce quę-stionis resolutio: *Mandamus quatenus si prædictus vir eam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad Religionem trãsire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat: ipsam absoluas.* Quæsierim itaque, nũm bimestre præscriptũ sit ad deliberandũ de religionis ingressu, vel ad profitendũ?

250 *Bimestre præscribitur ad profitendum non ad deliberandum.* Bimestre id præscribitur ad profitendum in Religione, non ad deliberandum de ingressu, ita vt teneatur sponsus Religionem ingrediens intrà illud bimestre profiteri, vel matrimonium consummare. Quia illo *Cap. Ex publico*, præscribitur, vt debeat sponsa intra bimestre ad Religionem transire, vel ad virum redire. Transire autem, vel ingredi. Religionem, est ad professionem admitti, vt constat ex eodem *Cap Ex publico*, vbi dicitur, alterius *ingressu* dit

fit dissolui matrimonium, quod de sola professione verificatur. Sic Innocent *ad Cap hoc, nu.* vnic. Abbas *num.* 11. Præpos. *Cap. finali* 55. Tabie. *verb. Matrimonium* 3. *quæs.* 3. *n.* 4. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 27. Richard. *in* 4. *dist.* 27. *art.* 2. *quæs.* 2. *ad* 3. & Glossa *Cap. statuimus*, *verb. Habitum de Regularib.* vbi dicunt, posse Iudicem compellere sponsam *ingredientem* intra certum tempus profiteri.

251 Potest differri ad deliberandum, non ad profitendum. Bimestre id datur ad deliberandum de Religionis ingressu, non ad profitendum: ad quod datur integer annus, qui à Iudice coarctari nequit. Quia hic annus non tantum datur in nouitij fauorem, vt Monasticæ vitæ experiatur an veritatem: sed etiam in fauorem Monasterij vt experiatur nouitij mores. *Cap. Ad Apostolicam, de regular.* Ergò quamvis Nouitius ob proprium factum iure suo spoliari valeat, non tamen poterit Monasterium. Ita Basil. *lib.* 9. *cap.* 9 *nu.* 2. Sotus, Paludan. Hostiens. Bartol. de Ledes. Capua, D. Antonin. Armil. quos refert ac sequitur Sanch. *libr.* 2. *d.* 24. *numer.* 4. Hurtad. *d.* 8. *diffic.* 8. *num.* 31. Coninch *d.* 26. *dub.* 4. Diana, *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 233. Palaus *d.* 3. *pu.* 2. § 5. *num.* 2.

252 Probabilior hæc pars. Probabiliorem hanc partem iudico. Quia à iure antiquo non licet recedere absque textu expresso, & ne iuris correctio inducatur, debent verba impropriari vt doctissime probat Sanchez *libr.* 1. *d.* 17. *num.* 6. Ergo cum iure antiquo concederetur annus probationis *Cap. Ad Apostolicam*, nec Cap. Ex publico, expresse contrarium definiat, sed tantum dicat, debere intra bimestre transire ad Religionem, quod potest intelligi de transitu per professionem, vel per assumptionem habitus nouitiorum: non debet intelligi de professione, vt ius antiquum seruetur illæsum.

DVBIVM XXXV.

An retenta opinione probabili num. 250. *allegata dari sponsis bimestre ad profitendum, non ad deliberandum: Præscripto hac sit correcta per Tridentinum.*

253 Non correxit Tridentinum præscriptionem hanc. DIxi Dubio proximo probabilem esse primâ parte asserentē, bimestre illud dari ad profitendum, non ad liberandum circa ingressum ad Religionem. Supposita autem hac probabili opinione, quæsierim, num Tridentinum *sess.* 25. *de Regular. c.* 15. statuens, nullum ad professionem admittendum esse, nisi transacto integro nouitiatus anno, correxerit illam sententiam, adeo vt post illud decretum nequeat sustineri? Non correxit, ideo cogendus est spōsus intra bimestre præscriptum profiteri, quamvis ætatem sexdecim annorum à Concilio requisitam non expleuerit. Quia lex posterior generaliter & indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, & iuxtà illam intelligenda, nisi expresse verbis illi contradicat, *l. sed & posteriores ff. de legib.* ibi, *Posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.* Sic Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 27. Vera Maia, solis, primarij Doctores Salmanticenses Iuris Pontificij & Cæsarij cathedrarum apud Henriq. *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 8. *liter. Y.* & probabile satis Sanch *l.* 2. *d.* 24 existimat.

254 Correxit plane. Correxit plānè, ideòque non potest probationis annus coarctari. Quia Tridentinum generaliter, & per verba, negatiua statuens, nè ante annum professio fiat, est generaliter, & in omni casu intelligendum, lex enim vniuersalis negatiua est intelligenda vniuersaliter: *Cap. Solita, §. finali de maiorit. & obed. & l. de pretio, ff. de publ. in rem actio.* quod procedit etiams quando maior ratio inuenitur, quare non debeat includere magis vnā speciem, quam aliā, vt docet Nauar. *lib.* 4. *const. tit. de sponsal. consil.* 40. & *l.* 3. *tit. de conuers. coniugat. conf.* 1. cuius ratio est, quia iuxta regulam Logicam negatio quidquid post se inuenit destruit, & eius oppositum ponit. Ita Henriq. *citat. liter. F*, asserens, sic tenuisse multos Iurisperitos, ac Theologos. Barth. de Ledes. *de matr. dub.* 64. Palaci. *in* 4. *dist.* 27. *Manu. tom.* 1. *sum. cap.* 259. *num.* 2. Vega *lib.* 2. *sum. casu* 500. Sanchez *vbi supra.* & in hanc magis videtur Nauarrus inclinare, licet neutram definiat.

255 Hoc eligo. Hoc probabilius puto, quia oppositæ partis fundamentum solummodo verum esse iudico, quando non constat ex lege generali specialem corrigere: at ex eius decreti ratione (scilicet, vt nouitius agnoscat, quam vitæ rationem susceperit eiusque difficultates experiatur) colligitur, voluisse corrigere.

DVBIVM XXXVI.

An si sponsa duodenis ad Religionem transeat, teneatur sponsus expectare vsque ad Decimum sextum eius annum, quo professionem emittat.

256 Non tenetur expectare. NOn tenetur expectare, sed cogenda est sponsa intra bimestre præscriptum à *Cap. Ex publico*, profiteri. Quia decretum huius Capitis non est correctum per Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* Sic Doctor Vera Maia, solis primarij Salmanticensis Academiæ Moderatores, apud Henriq. *lib.* 12. *cap.* 5. *numer.* 8. *liter. Y*, Nauar. *sum. cap.* 26. *numer.* 27. Sanchez *libr.* 2. *d.* 24. *numer.* 4. probabile esse docet.

257 Expectari tenetur. Tenetur expectare quadriennio, nec cogenda est sponsa intra bimestre profiteri. Quia iuxta Tridentini decretum corrigens Capitis *Ex publico*, præscriptionem, nequit sponsa vsque ad decimum sextum annum expletum profiteri. Ita Sanchez *citat. num.* 7. Basil. *libr.* 9. *cap.* 9. *num.* 2. & 3. Palaus *d.* 3. *punct.* 2. § 5. *num.* 2. Henriq. *citat. liter. F*, asserens, sic fuisse confirmatum à Regia vallisoleti Cancellaria. Barthol. de Ledes. Vega, Palac. Rodrig. & alij, quos refert Sanch. *vbi s.*

258 Hæc sententia probabiliorem longè est. Hanc sententiam longè probabiliorem esse puto, imo certam omninò ob Cardinalitij declarationem, quæ extat apud Farinac. ad *sess.* 25. *Trident. c.* 15. quæ sic se habet: Mulier si duodecim annis maiori intra duos menses ingrediatur Monasterium, & habitum susceperit, & deinde expleto decimo sexto *anno*, & *elapso anno* proba

probationis, professionem emittat, iuxta hoc decretum interea vir expectet, donec annus probationis habeatur, & professio sit emissa. Addiderim ex eadem declaratione Sacræ Congregationis, idem dicendum esse, si sponsa Religionem D. Franciſci de Paula ingrediatur, in qua professio non emittitur antè annum decimum octauum. Non enim potest compelli, vt decimo sexto anno completo profiteatur.

DVBIVM XXXVII.

An bimestre concessum sponsis ad deliberandum debeat, necessariò continere omnes & solùm illos dies, quos menses tunc occurrentes continent.

259 *Continere nõ debent dies mensis occurrentis.*

NOn debent necessariò continere omnes & solum illos dies, quos menses tunc occurrentes continent iuxta Kalendarij ordinem: sed sufficit singulos menses vinginti supra octo dies continere, ex quibus quatuor hebdomadæ consurgunt: vel ad summum triginta dies. Quia huiusmodi dierum numerus sufficit præcipuè in moralibus vt integri menses valeant vocitari. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine memorat Sanchez *lib. 2. d. 24. num. 14.* citans Menochium *lib. 2. de arbitrar. centur. 1. casu 50.* qui docet horum dierum nnmerum vt duos integros menses constituant, prudentum arbitrio relinquendum.

260 *Debent hosce dies cõtinere.*

Bimestre illud ad deliberandum de Religionis ingressu præscriptum continet omnes ac solum illos dies, quos menses, qui tunc occurrunt continent iuxtà temporis occasionem, verbi gratiâ si contingat matrimonium iniri prima Ianuarij die; mensis ille constabit triginta & vno diebus, & alter bimestris mensis viginti & octo solummodo constabit: vnde sponsa habebit ad deliberandum solummodo quinquaginta nouem dies: nam vnus mensis longior, alter breuior occurrit. Quia Ianuarius non potest dici integer mensis constans solum triginta diebus, nam vna dies deficit. Nec Februarius indiget duorum dierum additione, vt integer mensis iuxta ritum Kalendarij possit vocitari. Ita Sanchez *citat. num. 15.* Basil. *lib. 9. cap. 9. num. 5.* Palaus *d. 3. punct. 2. §. 5. nu. 4.* Leand. *tract. 9. d. ii. q. 23.*

261 *Hoc teneo, & expono.*

Quando lex vel statutum concedens mensem, disponit, à quo tempore mensis incipiat, vt à die electionis, vel à die per Iudicem designanda: tunc accipitur mensis secundum quod occurrit in Kalendario, & quod ex illo mense deficit, de sequenti accipitur: & ita habebit mensis ille triginta dies, vel triginta vnum, vt in Kalendario occurrerit. Ex. gr. electio fieri debet intra tres menses à die vocationis & talis dies fuit vigesima quarta Ianuarij, deficiunt vsque ad numerum triginta vnius dierum, quibus constat Ianuarius, septem dies: vigesima igitur quarta dies Aprilis erit vltima trimestris; quia Ianuarius accipit à Februario dies septem, & totidem Februarius à Martio, & totidem Martius ab Aprili. Sic ergo computandum bimestre sponsis præscriptum ad deliberandum circa Religionis ingressum. Computantur autem dies hi de momento ad momentum. Quia tempus incipiens ab aliqua die determinata, regulariter de momento ad momentum computatur, vt expressè habetur *lib. 3. §. Minorem, ff. de minorib.*

DVBIVM XXXVIII.

An si bimestre sponsis concessum, ad deliberandum circa Religionis ingressum includat mensem Februarium: dies bissextus sit pro vnica die computandus.

262 *Non est computandus pro vnica die.*

NOn est computandus pro vnica die, sed pro vno, & alterò: nec enim eo quod ille dies creuerit in Februario, accipiendi sunt (iuxta exemplum adductum Dubio proximo) sex à Martio dies, sed septem ad complendum bimestre. Quia dies Februario accrescens est ipsius Februarij. Sic Cardin. *ad Cap. Licet de supplen. neglig. Prælat. fine.* Lambertin. *de iure patro. l. 2. p. 2. q. 1 a. 14.*

273 *Est pro vnica die computandus.*

Computandus est pro vnico die. Quia sic deciditur *Cap. Quæsiuit, de verbor. signific. & leg. Cum bissextus, ff. eodem titulo, & l. 3. §. Minorem, ff. de minor.* Ità Doctores ad præfata iura.

264 *Vtens distinctione respondeo.*

Equidem distinguendum generatim reor. In fauorabilibus in mense bissextili duo dies pro vno cedunt secus in odiosis. Vnde suspensus (v. gr.) per mensem si incipiat mensis Februarius bissextilis poterit celebrare vltima Februarij die. Hoc tamen intellige, quando computantur menses. vel animam si computentur dies, vt si dicatur: sis suspensus quadraginta diebus, computabitur bissextus; quia est verus dies: & sic erunt illi duo dies. At in casu nostro nihil prodest, vel officit dies bissextus; quia bimestris illius vnus, & alter mensis accipitur prout occurrit in Kalendario, vt prælapso Problemate vidimus.

DVBIVM XXXXIX.

An iudex possit prorogare, aut coarctare bimestre concessum sponsis ad deliberandum de Religionis ingressu.

265 *Nec prorogare, nec coarctare potest.*

QVæsierim, num bimestre concessum sponsis *Cap. Ex publico, de conuers. coniugat.* ad deliberandum de Religionis ingressu, sit adeò præcisum, vt nequeat illud prorogare, aut coarctare: vel sit arbitrarium? Nec coarctare, nec prorogare potest. Quia quamvis ex causa valeat Iudex regulariter terminum à lege præscriptũ restringere, vel prorogare, vt docet Barthol. *l. 2. num. 4. ff. de sentent. & re iudic.* at id non procedit, quando lapso termino, apponitur pœna priuationis, vel alia similis, vt asserit Molina *l. 2. de primog. c. 14. nu. 19.* cum Paldo, Felino, ac Decio, sed hoc bimestre ponitur à iure & eo transacto, priuatur sponsus iure amplius deliberan

berandi, & excommunicandus est, si abneget debitum: Ergo. Sic Glos. *Cap. ante penult. v. Nec acquieuerit. dist. 62. & Cap. Coniuges v. Prima, 27. q. 2.*

166 *Prorogare potest vel coartare.*

Coarctari, vel prorogari potest Iudicis ad arbitrium Quia licèt quando datur terminus à lege absque Iudicis ministerio, nequeat Iudex restringere, vel prorogare cum non sit suprà legem; secus tamen est, vbi datur ministerio Iudicis: vt contingit *Cap. Ex publico*, vbi non signatur bimestre, sed mandatur Iudici, vt designet. Ita Nauar. *sum cap. 16. num. 27.* Richar. *in 4. dist. 27. art. 2. quæs. 2. ad 1.* Barthol. à Ledes. *de matr. dub. 71. concl. 3.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 242.* Sylueit. *verb. Debitum, quæs. 1. causa 4.* Rosel. *num. 1.* Armil. *num. 5.* Sanchez *lib. 2. d. 24. num. 11.* Hurtad. *d. 8. difficul. 8. initio.* Villalob. *tract. 13. diffic. 2. num. 3.* Palaus *d. 3. punct. 2. §. 5. num. 5.*

167 *Bimestre spatium.*

Hoc certum esse reor. Attamen non debet facile Iudex à bimestri discedere, sed exigenti graui causa: cum iuris sit terminus. Primæ autem sententiæ doctrina vera est, quando terminus lege præscribitur absque Iudicis ministerio, vt contingit in termino ad appellandum concesso.

DVBIVM XL.

An coniux, qui non intendit Religionem inire, teneatur, intrà bimestre debitum petenti coniugi reddere.

168 *Tenetur.*

TEnetur planè. Quia bimestre id solum conceditur à Iure coniugatis, qui gerunt animum Religionis ineundæ: vt colligitur ex *Cap. Ex publico, de conuers. coningat.* Sic Nauar. *cap. 16. num. 27.* Angles, Medi. apud Sanchez *citandum.* Hurtad. *d. 8. diffic. 8.* Palaus *d. 2. punct. 2. §. 5. num. 7.* Coninch *d. 26. dub. 4.*

169 *Non tenetur.*

Non tenetur, donec bimestre transeat. Quia id tempus conceditur *Cap. Ex publico*, ad deliberandum circa Religionis ingressum: quamvis autem hodie neuter coniux ingredi intendat, potest tamen postmodum propositum in melius commutare. Ità D. Tho. *in 4. dist. 27. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2.* Bonau. *ibi art. 3. quæs. 2.* Palud. *dist. 31. quæs. 1. art. 1. num. 4.* Sotus *quæs. 1. art. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 15. num. 7.* Basil. *l. 9. c. 9. num. 7.* Sanch. *l. 2. d. 24. n. 25.* Diana *p. 10. tract. 14. resol. 22.* Leand. *tract. 9. d. 5. q. 25.*

Hanc partem probabiliorē reor ob fundamētū illud, & quia existimo cū D. Thoma citato, id bimestre non tantum concedi ad deliberandum de Religionis ingressu; sed etiā vt sponsi necessaria solemnitati nuptiarū præparent: & ne sponsus cito sibi traditam sponsam parui pendat: plus enim eam faciet, si traditio differatur.

DVBIVM XLI.

An qui ante matrimonij consummationem Religionem ingreditur, & intra annum nouitiatus in coniugis fraudem, varios Ordines mutuat: possit compelli à Iudice, vt eligat Religionem, in qua vel transacto probationis anno profiteatur, vel ad coniugem redeat.

170 *Non potest compelli.*

COmpelli non potest. Quia ità Sacra congregatio præscripsit hisce verbis, quæ *Escob. & Mend. Theol. Moral.* To. III. P. II. Leand. *tr. 9. d. 5. q. 27.* ex Farinacio transcripsit *Quia Canones permittunt, vt quis post ratum matrimonium, Religionem ingredi possit; quid fiat, si vnam Religionem ingressus, de vna transeat ad aliam, aut plures, & ita tempus professionis differatur: an talis compelli possit ad tempus hoc breuiandum: maximè cum iste transitus ex vna Religione ad aliam fieri videatur in fraudem eius, qui in sæculo remansit? Congregatio anno 1588. respondit, non posse compelli.* Sic Cardin. Congregatio.

271 *Compelli potest.*

Compelli potest. Quia alias hæc fraudulenta mutatio Religionum alterius sponsi remanentis, & expectantis in sæculo cederet. Ita Sanch. *l. 2. d. 24. num. 9.* Palaud. *in 4. dist. 27. qu. 3. art. 2. concl. 1. num. 14.* D. Antonin. *part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 14. num. 3.* Coninch *d. 28. num. 45.* Gutier. *cap. 54. nu. 13.* Palaus *d. 3. pu. 2. §. 5. num. 2.*

272 *Hoc certum existimo.*

Certe si alter sponsus nimium differat matrimonium consummare vagando de vna Religione in aliam intrà nouitiatus annum: potest Iudex, dato termino peremptorio, eum compellere vt in vna Religione maneat, in qua completo nouitiatus anno, profiteatur, vel ad alterum redeat sponsum, vt matrimonium consummare valeat. Magnum enim aliàs sponso in sæculo manenti ferretur incommodum, qui diu imò toto vitæ spatio posset primo ligatus manere coniugio nec aliud inire. Porrò Sacra Congregatio solum intendit, non posse compelli coniugem ad hoc, vt antequam expleat probationis annum, profiteatur.

DVBIVM XLII.

An ad consummandum matrimonium ità vt non liceat iam ad Religionem transire, sufficiat, penetratio vasis, absque seminis receptione.

273 *Sufficit quidē.*

SVfficit quidem. Quia vna ex causis ob quas Christus noluit id priuilegium matrimonio consummato concedere, fuit, vt euitaretur damnum secutum sponsæ, quæ minus apta alij matrimonio maneret: At non minus inepta manet in hoc casu, quam si vir seminasset: Ergo. Sic Medina *l. 5. de contin. c. 79.* Petr. Ledes. *de matr. q. 61.* Rodrig. *to. 1. sum. c. 239. n. 1.* & alij apud Sanch. *l. 2. d. 21. n. 4.*

274 *Non sufficit.*

Minimè sufficit, sed necessariò requiritur, vt semen virile vas sponsæ subintret. Quia copula carnalis, per quam consummatur matrimonium est ea, per quam coniuges vna caro efficiuntur, vt constat tum ex significatione, signat enim matrimonij consummatio per eam carnis vnitatē, Incarnationis mysterium, per quod Christus Dominus per carnis vnitatē est Ecclesiæ coniunctus: tunc etiā quia Alexand. III. *Cap. 2. de conuers. coniugat.* vbi dixit, posse coniugē antè copulam ad Religionem transire, subdit rationē: *Quia cum nō fuissent vna caro simul effecti*, vnde apertè sentit, talem oebere esse copulam, per quam vna caro efficiantur: sed dū semen nō recipitur intra fœmineum claustrū non efficiuntur vna caro, vt clarè colligo ex *Cap. Lex.* quod est Benedicti Papæ, 27. *q. 2. ibi*: Propinquitas enim

sanguinis, iuncti verbis præcedentibus: dixerat enim non aliter fieri vnam carnem, quam si carnali copula sibi cohæreant: & subdit hæc: *Neque oculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem*, id est seminis. Ita D. Tho. *in 4. dist. 41. art. 1. q. 2. ad 2.* D. Bonau *q. 1.* Sotus *dist. 27. q. 1. art. 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 8. num. 8. & cap. 11. num. 13.* Sanch. *citat. nu. 5* Basil. *lib. 9. cap. 10. num. 1.* Villalo. *tract. 13. diffic. 13. nu. 1.* Bauni. *quæst. 15. de matr.* Ochaga. *tract. 2. quæst. 6. num. 1.* Hurtad. *d. 8. diffic. 9. num. 35.* Valer. *v. Matrimonium, diffic. 11.*

275 *Probabilior mihi hæc sententia.* Hæc sententia mihi admodum est probabilior. Quia ea copula requiritur ad consummationem matrimonij, quæ apta est ad generandum, alias copula sodomitica consummaret matrimonium, quod est absurdissimum: ex penetratione autem vasis absque seminis effusione non potest sequi generatio. Et quia vltra significationem potissima indissolubilitatis matrimonij consummati ratio est iniuria prolis: quæ esse non potest absque seminis receptione.

DVBIVM XLIII.

An vt matrimonium censeatur consummatum requiratur, vt etiam fœmina semen emittat.

276 *Non requiritur.* ID non requiritur. Quia semen fœmineum necessarium non est ad generationem, teste Philosopho *l. 2. de generat. anim. c. 2.* & Galeno sibi contrario *l. 1. de sanit. tuen. c. 1. & l. 2. de natural facult. c. 3.* Auicena *l. 9. animal. c. 1.* Sic Syluest. *verb. Matrimonium 8. qu. 15. dicto 2.* Rosel. *v. Impedimentum, impedom. 14. num. 9.* Tabien. *eodem v. impedim. 4. q. 2. num. 3.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 11. ante §. 1.* Sotus *in 4. dist. 27. qu. 1. a. 4.* Henriq. *l. 11. c. 8. num. 8. liter. N, & c. 15. num. 3.* Barthol. à Ledes. *de matrim. dub. 40. concl. 5.* Vega *l. 3. sum. casu 157.*

277 *Requiritur quidem.* Requiritur planè. Quia ad matrimonij consummationem requiritur copula, ex qua sequi possit generatio: sed nisi fœmina seminet, non potest ex ea copula sequi generatio, vt docent Hyppocrat. & Galen. quos refert *libel. 8. Metaphys. quæst. 17.* Ergo non censetur matrimonium consummatum. Ità Lopez *part. 2. instr. capit. 50.* Hurtad. *d. 8. diffic. 9. & d. 10. diffi. 1.* Diana *part. 4. tract. 2. resol. 43.* D. Tho. Hostiens. Hugo, & alij apud Sanchez *l. 2. d. 21. n. 11.*

278 *Auctoris resolutio.* Profecto ad hoc vt matrimonium censeatur consummatum, non est attendendum, an semen mulieris sit necessarium ad generationem, quia (vt vidimus, æque probabiliter pro vtraque parte potest id sustineri: sed solum ad seminationem eius, qui precipuum locum in generatione obtinet.

DVBIVM XLIV.

An vt matrimonium dicatur consummatum, nec possit sponsus Religionem inire, sufficiat, quod virile semen siue arte aliqua, siue dæmonis ope in vas recipiatur sponsæ absque copula, aut vasis penetratione.

279 *Sufficit planè.* SVfficit. Quia ea seminis profusio sufficiens est generationi, per eamque sponsi vna caro efficiuntur. Sic D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 11. ante §. 1.* Cordu. *in sum. q. 178.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. a. 4.* Henriq. *l. 11. c. 15. nu. 3.* Neuo, Rosel. Syluest. Tabie. Greg. Lop. quos citat, & sequitur Sanch. *l. 2. d. 21. n. 2.* Hurtad. *d. 8. diffic. 9. & d. 10. diffic. 1.* Filliuc. & Villalob. penès Leand. *tr. 9. d. 5. q. 30.*

280 *Non sufficit.* Non sufficit. Quia per huiusmodi seminis in fœmineum vterum immissionem illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt. Ità Martin. de Albiz *in manuscr. d. 17. de matr. dub. 1.* Basil. *l. 7. c. 12. num. 2.* Leand. *citat.*

281 *Cautio ejus.* Licèt Thomas Sanchez primam sententiam vt certam supponat, tanti viri venia ego valde dubiam existimo, & multis scrupulis agnatam, qui vix humano iudicio valeant definiri. Vtrumque ego requisierim, & coniunctionem, & intra vas seminationem, vt matrimonialis copula vocitetur.

DVBIVM XLV.

An copula ante initum matrimonium habita sit sufficiens, vt matrimonium subsecutum consummatum dicatur.

282 *Sufficiens est.* SVfficiens est. Quia matrimonium sequens ad copulam retrotrahitur præcedentem, & illam ita confirmat, vt prolem ex ea habitam, legitimam efficiat, *Cap. Tanta, qui filij sint legit.* Ergo similiter confirmabit, vt censeatur habita post matrimonium, illudque consummet. Sic Hyppolit. *singul. 500.* citans Claudium, & Syluam nuptial. & in hac parte Baldus inclinat *ad Cap. Licet, de translat. Episc.* quamvis nihil definiat.

283 *Non est sufficiens.* Non est sufficiens. Quia matrimonium solummodo consumatur per matrimonialem copulam, illa verò est fornicaria. Ita Sanch. *l. 2. d. 21. n. 13.* Henriq. *l. 11. c. 8. n. 8.* Sotus, Vega, & alij duodecim Doctores, quos Sanchez citat. Basil. *l. 9. c. 10. n. 1.* Gutier. *de matr. c. 52. n. 22.* Villalob. *tr. 13. diffic. 13. n. 1.*

284 *Hanc partem certam puto.* Hanc partem certam puto, primamque partem aut nihil probabilitatis habere. Quia quamvis illa fictio admittatur in fauorem Prolis, quæ non deliquit, æquum non est, eam fauore parentum delinquentium admitti, contra *Regul. l. sine hæreditaria ff. de nego. gest.*

DVBIVM

DVBIVM XLVI.

An copula per vim intrà bimestre extorta sufficiat, vt matrimonium dicatur consummatum, & sit omnino indissolubile.

285 *Non sufficit.* NOn sufficit, & ita professione secuta, vel Pontificia obtenta dispensatione, matrimonij vinculum dirimitur. Quia matrimonium consummatum vnionem Christi Domini cum Ecclesia per carnem repræsentat, indeque omnimodam indissolubilitatem sortitur: Ergo per eam solâ consumabitur, quæ hanc vnionem repræsentare potest: sed huiusmodi est sola copula voluntaria, cum vnio Christi voluntaria fuerit: Ergò per vim extorta minime sufficit. Palud. *in 4. dist. 27. q. 3. a. 2. concl. 1. n. 10.* probabile hoc esse asserit. Tenent Henric. *Cap. finali, n. 4. de sponsa duorum.* Armil. *v. Diuortium, n. 6.* & alij apud Durand *in 4. dist. 27. quæs. 2. num. 14* qui etiam *num. 15.* probabilem esse fatetur. Abbas *Cap. 2. de conuers. coniugat. fine.* Sylvest. *verb. Diuortium quæstion. 5.* asserens non videri sponsam communicasse suum corpus, cum inuita sit cognita.

286 *Sufficit omnino.* Sufficit eiusmodi copula, vt matrimonium censeatur consummatum, & indissolubile. Quia ea copula vi extorta efficiuntur coniuges vna caro, vt constat ex *Cap. Discretionem, de eo, qui cogno. consang.* vbi definitur, inde affinitatem oriri: quod nullomodo contingeret, nisi efficerentur vna caro. Certe copula ex qua oritur affinitas consummat matrimonium: cum ergo copula violenta sufficiens sit, vt oriatur affinitas consummabit matrimonium. Ità Victoria *de matr. num. 255.* Henriq. *l. 11. c. 8. n. 10.* Sanch. *l. 2. d. 22. n. 4.* citans duodecim Doctores. Hurtad. *d. 8. diffic. 9.* Basil. *l. 9. c. 10. n. 2.* Laym. *tr. 10. p. 4. c. 6. n. 3.* Coninch, & Bauni. quos citat, & sequitur Leand. *tr. 9. d. 5. q. 32.*

287 *Hoc tanquàm certum teneo.* Hoc quidem tanquam certum teneo. Quia ex parte viri libere fuit consummatum matrimonium: Ergò ex parte eius est omninò indissolubile, quamvis sponsa profiteatur: at cum matrimonij vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte sponsæ Asseto autem, violentam copulam Christi vnionem: cum Ecclesia quoad substantiam repræsentare, quia fiunt coniuges vna caro, sicut Christus Dominus per carnem est vnitus Ecclesiæ: licet nō quoad modum; hæc enim vnio spontanea est, illa autem violenta.

DVBIVM XLVII.

An sponsa intra bimestre vi cognita possit ad Religionem transire.

288 *Non potest.* NOn potest. Quia omnia iura clamant, matrimonio consummato, neutri coniugi, altero inuito, licere ad Religionem transire: cum ergo non distinguant, vtrum copula vi, vel sponte habita sit, nec nos distinguere debemus *Cap. Consuluisti, 2. quæs. 5.* Sic Barth. & Martin. de Ledes. Couar. Henriq. Sotus, & alij nouem Doctores, penès Santium *citandum.* Basil. *lib. 9. cap. 10. num. 2.* Diana *part. 3. tract. 4. reso. 242.* Gutier. *cap. 54. num. 28. & 29.* Leand. *tr. 9. d. 5. q. 33.*

289 *Potest planè.* Potest planè. Quia sponsis grauem intulit iniuriam coniugi, cum non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre concussum, *Cap. ex publico, de conuers. coniugat.* & illa non potest aliter ius suum recuperare nisi per ingressum. Ergò potest Religionem inire. Certe dolus nemini debet patrocinari, nec viri culpa bonum alterius impedire: nè culpæ reus inde commodum reportet, *Cap. Ad nostram, de empt & vendit.* Ità Reginal. *l. 31. n. 59.* Laym. *tr. 10. p. 3. c. 6. n. 3.* Hurtad *d. 8. diffic. 9.* Petr. de Ledes. *q. 61. a. 1.* Rodrig. *c. 29. n. 2.* Glos. *ad Cap. finale.* Præpos. Ioan. Andr. Cardin. Abbas, Felin. Bald. Angel. Hyppolit. Turrecr. Sylvest. Armil. Palud. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 2. d. 22. num. 5.*

290 *Hoc mihi vtique.* Hanc partem reor esse probabiliorem. Quia sine sua culpa nemo debet suo iure priuari, *Cap. Discretionem, de eo qui cognouit consanguin.* Cum ergo fœmina inuita, & absque sua culpa fuerit cognita, non debet iure, quod habebat, ingrediendi Religionem, præiuri. Et quia beneficium iuris auferendum non est à fœmina, quæ dissentit. *Cap. Indultum, de regulis iuris in 6.* Ergo.

DVBIVM XLVIII.

An quando sponsa non vi præcisa, sed metu cadente in constantem virum à sponso fuit: oppressa possit Religionem inire.

291 *Minimè potest.* NOn potest. Quia idem non est vi opprimi, ac metu; vis enim omnimoda priuat libertate, non autem metus *l. 1. & 2. ff. deeo, quod met. cau.* Sic Ioan. Andr. Præpos. Cardin. Sylvest. Armil. Greg. Lop. Perez, Palati. quos refert Sanchez *l. 2. d. 22. n. 11.* docens hanc sententiam satis esse probabilem.

292 *Potest omninò.* Potest quidem. Quia ratio, ob quam permittitur ingressus, quando copula vi extorta est, non est voluntatis defectu, sed ratione iniuriæ illatæ, & iniustitiæ à sponso admissæ: At similis iniustitia est, quando timore graui copulam extorsit. Ita Ledes. *2. p. 4. q. 63. a. 3.* Petr. de Ledes. *de matr. q. 61. a. 1.* Sanch. *n. 12.*

293 *Hoc mihi probabilius.* Ego quidem existimo idem esse de violentia ac de timore dicendum. Quare in vtroque casu posse sponsam Religionem ingredi, iudico esse probabilius.

DVBIVM XLIX.

An lethaliter peccet sponsus vi, vel timore grani extorquens copulam intra bimestre à sponsa.

294 *Nonnihil sicpono.* SCio, quando transactum est iam bimestre, sponsum non peccare; quia iure suo vtitur exigendo debitum, quod non potest sponsa iustè denegari. Hoc tamen intelligo, quando tentatis aliis mediis pacificis, nollet

adhuc sponsa. Quæsierim verò, vtrum intra illud bimestre sponsus cogens lethaliter delinquat?

295 *Non delinquit sponsus.* Non delinquit. Quia non infert iniuriam sponsæ, quæ adhuc potest Religionem inire: sed sibi potius, qui antè sponsæ Regularis obitum non potest aliam ducere. Sic Manu. *tom. 1. sum. c. 239. n. 2.*

296 *Sponsus delinquit.* Delinquit lethaliter. Quia aufert corporis integritatem, dum non habeat ius donec bimestre transeat. Et quia fortè ex ea copula sequetur proles, ob quam sponsa ab ingressu impedietur. Ità Sanch. *l. 2. d. 22. n. 15.* Sotus *in 4. dist. 29. q. 1. a. 4.* Petr. Ledes. *q. 61. a. 1.* Leand. *tr. 9. d. 5. q. 34.* & alij.

297 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Quia potest sponsus id gerens, in foro externo puniri vt docet Bald. & Salic. quos refert Anto. Gomez *l. 80. Tauri, n. 39.* Pro culpa autem veniali plecti in foro externo, esset iniquum. Verum Sotus hanc temperat sententiam, quando sponsa affirmaret, velle se Religionem ingredi: in hoc enim casu ait, peccare lethaliter sponsum cogentem. Attamē aptius Ledes. citatus absque ea limitatione locutus est. Vndè hoc etiam in casu existimo esse culpam lethalem; quia licet sponsa tunc non præmeditaretur, Religionem inire, forte eo bimestri per ius sibi concesso, meditabitur, cui quidem resolutioni sponsus obstat, extorquens copulam hanc sibi debitam.

DVBIVM L.

An sponsa per vim oppressa ante expletum bimestre, possit receptum semen mox expellere.

298 *Nonnihil suppono.* QVæstio procedit de sponsa vi oppressa intra bimestre non ab sponso, sed ab alio. Suppono enim eam ab sponso vi cognitam, id minime posse gerere, quia iniuria est multo leuior, nec infamiam patitur, & damnum non est adeò graue. Nec de fœmina per metum à quocumque cognita loquor, quia copula fuit voluntaria, & cum peccato admissa; vnde piaculum graue esset seminis pulsionem procurare, igitur.

299 *Non potest oppressa ab alieno id gerere.* Non potest fœmina, quæ intra bimestre vim patitur, in continenti conari ad semen iam receptum emittendum. Quia est intrinsecè malū ordinatum semen ad sobolis propagationē expellere, neque id vllo fine potest honestari. Sic Basil. *l. 9. c. 10. n. 4.* Leand. *tr. 9. d. 5. q. 35.*

300 *Id gerere potest.* In continenti potest, postea minimè. Quia (vt docet Sotus *de iust. l. 5. q. 1. a. 8.* Bannes 2. 2. *q. 64. a. 7. dub. 3. ad 2.* Manu. *to. 1. sum. c. 136. n. 15.*) licet priuata authoritate furem in continenti vbi furtū arripuit, donec in loco tuto sit constitutus, percutere, & ea defensa reputatur: Ergo similiter reputabitur defensa, cum statim ac semē receptum est, fœmina vim passa, expellit: secus quando iā semen habet possessionem, & est quasi in loco tuto constitutū: tunc enim nō erit defensa, sed intrinsecè malū. An non posset fœmina vim passa quocūque tempore mēbrum virile extrahere, si posset, quamvis semen effundendum esset? Ita planè, quia non tenetur id pati. Ergo mox ac effusum est potest similiter expellere; quia cum nondum semen habeat prolificam vasis possessionem, adhuc quasi in fieri, & in ipsa effusione esse reputatur. Ità Sanch. *l. 2. d. 22. n. 17.*

301 *Primam sententiam eiicuit.* Ego quidem, si dum fœmina reluctatur, semen extra vas effunderetur, à piaculo liberam iudicarem. At semel effusum, atque receptum, cuius nullus alius est vsus nisi in ordine ad generationem, emittere turpissimum esse reor. Neque verò quia fœmina posset, dum vim patitur, virile membrum extrahere, ideo potest & semen iam receptum emittere. Nam aliud est impedimenta apponere, dum quasi in via est ad cōsummationem violentus aggressor: aliud verò semen eiicere, cum iam ad finem peruentum est. Hoc teneo, nec ideò tamen mei Thomæ Santij sententiam improbabilem esse putarim. Quæ quidem non benè à Basilio ac Leandro est, (eorum venia) perspecta. Non enim ille hoc asserit de sponsa vi oppressa à proprio sponso intra bimestre, sed ab alieno quocumque, vt propriis, distinguit in terminis.

CAPVT XI.

Circà causam efficientem matrimonij, quæ est Consensus.

DVBIVM LI.

An vinculum matrimonij de potentia Dei absoluta possit consistere sine mutuo coniugum consensu.

301 *Duo certa suppono.* DVo certa absque controuersia suppono. Vnū est, si loquamur de matrimonio causaliter, id est, in quantum est contractus humanus à propria voluntate tanquam à causa consurgens per nullam potentiam posse absq; mutuo consensu consistere: Quia tunc consensus est de intrinseca contractus ratione; & sicut actus intellectus eo quod vitalis sit, per nullā potentiam potest absque intellectu produci, ita contractus humanus, qui oritur à voluntate tanquam à principio vitali esse nequit absque eius cōsensu. Alterum est, Deum posse dare viro potestatem in corpus fœminæ, & è contra absque illorum consensu. Quia Deus habet maius dominium in coniugum corpus, quam ipsimet: Cū ergò possint ipsi eo quod sint domini proprij corporis, dominium illius transferre à fortiori Deus poterit. Est autem difficultas: Cum matrimonium non sit ius vtendi alterius corpore, nec mutua obligatio, sed vinculū, quo cōiuges obligantur: vtrū vinculū hoc cōsistere possit de potētia Dei absoluta absq; illorū consēsu?

303 *Potest consistere matrimonium sine mutuo consensu.* Potest consistere. Quia Deus potest efficiētis causæ vices supplere, vt calefacere absq; igne: consensus autem mutuus solū est causa efficiēs huius vinculi. Sic Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. concl. 1.* Victor. *relect. de matr. p. 1. n. 4.* Ledes. *p. 4. q. sensu. 47. a. 1.* Henriq. *l. 11. c. 1. n. 3.* Vega *l. 4. sum. c. 73.* Barthol. Ledes. *dub. 16.* Petr. Ledes. *q. 45. art. 1. dub. 1. concl. 4.* Valent. *to. 4. d. 10. q. 3. pu. 1.* Coninch *d. 24. n. 49.* Hurtad. *d. 3. diffic. n. 17.* Diana *par. 8. tract.*

tr.1.resol.82.citansMeratiũ,Auersam,Tannerum & Caspensem Imò addunt Marti. de Ledes. & Victoria, Deum de facto hoc fecisse in Adæ & Euæ matrimonio, *Quos Deus coniunxit.* Matt. 19. & etiam in coniugio Oseæ, ac fœminæ fornicariæ.

304 Nimirũ probat. Consistere non potest. Quia consensus est de matrimonij essentia;matrimonium enim essentialiter est coniunctio animorum coniugum, quæ coniunctio nequit aliter intelligi nisi per consensuum vnionem. Ita aliqui D. Thomæ discipuli, teste Petro de Ledes. *citato, concl. 3.* Sanchez *lib.1. d.26.num. 5.* supplem. Gabr. *in 4. dist.27.q.1.*Adria.*q.2.de matr.* dicens, id esse indubitatum.Cornejo *d.3. de matr.dub.1.*Basil. *l.2.c.3.n.4.*Ochagau.*tr. 2.de Sacram. qu. 8.n.2.* Leand.*tr.9.d.6.q.3.*

305 Hoc verius. Hoc verius existimo. Quia nequit Deus constituere relationem in aliquod cum vero actu formali illius absque eius fundamento, vt paternitatem in aliquo, per quam verè pater dicatur, absque generandi actu:sed matrimonium est relatio inter coniuges, consensus autem est fundamentum: Ergo implicat matrimonium esse absque proprio consensu. Certè primam sententiam probabilem satis esse reor. Quod autem additur à Petro de Ledes. & Victoria minimè verum iudico. Quia ad suauem Dei prouidentiam spectabat, nè matrimonium primum, quod aliorum norma & exemplar erat,absque proprio coniugum consensu consisteret.

DVBIVM LII.

An consensus ad essentiam veri matrimonij requisitus debeat, explicitè in copulam ferri.

306 Debet explicitè ferri in copulam. DEbet explicitè ferri in carnalem copulam. Quia copula est pars integralis Sacramenti matrimonij; vnde nullatenus perficitur, donec consũmatur.Sic Medina *l.5.de contin.Sacro.hom.c.64.&* 70.Bellarm. *l.1. de matr.c.5. in solut.ad 6.*Fauet Augustinus *l.19.cont.Manich. c.26.*vbi ait, matrimonium ex hoc appellatum esse,quod non aliud mater nubat,quam vt mater fiat.

307 Non debet. Consensus matrimonium constituens non debet necessariò ferri explicitè in copulã.Quia si quis contrahat animo profitendi antè consummationem,validum matrimonium geret,vt constat ex *Cap. Commissum.de sponsal.* Et quia Deipara verum matrimonium contraxit, vt cum Magistro *in 4. dist.30.c.3.*omnes scribentes sibi fatentur, & D. Tho. ex professo *3.p. q. 29.a.2.*Imo Suari.*3.p.q.28.a.2.d.7.sect.1.*ait esse de fide. Et tamen nec implicitè consensit in copulam, nam votum virginitatis emiserat vt late Suar. *ibi.* Ergo ad essentiam veri matrimonij non debet consensus explicitè in copulam deferri. Itaque copula non est de essentia matrimonij, neque de eius integritate: sed solum eius effectus,& operatio. Ita Sanchez *l. 2. d.28.*Basil,*l.1.c.16.*Leand.*tr.9. d. 9.quæst. 10.* & omnes.

308 Ita mihi. Certum omnino, non deberi consensum explicitè ferri in carnalem copulam;quia hæc nó est de essentia matrimonij, neque de eius integritate,sed eius effectus, & operatio:Ergo consensus efficiens matrimonium non fertur explicite in copulam.Locus verò Augustini nihil aduersum nos probat; quia tãtum dicit id quod communiter accidit,non tamen id necessarium esse intendit.

DVBIVM LIII.

An ad essentiam veri matrimonij requiratur consensus implicitus ac virtualis in copulam ex parte contrahentium.

309 Requiritur quidam. REquiritur.Quia cõtractus matrimonij celebratus sub expressa conditione,ne teneãtur contrahentes sibi dubitum reddere, est nullus:ergo requiritur saltem consensus implicitus ac virtualis in copulam. Sic Capreol. *in 4. dist. 28 q. vni. a.3. ad 5.* Couar.*p. 1.Decretal.cap.3. §.1.* Scot. *in 4.dist.20. quæs.* Sotus Richard.& alij *ibi.*

310 Non requiritur. Non requiritur.Quia certissimum fere est, inter Deiparam & Iosephum vere fuisse matrimonium,& celebratum post emissum à Virgine castitatis votum:Ergo non potuit esse cum consensu nec implicito in copulam ex parte contrahentium.Ita Sanch.*l.1.d.28.n.3.* Basil.*l. 1.c.16.*Leand.*tr.9.d.6.q.1.*& alij.

311 Auctoris placitum. Profecto dupliciter intelligi potest, vt consensus implicitus in copulam desideretur ad verum matrimonium. Primo, loquendo de consensu implicito quantum ex parte contractus; & hoc modo verissimum est eum desiderari;cũ enim contractus matrimonij intrinsece ordinetur ad copulam: qui explicite consentit in illum consequẽter in hanc implicitè ex vi huiusmodi contractus consentit. Secundo potest intelligi consensus in copulam ex parte contrahentis,& hoc pacto nõ est necessarius,consensus implicitus in copulam: imò licèt contrahens gerat intentionem non consentiendi in copulam,est verum matrimonium.Hinc D.Thomas *in 4.dist.30.q.2.a.1.quæstiunc.2.*de Deiparæ consensu profatur:*Virgo implicitè consensit in copulam:at copula nunquam fuit in proposito:erat enim à Deo certificata, nunquam subsequi debere.* Et qualiter ex parte contractus ponit consensum implicitum in copulam,non verò ex parte contrahentis,sed oppositum animum.In radice igitur & in causa habuit consensum ad copulam consẽtiendo in matrimoniũ quod de se ad eam ordinatur; attamen nec absolutè,nec sub conditione, si Ioseph petiisset, consensit actu expresse in copulam, quia superuacaneus erat actus ille conditionalis, cum esset certa ex diuina reuelatione Iosephum minimè petiturum.

DVBIVM LIV.

An necessarium sit, aliqua constituere bona, quibus matrimonium excusetur.

312 Necessarium non est. NEcessariũ non est excusare matrimoniũ ex triplici bono nẽpe ex bono fidei, Sacramen

menti. Quia res ex se bona excusatione non indiget, sed ea sola, quæ indifferens est; cum enim ex se nec bona, nec mala sit, indiget aliquibus circumstantiis vestiri, vt determinetur; matrimonium autem ex se est bonum. Sic Scot. *in 4. dist. 31. q. 1.*

313 *Necessarium est.* Necessarium est, matrimonium excusari aliquo seu aliquibus eius bonis. Quia matrimonialis actus de se est indifferens, & ideo eget aliquo bono excusari. Ità Durand. *in 4. dist. 31. q. 1. a. 1.*

314 *Hactenus & expono.* Certè quamvis status matrimonij de se sit licitus, affert tamen secum aliqua detrimenta, nempe perpetuam seruitutem, iuxtà illud Apostoli 1. *Cor. 7. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem*: & in ipso matrimoniali actu tantam voluptatem, vt mentem omninò absorbeat: & nimiam placendi alteri coniugi solicitudinem habendi liberos, illos educandi, illisque diuitia acquirendi, quam Apostolus *ibi* mentis diuisionem appellat. At seruitutis detrimentum compensatur bono Sacramenti, quod inuenitur in matrimonio, quo coniuges diligunt se, sicut Christus Dominus Ecclesiam dilexit gratiamque recipiunt, qua facilius vinculum perpetuum valeant tolerare. Obturatio illa mentis compensatur bono Prolis, quæ generatur, ac educatur ad diuinum obsequium: & licet non semper ea sequatur, saluatur autem semper in ipso fine intrinseco, ad quem matrimonium dirigitur. Nimia verò solicitudo placendi coniugi &c. compensatur bono fidei, seu fidelitatis, quo coniuges sibi mutuo obligantur, ad reddendum debitum corpusque cuicumque alij negandum. Verum hæc bona non adueniunt matrimonio ab extrinseco, sed sunt de matrimonij ratione; quare non indiget eis, quasi quibusdam extrinsecis, ad illud honestandum adminiculis: sed quasi causantibus in ipso extrinsece honestatem; nam bonum Prolis, & fidei, id est, vt ordinetur ad prolem, ac mutuam fidem seruandam, sitque vinculum indissolubile, ex sua habet natura; & vt sit Sacramentum habet in quantum est Christo Domino ad hoc eleuatum.

DVBIVM LV.

An quando intentio contra triplex præfatum matrimonij bonum non deducitur in pactum, sed mente retinetur, illud irritet.

315 *Quæstionis statum explico.* NOn disputo, quando huiusmodi intentio in pactū deducitur, sed mente solummodo retinetur, (de illa enim quæstione alibi) præsens verò quæstio est, quando coniuges intendunt contrahere non in perpetuum, sed ad tempus, quod est excludere bonum Sacramenti, id est, vitam indiuiduam: vel intendunt non generare, nec educare prolem, sed sterilitatis venena procurare, vel negare sibi inuicem corpus, aliisque concedere, quod bono fidei aduersatur. An huiusmodi intentione matrimonium irritetur?

316 *Illud irritat.* Irritat planè. Quia ad matrimonium necessarius est consensus saltem implicitus in ea, quæ sunt de eius essentia: sed tria præfata bona sunt essentialia matrimonio saltem in suis principiis, teste D. Tho. *in 4. dist. 31. q. 1. a. 3.* ergo excludens consensus illa per intentionem contrariam annullat matrimonium. Sic Richard. *in 4. dist. 31. a. 2. q. 1.* Vualdens, *de Sacram. cap. 131.* Petr. de Soto *lect. 26. de matr.* Henriq. *l. 11. c. 12. n. 7.* Angel. *v. Matrimonium 2. nu. 23.*

317 *Illud non irritat.* Matrimonium non irritat. Quia ad matrimonium constituendum consensus internus & signa externa desiderantur, & neque consensus sine signis neque signa sine consensu aliquid operantur: Ergo quæcumque conditio nullo signo expressa sed sola mente retenta, nihil ad irritandum operatur. Ità Rosel. *v. Matrimonium 3. num. 11.* Syluest. *ibi*, 4. *quæst. 5. & 6.* Abbas *Cap. Commissum, num. 2. de sponsal.* Alexan. de Neuo *ibi num. 5.* Præpositi. *n. 4.* & aliqui Theologi penès Petr. de Ledes. *de matr. q. 48. a. 2. dub. 1.*

318 *Auctoris expositio.* Ego existimo, contrahentem matrimonium debere saltem implicitè intendere bonum Sacramenti: quod quidem euenit, quando contrariam non gerit intentionem: non tamen esse opus, vt implicitè intendat alia matrimonij bona. Vnde si haberet animum etiam corde retentum aduersum Sacramenti bono, verbi gratiâ, si intenderet non contrahere matrimonium nisi ad tempus, non esset verum matrimonium. Quia de ratione matrimonij est, vinculum esse perpetuū. At si haberet intentionem aduersam alij duobus matrimonij bonis corde solo retentam nec in pactum deductam, valeret vtique, v. gr. si intenderet vitare prolem, & habitā non educere, negare debitū & adulterari. Quia ea intentio nil attinens ad contractus substantiam aufert: nam si ille velit absolute contrahere, obligatur ex vi contractus, ad non agendum aliquid contra huiusmodi bona, non obstante sua praua intentione. Mecum Sanchez *l. 2. d. 29. n. 11.*

DVBIVM LVI.

An Peccatum sit matrimonium contrahere ex fine vitandi fornicationem principaliter.

319 *Peccatum veniale esse.* PEccatum veniale. Quia peruersio est, non ordinare rem ad eum finem, ad quem primario est instituta: at quia leuis est abusio culpam venialem non excedit. Sic Petr. de Soto *lect. 16. de matr.* Magist. *in 4. dist. 41. c. 4.* Scot. *dist. 25. q. vni.* Mayron. *dist. 26. quæst. 1.* Sylui. *in 3. part. quæst. 49. a. 6.* Sanch. *l. 2. d. 29. n. 21.*

320 *Peccatum veniale non est.* Nec peccatum veniale est. Quia nullo ex capite constare potest esse malum, matrimonium contrahere ob fornicationem vitandam, cum Palaus i. *Cor. 1.* profertur: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum.* Ità Basil. *l. 1. cap. 21. n. 4.* Hutad. *d. 4. diffic. 3. 9.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 219.* Palaus *d. 2. pu. 10. n. 1.* Coninch. *d. 15. dub. 2. concl. 3.*

321 *Sub distinctione respondeo.* Ego quidem, reor, peccatum esse veniale, matrimonium inire in ordine copulam principaliter fornicationē vitandā; si contrahentes sint tales, vt secundū communem spem possint habere

habere prolem,& in hoc casu vera est sententia prima ; quia contrà rationis ordinem præponitur secundarius matrimonij finis primario. Si verò non possint iuxta communem spem prolem generare, nulla est culpa : & in hoc casu veram secundam partem iudico;quia quando finis primarius est impossibilis,licitum est,secundarium eligere; non enim intendi potest id quod est impossibile. Et quia aliàs senes generationi inepti, semper, contrahendo, delinquerent.

DVBIVM LVII.

An sit veniale piaculum, matrimonium inire ob pulchritudinem vel diuitias.

322 *Veniale peccatum esse.* SCio,Angelum *verb. Matrimonium* 2. *num.* 25.& Couarruu. *part.* 1. *Decretal. cap.* 1. *numer.* 5. asseruisse,lethale esse peccatum;quorum sententiam nulla probabilitate niti existimo. An verò veniale piaculum sit,requiro? Veniale peccatum est. Quia inordinatio est, leuis quidem, vti Sacramento ad finem ad quem non est institutum, Sic Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 11. *quæst.* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. *articul.* 3. *numer.* 24. D. Antonin. *part.* 3. *titul.* 1. *cap.* 19. § 9. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 2. Medi. Petr. de Soto, Petr. de Ledes. Manu. Sylues. Nauar. & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *d.* 29. *num.* 21. Layman. *lib.* 9. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 2. & 3.

323 *Non est peccatum veniale.* Veniale non est,contrahere coniugium ob pulchritudinem,vel diuitias, vel alios fines in se honestos,licet matrimonio extraneos, quãvis nulla alia causa contrahendi sit. Quia cum finis in se honestus sit,non vitiat opus. Ità Sotus *in* 4. *dist.* 30. *quæstion.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Plaza *de delitiis lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 34. Maior. *dist.* 26. *quæstion.* 3.

324 *Quando sit quando non sit peccatum expono.* Ego quidem reor,veniale esse,si contrahentes actu,vel habitu ex animi dispositione alios matrimonij fines excludant:quo ex capite primam sententiam esse veram existimo; nullum autem esse peccatum, si alios non excludant matrimonij fines. Crediderim verò sic contrahentes non habere pulchritudinem,diuitias,& reliqua huiusmodi pro fine totali matrimonij; sed solùm moueri ab ipsis, tanquam à causa impulsiua, in quam expressè fertur : implicitè autem in ipsos fines operis, & contractus ; in quo quidem nullam reperio inordinationem. Mecum Basil. *lib.* 9. *cap.* 21. *num.* 13. & Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 216.

DVBIVM LVIII.

An qui ficto consensu matrimonium contraxit : Teneatur cum eadem sponsa denuò vero contrahere consensu.

325 *Non tenetur.* DEcepit quis fœminam, simulans se verum exprimere consensum: non tenetur cum eadem vero contrahere consensu, sed potest ad veras transire nuptias. Quia coniugium fuit nullum ex consensus defectu. Sic Martin. de Ledes. *part.* 4. *quæst.* 47. *artic.* 4. Hostien. D. Antonin. & Tabien. relati à Thoma Sanchez *lib.* 1. *d.* 11. *num.* 5. fauens quidem huic sententiæ,dum ait,non teneri denuò contrahere,nisi casu,quo fœminæ graue aliquod damnum sequatur. Layman. *lib.* 9. *tractat.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. Villalob. *tractat.* 13, *diffic.* 8. *num.* 2. Hurtad. *d.* 3. *diffic.* 9. Probabilem esse hanc sententiam fatentur. Victor. *num.* 252. & Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 247.

Teneturquidem denuò cum eadem contrahere vero consensu. Quià ex opposita sententia latissima viris sceleratis via ad decipiendas fœminas aperitur. Ità Petr. de Ledes. *quæstion.* 45. *art.* 4. *dub.* 1. Basil. *lib.* 2. *cap.* 5. Petr. Soto *lect.* 3. *de matrim.* Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. Leand. *tr.* 9. *d.* 6. *qu.* 18. 326 *Teneturplanè.*

Existimo ad id teneri ex fidelitate, imò & ex iustitia,ac ratione damni, etiamsi sponsam non cognouerit sintque disparis conditionis: nec posse absolui donec verè contrahat. Quod verum esse reor,etiamsi decepta non sit virgo, dummodò ipsa non se Virginem esse finxerit. Vndè oppositam sententiam parum habere probabilitatis iudico. 327 *Hoc mihi certum.*

DVBIVM LIX.

An signa externa consensus interni expressiua sint, de essentia ipsius contractus matrimonij.

QVidquid Vuicleph (quem latè impugnat Vbalden. *de Sacrament. cap.* 132.) dicat, certum est inter Catholicos, non satis esse consensum internum, sed oportere verbis,vel signis exponi. Quia si consideretur matrimonium, vt est contractus, cum celebretur inter homines interiora cordis ignorantes, petit signo externo internum aperiri consensum ; si autem vt est Sacramentum, de ratione Sacramenti est,esse signum sensibile. Quæsierim itaque,an externa signa solùm se habeant ad constituendum matrimonium tanquam conditio sine qua non,quasi per illa innotescant mutui consensus, & ità si eos Deus contrahentibus reuelaret,esset matrimonium sine aliquo signo externo? 328 *Nonnihil suppono.*

Esset matrimonium. Quia quando contrahitur inter absentes per procuratorem expressio consensuum absentium facta per ipsum,est tantùm conditio sine qua non ; per eam enim innotescit voluntas absentium : Ergò similiter quando contrahitur inter præsentes, expressio consensuum erit conditio, sine qua non, vt vtrique constet mutua voluntas ; & subindè constante per Dei reuelationem,erit matrimonium. Sic Maioris *in* 4. *dist.* 26. *quæstion.* 1. *ad* 3. & Veracr. *part.* 1. *spec. artic.* 3. probabile esse affirmat. 329 *Non sunt externa signa de matrimonij essentia.*

Matrimonium non erit, vel Deo reuelante vtrique mutuos consensus, Quia in matrimonio est exterior corporum traditio:sed hæc fieri nõ potest per actus internos:ergò. Minorem probo,quia votum internum non est traditio nec professio,non ob aliud,nisi quia ad perfe- 330 *Sunt de essentia matrimonij.*

ctam traditionem requiritur perfectus actus humanus constans interno, ac externo consensu. Ità Sanchez *lib.2.d.30.num.3* citans Almain. Victor. Sotum. Ledes. & alios. Basil. *lib.2. cap.6. num.3.* Coninch *d.24.dub.8.* Hurtad. *d.3. diffic. 12.numer.46.* Bassæ. *verb. Matrimonium 3. num. 5.* Palaus *d.2 punct.7.num.1.*

331 *Eiusdem mentis sum.* Cum his opinor; quia matrimonium vt est Sacramentum, necessariò, & intrinsecè est sensibile signum, ea enim est Sacramenti definitio: ergò, & vt est contractus; nam Christus Dominus non mutauit Sacramenti matrimonij, vt est contractus naturam, sed ad Sacramenti esse eleuauit.

DVBIVM LX.

An ad consensum matrimonialem exprimendum sint necessaria verba: & sufficiant signa in potentibus loqui.

332 *Non sufficiunt signa, sed necessaria sunt verba.* NOn sufficiunt signa, sed necessaria sunt verba. Quia nullum Sacramentum conferri absque verbis potest. Sic absolutè Canus, Esti. Caiet. & alij, quos refert Leand. *tract.9.d.2. quæst.15.* In potentibus autem loqui necessaria esse verba, probatur. Quia licèt stando iuri naturali, validum esset matrimonium hoc, sicut est validum in mutis: at iure Ecclesiastico est irritum. *Cap. Tuæ, de sponsal.* ibi: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum consensum: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia: nam surdi, & muti possunt contrahere sine verbis: & pueri ante annos legitimos per verba non contrahunt, cum intelligantur, minimè consentire.* Vbi pondero, verba esse necessaria, quoad Ecclesiam, id est, iure Ecclesiastico. At quod necessarium est, formam importat: si ergò textus requirit verba pro forma, quamvis signa verbis æquipolleant, non sufficient, quia forma per æquipollens impleri non potest. Sic Richard. *in 4.dist.27. art.1. q.7.* & plusquam viginti Doctores, quos refert Sanch. *lib.2.d.31.num.2.*

333 *Signa sufficiunt.* In quolibet contrahente signa sufficiunt, nec necessaria sunt verba. Quia Christus Dominus noluit materiam, & formam huius Sacramenti magis determinare, quàm ad rationem contractus esset necessarium: id enim satis erat ad huius Sacramenti significationem: sed ad rationem contractus satis est, vt mutua contrahentium voluntas signis manifestetur: ergò. Ità D. Thom. *in 4.dist.27.quæst.1. artic.2.* Sanch. *lib.2. d. 31.* citans viginti quinque Doctores Theologos, & plusquam quadraginta Iurisprudentes. Vasq. *d.3. de matrimon. cap. 7.* Gutier. *cap.46. num.10.* Coninch *d.24. dub. 8.* Pontius *libr.2. capit. 7. numer. 5.* Hurtad. *d.3. diffic. 9.*

334 *Non esse necessaria verba, existimo.* Existimo, haud esse necessaria verba in matrimonio, vel iure naturali, aut ex ipsius contractus natura, cum hic non repugnet per nutus, signa, vel Epistolam fieri; nec ex Christi institutione; cum nihil circà contractus naturam innouauerit; nec ex iure Ecclesiastico: cum nullum extet, quod verba præscribat. Nam textus pro prima sententia allatus potius secundam confirmare videtur: consultus enim ibi Pontifex, an verba sint necessaria ad matrimonium? Respondet, solùm legitimum requiri consensum: & non intelligit de consensu interno, (vt vidimus præcedenti Dubio. Sed de consensu explicito, vel signis. Quod manifestè probatur ex particula, *Nam & mutus*, assignans enim ibi rationem ad comprobandum solùm consensum satis esse, sic ait: *Nam & mutus sine verbis potest contrahere.* Si enim non intellexisset, solùm consensum verbis, vel signis explicitum sufficere, illa particula non benè præcedentibus correspondet, nulliúsque rei rationem redderet. Nec obstat, Pontificem addidisse, verba esse necessaria *quoad Ecclesiam*; quia non credendum est statim Pontificem se correxisse, iuxtà *l. Nam ad ea, ff. de condit. & demonstrat.* eo vel maximè, quia non dixit absolutè, esse necessaria verba; *sed quoad Ecclesiam*, hoc est, quoad faciliorem probationem in externo Ecclesiæ foro.

DVBIVM LXI.

An Matrimonium solis nutibus contractum sit Sacramentum?

335 *Non est Sacramentum.* SAcramentum non est. Quia Florentinum *in decreto de Sacrament.* docet, omnia Sacramenta constare rebus, & verbis. Et quia aliàs absolutio, & Baptismus possent solis signis celebrari. Sic D. Thom. *in 4. dist.1. quæst.1. art.3. argum.5. iuncta solutione.* Scot. *in 4.dist.26.q vni. litter. L*, Cano. *lib. 8. de locis capite 5. ad 3.*

336 *Sacramentū est.* Est Sacramentum. Quia omne matrimonium fidelium si verum est, Sacramentum esse debet. Ità Sanch. *lib.2.d.11. num.27. num.8.* Henriq. *lib.11.cap.1.num.6.lit.N*, dicens esse commune omnium Theologorum, & Iurisperitorum. Manuel *tom.1.cap.216.num.5.*

337 *Hoc prorsus tenendum.* Hoc prorsus tenendum, & adducta in contrarium vrgere non iudico; quia Florentinum intelligit constare omnia Sacramenta verbis, vel aliquo gerenti vicem verborum, vt sunt signa in matrimonio: vndè ipsummet Concilium loquens de matrimonio, dixit, *regulariter* verbis constare, ad innuendum, non semper verba requiri. Nec est simile de aliis Sacramentis, quia matrimonium est contractus, de cuius natura est, vt valeat etiam nutibus celebrari.

DVBIVM LXII.

An verba in matrimonio sint de præcepti necessitate.

338 *Sunt de necessitate præcepti.* SVnt quidem. Quia hoc præceptum statuitur *Cap. Si inter, de sponsal.* & *Cap. Licet. de sponsa duorum*, ibi: *Si inter virum, & vxorem legitimus consensus interfuerit, ita quod vnus alterum verbis consuetis recipiat.* Sic Petr. de Ledes. *de matrim.q.45.art.2.concl.1.* Manu. *tom.1.sum.cap. 216.num.5.* Henriq *lib.11.cap.2. num.6.* docens aliquomodo esse de Ecclesiæ præcepto, fatetur tamen solū veniale esse signis contrahere. Petr. de Ledes. idem fatetur, (quia res est leuis) *concl.3.*

De

339 Non sunt. De præcepto non sunt. Quia testes citati id non probant; solùm enim narrant factum, & ex implicatiuè loquuntur. Ità Præpositi. *Cap. Tue, num* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Veracr. Palati. Barthol. de Ledes. quos sequitur Sanch. *libr.* 2. *d.* 31. *numer.* 10. Basil. *libr.* 1. *cap.* 7. *numer.* 14. Palaus *d.* 2. *punct.* 7. *numer.* 5.

340 Idem existimo, adhuc esse venialem, verbis consensum non exprimere. Mihi quidem multo certius est, nullum esse circà hoc Ecclesiæ præceptum. Fateor tamen culpam esse venialem, non exprimere verbis, sed solis signis consensum, nisi iusta causa excusaret. Quia à recta ratione alienum est, in hoc grauissimo contractu non exprimere consensum commodiori modo possibili: verba autem melius, & clarius, quàm signa consensus exponunt. Profectò si consensus redderetur dubius eo quod externa signa sufficienter eum non exprimerent, vndè scandalum, litésque oriri possent, mortale esset, verba non adhibere, qui loqui potest.

DVBIVM LXIII.

An necessarium sit vtriúsque coniugis consensum simul absque temporis interuallo præstari.

341 Necessarium est. NEcessarium est. Quia in aliis Sacramentis simultas materiæ, ac formæ requiritur: cõsensus autem verbis explicitis sunt materia & forma huius Sacramenti: ergò. Sic Speculator *titul. de sponsal.* §. 1. *num.* 5. Ioan. Andre. Anton. Neuo, & alij, quos refert Sanch. *lib.* 2. *d.* 32. *numer.* 2.

342 Non est necessarium. Non est necessarium, sed satis est, temporis intercedente mora, consensus ab vtróque præstari, modo consensus prioris coniugis reuocatus non sit. Quia in omni contractu satis est consensus diuerso tempore adhiberi, *l.* 1. §. 1. *ff. de verborum obligation.* & constat in omnibus contractibus per nuncium, literas vel procuratorem initis: Deus autem matrimonium instituens in Sacramenti esse, contractus naturam minimè immutauit. Ità D. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *qu. vni. art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. Richar. *art.* 1. *q.* 3. Maior. *dist.* 27. *qu.* 1. Sotus *qu.* 1. *art.* 3. Henriqu. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. Petr. de Ledes. *qu.* 45. *art.* 3. *dub.* 2. Sanchez *citat. numer.* 3. multos ex Iurisperitis memorans. Ochagau. *tractat.* 12. *qu.* 9. *num.* 6.

343 Hoc multo probabilius existimo. Hoc multo probabilius existimo videns, matrimonium per literas, vel procuratorem valide contrahi, & tamen consensus simul non præstari. Quod quidem etiam in Sacramento Pœnitentiæ reperio, vbi audita confessione, potest multo tempore absolutio differri.

DVBIVM LXIV.

An satis sit alterum coniugem præstare consensum, quocúmque temporis spatio intercedente.

344 Est satis. ESt satis. Quià tandiù dicitur prior in consensu persistere, quandiù non reuocat. Sic Maior. *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 1. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 80.

345 Satis non est. Satis non est, sed requiritur simultas moralis itavt magnum interuallum inter vnius & alterius consensum non distet. Quia in aliis etiam contractibus per longi temporis lapsum hæc voluntas non manet virtute, sed reuocatur, *lib.* 1. §. 1. *ff. de verborum obligation.* ibi: *Interuallum medij temporis modicum, non vitiauit obligationem*: vitiaret autem, (ac si diceret) si immodicum esset. Ità Sanchez *lib.* 2. *d.* 32. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæstion.* 1. *art.* 3. Henriq. *lib.* 11. *capite* 3. *numero* 6. Ludouic. Lopez *part.* 2. *instr. de matrimon. cap.* 29. Vega *lib.* 3. *sum. casu* 75. & alij com nuniter.

346 Idem censeo. Idem censeo. At si requiras, quandonam defectu huiusce modi moralis simultatis matrimonium non valeat? Respondeo, Sotum, & Ludouic. Lopez docuisse non esse tutum, si septennium intercedat. Henriquez quando intercedit biennium, asserit, non esse matrimonium, Barthol. à Ledes. quando intercedit annus, idem affirmat *dub.* 17. Aptius id cum Petro de Ledes. prudentis arbitrio, attentis particularibus circumstantiis, reliquerim. Certè priorem sententiam veram esse iudico, dum matrimonium contrahitur per procuratorem; quia in eo quod procurator non reuocatus facit, quantumcúmque tempus medium intercedat, manet virtute consensus illius, qui procuratorem constituit.

DVBIVM LXV.

An quando consensus alterius fuit minus legitimus, quia fuit fictus, vel metu extortus: satis sit, (vt matrimonium valere incipiat) hunc denuò consentire.

347 Satis non est. NOn est satis, sed requiritur, vt vtérque denuò consentiat. Quia cum matrimonium claudicare non possit, deficiente vnius consensu, est prorsus itritum, & quasi prorsus contractum minimè esset quo casu manifestum est, vtriúsque consensum requiri. Sic Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub.* 19. Felin. referens Antonium, & Ancharanum *Cap. Ex parte Decani, de rescrip. num.* 11. *ampliat.* 4. Palaci. *in* 4. *dist.* 27. *d.* 1.

348 Est satis. Est satis, vt ille, qui minus legitimè consenserat, denuò consensum exhibeat, dum alter suum non reuocarit. Quia cum consensus alterius validus de se fuerit, ac sufficiens ad matrimonium, nec reuocatus: iam ex parte huius consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui fictè vel ex metu consensit: Ergò hoc accedente, coniugium conualescit. Ità D. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *quæst. vni. articul.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. D. Bonauent. *ibi. quæstiunc.* 2. *numer.* 13. Paludan. *quæstion.* 1. *articul.* 4. *numer.* 23. Richar. *articul.* 2. *quæstion.* 1. D. Antonin. *part.* 3. *titul.* 1. *cap.* 7. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 5. Palaci. *in* 4. *dist.* 29. *d.* 1. Nauar. *sum. cap.* 22. *numer.* 51. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 208. *num.* 7. Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *quæstion.* 2. *dilo* 6. Sanchez *libr.* 2. *d.* 32. *n.* 9.

Hæius

349 *Idem asſero.* Huiusmodi mentis; quia si fictè, vel metu consentiens nullum omninò tunc præstitisset consensum, sed spatio temporis interiecto, manente in virtute priori consensu valeret matrimonium, sed qui fictè, aut metu consensit perindè se habet, ac si non consensisset, cum is consensus nullus fuerit: ergò satis est, vt manente in virtute prioris consensu ipse solus consentiat.

DVBIVM LVI.

An ad matrimonium ſufficiat conſenſus, quo conux vtérque annuit, falſo exiſtimans, impedimentum dirimens ſubeſſe.

350 *Quæſtionis ſtatum expono.* VErsatur quæstio, quando adest error facti, iurisque scientia, quia coniuges falsò credebant adesse impedimentum, & existimabant, eo stante, non posse consistere matrimonium; si enim erraren etiam in iure, omnes fatentur verum matrimonium esse; quia non deficit consensus. Verum ratio dubitandi est, quia non apparet qualiter veram intentionem ineundi matrimonium habeant, qui illud sibi impossibile esse putant.

351 *Non ſufficit hic conſenſus.* Certè hic consensus minimè sufficit. Quia voluntas non potest in impossibile ferri, vt iuris conscius qui Sacerdos non est, nequit intendere consecrare. Sic Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *quæstion.* 13. *dicto* 5. Angel. *verb. Matrimonium* 3. *impedim.* 13. *num.* 5. Armil. *ibi. num.* 44. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 56. Sotus *in* 4. *diſt.* 37. *qu. vni. art.* 5. *concl.* Vega *lib.* 2. *sum. caſu* 281. Ludou. Lopez *part.* 2. *inſtr. de matrimon. capite* 49. & 55.

352 *Sufficit planè.* Sufficit planè, si contrahentes intendant, quantum in ipsis est, consentire. Quia hæ personæ sunt re vera habiles ad contrahendum, & intendunt, quatenus possunt, contrahere: Ergò verè contrahunt. Et quia stante hoc errore, est possibilis consensus, vt constat ex *Cap.* 1. *de ſponſal. in* 6. vbi dicitur, ex sponsalibus ratione consanguinitatis, vel alterius impedimenti nullis, oriri publicam honestatem, modo adsit consensus: Ergò supponit textus, possibilem esse consensum cum impedimento dirimenti. Ità Rosel. *verb. Impedimentum, imped.* 12. Tabie. *imped.* 10. Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 2. D. Antonin. *part.* 3. *titul.* 1. *cap.* 9. Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub.* 52. *concl.* 3. Petr. de Ledes. *quæſtion.* 55. *art.* 9. *Dub.* 2. Sanch. *libr.* 2. *d.* 33. *num.* 2. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 11. *num.* 5. Manu. *tom.* 1. *ſum. cap.* 233. *num.* 3. quamvis hic & Henriquez loquuntur, quando dubitant contrahentes de morte prioris viri.

353 *Hanc partem probabiliorem reor.* Hanc partem probabiliorem reor; quia si hæreticus (exempli gratiâ,) credat Baptismum esse rem irriſoriam, nihilque valere, verè baptizat, si verè gerere intendat, quod potest, & intendit Ecclesia: vnde cùm errore valoris Baptismi est compossibilis consensus: Ergò similiter in nostro casu, quamvis hi errent, credendo non valere matrimonium, possunt habere legitimum consensum, eúmque habent, si intendant agere quod possunt, & intendit Ecclesia.

DVBIVM LVII.

An ſatis ſit ad matrimonium conſenſus; quo aliqui ex errore putantes aliquod matrimonium per ipſos contractum eſſe validum, denuò in illud conſentiant.

354 *Satis eſt.* SAtis quidem est, & nouo illo consensu conualescit matrimonium, vt si quis fictè consensit in matrimonium, & audiens à Confessario, vel viris doctis valuisse, idque credens denuò consentiat. Quia hic error, nec est personæ, nec conditionis, qui solùm matrimonium annullat, sed est error iuris, quo hic putat se cum illa vxore esse illigatum. Sic Tabie. *verb. Matrimonium* 2. *quæstion.* 7. *numer.* 8. Supplem. Gabri. *in* 4. *diſt.* 29. *qu.* 1. *art.* 3. *dub.* 3. Victor. *relect. de matrimon. part.* 1. *numer.* 10. & Ledes. 2. *part.* 4. *quæstion.* 45. *articul.* 1. asserunt, posse probabiliter disputari.

355 *Satis non eſt.* Satis non est, nec nouo illo consensu ex errore profecto conualescit matrimonium. Quia nil tàm contrarium consensui, quam error, *l. ſi per errorem. ff. de iuriſdict. omni. iudic.* errórque hic ad personæ errorem reducitur, vt probat Sanch. *lib* 2. *d.* 36. *num.* 3. Ità ipse *d.* 34. *num.* 2. Rosel. *verb. Matrimon.* 4. *num.* 4. & 5. Angel. *ibi*, 2. *num.* 17. Sylvest. *ibi* 5. *quæstion.* 10. Victor. *relect. de matrimon. part.* 1. *num.* 10. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 76. Veracr. *part.* 1. *ſpecu. articul.* 29. Palaci. *in* 4. *diſt.* 28. *d.* 1. Henriqu. *lib.* 11. *cap.* 9. *numer.* 7.

356 *Idem affirmo.* Idem affirmo; qui huiusmodi error ad personæ errorem proculdubio reducitur: putat enim coniux consentire in suam, cum re vera sua non sit. Certè (vt dixi) nihil magis contrarium consensui, quam error.

DVBIVM LVIII.

An ad ratificandum matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens impetrata impedimenti diſpenſatione, vel eo ceſſante, exigatur, vtriúſque coniugis conſenſum renouari.

357 *Non exigitur.* NOn exigitur, vtriúsque coniugis innouari consensum, sed sufficit vt sciens impedimentum coniux innouet. Quia antiquus consensus censetur durare, dum reuocatus non est: qua ratione Sanchez *d.* 32. *num.* 9. asseruit, fictè consentientem posse solo suo consensu matrimonium ratificare. Sic Lignado apud Præpos. *Cap. Cum in Apoſtolica, de ſponſal.* & aliqui Doctores, quos refert Sanchez *libr.* 2. *d.* 36. *num.* 2. profantes contrahentem ignoranter cum serua, si post manumissionem illius inscius eam cognoscat affectu vxorio, prius matrimonium perficere, eo quod prior consensus in serua perduret: vndè censent, sublato impedimento, non oportere, vtriúsque renouari consensum.

358 *Exigitur plane.* Exigitur, vtriúsque coniugis consensum innouari. Quia cum prior consensus fuerit omninò ex parte vtriúsque inualidus, eo quod super illegitimam, & inhabilem decideret materiam, denuò vtérque renouandus est: nec durare potest cõsensus, qui nullus omninò fuit. Ità Sanch. *d.* 35.

d.35.num.2.cum D.Thom.*in 4.dist.40. qu.vni. art.4.ad 6.*Scot.*dist.35.qu.vni.*Richard.*dist.40. art.1.qu.6.*Caiet.*Opusc.tom.1.tract.12. quæst.2.* Sotus *in 4.dist.27.qu.1.art.3.*Palat.*dist.30.qu.1.* Henriqu.*lib.11.cap.1.num.7.*Aragon.*2.2.q.33. art.6.concl.3.*Manu. *tom. 1.sum. cap. 220. numer. 2.*

359 *Hæc tenendum.* Hoc tenendum omninò reor; quia cum permanentia existentiâ supponat, consensus qui nunquam extitit, nequit permanere.

DVBIVM LIX.

An ad matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, ratificandum (cessante impedimento) necessum sit alterum coniugem de nullitate prioris matrimonij certiorem facere.

360 *Nullum matrimonium per alterum fit ratum.* TOta difficultas est, quandò impedimentum non est error conditionis, vel personæ, aut si fuit conditionis, cessauit iam seruitus. Certè coniux impedimenti conscius, impedimento cessante, vel dispensatione obtentâ, necessariò non debet alteri aperire, irritum fuisse matrimonium: sed satis est, si cautè curet, vtriúsque consensum renouari, verbi gratiâ, dissimulanter petendo ab altero, vt pro sua consolatione ipsum habeat in coniugem: & ipso similiter dicente: ego quoque te in coniugem recipere gestio. Probatur, quia prius matrimonium licèt inualidum, habet tamen quandam matrimonij effigiem, & ità faciliùs conualescit. Et quia, impedimento ablato sunt hi habiles ad contrahendum: ergò cum consentiant in matrimonium, illud erit legitimum. Sic Angel.*verb. Matrimonium 3. impedim. 4. num.10.* Caiet.*Opusc. tom.1.tract.12.qu.2. & in sum.verb. Matrimonium.titul. Contractus matrimonij potest reddi ex septem capitibus vitiosus.* Sotus *in 4.dist.28.qu.1.articul.2.concl.3.casu 1.* Veract.*part.1.spec.articul.44.concl.3.* Ludouic. Lopez *part.1. Instruct. cap. 39.* Henriq.*lib.11. cap.3.numer.6.* Manu. *tom. 1.sum. cap. 220. num.1.*

361 *Necessarium ignarum monendum est coniugem.* Necessarium est, vt id matrimonium conualescat, coniugem impedimenti ignarum certiorem fieri de prioris matrimonij nullitate. Quia nihil magis contrarium consensui, quam error, *l.Si per errorem.ff.de iurisdict. omn. iudic.* & *l.Nihil consensui.ff.de regulis iuris.* Sed hic ex errore, quo putat, hanc esse suam, in illam consentit: Ergo verè non consentit. Et quia ignorantia causa est inuoluntarij, etiamsi non sit error personæ, vt si credam me dare decem, vel pauperi, cum tamen dem viginti, & diuiti: & ità in his casibus dominij translatio impedietur: Ergò similiter in nostro cum hic nouus consensus ex ignorantia procedat. Ità Richar. *in 4.dist.40.art.1.quæstion.6.* Supplem. Gabriel. *dist.35.quæstion.1.articul.1.concl.3.* Sylvest. *verb. Matrimonium 8.quæstion.2.dicto 2.* Tabie. *verb. Impedimentum impedim.1.quæstion.12.num.13.* Sanch. *lib.2.d.36.num.3.* plures ex Iurisperitis, ac Theologis afferens.

362 *Hæc longè probabilior videtur.* Ego quidem multo probabiliorem hanc sententiam esse reor, quam adhuc confirmo, Quia inualidè professus, vel voto inualido illigatus, nihil agit, si ex errore putans, professionem, ac votum valere, denuò profiteatur, aut voueat: nec sponsalia inualida ratificantur mutua habitatione, nisi adsit scientia eorum nullitatis, (vt doctè Sanchez *lib.1.d.16. numer.7.*) Quorum ea est ratio quòd error, quo ille putat, priorem actum valuisse, posteriorem consensum inuoluntarium reddit ex eo manantem: Ergò à fortiori idem error annullabit matrimonium, quod summam expetit libertatem *Cap. Cum locum. de sponsal.*

DVBIVM LX.

An Matrimonium coram Parocho, ac testibus initum inualidum fuit ob occultum impedimentum, impedimento ablato, iterum sit coram Parocho, ac testibus celebrandum mutui consensus expressione.

363 *Celebrandum iterum coram Parocho, ac testibus.* ITerùm coram Parocho, & testibus celebrandum est. Quia prius fuit nullum: Ergò perindè celebrandum est coram Parocho, ac testibus, ac si nunquam fuisset initum. Tridentinum enim exigit pro forma præsentiam Parochi, & testium: Igitur ea requiritur, quandò denuò coniugium celebratur, cum tunc verè contractus fiat. Sic Nauar. *lib.4.consil.titul.1.de sponsal.consil.11.* Gutier. *l.1.qq.Canonic.cap.18. num.7.&8.* Palac. *in 4.dist.27 quæstion.1.* Barth. à Ledes. *dub. 17. de matrimon.* & alij.

364 *Non est necessarium, coram Parocho ac testibus celebrari rursum.* Non est necessarium coram Parocho, ac testibus iterùm celebrari: sed satis est, si contrahentes inter se ipsos solos exprimant, seu innouent consensus. Quia ex procemio colligitur legislatorum intentio, & totius decreti ratio, vt docet Tiraquel. *tract.cessante causa, limitat.1.sum. num.65.* Sed id Tridentini decretum in procemio loquitur de clandestinis matrimoniis, quæ semper Ecclesia prohibuit: matrimonium autem semel publicè contractum inualidè propter occultum impedimentum, & eo sublato clàm celebratum, nunquam fuit clandestinum, nec ab Ecclesia prohibitum: ad id enim præcesserat publicitas, quam Ecclesia poscit: Ergò huiusmodi matrimonium minimè à Tridentino irritatur. Ità Sanch. *lib. 2. d. 37. numer. 3.* Nauar. *lib.4.consil.titul.1.de sponsal.consil.14.& in sum.cap.22.num 70.* Henriq. *lib.11. cap.3.numer.6.& lit.L*, docet, id tenuisse consultos Episcopos Couar. Guerre. & Blanco, qui Concilio interfuere: Palac. *in 4.dist.30.d.i.* Petr. de Ledes. *de matrimon.quæstion.45. artic.5. dub.penultim.* asserens sic Cardinales declarasse.

365 *His hæreo Doctoribus.* His hæreo Doctoribus, ratus rationem finalem Tridentini *sess.24.cap.1.* statuentis, vt matrimonium coràm Parocho, ac testibus celebraretur, eam fuisse, (vt constat ex eius procemio,) vt vitentur grauia peccata ex clandestinis nuptiis consurgentia, maximè eorum, qui clàm cum vna contrahunt, eáque relicta, aliud publicum matrimonium ineunt, cui incommodo nequibat Ecclesia mederi, cum ipsi de priori coniugio minimè constaret: sed hæc ratio non se extendit ad casum nostrum, cum prius

matri

matrimonium inualidum in foro Eccleſiæ validum,& publicum fuerit,(eius enim nullitas,& impedimentum occulta ſunt,) &ſubindè ſi aliud matrimonium inire vellent,impedirentur ab Eccleſia credenti,matrimonium illud publicum fuiſſe validum:Ergò Tridentini decretum nunquam hunc caſum comprehendit. Igitur neceſſarium non eſt,rurſus coram Parocho, & teſtibus mutuum conſenſum explicari.

DVBIVM LXI.

An coniux impedimenti conſcius, excuſetur à culpa, reddendo debitum, ad maiora damna vitanda.

366 *Excuſatur à culpa reddendo.*

COniux impedimenti occulti conſcius poteſt ne debitum reddere, dum ab Eccleſia compellitur per excommunicationem,vel mortem ſibi timet, ni reddat? Certè ei coniugi reddere licet,à culpáque ob Eccleſiæ præceptum excuſatur. Quia licèt re vera matrimonium non ſit, ex parte tamen alterius matrimonium eſt,& copula licita, excuſante eum ignorantia inuincibili,& ius petendi habet;ergò alter reddens debitum, non conſentit in opus peccati, ſed iniuſtitiæ. Sic Magiſt. *in 4. diſt.* 38. Hugo Victor.*de Sacrament. part.* 11. *cap.* 6. & aliqui recentiores apud Medinam *C.de reſtitut.qu.*19. Gregor. Lopez *libr.* 2. *titul.* 3. *part.* 4. & alij.

367 *A culpa non excuſatur.*

Minimè à culpa excuſatur reddendo debitum.Quia in *Cap.Inquiſitioni, de ſent. excomm.* id apertè præſcribitur.*Credimus reſpondendum, vtrum alter coniux pro certo ſciat impedimentum coniugij,propter quod ſine mortali non valet carnale commertium exercere,quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit. An non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commertium peccatum operari mortale.*Et quia implicat dicere, licere minus peccatum admitti ad cauendum maius; peccatum enim nihil aliud eſt,quam id,quod non licet.Nec valet dicere,deſinere eſſe peccatum in tali euentu;quia licèt hoc verum ſit de peccatis,quæ talia ſunt quia prohibita: at de peccatis,quæ ſuapte natura talia ſunt, & intrinſecè mala,vt eſt fornicatio hoc dici nequit. Ità D. Thom.*in 4.diſt.*27.*queſtion.*1.*artic.*2.*quæſtiunc.* 4.D.Bonauent.*diſt.*38.Durand. *inibi. in expoſit. lit.*Paludan.*diſt.*36.*quæſtion.*2.*articul.*2.*num.*15. Couar. Cordu. Nauar. Ioan. Andr. Roſel. & & plures alij,quos refert,&ſequitur Sanch.*l.*2. *d.*39.*num.*5.

368 *Hanc teneo partem,illam falſam reor.*

Hanc firmiter teneo ſententiam,primam ratus falſiſſimam. Inde námque ſequeretur fornicationem aliquando eſſe licitam,ſcilicet præcipiente Superiore, vel ad vitandum vitæ, vel famæ periculum: quod ſane videtur erroneum, cum ſit intrinſecè mala.Sequelam probo, quia fornicatio eſt acceſſus ad non ſuam:ſed coniux impedimenti conſcius certo ſcit non eſſe ſuam, ad quam accedit:ergo certo ſcit,ſe fornicari.Si ergo accedere licet reddendo debitum, licebit ſubindè eo in caſu fornicari.Hinc moneo, primam ſententiam non ſolùm falſiſſimam eſſe, verùm & in fide valdè periculoſam.

DVBIVM LXII.

An coniux impedimenti conſcius ſi ab Eccleſia excommunicetur, quia debitum negat ſit verè excommunicatus.

VErè excommunicatus eſt.Quia *Cap.Literas,de reſtit.ſpoliato.*id aſſeritur;cum enim dixiſſet textus, per cenſuras compellendum eſſe,dum probat impedimentum,ait: *Donec probationes offerat præparatas, & tunc abſolutione petita, ſecundum formam Eccleſiæ abſoluetur.* Ergò verè excommunionem incurrit,aliàs fruſtrà petenda eſſet abſolutio. Sic Abul. *ad Cap.* 19.*Matth.quæſtion.*72.Paludan.*in 4.diſt.*27.*q.*2. *num.* 37. 369 *Verè eſt excommunicatus.*

Non eſt verè excommunicatus. Quia excommunicatio minime incurritur niſi ob inobedientiam lethalem,quæ prorſus abeſt in hoc caſu.Ità Victor.*in ſum. de matrimon. num.* 264. Ledeſ.2.*part.*4.*quæſtion.*48.*articul.*2. Sanch.*l.*2. *d.*39.*num.*9. 370 *Non eſt verè excommunicatus.*

Hoc certum reor,ſciens,Caput *Literas*,non obſtare; exigit enim abſolutionem pro foro externo, in quo ea excommunicatio valida erat. 381 *Hoc mihi certum.*

DVBIVM LXIII.

An Matrimonio bona fide vtriúſque coniugis inito, alter poſtea dubitat de eius valore: poſsit petere, ac reddere.

QVandò ſcrupulus eſt ex leui, ac temeraria credulitate ortus,poterit depoſito ſcrupulo conſilio ſui Paſtoris petere,& reddere: Habetur expreſsè *Cap.Inquiſitioni,de ſent.excomm.* vbi Gloſſ.*verb.Leui*,inquit:*Vt quia audiuit à lenibus, quibus credere non tenebatur.* Difficultas ergò eſt,an licitum ſit deponere dubium ſpeculatiuum non leui ex temeritate ortum, nec practice dubitare ratione poſſeſſionis, quæ eſt pro matrimonio, & ità petere, & reddere debitum? 372 *Nonnihil præmitto.*

Certè nec petere, nec reddere licet. Quià agere contrà conſcientiam dubiam, illicitum eſt.Sic Scot.*in 4. diſt.*30. *quæſtion.*1.Altiſſiodor. *part.*3.*ſum.tractat.vltim,cap.*2. Adrian. *4.de reſtitut.qu. de præſcript.* §. *Inſtabis.* Petr. de Soto *lect.*2.*de matrimon.*Brunel. *de ſponſal. concl.* 34. *num.*8. 373 *Nec petere, nec reddere licet.*

Licet quidem reddere, & petere. Quia id videtur definire Pius V.*in quodam motu proprio relato* à Veracruz *part.* 3. *ſpecu. argum.*18. Fuit enim Pontifici propoſitum,multos Indos fidem ſuſcipientes manſiſſe adhuc cum vxore vltima nondum certos de prioris obitu,nec eam inuenire potuiſſe:& definit Pontifex, eos in matrimonio cum vltima,quæ fidem ſuſcepit,manſuros eſſe:& poſſe petere,ac reddere. Ergò cum dubius 374 *Licet petere & reddere.*

dubius est matrimonij valor, vtrúmque licet. Ità Ledes. 1. *part.* 4. *qu.* 8. *art.* 4. *dub.* 6. Angles Floribus, *part.* 1. *de matrim. qu.* 11. *de impedim. Ordi. art.* 2. *dub.* 5. & 6. Vega. *libr.* 4. *sum. casu* 74. & alij.

375 *Improbatur vtrumque id-tutiorem, quia tutiam excusat.*

Ego quidem vtrámque sententiam parum, aut nihil probabilitatis continere reor. Vndè dixerim, antè diligentiam adhibitam ad assequendam veritatem teneri coniugem dubitantem reddere, non tamen posse petere: ea tamen sufficienter adhibita posse reddere, ac petere. Prior pars probatur, quia dubitans, an res sit sua, quamvis retinere possit, non tamen potest ea vti, donec inuestiget veritatem: Ergò non potest petere debitum coniux dubitans, quod est matrimonio vti, donec diligentiam adhibeat. Partem aliam ostendo, quia possessor bonæ fidei si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, nequit dubium vincere: potest non tantùm rem detinere, sed illa etiam vti. Ergò coniux dubitans, si præmiserit sufficiens examen, poterit vti matrimonij iure petendo, & reddendo.

DVBIVM LXIV.

An cum vtérque coniux de valore matrimonij bona fide initi dubitat, vtérque licitè reddere possit.

376 *Nec petere, nec reddere.*

COnstat, neutrum posse petere ante præmissum debitum examen, posteà autem, manente eodem dubio, posse. Quæsierim autem, an casu, quo alteruter illicitè petat, teneatur alter, vel possit ei reddere: Potest quidem, & tenetur. Quia in dubio melior est possidentis conditio: vtérque vero in hoc dubio possidet. Sic Cordu. *in sum. qu.* 45. *punct.* 3. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 5. *lit. T*, referens Victoriam, & Canum huius fuisse sententiæ. Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub.* 20 *concl.* 1. Ludouic. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 197. Petr. de Ledes. *de matrim. q.* 45. *articul.* 1.

377 *Nec tenetur nec potest.*

Cum vtérque coniux de valore matrimonij bona fide contracti dubitat illicitè alteri petenti, nec tenetur, nec potest alter reddere, dum ad dubium vincendum, sufficiens non est adhibita diligentia. Quia possessio in dubio non confert ius vtendi: ergò coniux tunc petens, petit id, ad quod nullum ius habet, & ad quod possessio non suffragatur: Ergò alter nequit reddere. Ità Sanch. *lib.* 2. *d.* 41. *num.* 55. & alij.

378 *Idem affirmo.*

Idem sentio, quia tota ratio ob quam coninx tenetur reddere debitum petenti coniugi est, quia alter petit debitum sibi ratione possessionis, nè periculo iniustitiæ debitum abnegando exponatur. Cum ergo in hoc casu non petat sibi debitum, nec faueat possessio, & negando nulla iniustitia fiat, & ex altera parte, reddendo sit periculum incontinentiæ: tenetur non reddere antè diligentiam adhibitam. Verùm diligentia præmissa, potest vtérque petere, ac reddere; quia iam possessio ius ad omnem vsum infert.

DVBIVM LXV.

An cum alter coniux mala fide contraxit dubius (verbi gratiâ,) de prioris coniugis obitu, licitè petere, ac reddere possit.

379 *Non potest petere, nec reddere.*

NOn potest petere, nec reddere. Quia possessio mala fide incepta non suffragatur, vnde claudicat matrimonium ex parte habentis malam fidem: Ergò nec ipse, nec alter bonæ fidei possessor potest petere: & ita si possidens bona fide petat, cum non postulet sibi debitum, nequibit alter reddere. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 27. *qu.* 1. *art.* 3. Ludouic. Lopez *part.* 2. *Instr. de matrimon. cap.* 36. Vega *lib.* 3. *sum. casu* 155. Barthol. à Ledes. *de matrim. dub.* 20. Quia adiiciunt eas nuptias esse irritandas.

380 *Tenetur reddere.*

Petere fateor non posse, sed potest quidem, & tenetur reddere. Quia cum alter bona fide possideat, non debet iure suo spoliari ob malam alterius fidem, dum non constat matrimonium fuisse nullum. Sicut in præscriptione mala fides prioris possidentis non nocet ei, qui bona fide possidet. Ità Rosel. *verb. Impedimentum, imped.* 12. *num.* 1. Syluester *verb. Matrimonium* 4. *qu.* 9. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 77. Veracr. *part.* 3. *specu. art.* 18. *concl.* 6. Cordu. *lib.* 3. *quæstionarij, quæst.* 8. *fol. mihi* 183. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 5. *lit. S*, Palac. *in* 4. *dist.* 27. *d.* 3. Sanchez *libr.* 2. *d.* 42. *numer.* 2.

381 *Petere non posse, sed reddere teneri assero.*

Petere non posse, sed reddere teneri affirmo. Vtrámque partem probo ex *Cap. Dominus, de secundis nuptiis*, vbi expresè fit sermo de coniuge, qui nondum de prioris obitu certus, contraxit: & definitur non posse petere, at teneri reddere, ibi: *Sanè super matrimoniis, quæ quidam ex vobis contraxerunt, nondum habita obeuntis coniugis certitudine: respondemus, vt nullus à modò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux. Si verò aliquis hoc non seruauit, & de morte prioris coniugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei, quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen nouerit nullatenus exigendum.*

DVBIVM LXVI.

An si contrahens mala fide, petat: alter teneatur reddere.

382 *Tenetur reddere.*

TEnetur quidem. Quia sicut tenetur coniux reddere alteri contrà votum petenti, ex communi sententia; ità & ei, qui mala fide contraxit. Sic Henriquez *libro* 12. *capite* 6. *numero* 5. *& litter. T*, referens Victoriam, & Canum, Barthol. de Ledes. *dub.* 20. *concl.* 1.

383 *Reddere non tenetur.*

Non tenetur. Quia teneri reddere alterum dubitanti de valore matrimonij, oritur ex possessione petentis, & iure iustitiæ ad exigendum: sed hìc vtrúmque deest, possessio enim dubia fide incepta nil prorsus

suffragatur : & ità nullum ius exigendi concecedit. Quod haud obscurè innuitur illis verbis *Cap. Dominus. Debitum à se nouerit nullatenus exigendum.* Ità Sanch. *lib. 2. d. 42. num. 3.*

384 *Idem assero.* Idem assero, nec simile iudico de coniuge contrà votum petenti, habet enim possessionem, ac ius iustitiæ ad exigendum: & tantùm reus est Religionis voti petendo, vt qui petit rem suam ad ea abutendum.

DVBIVM LXVII.

An cum coniux vtérque mala fide contraxit, dubius (verbi gratiâ,) de prioris coniugis obitu; vtérque teneatur, reddere postulanti.

385 *Vtérque tenetur.* VTérque tenetur. Quià contrahens dubia fide tenetur reddere, maximè si alter coniux ignoret: Ergo etsi ambo habeant dubiam fidem, tenebuntur. Sic Sylvest. *verb. Matrimonium 4. qu. 9. dicto 3.* Barthol. de Ledes. *de matr. dub. 20. concl. 1.* asserens, neutrum posse petere, teneri autem reddere.

386 *Neuter tenetur.* Neuter potest petere, nec reddere. Quia neutri possessio mala fide incepta suffragatur. Ità Veracr. *p. 3. specu. art. 13.* Angles *p. 1. de matrim. qu. 11. de impedim. Ord. art. 3, dub. 4.* Henriq. *l. 11. c. 11. n. 5. & c. 15. n. 13. & l. 12. c. 6. n. 5.* Sanch. *l. 2. d. 42. num. 3. & 8.*

387 *Idem sentio.* Scio, addidisse Henriquez *cap. 11. num. 5.* hos non posse reddere nisi causa subsit, vt id dubium practicè deponant, & probabilius reputent, matrimonium valere. Egò autem crediderim, satis esse, si arbitrio prudentis rationes ità probabiles sint ad persuadendum, matrimonium valere, vt probabilem opinionem efficiant, quamvis probabilius sit, matrimonium non valere; quia satis est in moralibus sententiam probabilem amplecti, iuxtà veriorem opinionem: quare, sententia probabili valoris matrimonij existente, vtérque coniux petere, ac reddere potest.

DVBIVM LXVIII.

An quando impedimentum proprio consensu amoueri potest, vt est seruitus ignorata, dubitans de valore matrimonij à se bona fide contracti (nam dubitat de alterius seruitute) teneatur.

388 *Nonnulla suppono.* LIcet quidem huic dubitanti petere, & reddere animo ratificandi præcedens matrimonium inualidum; quia potest denuò contrahere, & ratum habere, si impedimentum seruitutis sit occultum: si verò impedimentum esset publicum, vel lis mota esset, ita vt in foro externo probari posset: nihil conferret accedere ad coningem animo ratificandi: cum oporteat, vt validum efficiatur matrimonium, post Tidentinum coram Parocho, & testibus celebrari. Consistit ergò difficultas, quando deest animus ratificandi matrimonium accessu illo, aut non potest ratificari.

389 *Non tenetur reddere.* Non tenetur hic reddere. Quia nullum est medium inter accessum animo fornicario, aut maritali: & ità si potest accedere, debet maritali animo, ne aliàs fornicetur. Ad hoc autem non tenetur, pararet enim sibi maximum præiudicium, cum haberet ratum matrimonium cum ancilla initum, àtque in eo perseuerare cogeretur; quod damnum subire non tenetur, vt in dubio tueatur alterius coniugis possessionem; quia in materia iustitiæ, cum est par vtriúsque causa, non tenetur aliquis cum proprio damno alterius damnum vitare: Sic D. Thom. *in 4. dist. 36. in expos. lit.* D. Bonauent. *ibid.* Richard. *art. 2. qu. 1.* Paludan, *qu. 1. art. 1. concl. 3. nu. 9.* Supplem. Gabr. *q. 1. art. 1. dub. 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 10. n. 5. & cap. 15. num. 14. & l. 12. cap. 6. num. 7.* Vega. *lib. 2. sum. casu 401.*

390 *Reddere tenetur.* Tenetur reddere. Quia si potest licitè, & absque suo damno reddere, omnes asserent teneri iuxtà *Cap. Dominus, de secundis nuptiis*, cum alter coniux in possessione sit, & in hoc dubio eius sit melior conditio: sed potest licitè, & absque vllo damno reddere: ergò tenetur. Probo minorem, quod possit licitè, quia potest reddere, nec animo fornicario, nec maritali, vt denuo velit reualidare illud matrimonium: sed animo maritali, vt conseruet alterum coniugem in sua possessione, & reddat ei debitum, cum existimare debeat, alterum in hoc dubio bona fide possidere, & sic non esse priuatum iure petendi. Quod autem sibi non præiudicet, ostendo: quia cum detur accessus animo non ratificandi prius matrimonium, isque licitus, non potest præsumi eo accessu matrimonium esse ratificatum. Ità D. Antonin. *part. 3 tract. 1. c. 3. §. 1.* Adrian. *4. de sponsal. dub. 13.* Ledes. *2. part. 4. quæstion. 54. articul. 4.* Cordub. *lib. 3. quæstionar. qu. 8.* Palac. *in 4. dist. 30. d. 1.* Perr. de Ledes. *de matrimon. quæstion. 45. art. 1. dub. 2.* Sanchez *libr. 2. d. 45. numer. 8.*

391 *Auctorii mani.* Scio dissidium esse inter huius sententiæ Auctores, an teneatur hic reddere debitum, quamvis Ecclesiæ præcepto non constringatur? At quamvis negans sententia probabilis sit, affirmantem probabiliorem reor, nempè coningem in hoc dubio teneri reddere debitum, etiam Iudice non præcipiente, nec sibi præiudicium inferre. Addiderim, si adhibita diligentia sufficienti, nequeat vincere dubium, posse vtendo sua possessione etiam petere nec in hoc sibi præiudicium parare, quin possit, seruitute detecta, ab illo matrimonio recedere, cum fuerit inualidum, nec illa copula ratificatum. Posset tamen coniux tutissimè amplecti priorem sententiam probabilem, & nolle reddere, etiam mandante Iudice; quià fortè Iudex erit primæ sententiæ, & coget postèa cum ea manere.

DVBIVM LXIX.

An si coniux, qui bona fide contraxit, postèa non dubitet, sed opinetur, matrimonium esse nullum: teneatur reddere debitum.

392 *Non tenetur.* NOn tenetur, imò non potest reddere. Quià huic non suffragatur possessio, nam solù in causa

causa pari prævalet possidentis conditio, *Reg. In pari, de regulis iuris in 6.* Hic autem non est par causa, cum habeat assensum opinatiuum, non esse matrimonium. Profectò dum aliquis opinatur, rem, quam bona fide cœpit possidere illam non potest: Ergò dùm opinatur non esse matrimonium, non potest vti possessione. Sic D. Antonin. *part. 3. titul. 1. cap. 9.* Sylvest. *v. Matrimonium 4. qu. 9. dicto 3.* Manuel. *tom. 1. sum. cap. 243. numer. 6.* Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. articul. 3.*

393 *Non solùm potest, sed tenetur.* Non solùm potest, sed tenetur reddere, non obstante ea nullitatis matrimonij opinione. Quia vt possim alium sua possessione spoliare, oportet, me certum esse, rem non esse suam. Certè licet huic opinanti non suffragatur sua possessio, vt ea petendo vtatur, cum tamen alter bona fide possideat; iuuabitur vtique possessione illa, vt exigere possit, & teneatur alter ei reddere. Ità D. Thom. *in 4. dist. 41. quæst. vni. art. 5. quæstiunc. 1. ad 3.* Paludan. *dist. 36. qu. 2. art. 2. num. 4.* Angel. *verb. Matrimonium 3. impedim. 4. num. 8.* Rosel. *verb. Impedimentum, impedi. 1. num. 17. & imped. 12. num. 1.* Sotus *libr. 5. de iust. cap. 5. artic. vltim.* Ledesma 2. Nauar. Petr. de Ledes. Corduba, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanchez *libr. 2. d. 44. numer. 3.*

394 *Bona mentis non.* Petere non posse reor, quia dubitanti suffragatur possessio, non autem fauet habenti assensum opinatiuum: tenetur tamen reddere, non obstante opinione nullitatis matrimonij donec ita certus sit, vt parum dubij remaneat. Vndè D. August. *l. de fide, & operib.* & refertur in *Cap. si virgo 34. quæst. 2.* ibi: *Si virgo nupserit, nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit: si autem sciat, iam ex hoc adultera esse incipit.* Vbi pondero, non dixisse, *si opinatur*, sed *si sciat.* Quem textum explicans Sylvest. *præscript. 1. qu. 3. dicto 3.* ait, sumi illic scientiam pro certitudine.

DVBIVM LXX.

An si antè matrimonium alter coniux protestetur, se nolle per quæcúmque verba postèà à se dicta matrimonium inire. Huiusmodi protestatio sit sufficiens dissensus indicium.

395 *Sufficiens indicium est.* SVfficiens indicium est. Quia huiusmodi protestatio planè indicat, sequentem in contractu consensum, fictum existere: sed sine vero consensu matrimonium constare nequit: Ergò est sufficiens dissensus indicium. Sic Ioan. Andre. Calderin. Anton. Gabriel. quos citat Sanch. *libr. 2. d. 45. numer. 17.* Petr. de Ledes. *de matrim. quæstion. 45. articul. 4.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 243. numer. 6.*

396 *Non est sufficiens indicium.* Non sufficit ea protestatio. Quia præsumitur, ab ea recessum esse, inito postmodũ matrimonio. Ità Tabie. *verb. Matrimonium 2. qu. 7. num. 8.* Nauar. *sum. cap. 22. num. 78.* Gloss. *Cap. Tua, de sponsal. verb. Mulierem.* Guillerm. quem refert, ac sequitur D. Antonin. *part. 3. tit. 1. cap. 19. §. 1.*

397 *Sub distinctione quæstioni respondeo.* Sub distinctione quæstioni respondeo. Si ea protestatio fiat altero coniuge sciente, ac consentiente, valet, & per eam recessum valetur à consensu sequenti, nec præsumetur matrimonium. Quia cum alter consenserit, videtur cedere iuri suo, & nolle matrimonium contrahere. At si fiat, altero ignorante, aut si sciuit, dissensit protestationi: nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. Quia matrimonium est contractus ex duorum voluntate pendens, id autem generale est in omni contractu huiusmodi, vt protestatio alterius nihil iuuet, nisi altero sciente, ac consentiente facta sit, *l. finali, §. Item si prædixit*, cum Glossa *ff. nauta.*

DVBIVM LXXI.

An vnus testis affirmans coniugis mortem, sufficiat, vt liceat alteri, ad secundas nuptias transire.

398 *Vnus sufficit testis.* VNus sufficit testis. Quia *Cap. In præsentia de sponsal.* dicitur: *Non permittas eos contrahere, donec certum nuncium de morte recipiant.* Si ergo satis est certus nuncius, vnus testis sufficiet. Sic Hostiens. *sum. titul. de spon. duorum, num. 6.* & *Cap. In præsentia, ad finem.* Vbi Abbas *num. 6.* adeò mordicus tuetur hoc, vt censeat, Bartholum, qui asseruit oppositum, illius textus immemorem fuisse. Angel. *verb. Matrimonium 3. impedim. 13. num. 4.* Veracr. *part. 1. spec. art. 42. concl. 1.* Monent tamen hi Doctores, attendendam nuncij, seu testis personam, & qualitatem, & an per verba verisimilia deponat.

399 *Vnus testis non sufficit.* Vnus testis non sufficit. Quia *Cap. In præsentia*, oppositum non declarat: in illis enim verbis, *Donec certum nuncium recipiant*: potest sumi *nuncium* neutrius generis, ita vt significet *La nueua*: At non potest dici nuncium certum, quod voce vnius habetur, cum iura clament, vocem vnius esse vocem nullius *l. Iurisiurandi, vers. simili modo. Cod. de testibus, & Cap. Veniens, fine, de testibus.* Esto *Nuncium* masculinè sumeretur: certè *nuncius certus* est, qui nuncium certum affert: non autem potest dici afferre nuncium certum, quando ipse solus id testatur. Ità Manuel *tom. 1. sum. cap. 233. numer. 2.* Gregor. Lopez *lib. 8. titul. 9. part. 4 ver. Algunos.* Barth. *lib. 2. §. si dubitetur, num. 1. ff. quemadmodum testam. aper.* Sanchez *lib. 2. d. 46. num. 12.*

400 *Hæc sententia magis arridet.* Hæc sententia mihi magis arridet, quia si dictum vnius in causis pecuniariis insufficiens est, à fortiori minimè sufficiet in causa secundi matrimonij contrahendi, in qua vertitur animæ periculum, Sacramenti irritandi, maximè infamiæ, & dedecoris fœminæ secundò nubentis, si fortè adhuc prior esset superstes. At primam admitterem sententiam casu quo coniux obierit in loco adeò distanti, vt facilè nequeant aliæ probationes haberi: tunc enim satis erit nuncius, & vnus testis considerata qualitate personæ, & vt verisimilia proferat: quod Iudicis arbitrio committendum.

DVBIVM LXXII.

Vt possit coniux superstes aliud matrimonium inire, sufficitne probabilitas moralis, id est, vt sit probabilis causa ad credendum, sapientum iudicio.

401 *Satis est.* SAtis quidem est. Quia *Cap. Quoniam, §. Porrò*, dicitur: *Si autem de carnali coniugio sit agendum, tandiu alteruter coniugium expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Ergò sufficiunt verisimiles mortis præsumptiones. Sic Armil. *verb. Matrimonium, num. 45.* D. Antonin. *part. 3. titul. 1. cap. 9.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 9.* Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub. 56. concl. 9.* Ludouic. Lopez *part. 2. Instruct. de matrimon. cap. 55.* & alij.

402 *Non est satis.* Non satis est moralis probabilitas, sed requiritur certitudo tanta, vel per certum nuncium, vel per testes, vt prudentis iudicio non tantùm probabilis, sed certus obitus alterius coniugis iudicetur. Quia *Cap. In præsentia, de sponsal.* dicitur: *Non possunt tales ad aliorum consortium conuolare, nec permittas, eos authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* En qualiter coniunguntur ea duo, vt illi nequeant contrahere, & Ecclesia concedere facultatem, donec certum nuncium recipiant. Ità Sanch. *l. 2. d. 46. num. 6.* Sotus *in 4. dist 37. qu. vni. art. 5.* Angles *part. 1. de matr. q. 11. de imped. Ord. art. 3. dub. 1.* Manu. *tom. 1. sum. c. 233. num. 2. & 4.* Barth. à Ledes. *de matrim. dub. 52. §. vlt.* Ludou. Lop. *p. 1. Instr. c. 83.*

403 *Hoc mihi probabilius.* Satis probabilem primam sententiam reor, sed probabiliorem secundam. Quia in contrahendo secundo matrimonio, periculum eius nullitatis, & adulterij imminet: in abstinendo autem, nullum: Ergò quandiù non adest omnimoda certitudo obitus viri abstinendum est, vt peccati periculum vitetur.

DVBIVM LXXIII.

An mors coniugij possit sufficienter fama probari.

404 *Non potest.* MInimè quidem. Quia requititur certa, & integra mortis probatio, vt vidimus Dubio proximo: fama autem nec certò, nec integrè probat. Sic Abbas *Cap. In præsentia, num. 6.* Gutier. *2. Practicar. qu. 8. à num. 4.* Veracr. *p. 1. spec. artic. 42. concl. 1.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 233. num. 2.*

405 *Potest planè.* Mors coniugis sufficienter potest fama probari. Quia fama in re obiter rarò inaniter euulgatur. Ità Anchar. *ad Cap. In præsentia, numer. 5.* Iuli. Clar. *lib. 5. receptar. §. Fornicatio.* Ant. Gomez *lib. 80. Tauri, num. 31.* Perez *lib. 5. Ordin. titul. 1. lib. 3.* ad finem.

406 *Auctoris resolutio.* Ego autem putarim, solam famam non sufficere, nisi aliis adminiculis adiuuetur: tunc enim satis erit, quia certa moraliter probatio dici potest. Porrò adminicula, quibus debet fama iuuari sunt longitudo absentiæ, & vniuersalis vox vbi coniux commorabatur, mortem eius contestans, vel is de cuius obitu agitur, erat valdè senex, vel æger: vel in acie erat; & non redij longo tempore expectatus, nempè per annum: vel vxor accepit literas eorum, cũ quibus vir militabat: vel vir captus sit ab hostibus, & communis fama, ipsum obiisse testetur, si tamen vxor nihil contrarium audierit, vel literas à fide dignis acceperit.

CAPVT XII.

Circà consensum Clandestinum.

DVBIVM LXXIV.

An Matrimonium Clandestinum fuerit irritum aliquando antè Tridentinum.

PRÆMISERIM ex *sectione 1.* matrimonium Clandestinum esse illud, quod clàm fit, dicique tale, cum præsente Parocho, ac testibus non celebratur: & cum non præmissis denunciationibus, licet coram Parocho, ac testibus, non initur. Multis id matrimonium legibus prohibetur. Primò in *Cap. Aliter 30. quæst. 5.* In Concil. Arelat. 3. & refertur in *Cap. Nullum 30. quæstion. 5.* In Concil. Lateran. & habetur in *Cap. 3. de clandest. desponsat.* In Concil. Tolet. sub Sixto IV. Et nouissimè in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1.* Verùm matrimonium initum sine Parocho, & testibus est omninò nullum post Tridentinum: non verò quod contrahitur, haud præmissis denunciationibus. Potest quidem etiam post Tridentinum validum esse Clandestinum matrimonium in tribus casibus. Primò si contrahatur in locis, in quibus Concilium hoc non fuit promulgatum, aut receptum. Secundò, casu quo adsit Pontificis dispensatio circà Parochi, ac testium assistentiam. Tertiò, si celebretur à non baptizatis. Sic omnes. 407 *Nonnulla præmitto.*

Quæsierim igitur, nùm matrimonium Clandestinum huiusmodi fuerit aliquandò irritum antè Tridentinum? Fuit quidem irritum. Quià antiquitatis obseruatores legimus, primis Ecclesiæ temporibus per nonnullas annorum centurias clandestina coniugia nullatenus valuisse: posteà verò eas leges abiisse in desuetudinem, valuisséque clandestina matrimonia vsque ad Tridentinum, quod rursum ea inualida reddidit. Sic Cassaneus, Corrasius, Gentianus, & alij, quos refert, ac sequitur Basil. Legion. *libro quinto, capite tertio, numero secundo.* Probatur, quia Euarist. *Epist. 1. ad Episcop. Africa. cap. 2.* & habetur *Cap. 1. 30. qu. 5.* asserit, hæc non legitima connubia esse, sed adulterina, & contubernia. Et quia *Cap. Videtur, 35. qu. 6.* Celestinus Papa sic ait: *Videtur nobis, quod secunda, quam contrà prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit vxor: nam quod contrà Ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi tam humanæ, quam diuinæ legis proclamat* 408 *Fuit irritum antè Tridentinum.*

proclamat authoritas. Sed matrimonia clandestina semper fuêre ab Ecclesia interdicta, vt constat *ex Decreto* Homicidæ Papæ; & habetur *Cap.* 2. 30. *qu.* 5.

409 *Non fuit irritum ante Tridentinum.*

Minimè irritum fuit. Quia quoties concurrunt essentialia contractus validus est, licèt desiderentur solemnitates extrinsecæ, & accidentales: in matrimonio autem clandestino concurrit tota matrimonij essentia, deficiente sola extrinseca publicitatis solemnitate: ergò antè Tridentini prohibitionem validum erat; nec enim alia aderat prohibitio. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 3. *num.* 2. Petr. Ledesm. *qu.* 45. *art.* 5. *dub.* 5. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 2. *numer.* 5. Luis. de Torres *in sum. part.* 2. *cap.* 96. *dub.* 1. Becan. *cap.* 44 *qu.* 4. Bonac. *quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 2. *num.* 1.

410 *Hic de fide si cessisset.*

Scio Leandrum *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 3. primam sententiam probabilem esse asseruisse, sed nescio quo fundamento, cum ipse legerit, tot viros doctissimos esse secundam de fide profiteri: nempe Sanchez, Palaum, & alios, quos sequi cogor; quia id definiit Alexander III. *cap. de clandest. desponsat.* & Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. anathemate damnans oppositum asserentes. Porrò textus pro parte prima citati, appellant non legitima matrimonia illa, quæ non sunt iuxtà Ecclesiasticas leges celebrata: adulteria, vel supra quoad forum Ecclesiæ externum, cui minimè constant, quamvis in foro interno vera matrimonia extiterint.

DVBIVM LXXV.

An peccet, contrà ius naturæ, qui clandestinè contrahit.

411 *Non peccat contrà ius naturæ.*

NOn peccat contrà ius naturæ, sed solùm contrà ius Ecclesiasticum. Quia solùm hoc iure est prohibitum clandestinè contrahere matrimonium. Certè quod intrinsecè, & ex natura sua malum est, nunquam licet: matrimonium autem clandestinum in multis casibus olim licebat, vt fatentur omnes cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 28. *quæst. vni. cap.* 3. *in corpore.* Sic Caietan. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 12. *de matrimon. quæstion.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 28. *quæstion.* 1. *articul.* 2. Barthol. de Ledes. *dub.* 22. Coninch *d.* 27. *numer.* 4. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 2. *num.* 2. & 3. Luis. de Torres *sum. p.* 2. *c.* 96. *dub.* 3. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 2. *num.* 1.

412 *Peccat contrà ius naturæ indirectè.*

Peccat non solùm contrà ius Ecclesiasticum, sed etiam contrà ius naturæ. Quia ex natura rei continet in se matrimonium clandestinum grauia mala: cedit enim in prolis detrimentum, & vtriúsque coniugis, cum facilè possint ad alias nuptias transire: & est Reipublicæ nociuum contrariúmque eius paci, & quieti. Ità Caiet. sibi contrarius *in sum. verb. Matrimonium, titul. contractus matrimonij potest ex septem capitibus reddi vitiosus.* Petr. de Soto *lect.* 14. *de matrimon.* Palac. *in* 4. *dist.* 28. *d.* 3. Veract. *part.* 1. *spec. art.* 10. *concl.* 2. Matienzo *l.* 5. *Recopil. titul.* 1. *lib.* 1. *glossa* 1. *num.* 2. Sanch. *lib.* 3. *d.* 3. *num.* 8.

413 *Primam sententiam eligo.*

Hæc valdè probabilis sententia, prima autem mihi probabilior. Quia si matrimonium clandestinum multis casibus olim licebat, manifestè sequitur non esse contrà ius naturæ illud contrahere. Cessante enim fine legis in particulari non cessat lex; ergò si coniugium clandestinum iure naturæ est malum ex inconuenientibus, quæ ex ipso obueniunt, quamvis in casu aliquo speciali iis obuietur, erit illicitū. At si in multis casibus olim licebat, vti asserit D. Thom. citat. haud iuri naturæ contrarium esse ostenditur. Igitur contrà ius Ecclesiasticum reor solùm delinquere lethaliter quidem, qui matrimonio clandestinè ineundo dat operam.

DVBIVM LXXVI.

An semper necessaria sit præsentia Parochi, & testium, ad matrimonium validè contrahendum.

414 *Non est semper necessaria.*

NOn est semper necessaria, sed in multis casibus validè sine Parocho, ac testibus initur: scilicèt, quando virgo est sub tutela iniqui tutoris, & timet, ne ille viro eam tradat indigno: quando concubinarij iter facientes, aut alio modo comprehensi, timent, in grauia pericula ob concubinatum incidere, & in similibus euētibus possunt per mutuum consensum secretò sinè præsentia Parochi, ac testium matrimonium validè inire. Quia præceptum Ecclesiasticum non obligat eo rigore, vt in magna necessitate contrauenire non liceat, vt constat in præcepto Missæ, ieiunij, abstinentiæ à carnibus; Præceptum autem hoc contrahendi coram Parocho, & testibus Ecclesiasticum est per Concilium Tridentinum inductum: ergò. Certè idem Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. simul iubet præmitti denunciationes, & contrahi coram Parocho, & testibus: sed denunciationes possunt omitti, etiā inconsulto Episcopo, vbi esset periculum in mora: Ergò, & sine præsentia Parochi, ac testium poterit coniugium validè celebrari. Sic Sotus *in* 4. *dist* 22. *q.* 1. *a.* 2. Graf. *l.* 2. *decis. c.* 86. *nu.* 9. Veracr. *in append. ad specul. dub.* 4. Trul. *l.* 7. *c.* 6. *dub.* 1. *n.* 9. ait hanc sententiam esse probabilem, & vt probabiliorem eam tuetur Bayn. *q.* 1. *de matrim. Clandest. assert.* 3. & apud ipsum Layman. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 7.

415 *Semper est necessaria.*

Semper est necessaria præsentia Parochi, & testium ad matrimonij validitatem. Quia hæc à Tridentino pro forma cōtractus huiusce absque exceptione præscribitur: Ergò aliter contractum coniugium non valebit. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 17. *per totam.* Ochagau. *tr.* 3. *q.* 7. *n.* 3. Cornejo *d.* 7. *dub.* 39. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 3. Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *n.* 5. & 8. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 234. Palaus *tom.* 5. *d.* 2. *punct.* 13. §. 8. *num.* 9.

416 *Hoc longè probabilius iudico.*

Hoc longè probabilius reor, & cum huiusmodi rigore Tridentini præscriptionem intelligendam esse iudico. Quod enim pro contraria sententia affertur, verùm esse fateor de præcepto Ecclesiastico, quod non inducit solemnitatem substantialem, nec materiam inhabilitat, vt iure Ecclesiastico consanguinei in secundo gradu inhabiles sunt, ad contrahendum matrimonium, quod in nulla necessitate possunt inire. Certè denunciationes præcipiuntur, vt solemnitas extrinseca, & accidentalis, vnde dispar omninò est ratio.

DVBIVM LXXVII.

An qui expetit in mortis articulo cum concubina coniugium inire ad legitimandam prolem, nec Parochi copia datur: hoc coniugium posse sine præsentia Parochi iniri.

417 *Poterit quidem.* POterit quidem. Quia leges diuinæ recipiunt interpretationem ex bono,& æquo, & ex epicheia, vt quæ pro tuenda charitate inducta sunt ipsi non aduersentur: sed si in hoc casu matrimonium absque Parocho, & testibus esset nullum aduersaretur charitati, proles enim per matrimonium illud legitimanda destituta maneret,& sæpè morti proximi valdè affecti ergà concubinam solus spiritualis periclitaretur non contracto matrimonio, quo huic prauæ consulat affectioni: Ergò decretum Tridentini ex æquitate, & epicheia minimè in hoc euentu adstringere est censendum. Sic Veracr. *append. ad spec. dub. 5. solut. 2.* Vega *libr. 3. sum. casu 361.* Capua *lib. 2. decis. cap. 85. num. 8.* Azeue *lib. 5. recopil. titul. 1. lib. 1. num. 38.* licet dubius hæreat.

418 *Minimè poterit.* Minimè poterit. Quia vbi in dispositione dicitur, aliter fieri non posse, inducitur forma vt cum aliis tradit Felin. *Cap. Cum dilecta, de rescripti. num. 6. signo 7.* & idem, quando ponitur decretum annullans. *num. 6. signo 5.* sed Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* dicit, aliter fieri non posse matrimonium, quam præsente Parocho, & testibus,& aliter contractum reddi irritum: Ergò inducitur forma, & proinde in nullo euentu absque ea solemnitate initum erit validum: res enim sine sua forma nunquam potest subsistere. Ità Nauar. *lib. 4. consil. titul. de sponsal. consil. 44.* Sarmient. *lib. 1. selectar. cap. 6. num. 7.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 5.* & 8. Barthol. à Ledes. *dub. 21. de matrimon.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instruct. cap. 86.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 219. n. 17.* Petr. de Ledes. *quæstion. 45. art. 5. circà tertium punct. dub. 3.* Sanchez *lib. 3. d. 17. num. 4.*

419 *Idem censeo.* Idem censeo, quia in illo decreto contrahentes sine Parocho,& testibus redduntur *omninò inhabiles.* Vbi pòdero particulam *omninò*; quæ significat in omni euentu, sine vlla exceptione, Pondero etiam, *reddere inhabiles*, nam inhabilitatem materiæ Sacramenti nullus necessitatis casus potest supplere: vt in nulla necessitate possunt consanguinei matrimonio colligari: eo quod materia est inhabilis,

DVBIVM LXXVIII.

An in Oppidis in quibus nequit haberi Parochus, nec de proximo speratur: possit sine ipso Matrimonium iniri.

420 *Potest validè celebrari.* POtest validè celebrari. Quia verosimiliter creditur eo in casu Pontificem in Concilij decreto dispensare ob Sacerdotum inopiam. Et quia cum in eorum defectu Tridentini sanctio seruari non valeat, aborret à recto credere, matrimonij capessendi libertatem esse impeditam. Sic Coninch *d. 27. numer. 11.* asserens, ità declarasse Clementem VIII. Tridentini legem. Bauny. *qu. 1. de matrimon. clandest. assert. 3.* Layman. *tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 7.* Graff. *l. 2. decis. cap. 86. num. 9.*

421 *Non potest validè celebrari.* Non potest validè celebrari. Quia præsentia Parochi,& testium datur à Tridentino pro forma contractus absque exceptione: Ergò nunquam aliter contractum coniugium valebit. Ità Hurtad. *d. 5. diffic. 3. num. 10.* Trull. *lib. 7. cap 6. dub. 1. num. 9.* & 10. Amicus quem citat,& sequitur Diana *part. 10. tract. 13. resol. 15.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 8. num. 8.*

422 *Auctorum relatio.* Ego quidem, si illa Clementis declaratio constans sit, primam sententiam approbo, & sequor. At quia doctis viris minus vera videtur absolutè iudico secundam sententiam esse amplectendam, & quia de præfata declaratione non constat,& quia, esto constaret, debebat more legis publicari, vt legem vniuersaliter latam restringeret.

DVBIVM LXXIX.

An qui inuincibiliter Tridentini hanc legem ignorant, validè contrahant, sine Parocho,& testibus.

423 *Valide contrahunt.* VAlidè contrahunt. Quia inhabilem reddere ad aliquem actum, est pœna, vt docet Deci. *cap. 2. de constit. num. 17.* sed Tridentinum *sess. 24 cap. 1.* clàm contrahentes reddit inhabiles ad sic contrahendum: ergò illud decretum pœnam continet: quæ cum non afficiat inuincibiliter ignorantes, eo quod culpa vacent, dicendum est, hos habiles esse ad contrahendum, ac proindè matrimonium ab eis initum esse validum. Sic aliqui apud Petr. de Ledes. *quæstion. 45. de matrimon. ar. 5.* & apud Coninch *d. 27. num. 12.*

424 *Non contrahunt validè.* Haud contrahunt validè. Quia quamvis lex ignorantes non afficiat quoad pœnam extrinsecam, benè tamen afficit quoad intrinsecam annullationis actus: vt docet Sotus *de iust. l. 1. qu. 1. art. 4.* Nauar. *sum. cap. 23. num. 44.* & probatur ex *Cap. 1. de concess. præben. in 6. vers. Adiiciebatur.* ibi: *Siue ignorauerit, siue non, non valebat.* Ità Sanchez *lib. 3. d. 17. num. 10.* Basil. *lib. 5. cap. 6. numer. 18.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 8. num. 7.* Medi. 1. 2. *quæstion. 90. articul. 4. concl. 3.* Henriquez *libr. 15. cap. 3. numer. 8.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5.* Leand. *tract. 9. d. 7. quæstion. 9.*

425 *His bene primam sententiam improbant.* His hæreo sententiam primam iudicans improbabilem. Quià quoties constitutio exprimit, à quo tempore debeat obligare, afficit ignorantes quoad nullitatem actus, licèt non afficiat quoad aliàs pœnas; vt si dicat: *Ex nunc*, vt docet Gloss. *Clement. 2. de hæret. verb. Ex nunc*,& alij ibi citati à Sanchez *vbi suprà.* Sed decretum Tridentini irritans clandestina coniugia assignat tempus, quo incipit obligare, nempè transactis duobus mensibus à publicatione in qualibet Parochia: Ergò ab illo tempore obligat quoad annullationem matrimonij etiam ignorantes.

DVBIVM

DVBIVM LXXX.

An incolæ loci, in quo viget Tridentini lex, possint, sine Parocho, & testibus matrimonium inire in aliis, quibus non est recepta, quando solum ad illa confluunt per modum transitus.

416 *Simili si sit, pro.* SI animo ibi constituendi domicilium tenedant, certum est, posse sibi, absque Parocho ac testibus contrahere quia fiunt illius loci incolæ, vnde iam legibus prioris domicilij non adstringuntur. Quæstio igitur est, quando solum confluunt per modum transitus?

417 *Non possunt.* Non possunt matrimonium sine Parocho, & testibus inire. Quia aduentantes ex loco, vbi Tridentini lex obligat, iam contraxere seruandi illud decretum obligationem: Ergo quocumque adeant per modum transitus tenentur id seruare. Sic Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 8. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 219. *num.* 2. Petr. de Ledes. *qu.* 45. *art.* 3. *punct.* 3. *dub. vltim.* Sylui. *in variis resolut. verb. Matrimonium* 8. Diana *par.* 6. *tr.* 7. *resol.* 29. propter quandam Cardinalium declarationem.

418 *Possunt quia.* Possunt sine Parocho & testibus matrimonium contrahere. Quia in egerendis cõtractibus expectari debent consuetudines loci, in quo celebrantur, *ex Cap. vltim. de foro compet.* sed ille coniugij contractus initur in loco, vbi Tridentini lex non viget: Ergo. Ità Sanch. *lib.* 3. *d.* 18. *num.* 28. Basil. *l.* 5. *c.* 9. *n.* 2. Rebel. *p.* 2. *de obligat. l.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. *n.* 15. Coninch. *d.* 27. *nu.* 14. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 5. *n.* 24. Bonac. *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 2. Reginal. *l.* 5 1. *n.* 170. Fagund. *præc.* 1. *Eccl. l.* 1. *c.* 8. *n.* 7. 8. & 9.

419 *Verius mihi hoc mihi.* Verius mihi peregrinos à domicilio absentes non teneri legibus illius, si contrariæ vigeant in locis, vbi reperiuntur. At licet sentirem, obligari legibus domicilij, tamen quoad solemnitatem adhibendam in contractibus, solæ leges loci, in quo contractus celebrantur, respiciuntur: locus autem, vbi hoc matrimonium initur, non petit eam Parochi, ac testium solemnitatem ad coniugij valorem, cum ibi Tridentini decretum non obliget: Ergo.

DVBIVM LXXXI.

An qui pergit ex loco, vbi Tridentini lex non viget ad locum, vbi recepta est: possit ibi, coniugium inire sine Parocho & testibus iuxta proprij domicilij legem.

430 *Possit quidē.* POtest quidem. Quia peregrini & forenses non adstringuntur legibus & consuetudinibus loci, per quem transeunt, vel in quo per modum hospitij reperiuntur: quod doctissimè de more probat Sanch *lib.* 3. *d.* 18. *n.* 6. si ergò non tenetur obseruare leges loci transitus, & iuxta leges proprij domicilij validum est matrimonium sine Parocho & testibus initum: poterit inibi sine Parocho ac testibus celebrari. Ad hanc sententiam allicio Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 3. *n.* 24. D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Vegam, Medin. Palac. & alios, qui apud Sanchez *citatum* docent forenses non adstringi legibus ac consuetudinibus locorum, per quos transeunt.

431 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia ad contractus solemnitatem ille modus & stilus est adhibendus, quem petunt leges loci, vbi celebratur. Cum ergo locus vbi initur coniugium ab hisce peregrinis seu forensibus exigat Tridentini solemnitatem in eo vigentis, aliter contractum matrimonium, nullum erit. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 18. *num.* 26. Petr. de Ledes. *q.* 45. *a.* 5. *pun.* 5. *dub. vlt.*

432 *Hoc mihi certum.* Hoc certissimū est. Sententia enim illa de peregrinis & forensibus pro prima sententia relata, exceptionem patitur hanc, *Nisi quoad contractus solemnitatem.*

DVBIVM LXXXII.

An validum erit matrimonium si quis in fraudem Tridentini proficiscatur à loco vbi decretum eius viget, ad locum, vbi non tenet, vt ibi sine Parocho ac testibus contrahat.

433 *Inualidū erit.* INualidum erit. Quia fraus nemini debet patrocinari, *Cap. Sedes, & Cap. Ex tenore, de præscr.* At patrocinaretur, si hoc matrimonium validū esset. Ergo non est validum. Sic Petr. de Ledes. *q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub. vlt. concl.* 1. & 3. Barth. à Ledes. *de matr. dub.* 21. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 219. *n.* 2. Rebel. *p.* 2. *de obligat. l.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. *n.* 6. asserens id verosimilius esse quando ambo, vir & fœmina colligandi coniugio, eam fraudē committerent vel alter alterius huiusmodi fraudem priusquam contraheret, præsciret. Secus si alter cum bona fide cum fraudulento contraheret.

434 *Erit validum.* Erit profecto validum. Quia qui iure suo vtitur, non potest dici fraudem committere, vt ea ratione impediatur effectus *Reg. Nullus videtur* 55. *ff. de reg. iur. l.* 3. *v. Is tamen. ff. de libero homi. exhib.* ibi: *Dolo malo non videtur habere, qui iure suo vtitur.* Qua ratione cum multis Doctoribus defendunt Couar. 4. *Decretal.* 2. *p. c.* 8. §. 2. *n.* 10. & Sarmien. *lib.* 1. *select. c.* 6. *num.* 8. matrimonium contractum in mortis articulo efficere filios legitimos in fraudem substituti: est enim fraus licita, cum contrahentes suo iure vtantur: Ergo cum adeuntes locum, vbi Tridentinum non viget animo contrahendi absque Parocho, & testibus vtantur iure suo, (habent enim ius sic ibi contrahendi) erit fraus licita nec ea ratione effectus, ac valor matrimonij impedietur. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 18. *num.* 29. Basil. *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 4. Ochagau. Bonac. Coninch. Hurtad. Palaus, & Trull. quos refert, ac sequitur Leand. *tract.* 9. *d.* 7. *quæstion.* 12.

435 *Cum his opinor.* Ratum fore matrimonium existimo, licet ambo eo fine adirent, vt coniugium sine Parocho ac testibus celebrarent. Quia bona, vel mala intentio conferre potest ad patrandum

aut non patrandum peccatum : non tamen ad annullandum actum, cum intentio maneat in mente, nec intentio in opus externum influat. Ergo si coniugium illud, secluſa praua intentione, validum eſſet, id minimè ea intentio praua impediret. Quemadmodum de reſtituendi obligatione docent multi, & inter eos Nauar. *lib. 3. de reſtit. cap. 5. num. 7.* Si opus ſecluſa praua intentione non inducat reſtituendi obligationem, ex ea intentione illam obligationem non conſurgere.

DVBIVM LXXXIII.

An Captiui Chriſticolæ, quorum in patria Tridentini lex viget, dum commorantur inter infideles, vbi non eſt publicata : poſſint ſine Parocho ac teſtibus matrimonium inire.

436 *Non poſſunt contrahere.* NOn poſſunt contrahere. Quia licèt decretum Tridentini *ſeſ. 24. cap. 1.* poſtulet, publicari in qualibet Parochia, vt obliget: cum tamen apud infideles nulla Parochia ſit, voluit Concilium Chriſtianos ibi detentos ligare, licèt publicatum non ſit. Certè ſi captiuis prodeſſet ibi non eſſet publicatum aut receptum Tridentini decretum, nullis aliis legibus Eccleſiæ, vt ieiunij, abſtinendi à carnibus &c. tenerentur; cum ibi nec receptæ, nec publicatæ ſint. Sic Petrus de Ledeſ. *de matr. quæſ. 45. art. 5. & punct. 3. dub penult.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. num. 8.* caſu, quo captiui morentur in prouinciis infidelium abſque animo inibi permanendi. Veracr. & Vaſq. apud Hurtadum *citandum* caſu, quo Tridentinum fuiſſet etiam publicatum in Parochia aut prouincia captiuorum Chriſtianorum antequam in captiuitatem redigerentur. Luiſ. de Torres *in ſum. p. 2. c. 96. dub. 7.*

437 *Contrahere poſſunt.* Contrahere poſſunt, licèt ad eas regiones ducti ſint poſt publicationem decreti in ſua Parochia, nec animum ibi permanendi habeant. Quia id decretum petit tanquam conditionem requiſitam vt obligari incipiat, publicationem in Parochia : Ergò cum apud infideles hæc conditio deficiat, in illis locis hoc decretum nondum obligandi vires accepit. Vnde qui in illis contrahunt, licet domicilium ibi non fixerint, non tenentur ſeruare ſolemnitatem illam, nam contractus celebrandus eſt iuxta ſolemnitates loci contractus. Ità Baſil. *l. 5. c. 9. n. 7.* Sanch. *l. 3. d. 18. nu. 15.* Palaci. *in 4. diſt. 19. d. 1.* Rebel. *q. 7. ſect. 2. n. 18.* Hurtad. *c. 5. diffic. 5 n. 18.* Cornejo *d. 7. dub. 39.* Trul. *l. 7. c. 6. dub. 1.*

438 *Hoc verius puto.* Certe ſi id decretum in illis locis obligaret, quamvis captiui haberent animum permanendi, ductique eſſent antè publicationem in ſua Parochia, non poſſent ſine Parocho ac teſtibus contrahere: ſicut contingit in aliis locis fideliũ, vbi id decretum obligat. Si verò defectu publicationis non obligat: Ergo contrahentes ibi ſinè ſint permanenter, ſiuè per modum tranſitus, ſiue antea eſſet publicatum in ſua Parochia, ſinè non, poterunt abſque Parocho & teſtibus contrahere.

DVBIVM LXXXIV.

An ſi celebretur matrimonium in Parochia alterius coniugis non ſubditi illius Parochi: ſufficiat præſentia Parochi alterius contrahentis.

439 *Non ſufficit.* QVæſierim an validum ſit matrimonium, cui proprius Parochus vnius contrahentis aſſiſtit in Parochia alterius ſibi non ſubditi : v. gr. ſi Parochus Antonij aſſiſtat in Parochia Agnetis cuius non eſt Parochus? Non ſufficit huius præſentia, vt cõiugium ſit validum. Quia Cardinales ſic Tridentini expoſuêre decretum: *Si quando vir ad domum vxoris accedit, vxo contrahendo matrimonio, is proprius Parochus eſt, qui vxoris eſt.* Extant & aliæ duæ declarationes præſcribentes, non ſufficere præſentiam Parochi vnius contrahentis in Parochia alterius, ſed neceſſariò requiri in Parochia viri præſentiam Parochi viri: in Parochia fœminæ, præſentiam Parochi fœminæ. Sic Baſil. *l. 5. c. 16. n. 4.* Nauar. *l. 4. conſil. tit. de clandeſt. deſponſ. conſil. 4.* Ludou. Lopez *p. 1. Inſtruct. c. 86. & p. 2. de matr. cap. 39.* Henriq. *l. 11. c. 3. n. 2.* Inclinat Santius *in ſelect. d. 44. num. 8.* Zerola *part. 2. praxis Epiſcop. verb. Parochus.* Zeual. *quaſ. 604. num. 6.* Quia non eſt credendum Concilium concedere Parocho iuriſdictionem extra propriam Parochiam.

440 *Sufficit omnino.* Sufficit omninò proprius alterius contrahentis Parochus etiamſi in Parochia alterius ſibi non ſubditi matrimonium celebretur. Quia Tridentinum ſolam exigit Parochi proprij præſentiam, quia iuriſdictionem voluntariam, qualis eſt hæc, non amittit Parochiæ fines egrediens, Ita Sanchez *lib. 3. d. 19. num. 11.* Nauar. *l. 4. conſil. tit. de ſponſal. conſ. 52.* Henriq. *l. 11. cap. 3. num. 2.* referens declarationem Cardinalium ſub Pio V. *in Gloſſ. liter. R.* Coninch. *d. 27. dub. 2.* Hurtad. *d. 5. diffic. 6. numer. 21.* Laym. *tract. 10. capit. 5. numer. 3.* Trul. *libr. 7. cap. 6. dub. 2. numer. 2.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 9. numer. 3.*

441 *Hanc elegi ſententiam.* Certè is legitimus Parochus eſt, vt matrimonio aſſiſtat, qui eſt legitimus ad confeſſiones audiendas (vt benè Sanchez *lib. 3. d. 13. num. 10.*) ſed iuxta ferè omnes Parochus extrà Parochiam eſt legitimus ad audiendas confeſſiones ſui ſubditi : Ergo ad colligandum matrimonio. Illæ verò Cardinalium declarationes pro oppoſita ſententia memoratæ, ne poſteriori pro noſtra ſententia relatæ aduerſentur, intelligendæ ſunt de conſilio : expedit enim, eum Parochum, matrimonio aſſiſtere, in cuius Parochia celebratur.

DVBIVM LXXXV.

An ſi celebretur matrimonium in Diœceſi aliena : ſufficiat, præſentia Parochi vnius, vel vtriuſque contrahentis.

442 *Non ſufficit.* NOn ſufficit præſentia Parochi alterius, vel vtriuſque contrahentis, dum in neutrius Parochia

Parochia matrimonium celebratur. Quia mens Concilij postulantis Parochi præsentiam fuit, vt suâ authoritatẽ præstaret matrimonio, tanquã persona publica, sed extrà territoriũ est persona priuata, ex *l. 3 ff. de offic. Præsid.* Ergo extra suã Parochiam non potest assistere matrimonio. Sic Nauar. *lib. 4. consil. tract. de sponsal. cons.* 52. *cons.* 47. *num.* 3. adiiciens posse Parochum extra Parochiam existentem dare licentiam Sacerdoti: vt intra Parochiam matrimonio assistat, minimè tamen ipsum extra Parochiam assistere posse.

443 *Sufficit quidã.* Sufficit ad matrimonij valorem præsentia Parochi alterius vel vtriusque contrahentis quamvis in neutrius Parochia nec Diœcesi cõiugium celebretur. Quia vel interesse Parochum matrimonio est actus iurisdictionis, & tunc cum iurisdictio hæc sit voluntaria (exercetur enim in solos volentes) nec causæ cognitionem postulat, potest validè extra territorium exerceri. Vel non est actus iurisdictionis, sed tantum desideratur illa præsentia ad authoritatem matrimonio præstandam: sed hanc præstare potest extra Parochiam propriam, cum vere persona publica, parochus sit. Ergo potest ibi matrimonio assistere. Ità Sanch. *lib. 3. d. 39. num.* 14. Henriq. *lib.* 11. *c.* 3. *num.* 2. Coninch. Filliuc. Hurtad. Ochagau. Rebel. Palaus Bauny, & alij, quos affert & sequitur Leand. *tract. 9. d. 7. quæst.* 16. Posseuin. *cap.* 10. *quæst.* 16. Gutier. *de matr. cap.* 62. *num.* 5. *& num.* 10. docet, non tantum proprium Parochum, sed etiam Sacerdotem de illius licentia posse matrimonio assistere extrà Parochiam.

444 *Hoc mihi indubitatum.* Hoc mihi indubitatum existimanti, potissimum Tridentini pententis assistentiam Parochi matrimonio, finem fuisse, vt clandestinitas vitaretur, Ecclesiæque constaret matrimonium: qui quidem sufficienter obtinetur Parocho vbicumque coniugio assistente.

DVBIVM LXXXVI.

An peccet, & puniendus sit proprius Parochus assistens matrimonio subditi extra Parochiam vel Diœcesim absque licentia Ordinarij, vel Parochi loci.

445 *Peccat, & puniendus est.* PEccat, & puniendus est. Quia Parochus tenetur authoritatem, & approbationem publicam Ecclesiæ nomine matrimonio præstare hanc autem licitè præstare nequit in aliena Parochia, quia pertinet ad iurisdictionem quasi contentiosam, cum præstari debeat tan quam à publica persona. Sic Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 2. Salzed. *practic. cap.* 71. *§.* 11. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 219. *num.* 7. Basil. *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 4. Santius *in select. d.* 44. *num.* 13. *&* 14. culpam iudicans esse lethalem merito puniendam.

446 *Non peccat, nec puniendus est.* Nec peccat, nec puniendus est, scandalo cessante. Quia minus est, authoritatem præstare matrimonio, quam exercere actum iurisdictionis voluntariæ: sed Parochus potest in aliena diœcesi exercere iurisdictionem voluntariam ergà subditos audiendo ipsorum confessiones iuxtà ferè omnes: Ergo poterit à fortiori licitè matrimonio assistere, quod est minus. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 19. *num.* 18. Spino *speculo testam. Glos.* 15. *nu.* 49. Albiz *in manuscr. d.* 4. *dub.* 6. *concl* 4. Coninch. Ochagau. Hurtad. Posseui. Trul. quos affert, & sequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 7. *q.* 17. Palaus *d.* 2. *pun.* 13. *§.* 9. *num.* 5. citans Gutierrez, & Seguram.

447 *Hanc partem probabiliorem reor.* Hanc partem probabiliorem longè reor, quia nullo iure interdictum inuenio Parocho assistere matrimonio extra propriam Parochiã. Nec Parochus alienus iure potest offendi, cum id ad iurisdictionem contentiosam non pertineat. Nec obstat fieri tanquam à persona publica, quia etiam iurisdictio voluntaria licitè exerceatur tanquam à persona publica extrà proprium territorium.

DVBIVM LXXXVII.

An qui duplicem Parochiam obtinet, habitans æqualiter (verbi gratiâ) in vna per hyemem, & in altera per æstatem: indifferenter possit coram hoc, vel illo Parocho matrimonium inire.

448 *Minimè potest.* MInimè potest. Quia in ordine ad matrimonium duplex Parochia non conceditur, nè ex indifferentia vnius vel alterius Parochiæ matrimonium compertum fiat. Sic Bonsius apud Menoch. *consil.* 398. *volum.* 4. *num.* 7. Cephal. *relat. eodem consi. nu.* 21. dubitans ait, fortasse posse dici duplicem Parochiam quoad matrimonium.

449 *Potest omnino.* Potest omninò. Quia vtraque est propria istius, vt constat ex *Cap.* 2. *de sepultura, in* 6. ibi: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in vtroque.* Ergò non maior ratio, cur alter solus Parochus possit matrimonio assistere. Ità Nauar. *lib.* 4. *consil. tit. de clandest. desponsi. consil.* 7. Henriq. *lib.* 6. *c.* 7. *num.* 2. Basil. *l.* 5. *cap.* 13. *num.* 1. Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæs.* 3. *art.* 2. *nu.* 17. Gabri. *ibi, q.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. D. Antonin *par.* 3. *tit.* 17. *c.* 4. *casu* 2. Margarita Confes. *fol.* 9. *col.* 2. Sanch. *lib.* 3. *d.* 24. *num.* 2.

450 *Hoc verius.* Hoc verum, quia (vti alibi non semel dixi) idem est Parochus ad excipiendas confessiones, & ad assistendum matrimonio: sed vterque ex duobus illis Parochis potest excipere cõfessionem illius, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, vt Glossa *Cap. Cum nullus de tempo. ordin. in* 6. *v. Domicilium:* Ergo vterq; Parochus poterit matrimonio interesse. Quod autẽ dixi requiri, vt æqualiter in vtraque habitet nó intelligo mathematice, sed morali modo ita vt sit æqualis omnino, aut fere habitatio.

DVBIVM LXXXVIII.

An quando quis duplicem habitationis Parochiam obtinet, possit indifferenter coram vno vel altero matrimonium inire, si alterius tunc temporis Parochiam inhabitet.

451 *Non potest.* NOn potest, qui hyeme vnam Parochiam inhabitat coram Paroche Parochiæ æsti-

æ

uæ inire coniugium : sed necessario debet ad Parochum illum accedere, cuius tunc temporis ditionem sortitur : Quia ille proprius illius Parochus est, dum apud illam Parochiam commoratur: non alter: Sic Palud. *in 4. dist. 27. art. 2. num. 17.* D. Antonin. *part. 3. tit. 17. cap. 4. casu 2.* Rosel. *verb. Confessio Sacrament. 3. num. 49.* Margarita Confes. *fol. 9. col. 2.* Frater Alexand. *lib. 1. sum. cap. 3.*

452 *Potest plane.* Potest indifferenter coram vtroque Parocho inire coniugium. Quia ille vtroque tempore hyemè scilicet & æstate habet duplicem Parochiam aliàs non verificaretur habere duo domicilia, contra *Cap. 2. de sepultura in 6.* sicut qui certo tempore habitat in vna Parochia, posteaque ad aliam transfertur, non dicetur habere duo domicilia : quia non simul vtrumque sortitur, sed successiue modo vnum & alterum postmodum: Ergo vterque Parochus est proprius illius Pastor, ac proinde poterit eius coniugio adesse. Ita Nauar. *Cap. Placuit, numer. 78. de pœnit. dist. 6.* Henriq. *lib. 6. cap. 7. numer. 2.* qui bene addit *in comment. liter. H*, decens esse, vt recipiat Sacramenta ab eo Parocho cuius tunc Parochiam inhabitat. Sanchez *lib. 3. d. 24. num. 5.*

453 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia *Cap. 2. de sepultura in 6.* expressè definitur, electa sepultura in diuerso loco à sortienti duplicem Parochiam, inter vtramque diuidendam esse Canonicam portionem ; & non dicitur largiendam esse Parochiæ in habitationis tempore mortis: Ergo similiter Sacramenta possunt indifferenter vtroque tempore recipi ab ambobus Parochis: cum æquè Canonica portio, ac Sacramentorum receptio sint iura Parochialia.

DVBIVM LXXXIX.

Obtinet quis Vallisoleto domicilium, & alio migrat breui rediturus : Potest ne coram Parocho illius loci, vbi per breuem init moram, coniugium gerere.

454 *Minimè potest.* MInimè potest. Quia proprius illius est Parochus qui domicilij proprij Pastor est: sed perbreuis illa mora nullatenus ei constituit domicilium : Ergo non potest coniugium inire coram Parocho loci, vbi exiguam illam moram agit. Sic Nauar. *lib. 4. Consil. tit. de clandest. desponsat. cons. 7.* Barbo. *de potest. Episc. part. 2. alleg. 3. num. 6.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 231.* Hurtad. *d. 3. diffic. 6.* Bonac. *quæst. 2. punct. 8. num. 3.* Trùl. *lib. 7. cap. 6. dub. 2.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 9. num. 8.* adiiciens oppositum nullam probabilitatis speciem habere.

455 *Potest quidè.* Potest coram Parocho loci, vbi breui illo tempore habitat, matrimonium inire. Quia tùm verè Parochus contrahentis est: Ergo eius præsentia sufficit. Vnde Sacra Congregatio exposuit, sufficere illic habitare, dum contrahunt. Ità Sa etiam correctus *verb. Matrimonium. n. 2.* & *verb. Parochus, num. 2.* ibi. *Ad matrimonium sufficit vel modica habitatio.* Basili. *lib. 5. cap. 13. num. 4.* vbi duas Cardinalium declarationes adducit, & opponit Decisionibus Rotæ, dicens illas maioris ponderis, & authoritatis esse. Leand. *tract. 6. d. 7. q. 20.* Bauny *tract. 12. quæst. 5. de matr. Clandest. assert. 2.* minùs esse probabile.

Ego quidem existimo hanc sententiam satis esse probabilem, mei amicissimi P. Castro Paleo venia, sufficit enim mihi P. Emanuelis Sa authoritas profantis *v. Matrimonium, num. 2. Qui alicubi habitat non animo permanendi, quibusdam non videtur posse sub illo Parocho contrahere. At mihi videtur, Congregationem Concilij aliud sentire, scilicet, sufficere illic habitare, dum contrahunt.* Scio, Leandrum vtramque sententiam æque probabilem vocitasse. Ast primam probabiliorem esse existimo, quia communior est, & plurium Doctorum auctoritate munita. 456 *Hæc sententia probabilis, prima autem probabilior mihi.*

DVBIVM XC.

Alter contrahentium vagus est, alter verò incola : Hoc in casu requiritur ne præsentia Parochi incolæ ad matrimonij validitatem.

457 *Nonnulla præmittuntur de vago.* VAgi dicuntur, qui nullibi certam, ac constantem sedem seu domicilium habent, sed hinc indè vagantur. Et qui pristinum domicilium deserentes nauigant, vel iter faciunt quærentes, vbi se collocent. Qui igitur, relicta Parochia, nondum statuit ad quam sit migraturus, sed quærens domum interim in aliquo Oppido hospitatur ad breue tempus, vagus dicitur respectu Parochiarum illius Oppidi. Certum est, vagos posse cuicumque Oppidi Parocho fateri, quia non est maior ratio de vno quam de altero, cum nulli subdantur. At Parochus nullus potest eorum matrimonio interesse, nisi diligenti inquisitione præmissa, & obtenta Ordinarij facultate. Quando vero alter solus ex contrahentibus vagus est, eadem diligens requiritur inquisitio, & Ordinarij licentia. His præmissis, quæsierim, an si alter ex contrahentibus sit vagus alter verò incola, requiratur præsentia Parochi incolæ, an sufficiat quilibet alius Parochus?

458 *Requiritur præsentia Parochi incolæ.* Requiritur præsentia Parochi incolæ contrahentis. Quia cum proprius Parochus eius sit, decentius est, matrimonio vnius contrahentis proprium & legitimum præesse Parochum, qui saltem illam ouem agnoscit, quam alium quemcumque, qui nec vagantis incolæ curam gesserit. Sic Petr. de Ledes. *de matr. quæst. 45. a. 5. circà 3. pun. post 4. dub.*

459 *Non requiritur sed sufficit quilibet Parochi præsentia sufficit.* Non requiritur præsentia Parochi incolæ, sed sufficit, à quolibet Parocho eos coniungi matrimonio. Quia ad valorem matrimonij satis est quilibet contrahentium Parochus: sed quilibet est Parochus vagi : Ergo quilibet potest eos matrimonio colligare. Ita Sanchez *lib. 3. d. 25. num. 14.* Basil. *lib. 5. cap. 16. numer. 14.* Gutier. *de matr. cap. 65. num. 8.* alios citans. Palaus quem sequitur Leand. *tract. 6. d. 7. quæstion. 21.*

460 *Idem asserо & alia additur.* Idem asserо, adiiciens sicut quilibet Parochus, cui vagi se subiicere velint, possunt eos matrimonio coniungere, ita posse dare licentiam alij Sacerdoti eos coniungendi. Quia

vtrumque

vtrumque est proprij Parochi munus, & Parochus qui potest matrimonio assistere, potest etiã alij, Sacerdoti assistendi concedere iuxtà Trident. *sess. 24. cap. 1.* Porrò Parochus, qui vagos non seruato Tridentini decreto *sess. 24. cap. 7.* nempe non præmissa debita diligentia, & licentia Ordinarij, matrimonio coniunxerit, mortaliter delinquit; quia in re grauissima Tridentini præceptum violabit, suspendendus quidem triennio, per *Cap. finale de clandest. desponsi.* Attamen valeret vagorũ matrimoniũ hac diligentia nõ præmissa, nec Ordinarij licẽtia petita; quia pro matrimonij essentia tantum desideratur præsentia Parochi, & duorum testium.

DVBIVM XCI.

An Parochus non Sacerdos interfit validè matrimonio.

461 Parochus non Sacerdos validè interest matrimonio.

NOn interest validè. Quia Tridentinum *sess. 24. c. 1.* ait: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote*: nam dictio *alius* est relatiua & repetit præcedentem qualitatem cuius est persona expressa: & ita significat similem qualitatem in relato, constat ex *leg. si fugitiui.* ibi *Alia pœna* scilicet *simili*, vt addit Glossa. Sic Nauar. *lib. 1. consil. tit. 31. de offic. Ordinar. cons.* 10. referens Cardinales in hanc partem inclinasse. Manu. *tom. 1. sum. capit. 219. numer. 9.* Petr. de Ledes. *quæstion. 45. art. 5. pun. 3.* Veracr. *in append. ad specul. dub. 5. concl. 2.*

461 Validè interest Parochus non Sacerdos.

Validè interest Parochus aut Ordinarius non Sacerdos. Quia Tridentinum non restrinxit, vt Parochus Sacerdos sit, provt fecit in *alio* de licentia Parochi assistente coniugio: idque conuenientissima ratione, nam cum exigat testimonium fide dignum, dignitas Parochialis Beneficij efficit, vt iure optimo sit Parocho fides adhibenda: quæ dignitas cum non Parocho deficiat, eam Concilium suppleri Sacerdotali dignitate voluit: Ergo sufficere Parochum non Sacerdotem, est dicendum. Ità Sanchez *lib. 3. d. 20. num. 3.* Basil. *lib. 6. cap. 17. nu. 1.* Henriq. *l. 11. cap. 1. num 5.* Suar. *de excom. d. 11. sect. 1. num. 18.* Sa *verb. Matrim. num. 1.* Hurtad. *d. 5. diffic. 7. num. 24.* Barbo. *in rem if. concil. ad sess. 24. cap. 1. num. 37.* Palaus *d. 2. part. 13. §. 10. num. 2.* Trul. *lib. 7. cap. 6. dub. 2. num. 14.* & alij communiter.

463 Hanc partem probabiliorem esse reor.

Hanc partem multo probabiliorem esse reor, quia Parochus vel Ordinarius non Sacerdos exercere potest omnia, quæ à potestate Ordinis non dependent, vt colligitur ex *Cap.* suffraganeis, & ex *Cap. Transmissam, de electio.* vbi probatur, Episcopum nondum consecratum posse omnia munera Episcopalia obire, demptis ab Ordine dependentibus: sed interesse matrimonio non est actus Ordinis, sed iurisdictionis: Ergo. Addiderim, sic Sacram Cardinalium Congregationem declarasse, vt ex Farinacio affert Basilius *citatus.*

DVBIVM XCII.

An peccet, Parochus non Sacerdos matrimonio assistens.

464 Peccat quidẽ.

PEccat quidem. Quia non potest commodè benedicere sponsos verbis illis: *Ego vos coniungo*, quæ Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* iubet Parochum proferre. Sic Petr. de Ledes. *qu. 45. art. 5. pun. 3. dub. 3. concl. 3.* Santi. *in select. d. 44. n. 13. & 14.* Sylui. Esti. Canus, & alij apud Leand. *tr. 9. d. 7. q. 13.*

465 Non peccat.

Minimè peccat. Quia nulla repugnantia apparet, vt Parochus non Sacerdos illa verba proferat. Ità Sanchez *lib. 3. d. 20. num. 4.* Basil. *lib. 6. cap. 17. num. 4.* & alij, quos sequitur Gutier. *de matr. cap. 62. num. 20.* & Palaus *d. 2. punct. 13. §. 9. n. 4.* Leand. *vbi supra.*

466 Idem affero & confirmo.

Posset quidem aliquis existimare, eum lethaliter delinquere, quia cum probabilis sit opinio non valere matrimonium Parocho non Sacerdote assistente, exponeret absque necessitate periculo veritatem Sacramenti. At nec hoc ex capite credo delinquere, quia vtens opinione probabili circa sacramenta non peccat, eo vel maxime quod est multo probabilior opinio asserens esse validum matrimonium.

DVBIVM XCIII.

An Parochus non Sacerdos possit facultatem Sacerdoti concedere, Vt matrimonio interfit.

467 Non potest.

NOn potest. Quia vt Stephanus, & Imola docent *Clement. 1. de priuil. num. 14.* Parochus non Sacerdos minimè potest concedere licentiam Religiosis ministrandi Eucharistiam eo quod per se ipsum ministrare non valet; & probatur ex *Cap. finali 46.* ibi: *sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attinet*: Ergo similiter si Parochus non Sacerdos nequit matrimonio assistere, nequibit etiam dare alteri, vt assistat, facultatem. Sic Doctores Dubio 101. citati pro prima sententia Nauar. *lib. 1. consil. tit. 31. cons.* 10. Manu. *tom. 1. sum. c. 219. num. 9.* Petr. de Ledes. *quæs. 45. art. 5. punct. 3.* Veracr. *in append. ad specul. dub. 5. concl. 2.*

468 Potest quidẽ.

Potest quidem. Quia durissimum esset intelligere, Tridentinum velle Parocho, qui omnia iurisdictionis nondum Sacerdos potest exercere, hoc vnum abnegare. Ità Sanchez *lib. 3. d. 20. num. 7.* Gutier. *de matr. c. 62. num. 22.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 9. num. 4. & 5.* Baun. *qu. 6. de matr. cland. dub. 11.* & alij.

469 Auctoris iudicium.

Ego quidem existimo, si sustineatur opinio asserens non posse Parochum non Sacerdotem matrimonio assistere, non videri à probabilitate alienum, nec licentiam posse Sacerdoti concedere, vt assistat. Cæterum multo probabilius iudico, eam licentiam posse concedere, quam vis ipse assistere minimè possit. Quia qualitatem Sacerdotis postulat Tridentinum in assistente-

stente matrimonio, vt cõuentius, ac fide dignius sit testimonium: quod intentum omnino seruatur, quando alius Sacerdos de licentia Parochi non Sacerdotis assisteret, non autem seruabatur, Parocho non Sacerdote assistente: (iuxta illam sententiam) vnde non mirum, si postularet Sacerdotium in Parocho assistenti, non autem in ipso assistendi licentiam concedenti. Porro certius esset, (fateor) si Ordinarius nondum Sacerdos hanc licentiam Sacerdoti concederet, quia respectu ordinarij nihil est in eo Tridentini decreto significans qualitatem Sacerdotij in eo desiderari.

DVBIVM XCIV.

An Parochus excommunicatus non toleratus, suspensus, vel irregularis possit validè matrimonio assistere.

469 *Nonnulla præmitto.* PRæmiserim, potest Concilium Constantiense, omnia gesta ab excommunicatis, suspensis vel irregularibus, dum denunciati non sunt, vel notorij clerici percussores, valida esse: secus autem si denunciati sunt, aut percussores Clerici notorij. Porrò hi, qui excommunicati, suspensi, vel irregulares, qui excommunicati non sunt aut excommunicati ob notoriam Clericorum percussionem, quos vitare non tenemur, tolerati dicuntur: quando verò denunciati sunt, vel notorij Clericorum percussores, dicuntur non tolerati. Quæsierim igitur vtrum Parochus excommunicatus, suspensus, vel irregularis non toleratus possit validè matrimonio assistere?

470 *Nõ potest validè assistere.* Non potest, validè assistere. Quia ille actus est iurisdictionis, siue Parochi, vt Parochus est, & non Ordinis, vt constat: sed gesta omnia excommunicati, suspensi, vel irregularis denuncianti valida non sunt. Ergo validè non potest matrimonio assistere. Sic Auila *de Censur. part. 2. c. 6. d. 3. dub. 1. concl. 1.* Videtur tenere Sa *verb. Matrimonium, num. 1.* fatus: sufficit & Parochus toleratus, etiamsi alioquin excommunicatus, aut suspensus, modo non sit per sententiam priuatus officio. Vbi expresse solum Parocho tolerato validè assistere concedit.

471 *Assistere validè potest.* Potest validè assistere. Quia præsentia Parochi requiritur in matrimonio quasi authoritatem præstans illi per potestatem, quam habet in subditos (vt docet Nauar. *l. 4. consil. tit. de sponsal. cons. 47. n. 6.*) Sed authoritatè præstare actui sua præsẽtia haud est actus iurisdictionis: Ergo potest valide fieri ab excõmunicato, suspẽso, seu irregulari non tolerato. Certè excommunicatus suspensus, vel irregularis dum Parochia non priuatur, manet in possessione, & verus est Parochus. Ita Sanchez *lib. 3. d. 21. num. 4.* citans Nauarrum, Salzed. Petr. de Ledes. & Henriq. Basil. *lib. 5. cap. 17. num. 6.* Suar. *de excom. d. 11. sect. 2. num. 2.* Vasq. *de excom. dub. 4.* Hurtad. *d. 5. diffic. 8. num. 26.* Diana *part. 3. tract. 41. resol. 233.* Palaus *d. 6. pun. 13. §. 10. n. 6.* Trul. *l. 7. c. 6. dub. 2. n. 12.* & alij.

472 *Hoc mihi probabilius.* Hoc longè probabilius, cum Parochus minimè sit sacramenti matrimonij Minister, nec per excommunicationem, suspensionem, aut irregularitatem sit Parochi officio priuatus. Et quamvis excommunicatus regulariter expellatur à testimonio ferendo, admittitur tamen in casibus, in quibus admittuntur infames: at in matrimonio infames admittuntur, vt docet Sanchez *l. 3. d. 41. n. 5.*

DVBIVM XCV.

An Parochus excommunicatus, suspensus, vel irregularis non toleratus possit facultatem concedere alteri Sacerdoti, vt matrimonio assistat.

473 *Non potest facultatem alij concedere.* ESt actus iurisdictionis, & ita nec licentia nec matrimonium valet. Quia est actus Parochi in quantum Parochus est, cum nullus alius eam facultatem valeat concedere: & non est actus Ordinis: Ergo iurisdictionis. Et quidẽ aliàs frustra Tridentinum soli Parocho potius quam alteri Sacerdoti non habenti iurisdictionem, dedisset authoritatem assistendi, & substituendi. Sic Petr. de Ledes. *de matr. qu. 45. a. 5. punct. 3. dub. 4.* Nauar. *libr. 3. consil. tit. de sponsal. consil. 47. numer. 6.* Coninch *d. 27. numer. 25.* Laym. *tract. 10. part. 2. capit. 4. num. 4.*

474 *Potest alij concedere facultatem.* Non est actus iurisdictionis, ac proinde tam licentia sic concessa, quàm matrimonium valet. Quia concessio illius facultatis non est actus Parochi formaliter, in quantum habet iurisdictionem, sed in quantum est testis legitimus matrimonij, & simul habens facultatem substituendi ad eum actum testificandum: sed si quis haberet mandatum nomine alterius, potestatẽque substituẽdi, illa substitutio est quidẽ actus potestaris substituẽdi, nõ tamẽ est iurisdictionis actus, vt cõstat, valideque ab excõmunicato nõ tolerato fieret: Ergo validè conceditur ea licentia à Parocho non tolerato. Ità Basil. *libr. 5. c. 17. nu. n. 14.* Sa *verb. Matrimonium. n. 1.* Henriq. *l. 11. c. 12. num. 5. & l. 13. c. 7. num. 7.* Rebel *l. 2. qu. 8. n. 8.* Diana *part. 3. tra. 4. resol. 233.* Hurtad. *d. 5. diffic. 8. n. 27.* Sanch. *l. 3. d. 22. nu. 7.* Machad. *l. 4 p. 2. tr. 2. docum. 16. n. 4.*

475 *Hanc eligo sententiam.* Hanc partem eligo, quia matrimonio assistere, non est actus iurisdictionis, vt Dubio proximo ostendi: Ergo per concessiones præfatæ licentiæ non delegatur aliquid partinens ad iurisdictionem: sed conceditur alteri licentia, vt tanquam testis legitimus matrimonio assistat. Certe multi Doctores asserunt, posse Episcopum excommunicatum non toleratum concedere facultatem confessiones audiendi, & extremè inungendi, nec hoc esse actum iurisdictionis; sed solam sibi competentis cessionem. Lege Paludanum *in 3. dist. 23. q. 2. n. 17.* D. Antonium *p. 3. tit. 14. c. 15. §. 5.* & Henriquez *l. 3. de confirm. c. 13. n. 3.*

DVBIVM XCVI.

An peccet, Parochus excommunicatus non toleratus coniugio assistens.

476 *Non delinquit venialiter.* NEc venialiter delinquit. Quia benedicere sponsos, quo ex capite solum poterat pi-

culi suspitio ingenerari : haud est iurisdictionis actus: Ergo nullo ex capite possumus asserere, huiusmodi Parochum vel venialiter delinquere. Sic Hurtad. *d. 5. disp. 8. n. 27.* qui quidem citãs pro hac sententia Thomam Sanch. proculdubio fallitur. Leand. *tr. 9. d. 7. q. 27.*

477 Venialiter delinquit.

Delinquit venialiter. Quia est iurisdictionis actus, benedicere sponsos illis verbis, quæ à Tridentino *sess. 24. c. 1.* præscribũtur: *Ego vos coniungo &c.* Ita Posseuin. *c. 10. n. 21.* Sanch. *l. 3. d. 21. n. 8.* Bauny *de cland. matrim. q. 6. dub. 8.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 233.*

478 Cum his ejiciuntur.

Scio Basiliũ *l. 5. c. 17. n. 11.* asseruisse huiusmodi Parochũ non solũ venialiter, sed lethaliter delinquere: quia tali in casu cum aliis communicat in Sacris, quod graviter excommunicata est interdictum. At ex hoc capite minimè delinquit assistendo matrimonio, quia cũ spectet ad munus suũ, cõmunicat in re necessaria: ex alio verò capite, peccat, nam videtur actus iurisdictionis sponsos benedicere: non tamen excedet veniale piaculum, quia in nullius id gerit præiudicium, & res est parui momenti, nec ad sacramentum necessaria, & si omittentur verba illa, tantum esset veniale, de quo inferius.

DVBIVM XCVII.

An matrimonium contractum coram Parocho habente Parochiæ possessionem absque vero titulo à legitimo superiore collato sit validum.

479 Validum est.

VAlidum est, si errore communi Parochus, verus habeatur. ¶ Quia tunc Ecclesia ob commune bonum, & publicam vtilitatem ei cõfert potestatem ad validè id officium exercendum iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. prator.* Sic Basil. *l. 5. c. 20. à n. 2.* plures citãs Leand. *tr. 9. d. 7. q. 30.*

480 Non est validum.

Non est validum, si absque titulo collato à legitimo superiore est intrusus. Quia in neutro foro valent gesta per illum, licet communis error facti accedat. *Cap. Infamis, vers. Verum tamen, 1. q. 7.* ibi: *seruus* dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dedit. & *l. Barbarius, ff. de offic. Prator.* ibi: *Cum populus Romanus etiam seruo potuisset decernere hanc potestatem.* vbi vtrumque ius non solum communem ponderat errorem, vt gesta valeant: sed etiam intercessisse ait authoritatem superioris delegantis potestatem & populi Romani potentis Prætoris munus conferre. Ità Sanch. *l. 3. d. 22. nu. 49. & 50.* afferens plus quam quadraginta Doctores Iuristas. Caiet. *sum. v. Confessionis iteratio.* Medi. *C. de confess tract. 2.* Palaci *in 4. dist. 17. d. 8.* Henriq. *lib. 6. cap. 7. num. 2.* Hurtad. *d. 5. disp. 8.* Ochag. *q. 9. n. 11.* & alij.

481 Auctoritas validum.

Existimo, matrimonium non valere, si absque titulo collato à superiore legitimo fuerit intrusus, ob rationem à secundæ sententiæ Auctoribus expressam: si autem titulum habuit à legitimo superiore, inualidum tamen ob vitium occultum, matrimonium valere; quia dum adest communis illa ignorantia veram Parochi in vtroque foro iurisdictionem habet, vt doctissime probat Sanchez *citatus n. 5. & 13.*

* *
*

DVBIVM XCVIII.

An Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ in tota Diœcesi matrimonio interesse possit.

481 Potest planè.

POtest planè. Quia est Parochus totius Diœcesis, censeturque Episcopi Vicarius in hoc, vt possit omniũ illius Diœcesis confessiones excipere ex *Cap. officium, de officio Archipresbyteri*, vbi inter eius officia numerantur, eorũ, qui foris adueniunt, confessiones audire: quasi illi cũ Parochia careant, debeant ad communem totius Diœcesis confluere: atque ita Ecclesiam Cathedralem esse communem totius Diœcesis, ita vt possit Archipresbyter illus omnibus Diœcesis sacramenta ministrare. Sic Rosel. *v. Archipresbyter numer. 1.* Sylvest. *ibi, quæstion. 1.* Angel. *n. 2.* Tabie. *initio*, Armil. *n. 3. & v. Absolutio. 1. n. 43.* Gutier. *l. 1. qq. canon. c. 27. n. 24.* & alij multi.

482 Minimè potest.

Minimè potest. Quia fert vsus, vt Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis possit solum ministrare sacramenta in sua Parochia: & subinde nisi esset alicubi Archipresbyter deputatus, ad quem possent omnes de Diœcesi gratia recipiendi sacramenta confluere non potest assistere matrimonio in tota Diœcesi, sed solùm in sua Parochia. Ità Palud. *in 4. dist. 17. qu. 4. art. 2. concl. 4. n. 8.* D. Antonin. *p. 3. tit. 17. c. 5.* Sanch. *l. 3. d. 27. n. 2.* & alij.

483 Sic quæstioni respondeo.

Sic quæstioni respondeo: Quando Archipresbyteratus est quædam præbenda, cui ex officio esset annexum omnium Diœcesis illius confessiones audire, tunc esset proprius Sacerdos, & ordinarius in tota illa, & posset vbique Diœcesis matrimonio assistere: secus quando hoc non habet ex officio, sed ex Episcopi commissione: tunc enim delegationi standum. Crediderim, forsam olim fuisse Archipresbyteros tam amplam habentes potestatem, modo tamen huiusdi vsum non video.

DVBIVM XCIX.

An Archiepiscopus possit assistere subditorum Episcopi suffragenei coniugio.

484 Potest omninò.

POtest omninò. Quia habet iurisdictionem ordinariam totius Prouinciæ: sed sat est, vt assistat Ordinarius Ergo potest Archiepiscopus. Et quia ea assistentia non est actus iurisdictionis, nec exigit in Parocho actualem iurisdictionis vsum, sed sat est habitualis iurisdictio, quamvis vsus sit impeditus: vt contingit in Parocho excommunicato: (de quo supra) sed Archiepiscopus habet habitualem iurisdictionem, quamvis vsum alligatum respectu Diœcesis suffraganei: Ergo potest matrimonio assistere. Sic Glos. *Cap. Per singulas, verb. Totius, qu. 3. & Cap. Pastoralis, in principio, v. Exceptis, de officio Ordinarij.*

485 Minimè potest.

Minimè potest. Quia non est Ordinarius ipsorum, nec habet iurisdictionem nisi in casis per appellationem ad ipsos deuolutis, & in aliis casibus singularibus, iuxta *Cap. Pastoralis*, in

iu principio, vbi omnes annotant. Ità Henriq. *libr.* 11. *capit.* 3. *numer.* 4. Petr. de Ledes. *quæs.* 45. *de matrimon. a.* 5. *punct.* 3. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 219. *num.* 16. Sanchez *lib.* 3. *d.* 28. *n.* 2. citans Spinum, & Segura.

489 *Hoc verum puto, primam sententiam improbo.*

Hoc verum, primamque sententiam parum, aut nihil probabilitatis habere iudico. Illæ enim Glossæ asserentes, Archiepiscopum iurisdictionem in suffraganeos subditos habere, intelligendæ sunt, dum ad Archiepiscopum appellant.

DVBIVM CXI.

An Vicarius generalis Episcopi, & aliorum habentium iurisdictionem quasi Episcopalem sit Ordinarius, vt coniugio interfit, & alij assistendi licentiam impendat.

487 *Ordinarius non est, vt intersit, & licentiam concedat.*

ORdinarius non est. Quia hoc distat inter iurisdictionem ordinariam, & delegatam, quod illa, mortuo concedente, adhuc permanet: hæc autem, si res est integra, extinguitur ex *Cap. Licet vndique, de officio delegati. Cap. Gratum, & Cap. Relatum:* sed iurisdictio Vicarij morte Episcopi extinguitur: Ergò non est Ordinarius. Igitur nec assistere matrimonio potest, nec alij assistendi licentiam impertire. Sic Glossa *Cap. Perlectis ver. & iurgia, dist.* 25. vbi concludit, solum Episcopum esse Ordinarium in sua Diœcesi. Goffred. *sum. tit. de offic. Vic. ar. num.* 2. Alciat. *rubr. de offic. Ordinar.* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *question.* 4. *art.* 3. Gomez *in Bul. cruciat. capit.* 4. *circa* 4. *question. numer.* 11.

488 *Est ad id Ordinarius.*

Est Ordinarius. Quia iurisdictio concessa à Canone, vel lege, est Ordinaria, vt probant textus relati pro prima sententia: At quamvis Episcopus constituat Vicarium generalem, non tamen ei confert iurisdictionem quam habet, sed à Canone ei impenditur, vt patet ex *Cap.* 2. *de offic. Vicarij in* 6. Ergo eius iurisdictio est Ordinaria. Igitur matrimonio potest assistere, & aliis assistendi facultatem concedere. Ita Nauar. *lib.* 4. *consil.* 14. *numer.* 1. Couar. 3. *var. capit.* 20. *numer.* 4. Vgolin. *de censur. tabu.* 1. *capit.* 2. §. 10. D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 19. *capit.* 10. §. 2. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 3. *& liter. M.* Manu. *tom.* 1. *sum. c.* 219. *num.* 15. Ludou. Lopez *par.* 1. *Instruct. c.* 284. Sanch. *l.* 3. *d.* 29. citans ex Iuris peritis penè innumeros.

489 *Cur hiu sentio.*

Cum his sentio, quia eadem est iurisdictio Episcopi, & Vicarij, idemque tribunal, vt asseritur *Cap. Romana, & Cap.* 2. vbi etiam subiungitur ratio, cur à Vicario ad Episcopum non appelletur, ne scilicet ab eodem ad se ipsum appellari videatur. Ergo Ordinarius est, & ideo potest & matrimonio adesse, & id aliis gerendi licentiam impendere.

DVBIVM CXII.

An Vicarius generalis Episcopi, ex proprio officio absque speciali commissione, coniugiis interesse, & aliis assistendi licentiam concedere possit.

490 *Non potest.*

NOn potest. Quia Vicarius ex generali commissione non potest de causis matrimonialibus cognoscere: Ergo nec aliquos matrimonio copulare, vel aliis id gerendi licentiam impertire. Antecedens probo ex *Cap. Accedentibus, de excess. Prælator.* vbi dicitur, hãc cognitionem esse Episcopalis dignitatis: & Tridentinum *sess.* 24. *c.* 10. dicit ad solos Episcopos hoc pertinere. Sic Anton. *Cap.* 1. *de consang. n.* 11. ibi Abbas *n.* 11. Præpos. *n.* 4. Bertachin. *tr. de Episc. l.* 4. *p.* 6. *qu.* 20. Rebuf. *prax. Benef. nu.* 157. Cucus *l.* 1. *instit. maio. tit* 8. *n.* 1. & alij.

491 *Potest quidem.*

Potest quidem. Quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. expressè dicit, posse assistere matrimonio Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Ordinarij: sed vicarius Episcopi est ordinarius, comprehenditurque in decretis mentionem de Ordinariis facientibus (vt probat Sanch. *l.* 3. *d.* 19. *n.* 3. & 5.) Ergo potest assistere, & assistendi licentiam impertire. Ita Sanch. *ibi, nu.* 18. Nauar. *l.* 4. *consil. tit. de sponsal. consil.* 47. *n.* 1. & 2. Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *n.* 4. Salzedo *pract. c.* 75. *vers.* 14. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 219. *n.* 15. Spino *specu. testam. Glossa* 15. *n.* 38. & alij.

491 *Hoc mihi verius.*

Multo verior hæc mihi sententia; quia idem est proprius Sacerdos, ad audiendas confessiones, & ad assistendum matrimonio: sed Vicarius generalis ex proprio officio absque speciali cõmissione est proprius Sacerdos ad confessiones audiendas: Ergo & ad matrimonium, vt assistat, & licentiã assistendi concedat. Abnego autem non posse Vicarium de causis matrimonialibus cognoscere: potest enim non obstantibus textibus dicentibus, id ad Episcopos spectare: non enim ob id Vicarius excluditur.

DVBIVM CXIII.

An valeat, matrimonium, si priuatus Sacerdos, cui Parochus committit vt assistat ei, exeta Parochiam committentis assistit.

493 *Nonnulli suppone.*

QVamvis interesse matrimonio propriè nõ sit iurisdictionis actus, reducitur tamen ad iurisdictionem voluntariam: atque ità potest Parochus proprius extrà Parochiam hunc actũ exercere. Quæsierim autem de Sacerdote ad id delegato, num extra Parochiam committentis possit matrimonio assistere?

494 *Non erit validum matrimonium.*

Assistere non potest, nec validum matrimonium erit. Quia quamvis omnes fateantur, posse Ordinarium extra territorium, iurisdictionem volũtariam exercere: at de delegato, inferioris Principe negat *lex* 2. *ff. de offic. Proconsul.* ibi: *Omnes Proconsules statim quod Vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem, non tamen contentiosam, sed voluntariam, vt ecce manu mitti, Apud legatum vero Proconsulis nemo manumittere*

mittere potest, quia non habet iurisdictionem talem. Sic Bart. *l.* 1. *num.* 40. Bald. *l.* 2. *in principio, num.* 1. Albertin. *ibi, num.* 10. & alij. Fauent qui fatentur, confessiones ordinarios posse excipere confessiones subditorum extra Diœcesim, seu delegatos. Rosel. *v. confessio*, 3. *numer.* 3. Angel. *confessio* 3. *num.* 16. Sylvest. *v. confessor* 1. *q.* 14. §. 12. Tabie. *v. Absolutio* 1 *q.* 33. *nu.* 55. Nauar. *sum. c.* 27. *num.* 265. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 17. *c.* 10. & alij.

495 *Validum erit.* Potest matrimonio assistere, & validum erit. Quia textus indistinctè docent, posse iurisdictionem voluntariam extrà territorium exerceri, nec faciunt vim in eo, quod iurisdictio exercentis ordinaria sit, sed quia nulla irrogatur iniuria alieni territorij Iudici, cum absque strepitu aut figura iudicij exerceatur: quæ ratio æquè militat in Iudice ordinario, & delegato. Igitur non solum proprius Parochus sed etiam Sacerdos de illius licentia assistens matrimonio valide extra Parochiam assistere, sicut si Parochus ipse interesset. Quia iurisdictio voluntaria, ad quam hæc assistentia reducitur, potest validè ab ordinario, & à delegato extra territorium exerceri. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 34. *numer.* 2. & 3. Victor. *sum. de confes. num.* 151. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæs.* 4. *a.* 3. Henriq. *libr.* 6. *c.* 7. *n.* 1. & alij asserentes Religiosos exposito virtute *Clement. Dudum*, posse audire confessiones extra Diœcesim, cum tamen delegati sint.

496 *Ratio dubii.* Multo veriorem hanc partem existimo, quã confirmarim ex Doctoribus asserentibus, Vicarium ex delegatione Episcopi conferentem Beneficia, posse extrà Diœcesim conferre, Dominic. Rebuf. Boeri. Corset. Pauin. & alij apud Sanchez *citatum num.* 2.

DVBIVM CIV.

An Requiratur, licentia specialis Parochi, vt alienus Sacerdos possit matrimonio assistere.

497 *Necessaria est expressa licentia.* NEcessaria est expressa licentia. Quia quæ speciali nota sunt digna, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta, *leg. Item apud Labeonem* 15. §. *Ait Prætor. ff. de iniuri.* Cum ergo matrimonium res grauissima sit, & ardua, *Cap. finali de procurat. in* 6. erit speciali nota dignum, & subinde nisi exprimatur, non videtur concessum. Sic Spino *speculi testam. glossa* 15. *num.* 37. Veracr. *append. ad specul. dub.* 5. *concl.* 7.

498 *Non est necessaria.* Non requiritur licentia specialis ad matrimonium, vt distinguitur contra generalem, sed satis est generalis, quia Parochus concedit alicui Sacerdoti licentiam ad exercendum in sua Parochia, quæ ad curam animarum pertinent. Quia Tridentinum *sess.* 24. *capit.* 1. tantum petit, vt interfit coniugio Parochus, vel alius Sacerdos de eius licentia: Ergo cum corrigit ius antiquum, non est extendendum, vt exigat licentiam specialem. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 35. *numer.* 7. Nauar. *libr.* 4. *consil. tit. de sponsal. consil.* 27. Rota in nouissimis dicens, sic decidisse Cardinales, *decis.* 750. *numer.* 1. *tom.* 1. Mann. *tom.* 1. *sum. capit.* 219. *num.* 13. Henriq. *libr.* 11. *capit.* 3. *numer.* 5. vbi dicens requiri licentiam specialem cautè addit, nec satis esse generalem administrandi sacramenta, quæ solet per Bullam, aut Episcopi approbationem concedi: quasi dicat sufficere generalem, quæ manifestè continere videtur matrimonium.

Hoc verius reor, quia regulariter dispositio, & concessio generalis est generaliter intelligenda, *Cap. si Romanorum, dist.* 19. Ergo illa licentia generalis ad exercendum animarum curam est intelligenda generaliter, vt etiam matrimonium includat. 499 *Hoc verius puto.*

DVBIVM CV.

An sufficiat licentia tacita: quæ habetur ex ratihabitione de futuro, vt Sacerdos alienus matrimonio assistat.

500 *Sufficit quidē.* SVfficit quidem. Quia nullus potest ministrare Eucharistiam (v. gr.) aut Extremam vnctionem alieno Parochiano sine proprij Parochi licentia, cum hoc sit proprij Parochi munus. Trident. *sess.* 24. *c.* 13. sed potest alienus Parochus ministrare ex ratihabitione de futuro, quando nimirum attentis circumstantiis personæ, temporis, & loci, probabiliter creditur Parochum ratum id habiturum: Ergo similiter poterit assistere matrimonio ex ratihabitione de futuro. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 23. *q* 2. *n.* 14. D. Antonin. *p.* 3. *tr.* 14. *c.* 15. §. 5. Caiet. *sum. v. Vnctio extrema, q.* 4. Tabie. *ibi, quæs.* 5. Armil. *nu.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *q* 2. *a.* 1. Nauar. *sum. c.* 21. *n.* 52. Henriq. *l.* 3 *c.* 6. *n.* 6. Barth. à Ledes. *de Extre. Vnct. dub.* 6.

501 *Non sufficit.* Non sufficit licentia tacita ex ratihabitione de futuro. Quia cum ea licentia ad matrimonij valorem requiratur, debet adesse, cum celebratur matrimonium: At cũ est tãtum ratihabitio de futuro, non est licentia de præsenti, cum matrimonium celebratur: Ergo non sufficit. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 35. *num.* 4. Henric. de Ganda, *quodlib.* 1. *quæs.* 30. Capreol. *in* 4. *dist.* 19. *quæs. vni. art.* 3. *ad* 1. Fr. Alexand. *sum. p.* 1. *c.* 5. *n.* 55. Suar. 3. *p. q.* 82. *a.* 3. *d.* 72. *sect.* 2.

502 *Hoc verum, illud improbabile esse ostendo.* Partem hanc veram, primam verò improbabilem esse putarim, quorum Doctores non loquuntur de matrimonio, & pœnitentia, sed de aliis sacramentis, vbi lata est differentia. Nam quando licentia & iurisdictio est necessaria ad valorem rei, vt in pœnitentia, & matrimonio, non satis est ratihabitio de futuro; quia licentia debet præcedere: at in ratihabitione de futuro non præcedit licentia, & consensus, sed tantum est probabilis præsumptio consensus postea præstandi. At vbi non requiritur ad substantiam actus, sed ad solum debitum ordinem licentia, vt in reliquis sacramentis, satis est probabilis spes, ac præsumptio voluntatis Pastoris. Enim vero licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti, sufficit, vt alienus Sacerdos possit matrimonio interesse, vt quando videnti, ac tacente Ordinario, aut Parocho, potentique contradicere assistit; quia scientia, ac patientia in iis, quæ sunt modici præiudicij consen-

sum operatur, vt docet Bart. *l. Quæ dotis numer. 24. ff. Solu. matrim.* Abbas *Cap. Nonne, numer. 3.* & multis citatis, Mascard. *de probat. concl. 1158. num. 34.* sed hæc assistentia matrimonio, modicum, aut nullum præiudicium Parocho infert; Ergò illa scientia, ac patientia consensum, legitimamque licentiam inducit.

DVBIVM CVI.

An Sacerdos debeat, credere dicentibus, se habere licentiam à Parocho, vt iungat eos matrimonio.

503 *Credere debet.* CRedere debet. Quia hic solum agitur de periculo animæ contrahentium, cum nulli alij damnum sequatur: At nemo præsumitur suæ salutis immemor *l. Sancimus, C. de Sacros. Eccl.* & *Cap. penultimo 1. quæst. 7.* ibi: *Et licet neminem diuini timoris contemnendo iureiurando, arbitremur immemorem, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat.* Et quia sicut matrimonium est irritum absque præsentia Parochi vel alterius Sacerdotis de eius licentia: ita confessio est inualida facta alieno Sacerdoti, non habenti legitimam audiendi facultatem: & tamen Religiosus debet credere pœnitenti dicenti, se habere licentiam à proprio Parocho, vt illi sacramenta confessionis ac Eucharistiæ ministret, vt communiter à Doctoribus asseritur: Ergò similiter debet credere dicens, se habere licentiam à proprio Parocho, vt matrimonio colligetur. Sic colligitur ex doctrina Armillæ *verb. Absolutio, numer. 20.* D. Tho. *quodlib. 1. art. 12. & in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 5. ad 2.* Richar. *dist. 17. art. 3. quæst. 2. ad 3.* Gabriel. *d. 17. quæst. 2. art. 3. dub. 1.* Turrecr. *Cap. Quem pœnitet, de pœnit. dist. 1. num. 18.* Angel. *verb. Confessio 3. num. 32.* Tabie. *verb. Absolut. 1. q. 14. num. 45.*

504 *Non debet credere.* Non debet credere. Quia licet in foro pœnitentiali, ad quem pertinet confessio, Eucharistia, & extrema vnctio credatur dicenti, se habere licentiam: at in foro externo, & in spectantibus ad ipsum minimè creditur, vt constat ex *Cap. sicut, de sent. excommun.* vbi probatur non adhiberi fidem excommunicato dicenti, se absolutum esse ab excommunicatione, ibi: *Nisi excommunicati literas absolutionis ostendant, aut alio modo legitimè de eorum absolutione constet.* Cuius rationem reddit D. Tho. *quodlib. 1. art. 12.* quia excommunicatio pertinet ad forum externum: sed matrimonium ad forum externum pertinet, & externam Ecclesiæ gubernationem: Ergo non credendum dicenti, se habere licentiam. Ità Sanchez *libr. 3. d. 37. numer. 2.* Abbas *clem. 1. de priuil. num. 5.* Bonif. *num. 28.* asserit non esse credendum dicenti, se facultatem habere, vt alienus Sacerdos benedicat nuptias.

505 *Auctoris sententia.* Ego existimo, regulariter non esse credendum cuilibet dicenti se huiusmodi facultatem habere: si autem persona affirmans esset valde fide digna, posse ei fidem adhiberi. Quia licèt *Cap. sicut*, dicatur, non esse credendum excommunicato dicenti, se esse absolutum nisi id legitimè ostendat: aliqui Doctores vt Palud. *in 4. d. 18. quæst. 6. art. 2. num. 5.* Angel. *v. excommunicatio 8 num. 16.* Sylvest. *ibi. 5. §. 26.* Nauar. *sum. cap. 17. num. 39.* docent, satis esse, si excommunicatus sit persona fide digna, & asserat se absolutum esse: Ergò similiter in matrimonio est dicendum.

DVBIVM CVII.

An ad valorem matrimonij sint necessaria illa verba quæ à Parocho proferuntur: Ego vos coniungo, &c.

506 *Necessaria sunt.* NEcessaria sunt. Quia huius Sacramenti sunt forma: sed sine forma haud potest consistere Sacramentum: Ergo sunt ad eius valorem necessaria. Sic Canus, Estius, & Sylnius quos citat Leand. *tr. 9. d. 4. q. 9.* Et quia verba ea, *Ego vos coniungo* sunt vera: Ergo efficiunt, quod significant: Ergò verè Sacerdos conficit matrimonium. Sic Zephalus *volum. 4. consil. 540. num. 47.*

207 *Non sunt necessaria.* Non sunt necessaria, & licèt omittantur, validum erit matrimonium. Quia Sacerdos non est huius sacramenti Minister, nec eius verba sunt materia, vel forma: Ergò ea verba non sunt de essentia. Antecedens iam supra probaui. Et quia Tridentinum petit indeterminata verba, cum petat hæc, vel alia iuxta patriæ consuetudinem: Ergò ea non sunt de necessitate sacramenti siquidem necessaria sacramenti necessitate debent esse determinata. Ità Sanchez *lib. 3. d. 38. num. 4.* Veracr. *append. ad specu. dub. 4. conel. 3. & 4.* Segura *2. p. director. Iudic. cap. 15. num. 52.* Hentiq. *lib. 11. cap. 2. num. 7.* Viuald. *Candelab. p. 1. de matr. n. 22. & 241.* Manu. *to. 1. sum. cap. 216. nu. 3.* Palaci. *in 4. dist. 27. d. 1.* Barth. à Ledes. *de matr. dub. 21. concl. 3.* Petr. Ledes. *q. 43. a. 1. dub. 4. concl. vltim.* asserens, sic Cardinalium Sacram Congregationem declarasse.

508 *Hæc mihi probabilius.* Hoc longe probabilius, imò mihi certum reor. Quia Tridentinum in clausula irritante tantum expressit, *Qui aliter quam præsente Parocho*, nec explicuit, dicente verba, & est decretum correctorium: Ergò extendendum nō est, vt debeat Parochus de necessitate Sacramenti verba proferre.

DVBIVM CVIII.

An mortale sit, à Parocho, vel à Sacerdote, assistente matrimonio, præfata verba Ego vos coniungo, *omitti.*

509 *Nonnihil suppono.* SVppono ea verba esse de præcepti necessitate, quare delinqueret Parochus ea omittens. Quia Tridentinum vtitur verbis præcepti: *Præcipit Sancta Synodus, vt Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo: vel aliis vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum.* Quæsierim verò, an culpa lethalis sit ea omittere verba?

Mortalis

510 Mortale est. Mortalis est. Quia res est grauis, & Conciliũ vtitur verbo præceptiuo. Sic Salzed. *in pract. c.* 73. Vega *libr.* 6. *sum. casu* 112. & 126. Zanard. *in director. part.* 1 *de matr. cap.* 10. *quæst.* 27. Rebel. *p.* 2. *l.* 2. *q.* 7. *sect.* 5. *n.* 4. & alij.

511 Non est mortale. Non est mortale piaculum sed veniale. Quia non est res grauis, cùm & verba non sint sacramenti forma, nec ad solemnitatem magni momenti pertineant, nec magnæ significationis mysterium includant. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 38. *num.* 7. Basil. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 2. Gutier. *de matr. cap.* 69. *num.* 16. Coninch *d.* 17. *num.* 45. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 15. *num.* 50. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 156. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 6. *n.* 3. Palaus *d.* 2. *pun.* 13. §. 8. *nu.* 12. Bauny. *q.* 6. *de matr. cland. dub.* 10. Trul. *l.* 7. *c.* 6. *dub.* 5.

512 Cautio. Consentio, quia quamvis Tridentinum verbis præceptiuis vtatur, at sub illo præcepto non continetur tantum, vt Parochus ea verba proferat, sed alia magni momenti, nempè, vt præmittantur denunciationes, & vt matrimonium coram Parocho, ac testibus celebretur &c. Cum ergo hoc solum non sit huius præcepti materia, sed cõtineatur inter alia grauiora, & hoc quid leue sit, eius omissio lethalis non erit. An non iisdem verbis præcipit ibi Concilium vt Parochus interroget contrahentes de mutuo consensu, & tamen (vt Dubio proximo ostendam) eius omissio lethale piaculum non erit? Ergò nec verborum omissio.

DVBIVM CIX.

An Parochus teneatur, sub mortali contrahentes de mutuo consensu interrogare, quando ei constat ex verbis ab vtroque sponso prolatis.

513 Certum est teneri interrogare. CErtum est, teneri Parochum contrahentes interrogare de mutuo consensu, nempè virum, an velit fœminam ducere in vxorem: & fœminam, num lubeat eum accipere in maritum. Quia id præcipit Tridentinum, *sess.* 24. *c.* 1. Quæsierim verò, an huius interrogationis omissio sit lethale piaculum.

514 Sub mortali tenetur. Tenetur sub mortali etiamsi ei constet de mutuo consensu, dùm coram illo contrahentes non interrogati proferunt verba, quibus consensum exprimunt. Quia id præcipit Conciliũ cui in re tam graui non obedire, culpa lethalis est. Sic Vega *l.* 6. *sum. casu* 112.

515 Non tenetur sub mortali. Non tenetur sub mortali, sed sub veniali solummodo. Quia est res leuis. Ità Sanchez *l.* 3. *d.* 38. *n.* 9. Veracr. *append. ad spec. dub.* 1. *concl.* 4. Anton. Cucus *l.* 5. *institut. tit.* 11. *n.* 32. Coninch. *d.* 27. *n.* 74. Gutier. *de matr. c.* 69. *n.* 17. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 194.

516 Sic sub veniali teneri, si contrahentes consensum exponunt, existimo. Ego autem tantorum Doctorum venia, crediderim, culpæ mortalis esse reum Parochum, qui de mutuo consensu non interrogat, cum contrahentes illum non exponunt; quia tunc grauis res est interrogationis omissio, vt de se constat, quo in sensu Vega audiendus. At si contrahentes non interrogati consensum exponant existimo, nec venialem esse culpam interrogationem omittere. Ad quid enim necessaria est interrogatio, si id quod sciendum erat interrogatione, iam ex eorum expressione cognoscitur? Mecum Leand. *tr.* 9. *d.* 7. *q.* 33. & Basil. *l.* 5. *c.* 21. *n.* 3.

DVBIVM CX.

An teneatur sub mortali Parochus interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, vbi non sit ei compertissimum, nullum subesse impedimentum.

517 Tenetur sub mortali. SVb mortali tenetur. Quia alias agit contra mandatum Concilij in re grauissima, vt patet ex *Cap. finali, de clandest. despon. in principio*, vbi postquam dicitur; præmittendas esse denunciationes, subditur: *Et ipsi Presbyteri nihilominus interrogent vtrum aliquod impedimentum obsistat.* Sic Veracruz *in append. ad spec. dub.* 2. *concl.* 1.

518 Non tenetur sub mortali. Non tenetur. Quia ea interrogatio petitur à Concilio, vt fiat, dum sunt in facie Ecclesiæ, id est coram testibus, dum volunt iam contrahere: at non est credendum voluisse interrogationem rei tam necessariæ fieri, cum iam volunt contrahere, præcipuè cum iam præcesserint denunciationes, Ergò non præcipit, vt vir & mulier interrogentur de impedimento, sed de consensu mutuo, vt constat ex verbis illis immediatè sequentibus: *Et mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos coniungo.* Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 38. *n.* 10. Leand. *tr.* 9. *d.* 7. *q.* 34. citans Basilium, Gutierrez & Dianam.

519 Nec sub veniali teneri reor. Nec sub veniali teneri reor Parochum de impedimento obstante interrogare. Quia cum ad matrimonium deuenitur, iam præcessêre denunciationes, ex quibus constare debet, an aliquod subsit impedimentum. Quod si ex Ordinarij dispensatione hę non præmittantur, ad ipsum Ordinarium spectat, informationem præmittere de impedimentis: Parochi autem solũ est obedire Ordinario præcipienti, vt eos coniungat. Quando verò in casu necessitates vrgentis, quia non est ad Episcopum aditus, ipso inconsulto, denunciationibus omissis, Parochus coniugio præesset: tunc tenetur (sub mortali quidẽ) diligẽter inquirere, an subsit impedimentum quia loco Episcopi succedit.

DVBIVM CXI.

An ad matrimonij valorem sufficiat, Parochum per interpretem contrahentium mutuum consensum intelligere.

520 Non sufficit. NOn sufficit. Quia repugnat testimonij natura, vt quis sit testis fidem faciens de iis quæ per interpretem dignouit, cum debeat deponere de iis, que nouit per proprium sensum. Sic Basil. *l.* 5. *c.* 21. *n.* 10. & 11.

521 Sufficit quidẽ. Sufficit planè. Quia cæteri contractus possunt per interpretem celebrari *lib.* 1. §. *finali, ff. de verbor. obligat.* ibi: *sed verum puto, vt omnis sermo contineat verborum obligationem, ita vt alter alterius linguam intelligat, siue per se, siue per verum interpretem*: Ergo & matrimonium. Et quia magis essen-

tiale est, vt ipsi contrahentes consensum mutuum intelligant, cum hoc sit de iure naturæ, & diuino ab initio requisitum in matrimonio: sed sufficit, vt alter explicet consensum per interpretem: vt docet Glossa *Cap. Exliteris de sponsal. verb. Intellexerit* & *ibi* Ioan. Andr *num.* 5. Abbas *num.* 3. Præpositus. *num.* 4. Ergo similiter sufficiet, vt constet Parocho, & testibus de mutuo consensu per interpretem. Ita Verar. *append. ad spec. dub.* 2. *concl.* 5. & *dub.* 3. *concl.* 3. Anton. Cucus *lib.* 5. *institut. tit.* 11. *num.* 34. Viuald. *Candelabro* 2. *p. de matr. num.* 36. Bauny. *tr.* 12. *q.* 4. *de matr. clandest.* Trull. *l.* 7. *dub.* 5. *n.* 1. Diana *p.* 10. *tr.* 13 *resol.* 17. Filliuc. *tr.* 10. *n.* 224. Sanch. *l.* 3. *d.* 39. *n.* 3.

522 *Auctoris sententia.* Cum his opinabar aliquando sciens, in sacramento matrimonij non exigi maiorem notionem eorum, quæ fiunt, quam in sacramento Pœnitentiæ, in quo Confessarius Iudicem agit: attamen geri confessio potest per interpretem, cum confessarius pœnitentem capere non valet: Ergo. Cæterùm iam existimo (morem Basilio aliqualiter gerens) non sufficere ad valorem matrimonij consensum contrahentium præcisè intelligere per interpretem: aptè tamen casu, quod dicto interpretis aliqua consensum moraliter exprimentia adiungantur; quia sic & non aliter potest Parochus fidem facere de iis, quæ per interpretem simul ac per proprium sensum agnouit.

DVBIVM CXII.

An si Parochus accedit animo attendendi, sed contractus tempore mente distrahitur, sufficiat ad matrimonij valorem.

523 *Sufficit plane.* SI Parochus accessit animo attendendi, quāvis tempore contractus mente distrahatur, sufficit ad matrimonij valorem. Quia habet intentionem virtualem quæ pro aliis sufficit sacramentis, & Missa. Sic Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *n.* 1. & *lit. F.* Probabile indicat Filliuc. *tr.* 10. *num.* 224.

524 *Non sufficit.* Minime sufficit sed necessaria est actualis attentio. Quia ad effectum testificandi de matrimonio contracto, perinde est, quandò actu Parochus non aduertit, ac si absens omninò esset. Et quia in Pœnitentiæ sacramento dum Sacerdos est futurus peccatorum Iudex, quantumuis voluerit aduertere, si actu non aduertat, minimè sufficit: Ergo nec in Sacramento Matrimonij vbi Parochus est velut testis. Ità Sanchez *l.* 3. *d.* 39. *n.* 5. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 15. *num.* 48. Trull. *l.* 7. *dub.* 6. *n.* 1. Amicus Perez, Leandr, quos refert, ac sequitur Diana *par.* 10. *tr.* 21. *resol.* 10. adiicies, contrariā sententiā nō esse probabilē.

525 *Primam partem probabilē quidem secundam probabiliorem longè esse puto.* Quod quidem non admitto. Mihi enim sufficit doctissimi Henriquez mei placitum esse, vt existimem satis esse probabile præcipuè cum Sanchez ac Filliucius citati haud obscurè eius probabilitati annuant, & Leander probabiliorem longè solum secundam affirmet. Idem mihi asserendum, quia in Missa (cuius paritatem Henricus adducit) requiritur attentio, non vt audiens sit testis, sed vt debita reuerentia Sacrificio seruetur, & sit ille Religionis actus: quod debitè seruatur, quando audiens voluit attendere, & præter intentionem ex fragilitate diuagatur: ad omnia etiam sacramenta requiritur intentio conficiendi, & recipiendi sacramentum, ne confectio, & susceptio sit actus fictitius, & vanus, quæ intentio virtute durat, dum à principio est habita, nec contrariā mutuatur: attentio autem, & aduertentia Parochi, & testium desideratur, vt ipsorum testimonio comprobari possit matrimonium, Ecclesiæque constet: quod testimonium nullatenus ferre possunt, nisi actu aduertant.

DVBIVM CXIII.

An si Parochus, vel testes casu transeant: Matrimonium coram eis contractum sit validum.

526 *Validum est.* MAtrimonium initum coram Parocho, ac testibus casu transeuntibus validum est. Quia cum aduertant, verè dicuntur præsentes, cum præsentia ad valorem matrimonij petita contenta sit sola intellectus aduertentia, qua ritè testimonium cōtracti matrimonij possit perhiberi. Sic Petr. de Ledes. *de matr. qu.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 2. Filliuc. *tract.* 10 *num.* 225. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 15. *numer.* 50. Gutier. *cap.* 69. *num.* 1. Reginal. *lib.* 31. *num.* 182. Sanch. *lib.* 3. *d.* 39. *n.* 11.

527 *Non est validum.* Non est validum, Quia casu transeuntes nō dicuntur moraliter præsentes. Et quia vt Parochus vel testes dicantur præsentes, requiritur, vt sint, ad eum casum formaliter adhibiti, rogati, & vocati. Sic quidam apud Petr. de Ledes. *eo dub.* 2. Leand. *tr.* 9. *d.* 7. *q.* 38. Basil. *l.* 5. *c.* 11. *n.* 4. Bonac. *q.* 2. *pun.* 8. *n.* 20.

528 *Auctoris iudicium.* Ego quidem si ratione nitar, existimo, hoc minus verum esse, cum transeuntes Parochus & testes ità testificari possint, si aduertant, ac si data opera vocati, & rogati interessissent. Verum si certæ sint eminentis Cardinalium declarationes, quas adducit Farinaci. *pag.* 268. & 273. & Rebel. 2. *part. l.* 4. *fine pag. mihi* 194. fere certam secundam sententiam esse putarim Audi declarationem à Rebello memoratam. *Parochus ita præsens matrimonio debet esse, vt appareat, à contrahentibus, hac de causa adhibitus fuisse.* Quod, me authore, satis apparebit, si Parochum casu transeuntem moneant prius contrahentes se velle contrahere. De aliis verò testibus non dubito, quin eorum casualis præsentia sufficiat etiam minimè prius admonitorum, dummodo videant fieri contractum, vt docuit Segura *p.* 2. *direct. ac.* 15. *n.* 54. & approbat Sanch. *vbi supra.*

DVBIVM CXIV.

An si Parochus, aut testes dolo aduocantur, aut vi adducuntur, & contra eorum voluntatem retenti assistant coniugio: valeat, matrimonium.

529 *Non validum.* NOn valet. Quia testes matrimonij esse debēt specialiter vocati, & rogati, vt amplius rei

rei grauissimæ intenti certius possint testimoniũ exprimere, quod nequeunt facilè qui inuiti trahuntur, quorum attentio solummodò ad vim repellendam accurrit. Potest id probari ex *Lege Qui testamento ff. de test.* ibi: *Sed si testes detenti sint inuiti putant, non valere testamentum.* Sic Segura 3. *part. director. cap.* 15. Petr. Ledel. *qu.* 45. *artic.* 5. *punct.* 3. *dub.* 2. asserens, seclusa Cardinalium declaratione, hoc esse probabile. Azeued. *libr.* 5. *recopil. titul.* 1. *lib.* 1. *numer.* 39. non audet asserere, valere coniugium coram Parocho, ac testibus dolo aduocatis.

530 Valet præsente. Quamvis Parochus, & testes sint dolo vocati, vel vi detenti, valet matrimonium, dummodò contrahentium consensum intelligant. Quia *l. Coram Titio* 209. *ff. de verborum obligat.* dicitur: *Scire autem, non etiam velle, is debet, nam etiam, eo inuito, rectè fit.* Vbi deciditur, dici aliquid coram aliquo fieri, quamvis inuitus adsit, si aduertat. Cum ergo Tridentinum solùm exigat, matrimonium celebrari coram Parocho, & testibus, satisfit, si ipsis præsentibus quamvis inuitis celebretur. Deindè saltatur finis illius decreti, cum iam coniugium illud constet Ecclesiæ, nec eo spreto, possunt aliud inire. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 39. *numer.* 9. Nauar. *lib.* 4. *consil. titul. de sponsal. consil.* 20. Petr. de Ledes. & alij à Santio citati. Villalob. *tractat.* 13. *diffic.* 22. *numer.*; Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 15. *numer.* 50. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 8. *num.* 1. Basil. *lib.* 5. *cap.* 21. *nu.* 5. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 215. Leand. *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 39. & alij.

531 Idem affirmo. Idem affirmo, quia sæpè hoc fuisse à Sacra Cardinalium Congregatione declaratum refert Rebel. *part.* 2. *lib.* 4. *fine pag. mihi* 396. Vnicam declarationem expono. *An verò si inuitus, & compulsus per vim adsit Parochus, dùm contrahitur matrimonium, præcedente, vel non præcedente supradicta prohibitione Ordinarij tale matrimonium subsisteret? Respondit Congregatio, subsistere.* Vndè cum formidine primam sententiam probabiliter posse defendi asseruerim, sicut Segura asseruit.

DVBIVM CXV.

An si Parochus inuitus assistit, & affectat non intelligere, aures, & oculos occludit, nihil eorum, quæ geruntur videns, & audiens valeat matrimonium.

532 Non valet. NOn valet. Quia tunc re vera non est præsens, nec potest de coniugio illo testificari. Sic Sanchez *lib.* 3. *d.* 39. *numer.* 6. Trullench. *libro* 7. *capite* 6. *dubio* 5. *dicto* 3. *numero* 3. & alij.

533 Valet quidem. Valet quidem. Quia eo ipso quod Parochus affectat non intelligere admonitus primùm velle coniugium inire eos, qui adsunt, sanè iam ignorare non potest contrahentium consensum, & adeò testis esse potest apud Ecclesiam. Ita Basil. quem refert, & sequitur Leander *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 40. Salzed. *pract. cap.* 73. Rebel. *part.* 2. *l.* 4. *fine, num.* 53.

534 Hæc probabiliorem. Hanc partem probabiliorem esse reor ob declarationem Cardinalium expressam à Rebello citato, quæ sic se habet: *Et quid si Parochus adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audiuit: vtrum tale matrimonium sit nullum? Respondit Congregatio, matrimonium non valere, si non intellexit, nisi ipse Parochus affectasset, non intelligere.* Explicat P. Sanchez, *Nisi Parochus affectet, se non intelligere, hoc est, nisi consulta, & data opera fingat, se non intelligere, cum tamen re vera intellexerit.* Non placet expositio, nam qui vocatus ad hoc, vt adsit matrimonio, & monitus à contrahentibus se velle contrahere, non potuit non intelligere matrimonium ab illis contrahi, quamvis posteà aures occludat.

DVBIVM CXVI.

An ad matrimonij valorem requirantur testes omni exceptione maiores.

535 Nonnulla sup. no. CErtum est ad valorem matrimonij requiri, adesse duos testes cum Parocho, nec vnicum testem sufficere. Quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. expressè irritat matrimonium coram Parocho, ac dupli teste non contractum. Deindè exigitur, vt testes rationis vsu polleant præsentésque sint moraliter. Præterea necessum est, vt simul Parochus, & testes matrimonio intersint. Quia Tridentinum copulatiuè exigit præsentiam Parochi, ac testium, & aliter contractum irritat coniugium. Quæsierim verò, nùm sufficiant qualescúmque testes, vel omni exceptione maiores exigantur; hoc est, tales, vt nullum patiantur vitium ex iis, ob quæ iure à testimonio ferendo reiiciuntur?

536 Debent esse omni exceptione maiores. Debent esse omni exceptione maiores. Quia in causa matrimoniali cùm sit grauissima, non quibuslibet testibus fides est adhibenda, sed circumspectis, omníque exceptione maioribus. *Cap.* 1. *de consanguinit. ver. Nunc quæstio.* ibi: *Si per testes circumspectos omni exceptione maiores inueneris.* Ergò cum Concilium testes exigat, vt possit probari matrimonium, intelligendum est de testibus legitimis, & qui iure attento, faciunt fidem. Sic aliqui recentiores apud Sanchez *citandum*, Hurtad. *d.* 5. *diff. fic.* 24.

537 Quicúmque sufficiunt. Non debent necessariò esse omni exceptione maiores, sed sufficiunt quicúmque habentes rationis vsum; nec desideratur, vt habeant qualitates iure requisitas, vt in aliis negotiis habiles, ac legitimi testes censeantur. Quare sufficit licèt sint infames, excommunicati, parentes, consanguinei, serui, familiares, fœminæ, imò & infideles. Quia quamvis aliàs testes sint illegitimi, & inhabiles, sufficientem fidem efficiunt, nec repelluntur quandò sunt instrumento appositi ex communi contrahentium consensu. Certè testes inhabiles admittuntur, quandò concurrunt cum alio habili, & fide digno: tunc enim habilitas vnius supplet alterius inhabilitatem, (vt multis citatis testantur Anton. Gabri. *tom.* 3. *comm. lib.* 1. *titul. de testibus, concl.* 5. *num.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 1365.) Ergò cum matrimonio debeat necessariò interesse Parochus, aut alius de eius facultate Sacerdos, eius authoritas vitium supplebit, quod alij duo testes patiuntur, ac proindè valebit matrimonium, qualescúmque illi fiant.

Ità Sanchez *lib.3.d.41.num.4.* Henriqu. *lib.11. cap.3.* Hurtad. *d.5. diffic.24.* Leander *tractat. 9. d. 7. qu. 44.* citans Bonacinam, & alij communiter.

537 *Hanc partem probabiliorem puto.* Hanc partem probabiliorem admodum puto: quia Tridentinum solùm requirit duos testes qui cum Parocho matrimonio assideant. Quod si voluisset testes aliàs iure idoneos, expressisset, sicut expressit Pontifex in *Cap. Cum esses, de testam.*

DVBIVM CXVII.

An ad matrimonij valorem sufficiat, quod Parochus, & testes audiant contrahentium consensum licèt illos non videant.

538 *Necessarium est eos audire & videre.* NOn sufficit eos audire, sed necessum est eos simul videre. Quia ex communi Canonistarum sententia in testibus non sufficit solus auditus, sed requiritur præsentia, & visus. Facilè enim quis potest alterius vocem imitari, quo testes decipiantur. Sic Molin. *de ritu nupti. lib.2. diffic.11. num.120.* Barbosa *de potest. Episcop. part.2. alleg.32. num.86.*

539 *Non est necessarium eos videre, sufficit, audire.* Sufficit contrahentium verba à testibs exaudiri, nec opus est ipsos videri, dummodò aliàs eis sit vox contrahentium nota. Quia in iis, quæ non visu percipiuntur, sed auditu, optimè potest cœcus legitimus testis existere, si loquentium voces notas habeat. Ità Sanchez *l.3. d.39. num.3.* Basil. *lib.5. cap.21. num.8.* Gutier. Filliuc. Rebel. & alij, quos refert, ac sequitur prædictus Antonin. Diana *part. 8. tractat. 7. resolut. 68.*

540 *Idem assero.* Idem assero sciens ex Farinacio, & aliis, posse cœcum testimonium ferre super verbis stipulationis, & contractus cuiuscúmque à contrahentibus prolatis, si vocem loquentium probè agnitam habeat, quæ quidem difficilè admodùm potest ab alio affectante ità propriè referri, vt agnoscens audiens possit affici seductione. Sufficit igitur, testes verba contrahentium audire licet intermediet cortina, vel paries: si eorum vocem aptè dignoscant.

CAPVT XIII.

Circà Denunciationes matrimonio præmittendas.

DVBIVM CXVIII.

An Denunciationes sint de matrimonij essentia.

541 *Non nulla præmitto.* DEnunciationes præmittuntur matrimonio, vt si quis impedimentum noscit, illud deregat. Præceptæ fuerant in Concilio generali Lateranensi 2. *cap.51.* & habetur *Cap. finali, de clandest. desponsat.* Sed quia multis in Diœcesibus in desuetudinem abierant, id decretum innouauit Tridentinum *sess.24. cap.1.* iussitque, vt matrimonio præmittantur denunciationes, seu monitiones ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè faciendæ. Quæsierim iam, vtrùm huiusmodi denunciationes sint de matrimonij essentia?

542 *Sunt de essentia.* Sunt quidem, & matrimonium sine illis initum inualidum est. Quia ad matrimonium Parochi præsentia desideratur: sed hic non Parochi, sed priuatæ personæ munus obit, dum omissis denunciationibus interfit matrimonio: Ergò est nullum. Probo minorem: Quia in Tridentino citato conceditur Parocho limitata potestas assistendi matrimonio, nempè denunciationibus præmissis: sed limitata causa limitatum producit effectum *l. In agro, ff. de acquir. rerum dom.* Ergò si Parochus fines mandati, illis omissis, intersit, non vt Parochus, sed vt priuatus aget, quando enim Iudex procedit vltrà suæ potestatis limites, vt priuatus agit, vti probat Menoch. *de recuper. possess. remed. 8. numer. 13. & 17.* Sic ipse *consil. 69. num.71. vol.1.* Zephal. *consil. 421. num.28. volum.3.* Bonacin. *in quodam consil. quod inter Menochij consilia apponitur volum.4. consil.398. num.1.* Ful. Patian. *lib.2. de prob. cap.16 num.63.* vbi dicit, de iure nouissimo Tridentini præsumi fornicationem, licet habitatio longa sit, nisi probetur matrimonium fuisse contractum, præsente Parocho & testibus, ac præmissis denunciationibus: & statim *num.65.* ait, Concilium annullasse matrimonium contrà præfatam formam celebratum.

543 *De essentia non sunt.* De essentia matrimonij non sunt, vndè denunciationibus iniustè omissis validum est. Quia cum matrimonium, omissis denunciationibus, validum omni iure esset, ab eo recedendum non est absque manifesto decreto irritanti: Tridentinum autem non manifestè irritat, imò contrarium ex illo colligitur: cum enim ageret de denunciationibus præmittendis, & de præsentia Parochi, ac testium, in decreto irritanti huius præsentiæ solius tantùm meminit: ergo Ità Nauar. *lib.4 consil. de sponsal. consil.17. num.4. & in Manu. cap.22. num.70.* Basil. *lib.5. cap.30. num.2.* Ochagau. *tract.3. qu.3.* Coninch. *d.27. num.49.* Reginald. *lib.31. n.222.* Palaus *d.2. punct.13. §.1. num.2.* Trullench. *lib.7. capite 6. dubio 8. numero 2.* Sanchez *libro 3. numero 3.* citans plures Iuristas, & Theologos.

544 *Hoc certissimum reor.* Hoc certissimum reor, quia Tridentinum circà denunciationes nihil innouat, sed idem quod statutum erat in Concilio Lateranensi, nam in desuetudinem passim abibat, in pristinam obligationem, ac statum restituit, vt constat ex illis verbis: *Sacri Concilij Lateranensis vestigiis inhærendo*: Sed olim validum erat matrimonium denunciationibus omissis, vt definit Tridentinum *sess.24. cap.1.* ergò & modo. Certè denunciationes conferunt, vt ritè, ac rectè coniugia celebrentur; non autem vt validè ineantur.

DVBIVM

DVBIVM CXIX.

An sit lethale piaculum, denunciationes sine debita dispensatione omittere.

545 Non est crimen lethale

LEthale crimen minimè est, nisi Synodalis excommunicatio in ea Diœcesi sit contrà omittentes lata. Quia res leuis est denunciationes omittere, si Parochus sufficientem diligentiam adhibeat, vt comperiat, an sit impedimentum Sic Sotus *in 4. dist. 28. qu. 1. art. 2. ad 1.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5. punct. 1. dub. 3. concl. 1. & 2.* Ludou. de S Ioan. *quæstion. 2. de matrimon. art. 1. dub. 3.* citans Segur. Salzed. Machad. *libr. 4. part. 2. tractat. 2. docum. 17. numer. 3.*

546 Lethale crimen est.

Est quidem lethale piaculum. Quia Concilium Lateranense id præceperat, & Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* idem præceptum innouat grauibus planè verbis: *Præcipit Sancta Synodus*: & materia est grauissima, nam ex denunciationum omissione multa possunt subsequi incommoda. Ità Sanchez *lib. 3. d. 5. num. 6.* citans viginti tres Doctores. Queis addo Basil. *lib. 5. c. 3. num. 3.* Hurtadum, Dianam, Palaum, Baunyum, Trullench. quos citat, & sequitur Leander *tractat. 9. d. 7. qu. 46.* Coninch. *d. 27. num. 51.* Rebel. *libr. 2. quæstion. 7. numer. 10.* Bonacin. *quæstion. 2. punct. 6. numer. 7.* Reginald. *libr. 31. num. 123.*

547 Hanc eligo sententiam.

Hanc eligo sententiam longè probabiliorem, Quia diligentia Parochi non supplentur incommoda, quæ obuenire possunt; factis enim denunciationibus certius est, fore vt ad populi notitiam matrimonium perueniat, & magis timent omnes, impedimentum occultare, quod norunt. Et esto diligentia Parochi æquiualeret: an non Parochus graue præceptum præscribens diligentiæ huius formam transgreditur?

DVBIVM CXX.

An sit graue peccatum, vnicam denunciationem sine licentia omittere.

548 Non est grave delictum.

NOn est graue delictum casu, quo adsit moralis certitudo, nullum esse coniugij impedimentum. Quia leuis est materia, partialisque grauis illius præcepti. Sic Sanch. *lib. 3. d. 5. num. 7.* Veracr. *append. ad spec. dub. 1. concl. 5.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5. punct. 3. dub. 1. concl. 3.* Barbo. Gutier. Villalob. quos refert, & sequitur Diana *part. 3. tractat. 4. resolut. 236.* Filliuc. *tract. 10. num. 173.* & alij.

549 Graue delictum est.

Graue delictum est. Quia vnius denunciationis omissio non est leuis materia, vt constat ex fine ad quem præscribuntur huiusmodi denunciationes. Ità Basil. *lib. 5. cap. 30. num. 3.* Coninch. *d. 27. num. 51.* Inclinat Bonacin. *quæst. 2. punct. 6. num. 7.* tenent Palaus, & Albiz, quos

550 Auctoris nomen.

citat, & sequitur Leander *tractat. 9. d. 7. quæst. 47.*

Existimo venialem solummodò culpam esse vnam denunciationem omittere, si non ex despectu prætereatur, quando certum esset moraliter satis probatum esse duobus reliquis, nullum adesse impedimentum. Si autem aliqua sufficiens causa omittendi vnam denunciationem vel antè matrimonium, vel post antè eius consummationem subesset, omittentem à veniali etiam piaculo excusarem.

DVBIVM CXXI.

An dum matrimonium inter duos diuersarum Parochiarum initur: Satis sit in vna earum denunciationes proferri.

551 Satis est.

SAtis quidem est. Quia si *Cap. finale, num. 3.* attendatur dùm loquitur in plurali de Ecclesiis, minimè obstat, nam loquitur etiam in plurali de matrimoniis: Si autem Tridentini decretum, Patres Concilij interpretes declararunt, satis esse, denunciationes fieri in Parochia, in qua celebratur matrimonium. Sic Cardin. *in Cap. finale, num. 3.* Præposit. *num. 7.* Gregor. Lopez *l. 1. verb. En la' iglesia titul. 3. part. 4.* Ità ex consuetudine seruari docet Hostiens. *ad Cap. finale verb. In Ecclesiis.* Porrò declaratum esse ita à Concilij Patribus interpretibus asserit Anton. Cucus *lib. 5. institut. titul. 11. num. 29.* afferens huius testem Nauarrum *in sum. cap. 25.* reticétque numerum. Verùm Sanchez, se locum non inuenisse, affirmat, nec ego curiosus vestigator potui inuenire.

552 Non est satis.

Non est satis, sed proferendæ sunt in vtriúsque contrahentis Parochia. Quia Tridentinum dicit, gerendas esse à' proprio contrahentium Parocho: ergò vtérque Parochus, quando sunt diuersæ Parochiæ, eas gerere debet. Ità Sanch. *lib. 3. d. 6. num. 4.* Henriqu. *lib. 11. cap. 7. num. 1.* Segura *part. 2. director. iudic. cap. 16. numer. 19.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5. pun. 3. dub. 1.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 217. num. 6.* Rodrig. *cap. 217. num. 6.* Bonacin. *quæstion. 2. punct. 6. numer. 10.* Filliuc. *tract. 10. numer. 174.* Coninch. *d. 27. numer. 46.* Palaus *d. 2. part. 13. §. 3. numer. 2.* Layman. *libr. 5. tractat. 10. de matrimon. part. 2. cap. 4. numer. 9.* Bauny. *de denunciat. quæstion. 2. dicto 1.* qui tamen probabilem esse oppositam sententiam existimat.

553 Hæc pars longè probabilior.

Ego quidem id non ausus fuerim abnegare, at longè probabiliorem hanc esse reor. Quia talis publicatio exigitur, vt scientes contrahentium impedimenta, illa detegant: sed in vicinia fœminæ vix possunt sciri impedimenta viri: & è contrà. Porrò id praxis ipsa testatur, & à Sacra Congregatione Cardinalium sic expositum fuisse à Segura *citato* didici.

DVBIVM CXXII.

An sufficiat fieri denunciationes in Parochia, in qua breui tempore spatio contracturi morantur.

554 Sufficit imò debent.

SVfficit quidem, imò & debent in præfata Parochia geri. Quia iuxtà Tridentini decre-

tum denunciationes debent geri à proprio: sed proprius Parochus, vt Cardinalium Congregatio exposuit, est ille, in cuius Parochia contrahentes eo tempore commorantur, quo matrimonium initur: ergo. Sic Basil. *lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 5. qui abnegat dari huic contrariam à Cardinalibus declarationem. Leand. *tractat.* 9. *d.* 7. *quæst.* 49.

555 *Nec debent, nec sufficit geri in præfata Parochia.*

Nec debent, nec sufficit fieri denunciationes in Parochia, vbi breui tempore commorati sunt sponsi: sed in Parochiis vbi vnus, & alter diutius commorati fuêre, & principaliorem habent larem, & verosimilius est fore, vt impedimenta detegantur. Quia ideò fiunt, vt contrahentium impedimenta, si quæ sint, reuelentur: At cum breuem moram in aliqua Parochia contraxere, ignoti sunt, impedimenta haud facillè patescent. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 6. *numer.* 6. Segura *part.* 2. *direct. iudic. cap.* 16. *num.* 19. asserens ita Cardinales exposuisse. Ricci. *in praxi decis.* 257. *num.* 4. Coninch. *d.* 2. *num.* 50. Diana *p.* 2. *tract.* 3. *resolut.* 235. citans Nouarium, Barbo & Gutier Ochagau. *tract.* 3. *q.* 3. Reginal. *lib.* 31. *num.* 225. & alij.

556 *Hoc mihi probabilius.*

Æquè probabilem vtramque partem asserit Leander proprer auctorem suum Basilium: sed vtriusque venia, ego partem secundam longè probabiliorem iudico. Quia ob similem rationem præceptæ sunt denunciationes *Cap. finali*, quod decretum Tridentinum innouat: & tamen Innocentius *ibi num.* 1. Ioan. Andr. *num.* 5. Anton. *num.* 16. Cardin. *num.* 3. Anchar. *nu.* 16. Præposit. *num.* 7. & alij affirmant, proferendas esse in Ecclesia, vbi est parentum vtriusque antiqua habitatio, quia ibi aptius impedimenta referabuntur. Nec inuenio, quo firmo titulo Cardinalium declaratio à Segura tradita à Basilio diluatur. Infero hinc, haud esse opus, fieri etiam in Parochia, in qua eis est moderna habitatio. Quia id nullo iure petitur, & esset nimia denunciationum multiplicatio. Nec, si non sint consanguinei contrahentium vbi est antiqua eorum habitatio, sed in aliis multis locis, oportebit in illis denunciationes geri; quia id nullum ius præscribit, vt Innocent. *ad cap. finale, num.* 2. & 3. Ioan. Andr. *num.* 5. & Præposit. *num.* 7. docuêre.

DVBIVM CXXIII.

An Denunciationes possint fieri extrà Ecclesiam in loco, vbi magna populi pars assolet conuenire.

557 *Minimè possunt.*

NOn possunt, nisi aliàs sit alicubi consuetudine introductum. Quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. in Ecclesia inter Missarum solemnia fieri præscribit. Sic Basil. *lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 6. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 18. *numer.* 61. Leander *tractat.* 9. *d.* 7. *quæstion.* 50. Posseuin. *q.* 9. *num.* 15.

558 *Possunt omninò.*

Possunt planè. Quia finis Tridentini præscribentis, in Ecclesia, & diebus festiuis inter Missarum solemnia denunciationes geri, est, vt ad multorum notitiam coniugium ineundum aduentet, quo facilius impedimenta detegantur: diebus enim festiuis inter Missarum solemnia ingens hominum copia solet in Ecclesiam confluere: Cum ergò huic fini sufficientissimè satis fiat, quando in locis publicis, vbi maior est populi concursus fierent, satis omninò erit. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 6. *num.* 9. Layman. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 20. Gutier. Coninch, & Reginald. quos sequitur Barbo. *in Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *num.* 21. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 174. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 24. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 236. Tiullench. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub* 8. *num.* 7. Bauni. *qu.* 3. *de denunc. quæsito* 2. Fauet Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 3. *num.* 4.

559 *Auctorū placitum.*

Sufficit geri denunciationes extrà Ecclesiam in locis competentibus, verbi gratiâ, in prædicationibus, magna populi copia confluente. Quia eodem modo dicitur *Cap. finali*, denunciationes fieri debere in Ecclesia, & tamen posse fieri extrà in hoc casu docent *ibi* Hostiens. *verb. In Ecclesiis.* Ioan. Andr. *num.* 5. Anton. *num.* 16. Anchar. *num.* 15. Abbas *num.* 7. Rosel. *verb. Impedimentum, impedim.* 1. *num.* 15. Scio Cardinalem *ibidem*, negare, id licitum esse, non propter clandestinitatem, quam omninò vitari fatetur; sed propter Sacramenti reuerentiam; indecens enim esset de eo extrà Ecclesiam tractare. Quod meritò improbarim, textus enim hoc non considerat, nam si matrimonium ipsum licitè extrà Ecclesiam contrahitur, cur non denunciationes licitè proferentur?

DVBIVM CXXIV.

An Denunciationes debeant, necessariò diebus festiuis exeri.

560 *Debent fieri festiuis diebus.*

DEbent planè. Quia id expressè iubet Tridentinum, & explicat Concilium Mediolanense *lib.* 4. *de sponsal. cap.* 5. ibi: *Vt in illis festiuis diebus fiant, qui Ecclesiæ præcepto seruantur.* Rebellus *lib.* 4. *section.* 2. *num.* 27. Cardinalium huiusmodi refert declarationem: *Episcopus ob vicinitatem temporis, quo prohibitæ sunt nuptiæ, omittere potest aliquas denunciationes secundum prudentiam suam, & iudicium: non tamen iubere, vt in diebus ferialibus fiant: vltrà quod nullius erunt momenti.* Sic Ricci. *in praxi decis.* 257. *num.* 3. Basil. *lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 174. Posseu. *cap.* 10. *quæst.* 11. Zerol. *in praxi Episcop. p.* 1. *verb. Matrimonium*, §. 4. Leand. *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 51. citans Moure, Hurtad. & alios.

561 *Non dicunt necessariò diebus festiuis geri.*

Necessariò non debent diebus geri festiuis, sed possunt ferialibus diebus publicari, si aliqua ex causa magnus fieret populi ad Ecclesiam confluxio, verbi gratiâ, quia est dies festus vocationis illius Ecclesiæ, vel quia insignis dicturus esset Concionator. Quia satisfit Concilij fini præscribentis vtique geri festiuis diebus denunciationes, quibus populi multitudo confluit ad Ecclesiam, quo possit facilius impedimenta referari. Ità Sanchez *lib.* 2. *d.* 6. *num.* 10. Bonacin. *quæstion.* 2. *punct.* 6. *numer.* 10. Reginald. *lib.* 31. *num.* 227. Ochagau. *tract.* 3. *quæst.* 3. *num.* 3. affirmans sic Cardinalium Sacram Congregationem declarasse. Gutier. *de matr. cap.* 56. *num.* 8. & alij.

562

Hoc verius existimo ob firmius planè fundamentum,

Hæ verius puto.

damentum, nempè quia legis fini fit satis. Nec magis crediderim meo Rebello circà declarationis Cardinalium veritatem, quàm Ochogauiæ, sed estò sit Rebello credendum, illa meæ sententiæ declaratio non obstat. Loquitur enim Sacra Congregatio de diebus ferialibus communibus quibus ad Templum non assolet cogi multitudo, non de illis ferialibus diebus, quibus ingens hominum multitudo confluit ad Templum, de quibus apud Ochogauiam alia loquitur declaratio.

DVBIVM CXXV.

An denunciationes debeant necessariò tribus diebus interruptis geri.

563 Non debent denunciationes fieri interruptis diebus.

NEcessarium non est, fieri interruptis diebus, sed possunt geri tribus diebus festiuis continuis Quià sic fit satis, & verbis, & intento Tridentini præscribentis, denunciationes tribus diebus festiuis continuis publicari. Sic Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 18. *num.* 60. Reginald. *lib.* 31. *num.* 126. Leand. *tract.* 9. *d.* 7. *q.* 53. citans Moure, ac Trullench.

564 Tridentini quidam.

Necessarium est, interruptis geri diebus. Quia finis intentus detegendi impedimenta commodè obtineri non potest ob temporis breuitatem, nisi longiori tempore præfinito. Quare hoc tanquam iuri consonum decretum fuerat in Concilio Colonien si sub Adolpho Archiepiscopo, *titul. Censuræ*, & in Concilio Prouinciali Moguntino sub Sebastiano Archiepiscopo *cap.* 58. habentur *tom.* 5. *Concil.* Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 6. *num.* 8. Basil. *lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 8. Ricci. *in praxi part.* 1. *decis.* 224. *num.* 4. Segura *part.* 2. *director. cap.* 16. *num.* 10. & 21. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 4. Ochogau. *tract.* 3. *qu.* 3. Filliuc. *tract.* 10. *num.* 174. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 226.

565 Existimo primam sententiam non satisfacere verbis sensui Concilij.

Existimo, si denunciationes fiant tribus festiuis diebus continuis, verbis Tridentini materialiter sumptis fieri satis: sed minimè eorum sensui, Conciliique intento fini. Continuitatem enim, quam Tridentinum postulat, ex ipsius fine, & aliis Conciliis Prouincialibus colligitur esse, vt non excludat dierum ferialium, sed aliorum dierum festorum mediationem: vt inter vnam, & alteram denunciationem factam diebus festiuis, per dierum tamen ferialium interuallum, non medient alia festa. Et ratio est, quia si sunt ita sibi immediatæ denunciationes, non suppetet tempus ad excogitanda, & opponenda impedimenta. Verùm nec debent esse tam discontinuæ, & à se inuicem distantes, vt Parochiani, vel illarum obliuiscantur, vel ob longum spatium desides reddantur, ad impedimenta detegenda. Cæterùm hanc eligens sententiam, fateor, contrariam satis esse probabilem.

* *
*

DVBIVM CXXVI.

An delinquat lethaliter Parochus, qui denunciationes non gerit tribus continuis festis diebus, sed per aliud diem festum interpollatis.

566 Delinquit planè.

DElinquit planè. Quia graue Tridentini violat præceptum. Sic Hentiq. *l.* 11. *c.* 7. *num.* 5. *litt. C.*

567 Non delinquit.

Non delinquit lethaliter. Quia non est tam grauis materia, vt lethale sit, in die Dominica verbi gratiâ, vnam denunciationem gerere, & transacta altera Dominica, in tertia iterum denunciationem secundam proferre, & quindecim aliis diebus exactis ad proferendam tertiam denunciationem procedere, nec enim finis intentus à Concilio frustratur. Sic Coninch *d.* 27. *num.* 47. Villalob. & Diana, quos refert, & sequitur Leander *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 53. Machado *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 17. *num.* 4. Bonacin *quæstion.* 2. *part.* 6. *num.* 15. citans Gutier. Reginald. Riccium, Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 3. *num.* 4. Bauny. *qu.* 3. *quæsito* 7. Sanch. *l.* 3. *d.* 5. *num.* 8.

568 Rigidam reor esse P. Henriquez sententiam, eámque tempero.

Rigidam admodum existimo mei P. Henriquez sententiam, non enim materia adeò grauis apparet: & ideò temperarim, quandò magnum spacium intercederet inter vnam, & alteram denunciationem. Quia sic Parochiani illarum obliuiscerentur. Non tamen damnarem ad mortale, si vna, vel altera festiua dies intercedens denunciationes discontinuaret.

DVBIVM CXXVII.

An Vicarius Generalis Episcopi ex vi sui officij sinè speciali delegatione possit in denunciationibus dispensare.

569 Tridentini decretum præmitto.

CErtum est, denunciationes posse poni, aut omninò omitti ex Episcopi dispensatione ex iure nouo Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. ibi: *Quod si aliquandò probabilis fuerit suspitio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: Deindè antè illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt denunciationes remittantur. Quod illius prudentiæ, & iudicio relinquit Sancta Synodus.* Quæstio igitur est an etiam Vicarius Generalis Episcopi ex vi sui officij possit sic in denunciationibus, dispensare?

570 Minimè posse Vicarium dispensare.

Minimè potest. Quià sic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio anno 1591. pro Episcopo Salmantino, vt asserit Henriquez *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5. *litter. T.* & sic tenuere Patres Congregati in Concilio Toletano anno 1583. vt refert Segura *Direct. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 2. & 3. & Patres Concilij Mediolanensis.

Sic

Sic Henriquez *citatus*.Basil.*lib.5.cap.31. nu.5.* Anton.Gomez *in Bul.cap.4.qu.4.num.19.* Menoch *consil.69.num.55. volum.1.* Diana *part.5. tract.4.resolut.238.*

571 *Potest omninò.* Potest omninò. Quia Vicarius Generalis Episcopi est Ordinarius:quippè qui idem cum Episcopo tribunal constituit. Ità Sanchez *l.3. d.7.num.10.*citans Nauarrum, Gutier.Veracr. Rodriguez,Segura,& Salzedo docentem, praxim totius orbis sic recepisse, Coninch. *d.27. num.55.*Barbo. *de potest.Episc.part.2. alleg.32. num.19.*Bonacin.*quæst.2.punct.6.num.7.*Filliuc. *tractat.10.num.176.* Hurtad. *d.5. diffic.19. numer. 63.* Palaus *d.2. punct.13.§.4. numer.2.* & alij.

572 *Auctoris resolutio.* Prima sententia probabilis est,imò tenenda, si verùm sit, sic à Sacra Congregatione fuisse declaratum. Sed tamen quia de eiusmodi declaratione dubito cum aliis probabiliorem secundam reor. Quia Tridentinum *sess.24. cap.1.* hanc dispensandi potestatem Ordinario concedit:*Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes omittantur:*sed Vicarius Generalis Episcopi est Ordinarius,& nomine Ordinarij comprehenditur, (vt latissimè probat Sanchez *lib.3.d.29.n.3.& 5.*) ergò potest virtute huius decreti in denunciationibus dispensare. Equidem ante Tridentinum Vicarius Generalis poterat ex generali consuetudine dispensare, vt Paludan. docet *in 4. dist. 28.quæst.n.2.articul.1.num.21.*At non reperio Tridentinum id alicubi abnegasse, potius citato loco id concessisse existimo. Et quidem quando Concilium voluit Vicarium excludere,id expressit,vt *sess.24.cap.6.*ibi:*& non eorum Vicariis.*

DVBIVM CXXVIII.

An Episcopus possit facultatem dispensandi in denunciationibus aliis à Vicario Generali concedere.

573 *Non potest.* SVppono contrà Menochium *consil.69. à num.55. volum.1.* & Zephalo *consil.421. à num.72.volum.3.* posse Episcopum suo Vicario Generali hanc facultatem concedere,dato, & non concesso, quòd ex vi sui officij Vicarius Generalis huiusmodi facultatem non haberet: & requiro vtrùm possit Episcopus alij cuicúmque eam delegare? Non potest.Quia dum eligitur personæ industria, ad aliquod munus obeundum,id delegari nequit *Cap.finali, §. Is autem,de officio delegati,& Cap. Is, cui, eodem titul.in 6.*In hac autem dispensatione eligitur Episcopi industria: nam Tridentinum *sess.24. cap.1.Iudicio, & prudentia* Ordinarij remittit hoc negotium admodum arduum: ergo videtur de persona Episcopi, vel Ordinarij Vicarij (qui velut eadem est persona) tanquam pastoris proprij confidere, & ita eius eligere industriam.Sic Henriquez *lib.11.cap.5. num.5. litter.7.*Doctores tamen,quos pro se citat, nihil dicunt.Gregor.Lopez *lib.7.titul.10.part.4.* vbi asserit Episcopum haud generaliter causas matrimonij delegare posse, benè tamen vnam vel alteram.

Potest quidem Episcopus generaliter hanc facultatem delegare. Quia iure Ordinario sibi competit,cum concedatur à Tridentino indistinctè omnibus ordinariis in perpetuum. Ità Sanchez *lib.3.d.7.num.20.* Basil. *lib.5. cap.31. num.8.*Hurtad.*d.5.diffic.19. num.64.* Coninch. *d.27.dub.6.*Spino,Reginald, Gutier. Zeuallos, quos refert, & sequitur Palaus *d.2. punct.13. §.4.num.4.* *Potest quidem*

Scio, Sanchez veriorem hanc sententiam vocitasse, ego autem velut certissimam tueor. Quia non est vniuersaliter verùm,eligi personæ industriam, vbi negotium est arduum, & alicuius prudentiæ committitur. Fallit enim, quando delegatio fit personæ incognitæ,& indeterminatæ,vt *Prælatis præsentibus, & futuris* provt hic contingit, vti docuit Sylvest. *verb. Delegatus,qu.8.dicto 1.*Imò crediderim consequenter, posse Vicarium generalem hanc facultatem dispensandi in denunciationibus delegare; quia idem cum Episcopo gerit tribunal. 575 *Hanc partem vt certam tueor.*

DVBIVM CXXIX.

An Parochus possit propter malitiosi impedimenti suspitionem dispensare,vt matrimonium, non præmissis denunciationibus celebretur,posteàque ante consummationem gerantur.

576 *Planè patet.* POtest planè.Quia Tridentinum *sess.24.c.1.* Parocho videtur hoc remittere:nam vsque ad illa verba, *Deindè antè consummationem denunciationes in Ecclesia fiant*, apertè videtur loqui de iis,quæ ad munus Parochi pertinent: nec vsque nunc Ordinarij meminit solúmque Ordinario remittit, quando contracto matrimonio omninò denunciationes sint omittendæ. Cum enim illud sit multò minùs non mirum est,vt Parocho cómittat, hoc autem multò grauius Ordinario reseruet. Sic Veracruz *appendi.ad spec.dub.1.propos.3.& 4.*Alborn. *l.4. de arte contract.titul.1.*Viuald.*Candelab.part.1. de matrimon.num.243.*Vega *lib.6.sum. casu 12.* & multi Theologi, ac Iurisperiti quos refert, & sequitur Petr.de Ledes. *de matrimon. qu.45. articul.5.*

577 *Minimè potest.* Minimè potest.Quia antè Tridentinum erat præceptum de denunciationibus præmittendis coniugio *Cap.finali, de clandest. desponsat.* desumpto ex Lateranensi Concilio, & tunc secundum omnes non poterat Parochus dispensare: Ergo nec modo:nam Tridentinum illud decretum non correxit, sed innouat, vt constat ex illis verbis: *Sacri Concilij Lateranensis vestigiis inhærendo.* Ità Nauar. *lib.4. consil. titul. de clandest.desponsat.cons.1.*Menoch. *consil.69. numer.61.volum.1.*Zephal.*consil.421.à numer.72.* Veracruz sibi contrarius *append.ad spec. dub.1. propos.6.*Henriquez *lib.11.cap.5.num.5.* dicens, sic Cardinalium Sacram Congregationem declarasse. Sanchez *libro 2. d.7. numero 17.* Manu. *tom.1. sum. capite 217. numero 5.* & alij.

578 *Hoc tenendum reor.* Hoc tenendum existimo; quia crediderim, haud esse sensum Tridentini, quem contrarij intendunt.

intendunt. Nam in versu, *Quod si aliquando probabilis suspicio*, definit, eam esse iustam dispensandi causam, cuius verò arbitrio hoc subiaceat, ibi non definit, sed in versu, *Deindè antè illius consummationem*. Vndè ea verba, *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit*, vtrúmque casum præcedentem amplectitur: clausula enim in fine posita ad omnia præcedentia refertur *l. Talis scriptura §. fin. ff. de l.* 1. ibi: *Hanc autem scripturam non solum ad præcedentia legata, sed & ad vniuersa, quæ testamento adscripta sunt, extendi verum est.*

DVBIVM CXXX.

An Habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Abbates nullis Diœcesanis subditi, & Magister Scholæ Salmanticensis respectu Scholasticorum in matricula adscriptorum, possint in denunciationibus dispensare.

379 Minimè possunt. Minimè possunt. Quia Gregorius XIII. expressè declarauit huiusmodi potestatem solùm Episcopis esse concessam. Sic Basil. *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 3. asserens, id sibi certum videri. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 237. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 24. *num.* 7. inclinat in hanc sententiam. Rebellus, (quem Leander *tract.* 9. *d.* 7. *quæst.* 59. sequitur) Gregorij refert declarationem.

380 Possunt quidem. Possunt quidem. Quia Concilium hanc dispensandi potestatem committit Ordinario: hi autem Ordinarij sunt. Ità Nauar. *lib.* 4. *Consil. tract. de sponsal. consil.* 2. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 217. *num.* 4. Barbo. *de potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 32. *num.* 38. Petr. de Ledes. & alij, quos refert, ac sequitur Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 4. *num.* 1. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5.

381 Auctorum sententia. Idem asserto de Abbatibus iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, quia Ordinarij sunt: nec credo Gregorij XIII. declarationem illam (si esset) potuisse subterfugere tot tantorúmque Doctorum cognitionem. Circà Magistrum verò Salmanticensis Scholæ credo Emanueli Sancio, & Palao id asserentibus, non tamen id habebit, quia Ordinarius Scholasticorum sit, sed quia alius ad dispensandum cum Scholasticis matriculæ addictis speciale habebit priuilegium. Sanchez ait: *Verum est, si priuilegium habeat.* Palaus absolutè id asserit, vndè proculdubio de eiusmodi priuilegio conscium fuisse crediderim.

DVBIVM CXXXI.

An dum contrahentes sunt ex diuersis Diœcesibus Ordinarius vnius remittit denunciationes, seu dispensat, vt non fiant sua in Diœcesi: possint in altera Diœcesi omitti.

382 Non possunt omitti. Minimè possunt. Quia huiusmodi dispensatio debet à proprio Ordinario geri: sed Ordinarius sponsi Vallisoletani (verbi gratiâ,) non est Ordinarius sponsi Burgensis: ergo necessaria est vtriúsque Ordinarij dispensatio. Sic Bauny. *tract. de denunc. qu.* 3. *quæst.* 6. Basil. cum formidine *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 9.

383 Omitti possunt. Possunt quidem in altera Diœcesi omitti. Quia hac in re coniuges quasi vna persona *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. censentur, & connexionis causæ ratione, vtérà que subiectus alterius Prælato censetur. It. Hurtad. *d.* 9. *diffic.* 19. *num.* 64. Trull. *lib.* 7. *cap.* 6 *dub.* 9. *dicto* 3. *num.* 3. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 239. Sanch *lib.* 3. *d.* 7. *num.* 7. Coninch. *d.* 27. *numer.* 54. Gutier. *de matrimon. cap.* 46. *numer.* 10. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 232. Leand. *tract.* 9. *d.* 7. *quæst.* 60.

584 *Hoc minùs verius.* Veriorem hanc censeo partem. Quia sicut tam Vallisoletanus Ordinarius, quam Burgensis potest ratione connexionis vtrúmque coniugio sponsum colligare, vt latè probat Sanch. *li.* 3. *d.* 9. *n.* 4.) ita eo ipso quod quilibet horum cum suo subdito dispensat, vt absque denunciationibus matrimonium ineat, censetur consequenter cum alio dispensare: cum denunciationes hæ, & dispensatio illa ordinentur ad matrimonium, quod indiuiduum est ex duplici constans extremo.

DVBIVM CXXXII.

An ob solam causam malitiosi impedimenti, Ordinarius possit in denunciationibus dispensare.

585 *Ob hanc solam causam potest.* POtest quidem ob hanc solam causam. Quia Concilium Mediolanense nullam aliam causam dispensandi in denunciationibus dignoscit, nisi illam, quæ in Iure est expressa. At in Iure Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. Sola hæc exprimitur: *Quando probabilis suspicio est, matrimonium malitiosè impediendum*: Ergò ob solam huiusmodi causam potest Ordinarius dispensare. Sic Zephal. *consil.* 421. *num.* 50. 60. & 87. *volum.* 3.

586 *Ob hanc solam causam non potest, sed alias plures.* Non ob solam præfatam causam potest Ordinarius dispensare in denunciationibus, sed aliæ multæ sunt ad dispensandum causæ legitimæ. Quia licet Tridentinum eam solam expresserit, statim tamen totum hoc negotium Ordinarij prudentiæ remisit. Ita explicant Concilij decretum Eminentiss. Cardinales, quorum quatuor declarationes extant apud Farinac. *pag.* 269. Sanch. *lib.* 3. *d.* 9. *num.* 1. Basil. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 1. Veract. *append. ad spec. dub.* 1. *propos.* 6. Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub.* 21. *annot.* 3. Manu. *tom.* 1. *sum. capit.* 217. *concl.* 2. *numer.* 3. & alij.

587 *Recensco causas, ob quas potest Ordinarius in denunciationibus dispensare.* Hoc proculdubio dicendum. Vndè è Doctorum communi placito hasce dispensandi causas adhibeo. Primam, si contrahentes nimio pudore suffundantur, factis primùm denunciationibus, vt si valdè senex inuenculam ducat, vel è contrà, aut valdè nobilis ignobilem: aut valdè dives pauperem. Paludan. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. *num.* 19. Secundam, si aliqui concubinarij existimati sint diù coniugati. Quia si sola verecundia sufficit, à fortiori sufficiet causa hæc, vbi & verecundia, & infamia concurrunt. Syluest. *verb. Matrimonium* 6. *quæst.* 7. *dicto* 2. Tertiam, quando denunciationibus præmissis, non possent benedici nuptiæ ob temporis, in quo eas prohibitum est, benedici vicinitatem: expedit enim, vt matrimonij consummationi benedictiones præmittantur. Barthol. à Ledes. *dub.* 21. Quartam, quando prius contractum est matrimoniũ publicè, reperitúrque nullum fuisse ob occultum impedimentum. Sanch. *l.* 3. *d.* 9. *n.* 9. Quintam, quando timetur fore, vt consan-

guinei matrimonium iniustè impediant. Sotus *in 4. dist.* 28. *quæst.* 1. *articul.* 2. Sextam, quandò parentes, vel tutor volunt, vt virgo nubat indigno. Quia hoc in casu licitum erat olim matrimonium clandestinum. Cajet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 12. *de matrimon. qu.* 2. Septimam, quando valdè aliquibus matrimonium expediat, timeréntque impedimentum. Petr. de Ledes. *de matrimon. quæst.* 45. *articul.* 5. *punct.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. Octauam, si repentinus casus offerret rationem contrahendi matrimonium; vt si aliqui tanquam concubinarij comprehensi à Iudice, essent plectendi, vt possent dicere, se esse coniugatos. Capua *lib.* 2. *decis. cap.* 85. *num.* 5. Nonam, ob animi periculum; vt si duo sint concubinarij, velintque matrimonium inire, vt in bono statu constituantur: adsitque periculum fore, vt dùm denunciationes præmittuntur, commisceantur. Sanch. *cit. num.* 17. Decimam ad vitanda scandala ob aliquam factionem, quæ statim inito matrimonio, valeant vitari. Vega *lib.* 3. *sum. casu* 211. Vndecimam, dum in mortis articulo constitutus vult concubinam ducere, quo prolem susceptam legitimet. Quia nulla vrgentior causa potest assignari. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 37. Monuerim tamen, in omnibus casibus, in quibus dispensatur, nè denunciationes præmittantur coniugio, debere Ordinarium informari, an aliqua inter contrahentes subsint impedimenta, nè coniungendi impeditos periculum incurrat.

DVBIVM CXXXIII.

An sit iusta causa dispensandi in denunciationibus, quod contrahentes sint Magnates.

588 *Non est causa iusta.* NOn est. Quia ibi non concurrit malitiosi impedimenti suspicio. Sic Segura *part.* 2. *direct. cap.* 16. *num.* 7. Et nisi casu, quo alicubi adsit antiqua consuetudo, vt Magnates absque denunciationibus contrahant, id abnegant Rosel. *verb. Impedimentum, imped.* 1. *numer.* 11. Nauar. *sum. capit.* 22. *numero* 70.

589 *Est iusta causa.* Est causa planè iusta. Quia horum coniugia valdè sunt publica, súntque ipsi admodum noti: quare si aliquod inesset impedimentum, non posset non illicò reserari. Ità Sanch. *lib.* 3. *d.* 9. *num.* 6. duodecim citans Doctores. Basil. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 2. Coninch. *d.* 27. *dub.* 6. Hurtad. *d.* 5. *num.* 70. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 4. *num.* 8. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 25. *num.* 4. Trull. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 10. *num.* 6.

590 *Idem affirmo.* Hoc certum putarim, videns, Magnates, nunquam non circa nuptias magna cum deliberatione procedere, vndè nullum subest periculum, vt inter illos aliquod impedimentum haud cognitum adsit. Infero hinc, idem asserendum, quando in aliis nullius impedimenti timor subsit. Quia denunciationes detegendi impedimenti causa fiunt.

DVBIVM CXXXIV.

An sit iusta dispensandi in denunciationibus causa, conditionis inæqualitas, aut nimia contrahentium ætas.

PRimam dispensandi causam, quam præcedenti dubio adhibui *num.* 589. vberius illustro. Non est iusta causa, ad dispensandum, nisi casu, quo timeatur, impediendum esse coniugium ob præfatam conditionis disparitatem, aut ætatis grauedinem. Quia potest facilè aliquod impedimentum adesse, qua de causa denunciationes præmittuntur. Sic Henriq. *Cap. fin. n.* 11. *de cland. despons.* Palud. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 2. *a.* 3. *n.* 19. Rosel. *impedi.* 1. *n.* 11. Syluest. *verb. Matrimonium* 6. *q.* 7. Salced. *tract.* 7. 591 *Non est iusta causa.*

Iusta est, ad dispensandum causa. Quia ob eam conditionis, aut ætatis disparitatem nimio pudore contrahentes, actis denunciationibus suffunderentur. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 9. *num.* 3. citans Sotum, Ledes. 2. Barth. à Ledes. Capu. Vegam. Ludou. Lop. D. Antonin. & alios. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 70. Basil. *lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 2. Hurtad. *d.* 5. *num.* 8. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 25. *numer.* 4. Trul. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 10. *num.* 6. 591 *Causa est iusta.*

Eiusdem mentis sum. Nam pudor nimius contrahentium faciem attaminare solet, dum passim in confabulantium cœtu de eorum facto sermo procedit. Et quia non modica irreuerentia Sacramentum afficitur, dum conditio inæqualis, aut ætas prolixa ab oblatratoribus irridetur. 593 *Cum hu iusmodi.*

DVBIVM CXXXV.

An sit iusta dispensandi causa contrahentium è denunciationibus oboritura infamia, aut scandalum.

SEcundam, quam *num.* 589. causam dispensandi tradidi, ad trutinam adduco. Non est iusta hæc causa. Quia hîc non concurrit malitiosi impedimenti suspicio. Sic Segura *part.* 2. *direct. cap.* 16. *num.* 14. 594 *Non est iusta causa.*

Iusta quidem est dispensandi causa. V. gr. si aliqui concubinarij, qui diù coniugati existimati sunt, contrahere velint. Quia si verecundia sufficit, vt dubio proximo ostendi, potiori iure sufficiet, quando pudor, infamia, scandalúmque concurrunt. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 9. *n.* 5. Basil. *l.* 5. *cap.* 32. *n.* 2. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 20. *n.* 70. Villalob. *tr.* 13. *diffic.* 25. *n.* 4. Palaus *d.* 2. *pun.* 13. §. 4. *n.* 8. Bauni. *q.* 3. *sub dicto* 4. Trull. *l.* 7. *c.* 6. *dub.* 10. *num.* 3. 4. & 5. 595 *Causa est iusta.*

Cum his opinor, immeritò hanc causam dispensandi Segura reiicere eo quod non concurrat, malitiosi impedimenti suspicio. Nam hæc ratio ex eo confunditur, quod non sola suspitio hæc est iusta causa dispensandi, cum *Dubio* 132. *num.* 589. plures alias adesse causas ostenderim 596 *Eiusdem sum mentu.*

DVBIVM

DVBIVM CXXXVI.

An ad dispensandum in denunciationibus, requiratur, vt Ordinarius iudicialem iustæ causæ gerat cognitionem.

597 Requiritur. REquiritur quidem saltem summaria informatio. Quia vbi lex aliquid gerendum ex causa præscribit, illa probanda est. Et quia dispensationis definitio id apertè demonstrat: *Dispensatio est iuris relaxatio cum causæ cognitione facta.* Sic Henriq. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 5. *lit.* S. Segura *part.* 2. *direct. cap.* 16. *num.* 17. Zephal. *consil.* 421. *num.* 61. & 62. *volum.* 3. & alij.

598 Non requiritur. Minimè requiritur iudicialis vel summaria cognitio, sed sufficit, vt Ordinarius extraiudicialiter informetur, certiórque de causa fiat, vt licitè dispenset. Quia Tridentinum *sess.* 24. *c.* 1. agens de hac dispensatione, de eiúsque causis, sic concludit: *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes omittantur: quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus remittit:* quæ clausula refertur ad causam suspicionis malitiosi impedimenti, & ad omnes alias. Ex quo loco constat, iudicio, seu conscientiæ Ordinarij relinqui, an dispensare expediat, & an legitima subsit: sed quoties aliquid committitur conscientiæ, ac prudentiæ alicuius, non est necessaria iudicialis probatio, *cap. Statutum, §. Assertorem, de rescription. in* 6. Ità Sanchez *lib.* 3. *d.* 8. *num.* 4. Basil. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 3. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 20. *num.* 73. Villalob. *tract.* 13. *diffic.* 25. *numer.* 2. Leander *tractat.* 9. *d.* 7. *quæst.* 65.

599 Hæc mihi probabilius. Hoc mihi probabilius. Quia ex doctrina Baldi *lib.* 2. *num.* 2. commissum ad conscientiam est commissum ad veritatem: & satis est (ait) vt sit munitum iure gentium. Et *l. certum, n.* 5. *cap. Vnde legitimi.* docet, Pontifice mandante, dignitatem alicuius examinari, neminem esse citandum, sed sufficere probationem concludere soli examinatori, eo quod hæc commissio potius sit conscientialis quam iudicialis.

DVBIVM CXXXVII.

An existente iusta dispensandi in denunciationibus, causa, Ordinarius sub peccati pœna teneatur semper dispensare, subditis exigentibus.

600 Tenetur quidem semper. TEnetur quidem semper. Quia cum personarum acceptio iustitiæ distributiuæ opponatur, in solis debitis ex hac iustitia committitur, vt omnes cum D. Th. 2. 2. *q.* 63. *a.* 1. *ad* 3. profitentur: sed Prælatus male dispensans, est personarum acceptor: ergo dispensatio, causa iusta existente ex iustitia distributiua est debita. Sic. D. Antonin. *p.* 1. *tit.* 17. *n. cap. vni.* §. 20. Rebuf. *repetit. capitis Postulastis, notab.* 3. *n.* 12. Rosel. *v. Dispensatio, n.* 4. Sylvest. *ibi. q.* 1. Armil. *v. Dispensare, n.* 14. & Sanch. *citandus* docet esse probabile.

601 Non semper tenetur. Non semper tenetur, causa iusta existente, dispensare: sed quandóque est debita dispensatio, quandóque est gratia. Quia in Iure aliquando *gratia* appellatur, *cap. Licet Canon. de elect. in* 6. vbi: *Possit Ordinarius gratiam dispensationis facere.* Ergò dispensatio non semper est debita. Et *cap. Postulasti, de cleric. excommun. ministranda.* ibi: *Nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum.* Loquitur autem textus, quando est iusta causa, alias esset dissipatio: Ergò dispensatio ex iusta causa non semper est debita, sed aliquando est gratia, ac misericordia. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 10. *n.* 3. citans Glossam, Abbat. Archidiac. Turrecr. Dominic. & alios. Basil. *l.* 5. *cap.* 32. *n.* 6. Coninch. *d.* 2. *dub.* 6. Hurtad. *d.* 5. *diffic.* 20. *num.* 71. Ochaga. *tract.* 3. *qu.* 4. *nu.* 20. Villalob. *diffic.* 25. *num.* 5. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 5. *a num.* 1. Gutier. *de matrim. cap.* 52. *num.* 4.

602 Auctoris resolutio. Existimo, dispensationem debitam esse solummodo illis in casibus, in quibus si non dispensaret, aliquod scandalum sequeretur, aut malitiosè impediretur coniugium, aut damnum notabile obueniret, aut animæ periculum contrahentibus sequeretur.

DVBIVM CXXXVIII.

An Parochus possit, & non possit aliquo in casu dispensare, nè denunciationes gerantur.

603 Potest planè. POtest planè. Quia potest dari casus, in quo necessitas vrgeat, & difficilis sit ad Præsulem recursus. Hi autem sigillatim casus à Doctoribus memorantur: Quoties ob necessitatem, & causam vrgentem Præsul tenetur dispensare, v. g. si aliquis malitiosè niteretur impedire cõiugium. Quando parentes, vel tutores iniustè filiam, aut pupillam abstrahunt à coniugio, vt eius absumant patrimonium. Quando contrahentes sunt Magnates. Quando impedimentum inter contrahentes minimè timetur. Quãdo alter contrahens in mortis periculo, & cum amasia curat inire coniugium, vt saluti consulat animi, & prolem legitimet. Denique potest Parochus in iis cunctis casibus dispensare, in quibus Episcopus dispensare cum teneatur, iniustè denegat. Quia cum ea facultas sit debita, & denegata iniustè, idem est, acsi concederetur. Sic Veracr. *append. spec. dub.* 1. Vivald. *p.* 1. *de matrim. num.* 243. Vega *lib.* 6. *sum. casu* 122. Petr. de Ledes. *q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 1. Machad. *l.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *docum.* 18.

604 Minimè potest. Minimè potest. Quia Concilium id soli Ordinario concessit. Ergo non Parocho. Ità Basil. *l.* 5. *c.* 31. *n.* 2. Coninch. *d.* 27. *num.* 53. Villalob. *tr.* 13. *diffic.* 24. *n.* 8. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 4. *n.* 3. Gutier. & Layman. apud ipsum. Sanch. *l.* 3. *d.* 7. *num.* 17. citans Henriquez, Nauar. & Rodrig. Trull. & Bauny. quos refert, ac sequitur Leander. *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 67.

605 Hoc tenendum reor. Hoc vnicè tenendum reor. Quia antè Tridentinum erat præceptum de præmittendis denunciationibus matrimonio, *c. fin. de cl. des. desponsat.* desumpto ex Concilio Lateranensi; & tunc, secundum omnes, non poterat Parochus dispensare: ergò nec modo; quia Tridentinum id decretum non corrigit, sed innouat, vt constat ex illis verbis: *Sacri Concilij Lateranensis vestigiis inhærendo.*

DVBIVM CXXXIX.

An quando non est copia Ordinarij, vel ille petitam dispensationem in denunciationibus iniustè denegat liceat his omissis, contrahere, sex in casibus.

606 *Licet sex in casibus.*

OMissis denunciationibus, contrahere licet, quando est causa iusta dispensandi, si non sit Episcopi copia, vel is petitam licentiam absque legitima causa deneget. Sex hîc casus annumerantur. Quandò aliquibus valdè expedit coniugium, & timetur impedimentũ. Quãdo concubinarij comprehensi à Iudice, vt vitẽt pœnam, volunt contrahere, vt sic se esse coniugatos asserant. Quando parentes, vel tutores nolunt puellam matrimonio collocare, vt patrimonium absumant. Quando contrahentes sunt Magnates. Quando non est timor impedimenti inter contrahentes: Ob verecundiam, quia alter est notabiliter nobilior, ditior, senior. Sic Sotus *in 4. dist. 28. qu. 1. a. 2. concl. 4.* Ludou. Lop. *p. 1. Instr. de matr. cap. 39.* Petr. de Ledes. *de matr. q. 45. a. 5. pun. 1. dub. 2. concl. 3.* Barthol. à Ledes. *dub 21. de matrimon. concl. 5.* & alij.

607 *Non licet.*

Quando concurrunt causæ iustæ dispensandi præfatæ, & non est copia Episcopi, vel is absque causa dispensationem deneget: non licet sine denunciationibus matrimonium inire. Quia Episcopus non dispensando, nullam irrogat iniuriam, cum dispensatio tunc sit gratuita. Ità Sanch. *lib. 3. d. 10. num. 30.* Nauar. *sum. Hisp. cap. 22. num. 69.*

608 *Auctorũ refutatio.*

Ego quidem existimo, id licere, quando Episcopus sub peccati pœna tenetur dispensare: vt si adsit periculum graue in mora expectandi denunciationes, nec potest haberi copia Episcopi, vt dispenset, quandò scilicèt aliquis malitiosè conatur coniugium impedire, vel contrahens est in mortis periculo, expeditque ad legitimandam prolem, vel vt in bono statu decedat, matrimonium. Quià necessitas caret lege *c. 2. de obseruatione iun.* At quoties non tenetur dispensare, licet possit, vt in casibus à secundæ sententiæ Auctoribus memoratis, non licebit, omissis denunciationibus, contrahere. Quia sic fert praxis Ecclesiæ.

DVBIVM CXL.

An sit peccatum consummare matrimonium antè denunciationes, cùm hæ omittuntur, ex Ordinarij licentia, vt post contractum coniugium fiant.

609 *Tridentinum præmitto.*

PRæmitto Tridentini *sess. 24. cap. 1.* decretum, vndè Dubiũ exoritur: *Parocho, & duobus, vel tribus testibus* (dispensatione iusta ex causa facta) *præsentibus, matrimonium celebretur: deinde antè illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes omittantur.* Quæsierim igitur, nùm quando Ordinarius non dispensat, vt omninò remittantur, sed tantùm ne præmittantur coniugio, contrahentes lethaliter delinquant, consummando, illis non præmissis?

610 *Lethal. non est.*

Non delinquunt lethaliter, quandò ex parte Parochi, vel contrahentium adhibita esset sufficiens diligentia ad dignoscendum, an esset aliquod impedimentum dirimens matrimoniũ, & certi essent moraliter, nullum subesse. Quia cessat Tridentini ratio illa: *Vt facilius detegantur impedimenta*, cum certum moraliter sit subesse nullum. Sic Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub. 22.* Manũ. *tom. 1. sum. cap. 222. num. 1.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 45. art. 5. pun. 3. dub. 1.* addens, nisi esset lata contra sic contrahentes excommunicatio. Ludouic. Lopez *part. 1. Instruct. cap. 87.* & Palaus *citandus*, ait esse probabile.

611 *Lethale est.*

Lethaliter delinquunt. Quia eodem Tridentini præcepto contrahentes non solùm tenebantur denunciationes contractui præmittere, sed si tunc omissæ fuerint ex Ordinarij facultate, præmittere eas matrimonij consummationi: Ergò sicut non præmittere matrimonio denunciationes absque iusta dispensatione lethale esset peccatum, etiam vbi contrahentes diligentiam adhiberent, vt nossent, an aliquo impedimento laborarent: ità lethale erit, non præmittere consummationi, eadem adhibita diligentia, cum idem præceptum violetur. Ità Nauar. *sum. Lat. c. 16. n. 38.* Spino *specul. testam. glo. 16. n. 30.* & aliqui Neoterici doctissimi, vt fatetur. Petr. de Ledes. pro prima sententia allegatus. Sanch. *l. 3. d. 11. n. 3.* Basil. *l. 10. c. 4. n. 2.* Filliuc. *tr. 10. n. 181.* Pala. *d. 1. punct. 13. §. 5. n. 6.* Trull. *lib. 7. cap. 6. dub. 8. num. 4.*

612 *Hæc mihi verior, viua.*

Hæc mihi verior proculdubio sententia. Quia Parochus sub mortali tenetur curare, vt hæ denunciationes fiant in hoc casu ante cõsummationem: ergo, & ipsi coniuges peccant mortaliter consummando, iis non præmissis. Et quia antè Tridentinum non tantùm matrimonium clandestinum erat illicitum, sed etiam illius vsus erat peccatum mortale, vt docet Caiet. *tom. 1. opusc. tract. 13. quæst. 2.* Petr. de Soto *lect. 14. de matrimon.* Nauar. *sum. Hisp. cap. 16. numer. 38.* & alij. Ergò similiter nunc vsus matrimonij antè præmissas denunciationes erit lethale piaculum, cum per Tridentinum sit prohibitus.

DVBIVM CXLI.

An quando ex Ordinarij dispensatione omittuntur denunciationes, vt post contractum matrimonium fiant; solùm prima vice sit mortalis consummatio.

613 *Solùm prima vice est mortale.*

SVpposito, lethale esse peccatum, ante denunciationes consummare, quæsierim, nùm solùm prima vice consummare, mortale sit, vel toties quoties copula habetur, antequam denunciationes præmittantur? Solùm est mortale, prima consummare vice, non deinceps. Quia iam hi violarunt Ecclesiæ præceptum prohibens, nè antè denunciationum prolationem matrimonium consummaretur: nec possunt resarcire: sicut qui die ieiunij primo mane scienter comedit, non deinceps peccat comestiones multiplicans. Sic Henriq. *l. 11. c. 16. num. 1. lit. B.* Neoterici alij, quos, presso nomine, memorat Sanch. *lib. 3. d. 11. num. 4.*

Non

614 Non solùm est mortale prima vice consummare, sed & deinceps quælibet copula mortalis est. Quia eadem prorsus militat præcepti ratio: imminet enim fornicationis periculum, cum nondum adhibita sit diligentia ab Ecclesia præscripta, vt facilius impedimenta detegantur. Ità Sanchez *num.* 5. Basil. *lib.* 10. *cap.* 4. *num.* 2. Coninch. *d.* 27. *num.* 58. Nauar. *sum. capite* 22. *numero* 38. Palaus *d.* 2. *punct.* 13. §. 5. *num.* 6. Trullench. *lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 8. *num.* 4. Leander *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 70. citans Bonacinam.

Non solùm prima vice est mortale, sed deinceps.

615 Fateor, me nullam differentiæ rationem inter primam copulam, & subsequentes inuenire. Quia ratio differentiæ à contrariis assignata non est similis. Nam ieiunium indiuiduum est, nec commodam patitur diuisionem, cum eius substantia in vnica comestione consistat: quare ea facta, deinceps obseruari nequit: at præceptum non consummandi matrimonium est diuisibile sicut præceptum abstinendi à carnibus; in qualibet enim copula eadem Tridentini ratio militat. Quemadmodum castitatis voto illigatus, peccat qualibet vice petendo: non autem ieiunij voto adstrictus delinqueret qualibet vice comedendo, sed prima solummodo.

His sequuntur Auctores.

DVBIVM CXLII.

An dum Matrimonium initur sine denunciationibus præmissis ex Ordinarij licentia, sed antè consummationem præmittendis: si coniuges nolunt, coniugio inito, denunciationes gerere, nec matrimonium consummare: delinquant, hoc in casu lethaliter, diù differendo.

616 LEthaliter peccant, si alter coniux publicari petat, nisi per breue tempus differantur. Quia dilatis denunciationibus, non tàm facilè reserabuntur si quæ adsint impedimenta, & plura possunt animæ incommoda, vt incontinentiæ periculum, obuenire. Sic Nauar. *cap.* 16. *num.* 38. Ludouic. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 87. §. 7. Manu. *cap.* 222. *de matrimon. num.* 2. Sanchez *libro* 3. *d.* 11. *numer.* 6.

Lethaliter linquunt.

617 Non peccant lethaliter etiam diù denunciationes, & consummationem differendo. Quià nulli ob id præcepto contrauenium. Tridentinum enim solùm præcipit, vt quando celebratum est matrimonium sine denunciationibus, ex Ordinarij dispensatione, posteà antè consummationem præmittantur. Ità Leander *tract.* 9. *d.* 7. *qu.* 71.

Non delinquunt.

618 Huic hæreo, sed primæ sententiæ ad hanc mentem Doctores allicio. Nam si scandalum timeretur, vel esset incontinentiæ periculum, deberent coniuges illico publicationi denunciationum operam dare.

Doctoru remissio.

CAPVT XIV.

Circà dispositionem post denunciationes gerendam ab iis, qui impedimentum aliquod inesse dignouerint.

DVBIVM CXLIII.

An teneatur impedimentum manifestare ille, cui est sub secreto naturali reseratum.

619 SVPPONO contrahentes ex vi denunciationum teneri impedimentum dirimens manifestare. Quia aliàs illegitimè coniugium inirent, esséntque inualidum. Item est certum, eum, qui impedimentum nouit ex solo auditu, non teneri id manifestare, casu quod non recordetur, à qua, vel à queis personis audierit. Quia testes de auditu alieno non deponentes à quibus audierint, nihil probant. Nec qui occultè nouit impedimẽtum tenetur illud aperire, si probabiliter timeat, aliquod graue damnum, vel scandalum ex denunciatione fore excitandum. Quià nemo obligatur cum huiusmodi incommodo fratrem admonere. Scio denique, quando impedimentum est publicũ, etiamsi ortum sit ex peccato, & infamia indè sequatur contrahere volentibus, qui illud in occulto scit, manifestare debet, si probare possit. Quia nulla adest ratio, quæ à denunciando excuset. Prius tamen laborantem impedimento prius fraternè moneat. Hæc communi omnium consensu expediuntur. Quæsierim autem, nùm teneatur manifestare impedimentum ille, cui sub secreto naturali fuit reseratum?

Nonnulla suppono.

620 Non tenetur. Quia qui sub secreto naturali scit, quasi non scit: & nefas est secretum reserare. Sic aliqui apud Palud. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 2. *ar.* 5. *nu.* 31. & videtur idem ipsemet tenere *d.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *casu* 9. *n.* 27. & Gutier. *l.* 1. *qq. Canon. c.* 11. *n.* 17. vbi aiunt, conscium impedimenti teneri denunciare, licet detectum sit ei petendo consilium: non tamen adiecto, committi sub secreto. Vndè à contrario sensu videntur sentire, non teneri, quãdo sub secreto committeretur.

Non tenetur.

621 Tenetur planè, quãtumvis sub secreto committatur extrà Confessionis sigillum. Quia hîc non agitur de punitione, vel damno alicuius; sed de peccato vitando, & de eripiendo denunciatum à morte spirituali sibi imminente: & cum animæ vita omnibus rebus sit præferenda, vincit hæc lex tanquam fortior legẽ de seruando naturali secreto, famáque proximi tuenda. Ità Sanch. *l.* 3. *d.* 17. *nu.* 6. ex D. Tho. 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. *ad* 2. & Corduba *l.* 1. *qq. q.* 44. *dub.* 2. & allicit Paludanum *dist.* 28. *qu.* 2. *art.* 5. *num.* 31.

Tenetur.

622 Hoc teneo. Quia secreto commissa manifestanda sunt vbi vergunt in damnum publicũ, aut tertiæ personæ imminens in futurũ D. Thomã cũ omnibus teste citato. At hoc secretum

Hoc teneo.

est huiusmodi: nam si sit impedimentum dirimens, tendit in alterius coniugis bona fide contrahentis præiudicium, quod, si mala vterque contrahat, in præiudicium matrimonij, quod irritum est: & prolis, quæ erit illegitima: & in vtriúsque æternam damnationem permanentis in concubinatu. Si verò sit impediens, tendit in Sacramenti irreuerentiam, & damnationem contrahentis cum eo impedimento: & sic pè in damnum tertij, cui frangitur fides, vt si impedimentum sit priorum sponsalium.

DVBIVM CXLIV.

An qui nouit occultum impedimentum, quod testibus probare nequit, teneatur, illud manifestare.

623 *Non tenetur.* MInimè tenetur. Quia nemo obligatur, illud denunciare, quod probare non potest: nè falsi accusatoris subeat suspicionem. Sic Suppl. Gabri. *in 4. dist. 28. q. 2. art. 3. dub. penult.* Maior. *dist. 21. qu. 2. argum. 3.* Nauar. *libr. 3. de restit. c. 1. num. 358.* Angel. *verb. Confes. 8. nu. 22.* Henriq. multis citatis *lib. 13. c. 18. n. 3.*

624 *Tenetur planè.* Proculdubio tenetur. Quia tenetur quilibet, saltem Superiore præcipiente detegere peccatum inferens tertio damnum, teste D. Thom. *2. 2. qu. 70. a. 1. ad 2.* Ex hoc autem, quod impedimentum non detegatur sequitur tertiò graue damnum: nam si sit dirimens, manebunt in perpetuo concubitu coniuges, filiique erũt illegitimi: si autem sit impediens, est grauissima Sacramenti iniuria, quòd coniugium cum lethali piaculo contrà Dei, & Ecclesiæ statuta initur. Ità Sanch. *l. 3. d. 13. n. 2.* Nauar. *sum. c. 22. num. 83.* Fagund. Laym. Aragon. Lopez, Barbo. Bonac. & alij, quos refert, & sequitur Diana *p. 3. tr. 4. resol. 221.* Ochog. *tr. 3. q. 6. n. 2.* Coninc. *d. 17 dub. 7.* Palaus *d. 2. pun. 13. §. 6. n. 5.* Hurtad. *d. 5. diffic. 21. num. 75.*

625 *Hoc probabilius iudico.* Probabiliorem hanc iudico sententiam. Quia hæc denunciatio non tendit ad crimins admissi punitionem: sed ad vitandum, ne admittatur: Ergò quamvis denuncians probare nequeat, nec suum testimonium sufficeret, ad impediendum, tenetur denunciare: nam aperiet Prælato viam, vt diligenter de impedimẽto inquirat, & curet, contrahentes tùm monitionibus, tùm terroribus retrahere, nè tacito impedimento matrimonium ineant. Porrò in aliis rebus ideò non tenetur quisquam denunciare, quod probare non potest, quia suum testimonium non sufficit, vt illi malo consulatur: sed in præsenti casu hoc non habet locum, cum ad impediendum matrimonij contractum celebrandi sufficit vnus testis, etiamsi sit denunciator, vt docet Sanch. *l. 1. d. 71.*

DVBIVM CXLV.

An si Parochus extrà Confessionem scit impedimentum occultum nulli alij cognitum: Teneatur matrimonio assistere & Ordinario detegere.

626 *Tenetur assistere, & non denunciare.* TEnetur quidem matrimonio assistere, & Ordinario non manifestare, quando admoniti contrahentes nolunt à contrahendo desistere. Quia nemo denunciare tenetur, quod probare non potest: etsi non assistit matrimonio, indicat manifestè, se impedimenti alicuius conscium esse. Sic Basil. *lib. 5. cap. 54. num. 6.*

627 *Tenetur denunciare, & non assistere.* Tenetur impedimentum manifestare, & non tenetur, imò non potest matrimonio assistere Quia vnus testis sufficit, regulariter loquendo, ad impediendum matrimonium. Et quia hæc denunciatio non sit, vt crimen puniatur; sed vt vitetur. Ità Ochagau. *qu. 6. num. 8.* Hurtad. *d. 5. diffic. 21. num. 77.* Machad. *lib. 4. p. 2. tom. 2. docum. 20.* Henriqu. *libr. 1. cap. vlt. num. 6.* Palao *d. 2. punct. 13. §. 7. nnm. 3.* Coninch. *d. 27. dub. 7. num. 65. & 66.* Gutier. *de matrim. cap. 60. num. 10.*

628 *Eiusdem sum mentis.* Cum his opinor. Quia vbi opponitur impedimentum, quod sit Parochus, non est ei, de illius veritate discutere, sed tenetur rem ad ordinarium deferre: & esto nullus opponat, tenetur ipse coram Ordinario opponere, sicut quilibet alius teneretur: imò à fortiori, cum ipsi incumbat ex officio impedimenta vestigare, & saluti spirituali ouium suarum consulere: eiúsque testimonio sufficienter, & planè probetur impedimentum, nè matrimonium contrahatur. Lege Santium *libr. 1. d. 71. numer. 1.*

DVBIVM CXLVI.

An si Parocho constat impedimentum occultum, verbi gratiâ, votum castitatis: sed contrahens asserit, se minimè teneri, quia fictè vouit: Parochus, vt matrimonio assistat, nec Ordinario impedimentum referet, debeat contrahenti fidem præstare.

629 *Debet fidem præstare.* DEbet fidem præstare asserenti, se fictè vouisse. Quia hic actus pendet ab animo, ea autem, quæ ab animo pendent, & in animo consistunt, partis iuramento probantur. Et quia hîc solùm agitur de bono conscientiæ petentis matrimonium, qui peccabit contrahendo, quando est impedimentum voti simplicis, vel aliud non dirimens; sed valebit matrimonium: Ergo relinquendum est conscientiæ ipsius negantis votum, vel dicentis, eo non teneri. Sic Veracruz *append. ad spec. super articul. 15. 1. part.* Vega *libr. 3. sum. casu 364.*

630 *Non debet.* Non debet præstare fidem contrahenti. Quia quamuis Confessarius in foro conscientiæ fidẽ dare debeat: secus tamen est in externo foro, ad quem matrimonium pertinet. Et quia præsumitur animus, se obligandi in voto: ergò neganti hunc animum probandi onus incumbit. Et quia aliàs præsumeretur delictum mendacij, cuius præsumptio omninò fugienda, *c. 2. de reg. Iur. in 6.* Ità Sanch. *l. 3. d. 15. num. 9.* citans Andream, Anchar. Sylvest. & alios.

631 *Hanc veram, & tenendam sententiam.* Sententiam hanc probabiliorem duco, sed eam sic temperarim. Si nullo alio pacto cõstet de voto emisso, nisi ex cõfessione volẽtis contrahere, tũc si votũ fateatur, & simul defectum animi

animi se obligandi, est ei adhibenda fides. Quia est verisimile, in vtroque veritatem fateri: si mentiri enim vellet, facilius vtrumque negaret, cum probationes contra ipsum deficerent, nullusque impedimentum opposuisset.

DVBIVM CXLVII.

An Ordinarius ipse, qui solus nouit impedimentum, teneatur publice petentibus matrimonium non denegare.

632 Tenetur non denegare. Quia cùm ipse sit Iudex, minimè potest esse testis. Bic Sanchez *lib. 3. d. 15. n. 11.* Ochag. *qu. 9. n. 8.* Henriq. *l. 1. cap. vltim. num. 6.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 7. num. 7.*

633 Tenetur prorsus, denegare matrimonium & impedimentum ad Nuncium, vel ad alium Iudicem deferre legitimum. Quia hoc in casu non gerit Iudicis personam, vt puniat, sed Præsulis patris, vt prouideat, nè ob impedimentum dirimens ouis in concubinatu depereat, vel ob impediens lethaliter delinquat, iniuriáque Sacramento inferatur. Ita Hurtad. *d. 5. diffic. 21. n. 77.* Leand. *tr. 9. d. 7. q. 90.*

634 Cum his opinor Santij venia, sciens, Ordinarium posse etiam testis officium coram suo superiore posse exercere.

DVBIVM CXLVIII.

An matrimonium celebratum coram Parocho, ac testibus, omissionibus subijciatur clandestini contractus pœnis.

634 Quandò denunciationes iuste differuntur, vt post initum matrimonium fiant, vel omittuntur ex Ordinarij licentia, minimè clandestinum coniugium dicitur circa pœnarum incursionem. Quia dum abest culpa, nõ incurritur pœna illi imposita. *Reg. sine culpa 23. de reg. iur. in 6.* Tota ergo difficultas est, quando illicitè omissæ sunt denunciationes. Quæsierim itaque, vtrum clandestinum sit dicendum coniugium, pœnisque subiiciatur, quæ coram Parocho & testibus non præmissis denunciationibus initur?

635 Clandestinum non est, nec pœnis subiectum. Quia publicè, & in facie Ecclesiæ videtur id matrimonium celebrari, cum Parochus, qui persona publica est, & testes Ecclesiæ ex nomine adsint. Sic Palac. *in 4. dist. 28. d. 3.* Petr. de Ledes. *quæs. 45. art. 5.* Moli. *tom. 1. de iust. tr. 2. d. 176.* Hurtad. *d. 5. diffic. 22. numer. 80.* & alij.

636 Clandestinum est quoad pœnas incurrendas matrimonium huiusmodi. Quia non cessat ratio, ob quam Ecclesia reputabat, hoc matrimonium esse clandestinũ cũ verè occultũ possit dici, quod tribus tantum est cognitum, nec detegentur impedimenta, si quę fortè sint, cum publicè non constet, & facile sit, tres impedimenti esse ignaros. Ità Nauar. *sum. cap. 22. num. 70.* Basil. *l. 5. c. 37.* Coninch *d. 27. dub. 2.* Sanch. *l. 3. d. 1. n. 7.* quindecim citans Doctores.

Eiusdem mentis sum. Quia si Concilium Lateranense (habetur *c. fin. de clandest. desponsa.*) lego, video huiusmodi matrimonium clandestinum apertè vocari quoad pœnarum incursionem. Postquam enim textus præmiserat, denunciationes antè matrimonium esse getendas, eo quod Ecclesia matrimonia clandestina detestetur, ait §. *si quis. Si quis verò huiusmodi matrimonia clandestina, seu interdicta inire præsumpserit:* & subiicit pœnas. Vbi pódero illud verbũ, *Huiusmodi clãdestina.* Cũ enim de matrimonio, cui denunciationes non præmittuntur, egisset, manifestè id matrimonium clãdestinum appellat. Tantum autem abest, vt Tridentinum hoc Concilij decretum voluerit corrigere, vt potius *sess. 24. cap. 1.* præscribat. Sacri Concilij Lateranensis vestigiis inhærendo, præcipit Sancta Synodus, vt antè quam matrimonium contrahatur, ter à proprio Parocho denunciationes fiant. Addo, idem Tridentinum *cap. 5.* statuisse pœnam contrahentibus coram Parocho, & testibus absque denunciationibus, nempè vt si in gradibus prohibitis ignoranter matrimonium contractum sit, spe dispensationis careant: Ergo signum est, noluisse pœnas, huic matrimonio antiquitùs positas, corrigere. 637 Eiusdem sum mentis.

CAPVT XV.

Circà Benedictiones Nuptiales, vulgò Velationes.

DVBIVM CXLIX.

An sit lethale peccatum, antequam Benedictiones Ecclesiæ recipiantur, matrimonium consummare.

638 Lethale est. Quia præceptum Euaristi (habetur *cap. Aliter, 30. quæs. 5.* (& Ciricij *Epist. ad Pomer. c. 4.* & Concilij Lugdun. habetur *c. Nulli 30. quæs. 5.*) in re grani violatur. Sic D. Antonin. *part. 3. tit. 1. capit. 16. sum. Confes.* apud Perez *lib. 5. Ordinat. tit. 1. lib. 1.* Lethale est, consummare vice ante benedictiones, non verò deinceps. Quia præceptum solum est de consummatione. Sic Palud. *in 4. dist. 28. quæs. 1. art. 2. num. 10.* Guillerm. ab ipso relatus, Rosel. *verb. Impedimentum, imped. 1. num. 12.* Lethale est, petere ante Ecclesiæ benedictiones, non autem reddere. Quia illud voluntarium est, hoc autem necessarium. Sic Richar. *in 4. dist. 28. a. 2. q. 3. ad 3.* Lethale est.

639 Lethale non est. Lethale non est. Quia Tridentinum *sess. 24.* statuit: *Eadem Sancta Synodus hortatur, coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.* Si autem iudicaret, esse mortale, non hortaretur, sed præciperet. Ità D. Tho. *in 4. dist. 28. quæstion. vni. art. 2. ad 3.* Caiet. *tom. 1. Opusc. tract. 13. q. 1.* Nauar. *sum. c. 22. n. 38 & 83.* Sanch. *l. 3. d. 12. n. 7.* viginti duo Doctores citans.

640 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Quia talis copula ex se est lethalis, cum inter veros coniuges fiat; nec ex Ecclesiæ prohibitione: cum non sit textus prohibens: imo Nicolaus Papa (habetur *cap. Nostrates 30. q. 5.* enumeratis concurrentibus ad nuptias, & inter ea solemni benedictione, subdit: *Hæc omnia non seruare, non est peccatum.* Nec etiam fit iniuria benedictionibus, nec contemnuntur, cum postea sint suscipiendæ. Nec aliquod mendacium admiscetur in illis cum in verbis, quibus celebrantur, nulla virginitatis sponsæ mentio fiat: Ergò nulla ratione est mortale, consummare antè benedictiones.

DVBIVM CL.

An sit veniale piaculum antè Ecclesiæ benedictiones matrimonium consummare.

641 *Veniale est.* VEniale est. Quia legitimus matrimonij vsus, qui est consummare post Ecclesiæ benedictiones anteuertitur. Sic Caiet. *to. 1. Opusc. tr. 13 q. 1.* Victor. *sum. de matr. n. 177.* Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. a. 2.* Petr. de Soto *lect. 14. de matr.* Angles *v. Debitum, n. 1.* Henriq. *l. 11. c. 5. n. 7. & c. 16. nu. 3.* Veracr. *p. 1. specu. a. 14. post 6. concl.* Ludou. de S. Ioan. *qu. 2. de matri. a. 4. diffic. 3. & q. 9. a. 4. dub. 2. concl. 1.*

642 *Non est veniale.* Veniale non est. Quia nullo iure præcipitur, ne matrimonium antè benedictiones consummetur. Et quia Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* illis verbis *Hortatur Sancta Synodus*, clarè denotat esse consilium. Ita Nauar. *sum. cap. 22. num. 83.* Capua, Palac. Philiarc. Spino, quos citat, & sequitur Sanch *lib. 3. d. 12. num. 6. & 7.* Basil. *l. 10. cap. 4. num. 3.* Azor. *tom. 3. lib. 3. cap. 31. quæs. 9.* Palaus *d. 2. punct. 13. §. 5. num. 8.* Villalob. *tr. 13. diffic. 24. num. 12.* Hurtad. *d. 10. diffic. 3. num. 8.* Laym. *tract. 10. p. 2. c. 4. n. 12.* Ochaga *tr. 3. q. 5. nu. 2.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. n. 184.*

643 *Hanc præfero sententiam nonnullis temperationibus adhibitis.* Hanc præfero sententiam, si triplex ei temperatio adiiciatur. Prima, nisi adsit contemptus. Nam si ex contemptu matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones consummetur, lethalis erit proculdubio culpa. Secunda, nisi scandalum sequatur: eo enim secuto erit lethale, ut veniale consummare coniugium iuxtà scandali grauitatem. Tertio nisi excommunitio lata sit aduersus consummantes, non præmissis Ecclesiæ benedictionibus. De quo iam.

DVBIVM CLI.

An sit mortale consummare ante benedictiones, si lata sit contra sic gerentes excommunicatio.

644 *Mortale est.* MOrtale est. Quia potest Episcopus tale præceptum, & excommunicationem imponere, vt de facto est imposita in Salmantina Diœcesi. Vnde lethale erit antè benedictiones consummare. Quia pro sola lethali culpa ferri excõmunicatio potest. Sic Henriq. *lib. 11. c. 4. n. 7.* Ochagau. *tr. 3. q. 5. n. 3.* Basil. *l. 10. c. 4. n. 3.* Petr. Ledes. *q. 45. a. 5. pun. 3. dub. 1.* Manu. *c. 242.* Filliuc *tr. 10. p. 1. n. 184.* Ludou. de San. Iuan. *q. 9. de matr. a. 4. dub. 2.*

Mortale non est. Quia non est tam grauis materia, vt possit excommunicatio ferri. Ita Sanch. *l. 3. d. 12. n. 10.* Villalob. *tr. 13. diffic. 24. n. 12.* Fauet Sotus *in 4. dist. 28. q. vni. a. 2.* & Ledes. *2. p. 4. qu. 47. art. 5.* dum minus bene sentiunt de excommunicatione inflicta contra clam contrahentes, quod de se est culpa lethalis ne dum in hoc casu, vbi ea copulæ præuentio ex se omni vacat culpa, vt dixi *Dubio 150.* 645 *Mortale non est.*

Certè nescio, vndenam possit hæc excommunicatio iustificari, cum ferri non valeat, nisi vbi adest materia imponendi præceptum obligans ad mortale: nec video iam expediens esse hoc consilium, vt sit materia talis præcepti sufficiens, maximè cum Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* loquens de hac re, solum hortando loquatur. Ideo existimo, talem excommunicationem minimè illigare, nec officere, vt sit lethalis culpa antè benedictiones consummare. 646 *Hæc mihi vt. vium.*

DVBIVM CLII.

An sit mortale omninò nuptiales benedictiones omittere.

647 *Mortale est.* ESt mortale. Quia datur præceptum, benedictiones hasce recipiendi. Et quia materia est grauis cum benedictiones Ecclesiæ valde bono progressui matrimonij conferant. Et quia Siritius Pontifex *epist. ad Pomer* fatur *cap. 4. Illa benedictio, quam nupturæ fœminæ Sacerdos imponit, Sacrilegium est, si violetur.* Ergo peccatum mortale, si omninò omittatur. Sic Ochaga. *tr. 3. q. 5. n. 4.* Henriq. *l. 11. c. 16. n. 2.* Filliuc *tract. 10. part. 2. num. 165. & part. 1. n. 184.* Leand. *tr. 9. d. 7. q. 75.*

648 *Mortale non est.* Mortale non est, sed tantum veniale. Quia benedictiones hæ non sunt Sacramentũ quoddam: nec tanti momenti quanti sacramentalia, quæ Baptismo præmittuntur. Vnde non est causa, vndè earum omissio, deficiente contemptu censenda sit mortalis. Ita Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.* Sa *v. Matrimonium, num. 6.* Hurtad. *d. 5. diffic. 13. n. 83.* Bonac. *q. 4. p. 6. n. 2.* Gutier. *de matr. c. 106. n. 11.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 256.* Sanch. *l. 7. d. 82. numer. 6.* Quem quidem immerito taxat Leander citatus, quod hac in re sibi contrarius existat, cum *libr. 3. d. 12. numer. 14.* de præcepto hoc ex contemptu omisso loquatur.

649 *Hanc sententiam præfert.* Fateor sententiam primam valde esse probabilem præfero autem secundam. Asserо igitur præceptas esse hasce benedictiones sub veniali, sed ommodo: quare omittens ea sine contemptu solum venialiter delinquit. Porro nullã contemptus rationem video, vbi quis benedictiones omittit, eo quod non est præceptum obligans sub mortali, ad illas recipiendas: vel existimans eas vtilissimas esse minimè recineret, quasi præceptæ non essent. Quare existimari tunc reperiri contemptum, quando quis perinde eas nihili faceret, ac si res vanæ existerent.

DVBIVM

DVBIVM CLIII.

An nuptiales benedictiones possint tota die sabbati ante Aduentum celebrari.

650 Nonnihil refertur. PRæmitto Tridentini *sess. 24. capit. 10.* decretum. *Ab Aduentu D. N. Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ: à feria quinta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè antiquas nuptiarum solemnium prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit.* Porrò de feria quarta Cinerum nulla est difficultas sed prohibitio incipit à media nocte illius feriæ quartæ. Quia totum officium diei præcedentis, etiam Completorium minimè ad diem sequentem pertinet. De die autem Aduentus quæstio procedit, an ea die possint nuptiales benedictiones celebrari?

651 Possunt celebrari. Possunt quidem. Quia vbi consuetudo aliud non exposuerit incipit etiam tempus Aduentus à media nocte, quæ est initium diei primæ Dominicæ Aduentus: nam re vera tunc Aduentus incipit. Sic Caualcan. *in suis Decis. p. 2. decis. 12. de contract. quæ Ordine est 58. numer. 19.* Basil. *libr. 6. cap. 8. num. 5.* Leand. *tract. 9. d. 7. q. 76.* Et Diana probabile reputat *part. 3. tract. 4. resol. 202.*

652 Celebrari non possunt. Minimè possunt. Quia officium Aduentus incipit per se à Vesperis Sabbati præcedentis: quamvis per accidens fiat aliquandò sola commemoratio propter festum maius occurrens. Ità Palud. *in 4. dist. 32. q. 1. a. 4. n. 16.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 17.* Rosel. *v. Impedimentũ, imped. 17. n. 3.* Sylvest. *v. Matrimonium 7. q. 2. dicto 4.* Et quamvis antè Tridentinum scripserint, at ius antiquum, *cap. Non oportet, el 2. 33. quæstion. 3.* eisdem verbis vtitur, quibus Tridentinum hac in prohibitione. Sanchez *libr. 7. d. 7. numer. 2.*

653 Cum his opinor. Cum his opinor si attendo ad Iuris rigorem, nisi consuetudo declarasset, alicubi incipere à media nocte Dominicæ. Vnde etiam post Tridentinum consuetudine alicuius Ecclesiæ oppositum non seruante, tempus Aduentus in hac prohibitione credo incipere à primis Vesperis Sabbati præcedentis: in feria autem quarta Cinerum à media illius feriæ nocte.

DVBIVM CLIV.

An ipse matrimonij contractus sit prohibitus celebrari ab Aduentu vsque in diem Epiphaniæ: & à feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè saltem sub veniali.

654 Prohibitus est. PRohibitus est. Quia debet celebrari in facie Ecclesiæ, & non clam: At in facie Ecclesiæ eo tempore non permittitur, sicut nec benedictiones nuptiales. Sic D. Tho. *in 4. dist. 32. q. vni. a. 5. quæstiunc. 4. ad 1.* Richar. *a. 5. q. 1.* Hostiens. *sum. tit. de matr. contracto contra interd. Ecclesiæ.* Palud. *in 4. dist. 32. q. 1. a. 4. n. 18.* Maioris *ibi q. 2.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 241. num. 4.* innuit prohibitum sub veniali esse. Et aliqui antiqui, quos tacito nom. ne refert Glossa *c. Vir cum propria, §. Hinc etiam, 33. q. 4.* sentiunt, non solum eo tempore matrimonium prohiberi, sed esse irritum, si tunc contrahatur.

655 Non est prohibitus. Minime est prohibitus matrimonij contractus vel sub veniali præcipuè post Tridentini decretum. Quia hoc probat ipsa Ecclesiæ consuetudo, passim enim his temporibus matrimonia ineuntur conniuentibus Prælatis, nec punientibus Parochos, qui intersunt. Et quia nullibi prohibitum id reperitur: imo *c. Capellanus de feriis*, affirmatur, Ecclesiæ consuetudine id attestante, posse omni tempore matrimonium celebrari. Ita Sanchez *lib. 7. d. 7. num. 11.* quadraginta supra sex Doctores citans. Basil. *libr. 6. capit. 8, numer. 78.* Possevi. *c. 30. q. 24. n. 36.* & alij communiter.

656 Hoc nihil vnice verè. Certè non expediret, vt pia mater Ecclesia tot temporibus cõiugia inire prohiberet; daretur enim ansa tũc admittendi plurima lasciuiæ piacula, cum non quirent homines colligare matrimonium, quod in concupiscentiæ remedium est institutum. Vndè audiendos iam non esse primæ Auctores sententiæ mordicus defendo.

DVBIVM CLV.

An sit mortalis culpa tempore prohibito, nuptiales benedictiones recipere.

657 Non est culpa lethalis. NOn est mortalis culpa, cessante scandalo, & contemptu. Quia si scandalum, & contemptus absit, non videtur esse tàm graue præceptum, vt obliget sub lethali. Sic Barth. à Ledes. *de matr. dub. 6.* Cui valde fauent Caiet. *sum. v. Nuptiar. peccata, &* Armil. *v. Nuptiæ, n. vni.* Reddunt enim rationem, cur culpa lethalis sit. Quod publicè (aiunt) cum fiant benedictiones, non potest non suboriri scandalum, ac contemptus adesse. Graf. *p. 2. Decis. l. 2. cap. 85. num. 28.* Videtur in id inclinare Diana *part. 3. tract. 4. resol. 202.*

658 Culpa lethalis est. Mortalis culpa est. Quia est textuum antiquorum, & præcepti Tridentini in re graui violatio: Concilium enim *sess. 24. cap. 10.* diligenter seruari præcipit hanc prohibitionem, & totius Ecclesiæ consuetudinem. Ita Palud. *in 4. dist. 32. q. 1. a. 4. n. 20.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 17.* Sylvest. *v. Matrimonium 7. q. 2. dicto 1.* Caiet. & Armil. *citati.* Nauar. *sum. c. 22. n. 71.* Sanch. *l. 7. d. 7. n. 3.* Basil. *l. 6. c. 8. n. 10.*

659 Hoc longè probabilius. Idem assero. Quia non ex scandalo, & contemptu, quæ omnibus generalia sunt, ad culpã constituendam; sed ex ipsa præcepti natura, & grauitate, quam Ecclesiæ consuetudo & verba Tridentini testantur, culpa hæc lethalis contrahitur: sicut, cessante scandalo, & contemptu, cætera Ecclesiæ præcepta rei grauis, vt audiendi Sacri, ac ieiunandi, sub mortali obligant. Vndè Sacerdos aduersus hoc decretum nuptias eo vetito tempore benedicens pœna plectitur arbitraria. Sponsi vero ipsi id præceptum transgredientes, in delicti pœnam ad tempus separantur

DVBIVM

DVBIVM CLVI.

An Episcopus possit dispensare, vt benedictio nuptialis tempore prohibito celebretur.

660 *Dispensare potest.*

DIspensare potest ex causa valde vrgenti cauendo, nè populi adsit frequentia, nec aliæ consuetæ solemnitates interueniant. Vt si quis piam puellam pauperem dotare nollet, nisi statim solẽnes benedictiones reciperet. Quia de facto consueuere Episcopi Pontificibus an mentibus simili in casu dispensare. Bellamera *c. Capellanus, de feriis*, asserente. Sic Sotus *in 4. dist. 32. q. vni. a. 6.* Veracr. *p. 1. spec. a. 4.* Barth. à Ledes. *de matr. dub. 60.* Graf. *part. 1. decis. l. 2. c. 85. n. 29.* referens Synodum Neapolitanam *c. 40.* dicentem, Ordinarium ob humana pericula facile, & gratis eam licentiam concedere posse. Sà *v. Matrimonium, vbi de Impedim. non dirim. num. 11.* & alij.

661 *Non potest dispensare.*

Minimè potest dispensare. Quia prohibitio hæc est Clementis III. *c. Capellanus, de feriis*: & Tridentini *sess. 24. cap. 10.* At inferior non potest in lege Superioris dispensare. Ita Cardinal. *cap. Capellanus, quæst. de feriis.* Henricus Bothæus quem sequitur referens Henriq. *lib. 11. cap. 16. numer. 2. liter. E*, vbi oppositam sententiam falsam appellat.

662 *Distinctione vtor.*

Ego autem sic distinguendum iudico. Iure ordinario nequit, vt clarè ostendit ratio secundæ sententiæ. Quare Nauarrus *cap. 22. num. 70.* dixit, se nunquam ausum fuisse opinari posse Episcopum dispensare in denuntiationibus matrimonio non præmittendis donec Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* id ipsis indulsit; quod præceptum eas præmittendi sit Concilij Lateranensis. At in casu valde vrgenti, potest extraordinario iure, vbi non esset recursus ad Pontificem, dispensare. In eo enim euentu posse dispensare Episcopum doctissimè probat Sanchez *libr. 2. d. 40.* Et sic intellectam priorem sententiam approbo. Quamuis fateor, illius Doctores videri sentire, posse iure ordinario; nam omnes Sotum sequuntur, qui clarè hoc sentit; ea enim ratione vtitur, quod possit Episcopus sua in Diœcesi dispensare, non secus ac Pontifex in vniuerso orbe, quoties non est dispensatio sibi aliquo in casu à Pontifice interdicta. Quia nec Pontifex, nec Tridentinum dispensationem hanc sibi reseruant. Sed quamuis fundamentum verissimum sit: at eo ipso, quod lex editur à Pontifice, vel Concilio, nec conceditur dispensatio, nequit Episcopus dispensare, sed censetur reseruata dispensatio propter id generale principium: Inferior nequit in lege Superioris dispensare.

Cæterum rarissimè posse eum casum tàm præsentaneæ necessitatis contingere, vt valeat Episcopus in hac prohibitione dispensare.

DVBIVM CLVII.

An sit interdicta omnis traductio sponsæ in domum sponsi, diebus hisce prohibitis.

663 *Omnis traductio est interdicta.*

OMnis traductio etiam absque solemnitate est interdicta. Quia textus Nicolai Pontificis *c. Nec vxorem 33. q. 4.* absolute prohibet, vxorem *ducere* id est, *traducere* (vt explicant *dicta* Abbas, & Syluest) eo tempore. Et quia ex ipsa traductionis nouitate animus circa venereas voluptates magis occupatur. Sic Syluest. *v. Matrimonium 7. q. 2. post 5. dictum, dub. 2.* Rosell. *verb. Impedimentum, imped. 17.* Veracr. *p. 1. spec. a. 14. concl. 4.* Barth à Ledes. *dub. 60. concl. 3.* Sà *verb. Matrimonium, de impedim. non dirim. n. 2.* & alij plures.

664 *Non est interdicta omnis traductio.*

Non omnis traductio sponsæ in sponsi domum est interdicta, sed solum solemnis. Quia nimia mentis diuagatio deducentis minime reperitur in traductione absque solemnitate, & festiuis vanæ lætitiæ signis, quæ possent vetiti temporis Sanctitudinem perturbare. Ita Nauar. *sum. cap. 22. num. 71.* Palud. & alij quatuordecim Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *l. 7. d. 7. n. 16.* Basil. *l. 6. c. 8. n. 10* Diana *3. p. tr. 4. resol. 266.*

665 *Cum hac spinor.*

Certà id licitum esse, ipsa consuetudo testatur, eo vel maximè, quod matrimonij consummatio, quæ traductioni obstare posset, non est eo tempore interdicta. Quod si requiras, quid nomine traductionis solemnis interdictæ eo tempore, intelligatur? Respondeo, intelligi conuiuio, & aliis vanæ lætitiæ signis traductionem.

DVBIVM CLVIII.

An sit lethale diebus hisce prohibitis traducere sponsam, id est, vanæ lætitiæ signis.

666 *Est lethale.*

ESt lethale peccatum. Quia matrimonij benedictiones non prohibentur eo tempore ratione sui, cum sint quid spirituale, ac proinde tempus deuotioni dicatum minimè dedeceant: sed propter conuiuia, & alia festiua tunc solita interuenire, quæ à diuinis mentem auocant, vt clarè colligitur ex D. Tho. *in 4. dist. 31. q. vni. a. 5. quæstiunc 4.* & Richardo *art. 5. qu. 1. ad 1.* Ergo fortius solemnis traductio prohibetur: argumento ducto ex *Authent. Multo magis, cap. de Episcopis*, & *Clericis.* Sic Nauar. *sum. c. 22. n. 71.* Caiet. *sum. v. Nuptiarum peccata.* Armil. *v. Nuptiæ, num. vlt.* Angel. Alex. Ludou. Lopez, Vega, & alij, penes Sanchum *lib. 7. d. 7. num. 18.* Basil. *l. 6. cap. 8. num. 10. & 14.* Hi itaque absolute loquuntur de sponsæ traductione licet solemnis non fit.

667 *Lethale non est.*

Non est lethale crimen sponsam, sit traductio solemnis non sit, sed tantum modo veniale. Imò etiam si sit solemnis, modo scandalum non sequatur, nec ad id ansa probabilis detur. Quia sic huiusce temporis interdicti Sanctitas non deturdatur. Ità Barth. à Ledes. *dub. 60. concl. 3.* Veracr. *part. 1. spec. art. 14. concl. 3.* Tabiena autem

tem *v. Impedimentum, impend.* 14. *q.* 1. *n.* 2. addit, sola conuiuia, & aliæ lætitiæ signa absque sponsæ traductione, nullam esse culpam, ratione generalis consuetudinis hæc permittentis.

668 *Hic tenet, & confirm.* Ego quidem existimo, solas nuptiarum benedictiones hoc tempore sub mortali esse prohibitas. Quia generali consuetudine receptum esse video, vt sponsæ eo tempore in sponsi domum traducantur, conuiuiaque fiant, ac alia lætitiæ signa conniuentibus Prælatis exhibeantur. Quare si hæc moderata sint, nullam culpam agnosco: si aliquantulus sit excessus, solam venialem: mortalem autem minimè, nisi vbi nimius adesset excessus, ità vt Sanctitati horum temporum notabiliter detraheretur: & ansa notabilis iure optimo scandali spectantium exhiberetur animis. Vnde Palud. *in* 4. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 4. *num.* 17. mitius est locutus, docens, prohiberi nuptiarum celebrationem his temporibus ob lasciuias iis valde dissentaneas. Quamuis enim iura rigidius loquantur, vt patet ex *c. Nec vxorem.* 33. *quæst.* 4. vbi vxorem duci, ac conuiuia fieri absolutè prohibeturat generalis consuetudo hunc iuris rigorem temperauit, & ferè ad solas nuptialium benedictionum prohibitionem reduxit.

DVBIVM CLIX.

An sit peccatum interdicto Feriarum tempore matrimonium consummare.

669 *Peccatum.* Est peccatum. Quia *c. Nec vxorem* 33. *quæst.* 4. interdicitur traductio sponsæ illo tempore: cuius ratio nulla esse potest, nisi vt copula carnalis vitetur. Et quia *cap. Non oportet. el* 2. 33. *quæst.* 4. præscribitur, separandos esse celebrantes nuptias hisce diebus: quod nequaquã fieret, si copula non esset tunc prohibita, sed sola solemnitas. Non enim fieret personarum separatio, sed alia pœnitentia imponeretur. Pœna enim non debet culpæ quantitatem excedere. *c. Quæsiuit de iis, quæ fiunt à maiori parte Capituli.* Sic D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 17. Rosel. *v. Impedimentum, imped.* 17. Angel. *v. Debitum, numer.* 1. Sylvest. *verb. Matrimonium* 7. *quæst.* 2. Tabie. & alij penes Sancium *citandum* Caiet. *sum. v. Matr.* Armil. *ibi, nu.* 64. Barthol. de Ledes. *dub.* 60. *de matr.* Quorum alij mortale, alij veniale esse opinantur.

670 *Peccatum non est.* Peccatum non est. Quia nulla est consummandi matrimonium hoc tempore prohibitio: quare etiam prima consummatio vacat prorsus culpa ex hac parte, nisi alia circumstantia mala vestiatur. Hoc ostenditur, quia textus pro prima sententia citati, solam benedictionem nuptiarum, traductionemque sponsæ eo tempore prohibent: nec traductio interdicitur vitandæ copulæ causa, sed propter vana lætitiæ signa, illam solita comitari, quæ temporis illius dedecent sanctitudinem. Certè si ob temporis reuerentiam tunc est prohibita consummatio, non minus illius Sanctitati detrahitur per primam consummationem, quam per sequentes: & siuè sponsa sit benedicta, siue non, cum tamen Doctores contrarij in hoc duplici casu copulam excusent. Ita Naua. *sum. cap.* 22. *num.* 71. Sà *de impedim. non dirim. num.* 2. Petr. de Ledes. *quæst.* 58. *art. vni.* Sanchez *libr.* 7. *d.* 7. *num.* 23. Basil. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 9. Coninch. & Filliuc. quos refert ac sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 266. Trul. *libr.* 7. *cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 1.

671 *Eiusdem sententiæ.* Existimo, huic hærens sententiæ, tempore orationi dicato, multo veriorem esse sententiam, vacare culpa copulam coniugalem, & solummodò esse consilium tunc abstinere, vt probat Sancius *l.* 10. *tota d.* 12. Ex quo infero petenti tunc debitum, non posse opponi temporis exceptionem, sed ea non obstante, sub præcepto esse reddere.

CAPVT XVI.

Circà consensum Coactum.

DVBIVM CLX.

An metus cadens in virum constantem iniustè incussus irritet matrimonium.

672 *Non irritat.* Non irritat. Quia alia Sacramenta vt Baptismus, Confirmatio, Ordo, Extrema vnctio suscepta metu, valida sunt: Ergo & matrimonium. Et quia alij contractus metu initi ipso iure validi sunt, quamuis per Iudicem rescindendi. Nec videtur maior ratio de matrimonio, quam de aliis contractibus, cum omnes contractus mutuo consensu perficiantur. Sic Cardin. *Cap.* 2. *de his, quæ vi, quæst.* 1. Alij, quos presso nomine refert D. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *q. vni. a.* 3. *quæstiunc.* 1. asserunt, tale matrimonium, si re vera consensus adsit, validum esse in foro conscientiæ, & solum in foro externo irritum. Quia Ecclesia præsumit, eum qui cogitur contrahere, mendaciter protulisse verba, & absque consensu interno. At cum ad internum consensum in matrimonio non possit dari coactio, sed solùm ad verborum prolationem, si verè adsit internus consensus, is est liber: Ergo matrimonium eo consensu contractum liberum erit, & consequenter validum quoad Deum. Sic Goffred. de Fontib. citatus à Scoto *in* 4. *dist.* 29. *q. vni. in margine.*

673 *Irritat omnè.* Irritat omninò foro in vtroque. Quia in *Cap. Veniens, el* 2. *de sponsal.* est casus huiusmodi. Quidam contraxit sponsalia cum puella, & nõ accessit ad ipsam postmodum cum alia est inuentus, & coactus eam ducere per verba de præsenti: quæsitum fuit à Pontifice, vtrius harum esset maritus? & ille respondit: *Si inueneris, quod primam post fidem præstitam cognouit, ipsam cum eo facias remanere: alioquin secundæ, nisi metu coactus, qui possit cadere in virum constantem, eam desponsauerit: adhærere facias, vt vxori.* Ergo apertè definit, matrimonium tali metu contractum esse irritum. Ità D. Tho. *citatus.*

tatus. D. Bonau. *in 4. dist. 29. quæst. 1. num. 5.* Scot. *qu. vni*, Durand. *quæst. 2. nu. 3.* Richar. *art. 1. quæst. 1. q. vni. art. 3. concl. 1. numer. 17.* Sotus *quæst. 1. art. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 9. numer. 1.* Barth. à Ledes. *dub. 23. post 2. conclus.* Sanchez *libr. 4. d. 12. numer. 18.*

674 *Hoc verum esse reor, primam improbans sententiam.*

Cum his sentio, primam sententiam tanquam omninò falsam improbans. Nam cæteri contractus, & si semel validi sint, possunt facilè ob metum illatum rescindi per Iudicem: at matrimonium semel validum, cum sit Sacramentum indissolubile, nisi ante consummationem per Religionis ingressum, vel Pontificis dispensationem non posset Iudex rescindere. Certè alia sacramenta inibi enumerata non possunt ab Ecclesia irritari: at matrimonium, cũ sit contractus irritari potest: & ità irritauit, quando metu contrahitur. Cæterùm, falsùm iudico, Ecclesiam præsumere in matrimonio coacto non adesse consensum.

DVBIVM CLXI.

An metus cadens in virum constantem iustè illatus, irritet matrimonium.

675 *Matrimoniũ irritat.*

QVamuis metus iustè incutiatur, non valet matrimonium. Quia *Cap. Veniens, el 2. de sponsal.* decernitur, irritum esse matrimonium, ad quod pater coegit iuuenem repertum cum filia eodem in lecto, & tamen videtur iustè coëgisse, cum iuuenis in culpa fuerit: Ergo nil confert ad matrimonij valorem, si metus sit iustè illatus. Sic Glos. *ad c. Veniens*, vbi ait, inde sumi argumentum, vt excuset metus quamuis eum passus sua culpa in illum inciderit. Hostiens. *ibi.* Ioãn. Andr. *n. 8.* Anchar. *n. 6.* Henric. *n. 8.* Præpos. *n. 5.* Neuo *n. 18.* Couar. *l. 4. Decretal. p. 2 c. 3 §. 4. n. 15.* Ledes. *2. p. 2. q. 49. a. 3.* Vega *l. 3. su. casu 235.*

676 *Non irritat matrimoniũ.*

Metus iustè illatus minimè irritat matrimonium. Quia quoties metus incutitur alicui damni debiti delicto, quem incutiens iustè inferre potest: tunc magis censetur ille metus oriri ex lege ac natura delicti, & proinde ab intrinseco incuti: eo quod intra illum est iusta causa timendi, initium que & radix timoris. Ità Cardin. *Cap. Veniens.* Goffred. *sum. 1, de iis, quæ vi, n. 3. in fine.* Hostiens. *ibi, solut. 1.* Ioan. Andr. *numer. 8* Abbas *nu. 8.* Antoni. *Cap. Cum locum, nu. 11. de sponsal.* Gutier. *de iuram. p. 1. c. 57. nu. 5.* Sylvest. *v. Metus q. 6.* Angel *ibi. n. 7.* Medi. Vega, & alij, quos citat, exponit, ac sequitur Sanchez *l. 4. d. 13. n. 3.*

677 *Hoc mihi probabilius.*

Hanc sententiã probabiliorem reor. Nam dũ quis malum iustum minatur reperto in delicto verbi gratiã. Te accusabo, nisi matrimonium contrahas: non censetur metum inferre, sed potius metum iam ex delicto conceptum auferre, offerendo immunitatem, si ducat vxorem. Porro in casu xe *Cap. Veniens* expresso, dixerim patrem violatæ puellæ iniustè iuuenem coëgisse interficere volens, quod erat iniustum: ex quamuis non constat ex textu, fuisse timorem morti incussum, cum generaliter de timore cadenti in virum constantem loquatur: constat tamen ex expositione Hostiensis, Goffredi. Ioan. Andreæ, Henrici, Archa rani, Cardinalis, Abbatis, lethalem commotionem illam extitisse.

DVBIVM CLXII.

An Metus cadens in constantem virum irritet matrimonium solo iure naturæ, & non Ecclesiastico.

IRritat solo iure naturæ, non Ecclesiastico. Quia summi Pontifices non videntur nouam irritantem matrimonia coacta constitutionem edidisse, sed tantum declarasse, ea fuisse irrita: nullus enim inuenitur textus ea irritans, sed omnes irrita esse supponunt. *Cap. cum locum. Cap. Consultationi, Cap. Veniens, & Cap. significauit, de eo, qui duxit in matrim.* agunt de matrimoniis iam contractis, & declarant, si metu sint inita, esse invalida: nec potuit Ecclesia matrimonia illa iam contracta irritare, si ante ea decreta valida essent: Ergo iure ipso naturali erant irrita. Sic D. Tho. *in 4. dist. 29. quæst. vni. a. 3. quæstiunc. 1.* Altisiodor. *lib. 4. sum. tract. 9. c. 7. q. 5.* Richar. *in 4. dist. 29. a. 1. quæst. 1.* Scot. *in 4. dist. 39. quæst. vni.* D. Bonau. *ibi, quæst. 1. num. 5.* Almain *ibi, quæst. 1.* Carthus. *quæst. 2.* D. Antonin. *part. 3. tit. 1. c. 7.* Barth à Ledes. *de matrim. dub. 23. concl. 3.* Moli. *tom. 2. de iust. tract. 2. d. 326.* Palat. *in 4. dist. 29. d. vni.* Ludou. Lop. *p. 2. Instruct. de matr. cap. 10.* 678 *Irritat solo iure naturæ, non Ecclesiastico.*

Irritat solo iure Ecclesiastico non naturæ: vnde sicut Ecclesia irritauit matrimonia clandestina, inhabiles reddendo contrahentes ad sic contrahendum: irritauit matrimonium metu extortum, inhabilitando personas ad huiusmodi gerendo contractum. Quia si metus iure naturæ matrimonium irritat, aut id prouenit ratione iniuriæ: & hoc non, in metu enim leui inuenitur iniuria obligans ad restitutionem, & tamen non irritat matrimonium. Aut prouenit ex eo, quod tollit libertatem: & hoc etiam non; nam sæpe metus leuis similiter, & fortius plena libertate priuat: sine dubio enim hominem auarum magis priuat libertate amittendæ pecuniæ metus, qui non cadat in virum constantem, quã mãcipium metus flagellorum, qui in virum cõstantem cadit. Cum ergo metus leuis, in quo vtraque ratio reperitur, quę in metu graui, non irritet matrimonium signum est, metum grauem non iure naturæ, sed Ecclesiastico, quod ita in solo graui hoc statuit, irritare. Ità Durand. *in 4. dist. 29. quæst. 2. num. 6.* Palud. *ibi, quæst. 1. a. 3. concl. 2. nu. 20.* Sotus *quæst. 1. a. 3.* Ledes. *2. p. 49. 49. a. 3.* Henriq. *l. 11. c. 9. nº 1. & 3.* Aragon. *2. 2. qu. 88. a. 3.* Sylvest. *v. Matrimonium 8. quæst. 11. dicto 3.* Armil. *v. Matrimonium, numer. 41.* Tabiena *v. Impedimenta. imped. 9. q. 2. n. 3.* Nauar. *sum. c. 22. n. 50.* Sanch. *l. 4 d. 14. n. 2.* 679 *Irritat solo iure Ecclesiastico naturæ.*

Hoc verius existimo. Quia Baptismus in adultis exigit ad eius valorem voluntatem, & intentionem suscipientis, & tamen voluntas metu graui coacta sufficit ad eius valorem *Cap. Maiores, de Baptis. & Cap. de Iudæis, 45. d.* Ergo similiter sat esset ad matrimonij valorem consensus 680 *Hoc verius putarim.*

sensus coactus nisi Ecclesia oppositum statuisset: & subindè solo iure Ecclesiastico erit irritum. Fateor equidem, illos textus non habere statutorum formam, & ita non constare, vbi talis irritatio scripta sit: habetur tamen tot Doctorum traditione, Pontificesque in illis decretis ostendunt, more & vsu id semper fuisse obseruatum, vt matrimonium metu graui extortum sit irritum. Sicut licet non habeatur expressum decretum Ecclesiæ irritantis matrimonium fidelis cum infideli, id tamen ità esse constat ex antiquissima Ecclesiæ traditione.

DVBIVM CLXIII.

An inter fideles valeat, matrimonium graui metu contractum.

681 Non valet.

NOn valet. Quia quamuis Ecclesiæ statutum irritans, apud illos vim minime habeat: at ius gentium ac ciuile irritat, idque efficere potest quatenus matrimonium est contractus quidam ciuilis. Sic Henriq. *l.* 11. *c.* 9. *n.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 5. Ludou. Lop. *part.* 2. *Instruct. de matr. c.* 40.

682 Valet quidem.

Valet quidem. Quia id ex iure gentium non est ius, ius enim gentiũ est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, apud omnesque peræque custoditur, vt habetur *l. Omnes populi* 9. *ff. de iust. & iure*, vnde ius gentium dicitur, quod ex principiis naturalibus rerum consideratarum in ordine ad aliquẽ finẽ per viam conclusionis elicitur: nec ad constituendum tale ius fuit necessarium, omnes homines simul in aliquem locum confluere: id enim impossibile esset; sed ipsa naturalis ratio id singulos per se docet, si ergò tali iure matrimonia coacta essent irrita, sequitur, eorum nullitatem deduci tanquam conclusionem ex principiis naturalibus: ergo ex se habent esse irrita, & non ex iuris gentium statuto. Ita Sanch. *l.* 4. *d.* 14. *n.* 3. Petr. de Ledes. *de matrim. quæs.* 47. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5.

683 Idem existimo.

Existimo validum esse matrimonium inter infideles metu coactum, nisi apud illos sit lex ciuilis illud irritans. Potest enim id ciuilis lex efficere, quatenus est ciuilis contractus.

DVBIVM CLXIV.

An matrimonium metu extortum sit omninò nullum: vnde alteruter altero inuito, possit sine graui piaculo resilire.

684 Non est nullum omnino.

MAtrimonium metu extortum non est omnino nullum, ita vt possit qui libere consensit, resilire: sed tenetur congruo tempore arbitrio prudentis expectare, an alter velit stare matrimonio, & lethaliter delinquit, si non expectat. Quia cogens aliquem ad matrimonium secum contrahendum, maximam ei irrogat iniuriam circa matrimonium: Ergo tenetur, eam resarcire, offerendo ratificationem illius si coactus id eligat. Certè maiorem ei intulit iniuriam quam si decepisset fictè contrahendo: sed hic. *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. tenetur restituere, legitimè consentiendo. Ergò à fortiori is, qui coëgit. Sic Richar. *in* 4. *dist.* 29. *a.* 2. *qu.* 1. Sylues. *v. Matrim.* 8. *qu.* 11. *dicto* 4. Nauar. *sum. c.* 22. *n.* 52. Palaci. *in* 4. *dist.* 29. *d. vni.* Henriq. *l.* 11. *c.* 10. *n.* 5. & alij.

685 Nullum omnino est.

Matrimonium metu extortum nullum omnino est, nec tenetur cogens in foro conscientiæ illud perficere donec per Iudicem condemnetur, sed liberè, altero inuito, potest resilire, nisi aliquod graue damnum sit secutum. Quia aut tenetur ratione delicti coactionis in illius pœnam, & hoc Iudicis condemnationem exigeret, antequam nullus tenetur subire pœnam. Aut ratione iniuriæ illatæ per coactionem: & hoc non; non enim est tanta coactionis iniuria, quandò aliud damnum inde non sequitur, vt aliter quam per matrimonium resarciri nequeat. Vel tenetur ea ratione, quia ex parte sua se obligauit: & hoc non; nam etiam quando fuit contrahens ignarus metus, vel doli, in nullaque fuit culpa, ex parte sua se obligauit, & tamẽ tũc nõ tenetur: Ergò nulla est ratio, cur teneatur. Sic in alio simili Sotus *in* 4. *dist.* 35. *q. vni. a.* 2. Angl. *p.* 1. *de matr. quæs.* 10. *a.* 1. *dub.* 1. *concl.* 4. Barth. de Ledes. *de matr. dub.* 31. *concl.* 3. Scot. *in* 4. *dist.* 35. *q. vni.* Merina *C. de restit. q.* 33. Conrad *de contractib. q.* 57. *d.* 1. Sanch. *l.* 4. *d.* 15. *n.* 5.

686 Hoc probabilius reor.

Hoc probabilius reor, quia contractus onerosus cu sit ex vtraque parte suapte natura obligatorius, vt in eo seruetur æqualitas, aut vtraq; pars manere debet obligata, aut neutra. Cum ergo in coacto nulla consurgat obligatio, nulla etiam obligatio in cogẽte consurget. Certè non omnis iniuria debet in eodem bonorum genere reparari, maximè cũ non tanta sit hæc, vt digna sit tanta satisfactione, vt est matrimonium.

DVBIVM CLXV.

An contrahens fictè matrimonium ob metum in virum constantem cadentem, peccet lethaliter.

687 Nonnulla suppono.

DVplex est casus, in quo quæstio potest habere locum. Primus est, quando coactus fictè consensit. Secundus, quando verè. Certè quando fictè contrahit, certum est peccare. Quia aliud verbis profert, quam mente retineat, & ita mentitur. Docent id D. Tho. *in* 4. *dist.* 29. *q. vni. a.* 2. *quæstiunc.* 1. & Sotus *ibi q.* 1. *a.* 3. Quod intelligo nisi ea verba materialiter proferret, ac si non esset significatiua: vel nisi æquiuocatione vteretur, vt Iuro, te accipere in meã, & velle in vxorẽ: interius intelligẽdo, si teneor. Sic in alio simili, Sanch. *l.* 1. *d.* 11. *n.* 2. Quæsierim igitur, nùm hoc peccatum ficte contrahendi, quando nec materialiter, nec æquiuocè verba proferuntur, lethale sit?

688 Lethale est.

Lethale est. Quia videtur pernitiosum mendacium, cum fingens alterum re in graui decipiat. Et quia quantum est ex parte sua irritat matrimonij sacramentum: Ergo peccat mortaliter, sicut si alia sacramenta irritaret absque debita intentione suscipiens, vel ministrans. Sic Scot. *in* 4. *dist.* 29. *q. vni.* §. *Hic dicitur.* supplem. Gabr. el. *ibi, a.* 2.

689 Lethale non est.

Lethale non est. Quia metu consensum extorquenti nulla iniuria irrogatur, cum nullum ius habeat. Nec sacramento hic enim nõ irritat

illud ficto illo consensu, sed irritum est iure Ecclesiastico; quamuis ille verè consentiret Ità Nauar. *sum. c.* 28. *addit. ad n.* 51. *c.* 22. Palac. *in* 4. *dist.* 29. *d. vni.* Manu. *to.* 1. *sum. cap.* 231. *n.* 2. Petr. de Ledes. *de matr. q.* 47. *a.* 3. *diffic.* 3. Sanch. *l.* 4. *d.* 16. *n.* 2.

690 *Hoc verius mihi.* Existimo solummodo venialiter delinquere ob leue mendacium. Quia metum passus non decipit inferentem, sed ipse inferens à se decipitur: nosse enim deberet, non valere matrimonium altero etiam vere consentiente.

DVBIVM CLXVI.

An qui coactus metu cadente in constantem virum, verè consentit in matrimonium delinquat lethaliter.

691 *Delinquit lethaliter.* DElinquit lethaliter si conscius sit, matrimonium esse Ecclesiastico iure irritum. Quia quantum est ex parte sua irritum reddit Sacramentum, quod ministrat, & suscipit. Ergò amittit sacrilegium mortale, sicut si absolueret quis non subditum, vel minimè dispositum. Sic aliqui Doctores, quos memorat Petr. de Ledes. *de matr. q.* 47. *a.* 3. qui sic destinguit. Aut sic contrahens intendit, matrimonium inire, quatenus est naturalis contractus, secluſa Sacramenti ratione: & tunc non peccat; aut intendit matrimonium quatenus est contractus & sacramentum: & tunc peccat mortaliter peccato sacrilegij. Quia hic scit, se minime transferre corporis dominium, & tamen signo externo, & verbis significat, se transferre: Ergò in se graui mentitur contra sacramenti veritatem.

692 *Lethaliter non delinquit.* Minimè delinquit lethaliter verò consensu matrimonium graui extortum iniens, quamuis id irritum esse norit. Quia cum Christus Dominus non alterarit contractus matrimonij; naturam, sed eam illæsam manentem eleuarit, vt sit sacramentum: eo ipso, quod Ecclesia irritat contractum, manet irritum sacramentum, nec verba contrahentium sunt materia, & forma sacramenti: hoc enim habent quando ex illis contractus validus consurgit. Quandò igitur aliquis metu contrahit sacramentum matrimonij, nec ipse irritat, nec ad irritationem cooperatur: cum enim Ecclesia illum irritet contractum, illa verba non sunt materia ac forma validi contractus, & subinde nec sacramenti. Ità Sanch. *l.* 4. *d.* 16. *n.* 6. Scot. *in* 4. *dist.* 29. *q. vni.* §. *De secundo.* Couar. 4. *decret. p.* 2. *c.* 3. §. 4. *num.* 4. Palac. *in* 4. *dist.* 29. *q. vni.* Henriq. *l.* 11. *c.* 9. *num.* 6. Nauar. *sum. Hisp. c.* 28. *addit. ad n.* 51. *c.* 22.

693 *Cum his opinor.* Certè Petri de Ledesma distinctionem minimè me percepisse fateor; nam inter fideles non potest esse matrimonij contractus, quin sit sacramentum: vnde verè consentiens in matrimonium, in sacramentum consentit. Secundam itaque sententiam, amplector adiiciens, nec veniale in hoc casu delictum cõmitti. Quia sic contrahés nõ mentitur: ea enim verba. Accipio te in vxorẽ, hũc sensũ patiũtur: Quantũ est ex parte mea, accipio te: & hoc verissimum est, cũ verum consensum habeat: & si est irritum matrimonium, non est ex parte sua, sed aliunde, nempe ex Ecclesiæ irritanti decreto.

DVBIVM CLXVII.

An metus leuis sufficiat, aliquandò ad irritandum matrimonium.

694 *Aliquando leuis metus sufficit ad irritandum matrimonium.* QVamuis in foro Ecclesiæ externo matrimonium non irritetur ex metu non cadente in constantẽ virũ, eo quod Ecclesia, quãdo metus est leuis, haud præsumit coactum, sed spontaneum fuisse consensũ, at in conscientiæ foro aliquando ex metu leui irritatur, quando scilicet consensus non est spontaneus, sed illo metu extortus, ita vt nullo pacto contrahens illud matrimonium iniret, nisi eo metu perterritus. Quia ideo metus grauis matrimoniũ irritat, quod plenam consensus libertatem impediat in viro constanti: Ergo similiter irritabit metus leuis, tantum libertatis auferens in viro, qui natura sua adeò constans non est. Tunc enim verificatur absolute ratio Pontificis *Cap. cum locum, de spons.* ibi: *Cum locum non habeat consensus, vbi metus vel coactio interceſit.* Sic Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 51. Veracr. *p.* 1. *spec. a.* 8. *concl.* 7. Manu. *to.* 2. *sum. c.* 8. *nu.* 10. Dicit esse probabile Ledes. 2. *p.* 4 *quæs.* 49. *a.* 1. Henriq. *l.* 11. *c.* 9. *n.* 3. & 4. *liter. Y.*

695 *Nunquã sufficit leuis metus ad irritandum matrimonium.* Metus leuis nunquam matrimonium irritat. Quia cum hæc irritatio matrimonij sit ex Ecclesiæ statuto, quæ punit & afficit actum exterum, subuenit patienti metum grauẽ, eo quod debuit, eligens ex duobus malis id, quod minus est, non autem subuenit vbi metus est leuis; nam metum passus, leuiter ad rem tam grauem est motus. Sicut etiam ius ciuile iustissimè fauet patienti iniustum grauem metum, comtempto leui. *Reg. Vani timoris* 145. *ff. de reg. iur. libr.* 7. *tit.* 55. *part.* 7. Ità D. Tho. *in* 4. *dist.* 29. *quæs. vni. art.* 3. *quæstiunc* 1. D. Bonau. *ibi, quæs.* 1. *num.* 4. Durand. *q.* 1. *num.* 5. & 8. Richard. *art.* 1. *qu.* 1. Palud. *q.* 1. *a.* 3. *concl.* 2. *n.* 10. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 7. Ledes. 2. *citat.* Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion.* 49. *art.* 2. *dub.* 1. *post* 6. *concl.* Henriq *lib.* 11. *c.* 9. *num.* 3. Sanchez *lib. d.* 17. *n.* 5. & alij multi.

Auctoris iudicium. Ego quidem priorem sententiam satis probabilem esse reor, & sustinentes, matrimonium metu contractum esse iure naturæ irritum, lõgè maiorem probabilitatem habere profitebuntur. Atqui solo iure Ecclesiastico irritum esse asserui, existimo secundam esse probabiliorem; quia solùm irritauit matrimonium metu viri constantis initum.

DVBIVM CLXVIII.

An matrimonium antea nullum ob metum, postea reualidetur, ob copulam similiter metu extortam.

697 *Reualidatur.* CErtum est, matrimoniũ ratione metus inualidum postea reualidari copula subsecuta absque coactione, vt deducitur ex *Cap.* 2. *de eo, qui duxit,* & ex *Cap. Insuper* 4. Quæsierim verò num etiam reualidetur ob copulam simili metu extortam? Reualidatur quidem.

Quia

Quia metus, quo quis cogitur ad copulam, quando matrimonium præsupponitur nullum, quamuis grauis, non est cadens in constantem virum, cogitur enim ad peccandum, ad quod constans non cogitur. Sic Palud *in* 4. *dist.* 29. *quæstion.* 1. *art.* 4. Barthol. à Ledes. *dub.* 23. *de matrimon.* Angl. *part.* 1. *de matrimon. quæstion. de consen. coacto. art.* 1. *diffic.* 4.

698 Non reuallidatur.

Minimè reuallidatur. Quia copula graui metu extorta nequit esse sufficiens ad id, siue copula post matrimoniũ factum quamuis nullum, sit signum externum exprimens consensum coniugalem: nam signum externum consensus ex metu graui vtpote pars contractus, est nullius valoris: siue non sit signum, sed tantum indicium matrimonij antea validè facti, vt existimo; nam copula extorta ex metu graui, seu ingentis incommodi non est prudens indicium matrimonij anteà validè facti: quamuis sit, quando non extorquetur ex magni incommodi metu. Ita Basil. *l.* 4. *c.* 17. Sanchez *l.* 4. *d.* 18. Coninch. *d.* 28. *dub.* 4. Hurtad. *d.* 6. *diffic.* 6. *nu.* 21.

699 Eadem sum metui.

Cum his opinor, quia quamuis non sit viri constantis peccato consentire, adhuc ex metu magni incommodi: ipse tamen metus, quoad id cogitur, est cadens in constantem virum; nam ex se virum quantumuis constantem terret, ac concutit.

DVBIVM CLXIX.

An matrimonium metu contractum, si iuramento firmetur, reddatur, validum.

700 Validum redditur.

VAlidum redditur saltem in conscientiæ foro. Quia renunciatio electionis metu facta est inualida, & renunciatio legitimæ: atsi iuramento stabiliantur, validæ fiunt, vt de renunciatione electionis, constat ex *Cap. Ad aures, de iis, quæ vi*: & de renunciatione legitimæ patet ex *Cap. Quamuis pactum. de pactis in* 6. Ergo similiter quamuis matrimonium metu contractum sit inualidum, si accedat iuramentum, validum redditur. Sic aliqui apud Richardum *in* 4. *dist.* 29. *a.* 2. *q.* 3. quod ipse probabile esse indicat.

701 Non redditur validum.

Minimè efficitur ex iuramento validum. Quia *Cap.* 2. *de eo qui dixit in matrim.* expressè haberur eum, qui post matrimonium metu contractum, & iuratum, aliam duxit permansurum cum secunda, priusque matrimonium fuisse inualidum. Et ratio est, quia matrimonium metu contractum irritum est liberi, ac spontanei consensus defectu. *Cap. Cum locum de sponsal.* at iuramentum non supplet consensus substantialis defectum. Ita Sanch. *l.* 4. *d.* 20. *n.* 11. citans Abbatem, Neuo, Sylvest. Armil. Tabie. Palac. Angl. Pacia. & alios.

702 Ita mihi verum.

Ego quidem tanquam certum existimo, huiusmodi matrimonium nullatenus effici ex iuramento validum. Quia aut iuratur aliquid præteritum, & tunc iuramentũ non posset officere validũ matrimonium præteritum, quod ratione metus irritum erat: aut iuratur aliquid futurum & tunc nõ potest efficere matrimonium, sed ad summum sponsalia: aut iuratur aliquid præsens, vt quod consentit iurans in id matrimonium, & tunc est sola testificatio consensus præsentis, qui ex metu est inualidus: Ergo nullo pacto potest iuramentum matrimonium huiusmodi confirmare.

DVBIVM CLXX.

An iuramentum adiectum matrimonio metu graui extorto, obliget, & non obliget: indigeatque relaxatione

IVramentum adiectũ matrimonio metu graui extorto, licet non validat contractum, tamen obligat, relaxatione que indiget: sicut iuramentũ soluendi vsuras, non confirmat contractum, obligat tamen donec relaxetur. Quia id iuramentum non est contra bonos mores, vt cõstat ex *Cap. Inter catera* 22. *q.* 4. Ergo est seruandum. Hac enim ratione iuramentum soluendi vsuras seruandum esse docet Sanch. *l.* 1. *d.* 32. *n.* 12. Sic Anton. *Cap.* 2. *de his, quæ vi*, & *ibi* Abbas *n.* 8. Archidiac. *Cap. Inter catera* 22. *q.* 4. Turrecr. *ibi*. Et id in foro conscietiæ esse consulendũ docent Rosel. *v. Impedimenta. imped.* 10. *nu.* 10. & Sylvest. *v Matrimonium* 8. *q.* 11. *dicto* 8.

703 Obligat, non indigit relaxatione.

Huiusmodi iuramentum non obligat, nec relaxatione indiget. Quia est contra bonos mores Et quia Ecclesia non tantum irritat matrimonium metu initum, sed etiam iuramentum tali accedens matrimonio. *Cap.* 2. *de eo qui duxit in matr.* vbi eum, qui contracto matrimonio, & iurato cum vna ob metum mortis aliã duxit, definitur, cum secunda valide contraxisse, & libere permittendum cum ea permanere. Si tamen Ecclesia sentiret, velletq; eiusmodi iuramenta obligare, adiungeret, pro fractione iuramenti imponendam esse aliquam pœnitentiam, vt gessit *Cap. sicut de sponsal.* vbi definit textus priora sponsalia iuramento stabilita dirimi per matrimonium, & subdit: Imposita ei pœnitentia competenti, quia priorem fidem irritam fecit. Ita Abul. *ad capit.* 5. *Matrimon. quæstion.* 306. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 1. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 6. Petr. de Ledes. *quæs.* 47. *art.* 3. *circa* 3. *argum. dub.* 2. Arag. 2. 2. *quæstion.* 89. *art.* 7. *concl.* 4. Barth. à Ledes. *de matrimon. dub.* 23. *post* 3. *concl.* Ludouic. Lopez *part.* 2. *Instruct. de matrimon. cap.* 40. Manu. *tom.* 1. *sum. capit.* 231. *nu.* 4. & *cap.* 244. *n.* 4. Vega *l.* 2. *sum. casu* 514. Sanch. *l.* 4. *d.* 20. *n.* 15.

704 Non obligat nec relaxatione indiget.

Ego igitur horum hærens vestigiis, sic absolco quæstionem. Si iuramentum apponatur matrimonio contracto per verba de præsenti, vt Duco te, & iuro, me ducere, sicut matrimonium esse omninò nullum, ita etiam & iuramentum: vndè nulla indiget relaxatione. Quia tale iuramentum est assertorium, ex quo nulla consurgit in futurum obligatio, sed statim est verum, aut falsum, & ideo in illo non habet locum relaxatio. Si verò iuramentum adiiciatur matrimonio coacto per verba de futuro, si sit iuramentum de non contraueniendo illi matrimonio, absque nouo consensu & ratificatione illius non obligat, nec relaxatione indiget. Quia est contra bonos mores & culpa lethalis vti matrimonio nullo, quale est illud metu initum, nec conualescere potest absq; nouo consensu. Denique si iuramentum sit de

705 Auctoris solutio.

futuro, nimirum de non contraueniendo, sed de rato habendo illo matrimonio nouo consensu libero: tunc perindè est, ac iurare, se denuo contracturum matrimonium, siue sponsalia iurare, cuius resolutio ad proximum Dubium pertinet.

DVBIVM CLXXI.

An sponsalibus metu graui contractis iuramentum accedat: Obliget donec relaxetur?

706 *Obligat, & nec. get relaxatione.* IVramentum id obligat, indigetque relaxatione, sicut iuramentum soluendi vsuras. Quia id iuramẽtum non vergit in salutis æternæ dispendium, potes enim absque omni culpa seruari, maximè eum ad redimendum propriam vitam, licitum sit, obligare se ad contrahendum: Ergo obligat iuxta regulam traditam *Cap. Cum contingat, de iureiur. & Cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* Sic Syluest. *verb. sponsalia, quæs. 6.* Fortuni. *de vlt. fine illat. 21. nn. 413. & 483.* Tanquam probabile defendunt Richard. *in 4. dist. 29. a. 1. q. 2.* Palud. *q. 1. a. 5.* Tenet Bonau. *3. p. d 39. a. 1. q. 2.* Sotus *l. 8. de iust. q. 1. a. 7.* Henriq. *l. 11. c. 9. n. 6.* Palac. *in 4. dist. 29. d. vni.* Petr. de Ledes. *q. 47. a. 3. dub. 2.* & alij.

707 *Non obligat, nec relaxatione indiget.* Id iuramentum non obligat, & ideo relaxatione non indiget. Quia dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, si iuramento stabiliatur, nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget, vt doctissimè probat Sancius *lib. 1. d. 32. num. 9.* sed sponsalia coacta, quæ sunt initium matrimonij, prohibentur ob publicam vtilitatem, sicut & ipsum matrimonium coactum: oriuntur enim indè seditiones inter coniuges & in Republica, malè prolis educationi consulitur: Ergo iuramentum illis accedens minimè obligat. Ità Richar. & Palud. pro parte prima *citati*, quamuis Problematicè vtramq; defendant, magis in hãc videntur inclinare, cum eam vltimo in loco constituant. Caiet. licet subdubitans, *verb. Periurium c. 2. de periur. promissor.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1.* Almain. *in 4. dist. 29.* Sotus *ibi, q. 1. a. 3.* Manu. *tom. 1. sum. c. 231. concl. 4. n. 4. & cap. 244. concl. 4. numer. 4.* Vega *lib. 2 sum. casu 514.* Sanch. *l. 4. d. 21 n. 3.*

708 *Secundam sententiam probabiliorem esse reor.* Primam sententiam valdè probabilem esse reor, præfero autem secundam. Quia *Cap. Ex literis, de sponsal. impub.* per quod irrita sunt sponsalia metu cõtracta expresse de spõsalibus uratis loquitur, ibi: *Ex literis tuæ fraternitatis accepimus, quod puella quædam anno duodecimo iurata fuit, & desponsata cuidam puero.* Monuerim, quando metu leui contracta sunt sponsalia & iuramento stabilita, quamuis valida sint, vt secluso iuramento valida erant, minimè iuramentum id talem in foro conscientiæ contractum confirmare; quare potest contrahens illis contrauenire obtenta ab Episcopo absolutione iuramenti.

DVBIVM CLXXII.

An pœna anathematis imposita à Tridentino Dominis temporalibus, ac Magistratibus qui suos subditos, vel quoscumque alios ad matrimonia cogunt, sit excommunicatio maioris?

709 *Nonnulla suppono.* CErtum est, Ecclesiasticum Principem posse cogere Baptizatos sibi spiritualiter subditos: & Principem sæculare non baptizatos si. bi subditos temporaliter, ad ineundum matrimonium, quandò id exigit bonum commune, aut alia causa, ob quam ipsi subditi contrahere teneantur. Porrò Domini temporales, & Magistratus, qui suos subditos, vel quoscumque alios ad matrimonium cogunt iniustè siue directè, siue indirectè, à Tridentino *sess. 24. cap. 9.* anathematis pœna puniuntur. Quæsierim igitur, num hæc anathematis pœna sit pœna excommunicationis maioris?

710 *Non est excommunicationis maioris pœna.* Non est excommunicatio maioris pœna, sed solemnis maledictionis. Quia verbũ *Anathema* talem maledictionem videtur significare. Et quia idem Tridentinum in eadem *sess. c. 6.* vbi voluit raptorem excommunicationis pœna puniri, id expressit, dicens sit, ipso iure excommunicatus. Sic Veracr. *in append. ad Specul. p. 1. a. 9.*

711 *Est pœna excommunicationis maioris.* Est quidè excommunicationis maioris pœna. Quia ipso in iure nomine Anathematis excõmunicatio maior significatur, vt constat ex *c. Debent ii q. 1. & ex c. fin. 30. q. 4.* Et quia in præfato Tridentini decreto dicitur. *sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant*: maledictio autem solemnis nequit ipso facto incurri, quia ferenda est ab Ecclesia. Ita Sanch. *libr. 4. d. 22.* Coninch, & Henriq. quos sequitur Hurtad. *d. 6. diffic. 7.* & alij.

712 *Cum hic fertur ab homine.* Existimo anathema non significare maledictionem solemnem, sed excommunicationem maiorem, & ad summum eam, cui, quando fertur ab homine, additur solemnis maledictio. Quod verò Tridẽtinum *c. 6.* excõmunicationis nomine raptorem excommunicet, non cõuincit, id etiam anathematis nomine non fieri.

DVBIVM CLXXIII.

An parentes, qui coactione iniusta & graui filium ad matrimonium compellunt, incurrant illam anathematis, seu excommunicationis, maioris pœnam?

713 *Nõnulla premitto.* SCio, parentes posse cogere filios ad matrimoniũ, quando filij aliàs promissione, aut aliundè tenẽtur, quamuis coactione valdè moderata, vt decet patrẽ; quãdo verò alias nõ tenẽtur & nolũt statũ matrimonij eligere, sed melioré, vt cœlibatus, vel Religionis, non posse à parẽtibus adhuc paterna increpatione ad matrimoniũ cogi. Quia cõtra rationẽ est, filius, qui sui iuris est, ad statũ eligendũ, & vult meliorem eligere, cogi adhuc leuiter ad statum minus perfectum. Igitur quæstioni do, an parentes, qui coactione graui & iniusta sufficienti ad mortale, compellunt filium ad matrimoniam, illam

illam anathematis seu excommunicationis maioris pœnam incurrant à Tridentino *sess. 24. c. 9.* latam.

714 *Prorsus incurrunt.* Prorsus incurrunt. Quia Tridentinum generaliter loquitur dicens: *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, ac conditionis existant, sub anathematis pœna, &c.* Sic Ludou. Lop. *p. 1. Instruct. c. 44.* Albornoz *l. 4. de arte contract. tit. 1.*

715 *Minimè incurrunt.* Minimè incurrunt. Quia Tridentinum tantum loquitur de Dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vt constat ex prioribus verbis, in quibus tantum de hisce loquitur: & ex particula, *Quare* immediatè antecedente ad decretum, in quo id præcipitur, quæ est causalis præcedentium: & ex posterioribus verbis, nempè *Ne subditos suos cogant*: ac proinde illæ particulæ, *Omnibus cuiuscumque gradus, &c.* tantum appellant supra antea memoratos Magistratus, ac Dominos. Ità Coninch *d. 28. dub. 5.* Henriq. *l. 11. c. 6.* Sanch. *l. 4. d. 22.* & alij apud ipsum.

716 *Hoc verius esse reor.* Hoc verius esse reor, indéque colligo, Papam eam excommunicationem non incurrere; quia iurisdictione, in externo foro non fruitur, saltem sæculari: neq; Episcopum, qui dominus temporalis non sit; quia non habet iurisdictionem in foro externo sæculari: imò neque Imperatorem, neque Regem, licet præfata iurisdictione potiantur; quia hi exprimi debent, vt exprimuntur *sess. 22. cap. 11.* & in Bulla Cœnæ Domini.

DVBIVM CLXXIV.

An filius teneatur, inire matrimonium, quod pater promisit, aut præcipit.

717 *Nonnihil sup. patet.* CErtũ mihi, parentũ consensũ non sufficere ad matrimonij filij valorem, vt definitur in *can. sufficit 27. qu. 2.* & in *can. Vbi non est 30. q. 2.* de quo lege Bellarmi. *lib. 1. de matr. c. 19. & 20.* Requiro tamen, num filius teneatur ad ineundum matrimonium, quod pater promisit, vel præcipit: & quæstio procedit ex suppositione, quod filius statum meliorem non eligat, quia vt patet; & ex suppositione, quod matrimonium à patre promissum, aut præceptum, non sit filio indignum; quia si ei indignum sit, non potest à patre ad illud obligari.

718 *Tenetur matrimonium inire.* Filius tenetur matrimonium contrahere, quod parentes promisere, & fieri volunt. Quia deducitur ex *Cap. 1. de desponsat. impub.* vbi dicitur: *Postquam filius ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet, hoc implere.* ibi autem sermo est de sponsione contrahendi matrimonium facta à patre pro filio. Et quia parentibus incumbit liberis has, vel illas nuptias procurare: Ergò liberi parentibus quoad hoc tenentur obedire. Sic Nauar. *sum. c. 14. numer. 15.* Rebel. *qu. 14. sect. 2.* Bellarm. *lib. 1. de matrin. cap. 19.*

719 Non tenetur filius, inire coniugium, quod parentes promisere, aut volunt. Quia matrimonium est quasi quædam perpetua seruitus: Ergo quilibet sit liber & sui iuris, & à cuiuscumque alterius voluntate independens, ad illud contrahendum, vel non contrahendum; durum enim esset, homines pro mera aliorum voluntate, quamuis parentum, contra propriam, ad perpetuam quasi seruitutem adigi. Ità Sanchez *libr. 4. d. 23.* Coninch. *d. 28. dub. 5.* Hurtad. *d. 6. diffic. 9. numer. 33.* Richar. *in 4. dist. 29. art. 1. q. 4.*

720 *Auctoris resolutio.* Ego existimo, non tantum filium esse liberum, & independentem à parentum voluntate ad contrahendum, & non contrahendum: sed ex suppositione etiam quod eligat statũ coniugalẽ esse liberum ad hoc aut illud coniugium ineundum. Quia adhuc ex suppositione, quod quis velit contrahere, & fieri quasi seruus, durum est, & contra rationem, pro sola voluntate parentum adigi ad hanc, aut illam quasi perpetuam seruitutem. Annon coniugium exigit indissolubilem vitæ societatem mutuo amore conglutinatam? Ergò ab eius natura alienum videtur, aliquem aliena voluntate obligari ad hoc, aut illud coniugium, præsertim cum raro amemus ea, in quæ aliorum adigimur imperio

DVBIVM CLXXV.

An Filij possint, licitè, hoc, aut illud coniugium, inuitis parentibus, inire.

721 *Certum quid suppono.* CErtum est ad valorem matrimonij filiorum non esse necessarium parentum consensum, sed absque eo, imò contra eum posse valide fieri. *Cap. cum virum, 12. de Regular.* & Trid. *sess. 24. c. 1.* Lege Bellarm. *l. 1. de matr. c. 19.* Quæsierim viro, num id filij possint licitè præstare?

722 *Non possunt licitè.* Filius non potest licitè, parentibus inuitis matrimonium contrahere. Quia id videtur contrà pietatẽ, ac reuerentiã parẽtibus debitã, cuius signũ est, quod parentes communiter grauissimè offenduntur. Sic Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. a. 1.* Rebel. *q. 14. sect. 1.* Bellarm. *citat.*

723 *Licitè possunt.* Filius id licitè potest. Quia quilibet adhuc ex suppositione quod velit contrahere, liber est quoad statum matrimonialem: durissimum enim esset quoad illud ob eius perpetuitatem & onera ab alterius pendere voluntate, quamuis patris: Ergo filius libere, ac licitè potest, non solum non inire matrimonium, quod pater vult, quod Dubio proximo dixit: sed etiã inire quod sibi placuerit. Ità Sanchez *libr. 4. d. 23.* Coninch *28. dub. 5.* Vasq. *d. 4. n. 24.* Hurtad. *§. d. 6. iffic. 10.*

724 *Idem asserq.* Idem assero, credens filium sic contrahendo, nullam in parentes impietatem, aut irreuerentiam irrogare. Fateor, aliquando, cum matrimonium fit contra eorum voluntatem, offendi non leuiter: sed non offenduntur tanquam iniuriati contra debitum pietatis, sed contra debitum honestatis, seu decentiæ: decens enim est filium patris voluntati conformari. Attamen quamuis non fit contrà reuerentiam parentibus debitam filiis, illis inuitis, hoc, aut illud matrimonia contrahere, eis tamen inconsultis, seu non certioribus fa-

cis contrahere coniugium credidem esse grauem irreuerentiæ defectum, & mortale piaculum: nisi quando filij timerent, parentes iniustè matrimonium impedituros: aut quando adest alia rationabilis causa occultandi parentibus matrimonij ineundi consilium.

DVBIVM CLXXVI.

An filia inuitis parentibus nubens, attento iure Cæsareo possit & non possit ab eis exhæredari, si indigno nubat.

725 Potest quidē. POtest quidem, si nubat indigno. Quia *Auth. Vt cum, de appellat. cognosc. §. Aliud quoque, vers. causas*, vnaex causis, ob quam filius exhæredari potest, numeratur, si grauem, & inhonestā iniuriā patri intulerit: at talis est hæc, inducit enim odiū capitale teste Baldo, *l. Omnem*. Ergo poterit exhæredari. Sic Goffred. *sum. tit. de despons. impub. n. 13.* Bald. *l. si pater, C. de despons. & l. Neque filium, C. de nuptiis.* Anchar. *c. i. de desp. impub. & c. vni. eodem tit. in 6.* Francus *ibi, §. Porro n. 1. & 2.* Ioan. Lup. *c. Per vestras de donat. iner vir. & vxor. not. ab. 3, §. 5. n. 1.* Mencha. *de succes. creat. p. 1. l. 1. §. 10. n. 623.* addens, id verum esse, licet digno nupserit.

726 Non potest. Minimè potest ob hoc exhæredari. Quia *Auth. vt cum*, dicitur, exhæredari posse filiam, *si alicui ex prædictis parentibus volentibus suā filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem, & secundum vires substantiæ suæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxurio sam vitam elegerit: si vero vsque ad viginti quinque annorum ætatem peruenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitam ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum marito se (libero tamen) coniungere: hoc ad ingratitudinem filia nolumus imputari.* Quod Authenticum explicans *lib. 5. tit. 7. part. 6.* sic ait: *Otro si quando el padre quisiesse casar su fija, y la dotasse, segun la riqueza que el ouiesse, è segun que pertenecie sse a ella, e a aquel, con quien la queria casar, è despues de esto ficiere vida de mala muger en puteria, podria el padre desheredarla per tal razon. Pero si el padre alongasse el casamienio de su fija de manera que ella pasasse de eda de venticinco años, si despues de esto ficiesse ella ierro enemiga de su cuerpo, ose casasse contra la voluntad de su padre, non podria el desherdarla por tal razon* Ergò desideratur, vt filia inuitis parentibus nubens, simul vitam luxuriosam eligat. Ità Palud. *in 4. dist. 28. q. 2, nu. 33.* Sotus *dist. 29. q. 1. a. 4. ad 4.* Henriq. *l. 11. c. 6. n. 3.* P. Moli. *tom. 1. inst. & iure tract. 2. d. 176.* Sanchez *l. 4. d. 24, nu. 3.* citans ex Iurisperitis Hostiens. Andre. Anton. Cardinal. & alios.

727 Hiis harto Doctoribus. His hæreo inferens, tres conditiones desiderari, vt filia inuitis parentibus nubens, exhæredari possit. Prima est, vt parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem iuxtà vires suæ substantiæ tradere. Secunda vt filia illi matrimonio repugnet, ac simul vitam luxuriosam eligat. Tertia, vt sit minori vigintiquinque annis. Monuerim non sufficere, si semel aut iterum filia furtim sui corporis copiam faciat: sed necessum esse, apud lupanar impudicam gerere consuetudinem, vt possit exhæredari.

DVBIVM CLXXII.

An attento iure Regio Castellæ, possit filia, inuitis parentibus, nubens exhæredari.

728 Potest planè. POtest planè, licet vigesimum quintum annum excesserit. Quia *l. 49. Tauri, quæ hodie est l. 1. t. 1. l. 5. recop.* dicitur, posse exhæredari filiam, matrimonium, quod Ecclesia iudicat clādestinum, contrahentem. Dicunt enim Perez, & Spino citandi, appellari ibi clandestinum quoad hanc pœnam, quod sinè patris consensu contrahitur. Et quia *l. 2. de los casamientas l. 3. fori.* dicitur, posse exhæredari filium nubentem absque parentum consensu vel fratrum sub quorum potestate manent, parentibus defunctis. Vbi Suar. *n. 4.* ait, licet leges fori non plus valeant, quam vsu receptæ sint, & illas alleganti incumbat vsum probare: secus esse in hac lege, quia est per pragmaticam quandam Ioannis II. approbata. Sic Sotus *in 4. dist. 29. q. 1. art. 4. ad 4.* Perez *l. 4. ordinat. tit. 1. l. 1. §. Clandestinum.* Spino *specul. testam. Glos. 20. num. 66.* limitans *n. 67. nisi excedat viginti quinque annos*, contra Sotum.

729 Non potest. Minimè potest. Quia leges citatæ id non probant. Non *lex 49. Tauri*, nam loquitur de matrimonio clandestino, quale non reputatur eo quod desit patris consensus. Non lex fori, quia non est vsu recepta: quod ad eius obligationem desiderabatur. Nec pragmatica illa Ioannis II. habetur in noua recopilatione, cum tamen in pragmatica quadam nouæ recopilationis initio posita statuatur, nullas leges Regni obligare præter inibi insertas, ac partitarum leges. Ità Sanch. *l. 4. d. 24. n. 15.* Gutier. *l. 2. practic. q. 1. n. 28.* Azeued. *l. 5. recopil. tit. 1. & l. 2. n. 6.* Gratian. *reg. 199. n. 23.* Segura *direct. Indic. 2. p. 15. n. 36.*

730 Hanc tenco sententiam. Scio validius vrgeri posse oppositæ sententiæ probabilitatem per *legem 10. tit. 1. p. 4.* ibi: *Pero si aquel, con quien el padre quiere casar alguna dellas, fuesse tal, que conuiniesse, e que seria assaz bien casada con el, magner que la non puede apretar, que cumpla lo que el auia prometido, puedela desheredar &c. E esto se entiende, si despues de esto, se casasse ella con otro contra voluntad de su padre, o si ficiesse maldad de cuepro.* Dixerim tamen hanc legem esse correctam per *legem 5. tit. 7 p. 6. iuncta l. 8.* vbi habetur, ob nullas alias causas, posse filiam exhæredari, quam illis legibus expressas, in quibus hæc minimè continetur.

DVBIVM CLXXVIII.

An pater teneatur, dotare filiam viginti quinque annis maiorem ipso inuito nubentem.

731 Non tenetur si filia dotem non promisit. TEnetur, si filiæ promisit dotem: secus si non promisit. Quia sibi debet imputare vir, quod de dotis promissione desēs nō egerit. Sic Bartol. *l. Obligamur, fine ff. de actio. & oblig.*

Abbas

Abbas *c.1.de desponsi.impub.n.6.* Præpositi.*ibi,n.* 3.Montalu.*lib.* 10.*titul.*1.*p.*4.Sylvest. *ver. Dos, qu.*4.*& ibi* Tabie. *qu.*3.*num.*4.

732 *Tenetur & si filia non promiserit dotē*

Tenetur quamuis filiæ non promiserit dotem,indignóque nupserit. Quia filiæ ex consensu patris nubenti absque dotis promissione tenetur pater dotem constituere:sed filiæ maiori viginti quinque annis non est culpæ tribuendum,sinè patris consensu nupsisse, cum pater fuerit in mora, *Authent.sed si post Cod. de inoffic.testament.& lib.*5.*titul.*7.*part.*6.Ergo non est,cur dotē debeat priuari. Ità Menoch. *de præsumpt.præsump.*189 *num.*58. & indistinctè quando maior nupsit indigno,tenet Francus *cap.vni.*§.*Porrò,num.*1.*& 2.de desponsi.impub.in* 6.Baëza *de non melior.filiab.cap.*18.*n.*2. Ripa.*lib.*1.*num.*57.*ff. solut.matrim.*Sanch.*lib.*4. *d.*26.*num.*11.

733 *Hæc verius asserit.*

Longè veriorem hanc partem existimo. Ripámque, & Baëzam clarè locutos, etiam quando nulla dotis promissio præcessit. Quia statim in minore vigintiquinque annis, ea distinctione vtuntur,an promiserit,nec ne:asserentes vtique debere à patre dotari, si ipsa promiserit dotem,secus,si non promiserit.

Ego quidem assero, si minor absque patris consensu, & dotis promissione digno nupsit, teneri patrem eam dotare.Quia rem,ad quam tenebatur pater vtiliter gessit, licet in modo nubendi deliquerit. Si autem filia indignum maritum elegit,sed ita diues esset,vt alimentis sufficientibus potiretur, non teneri patrem filiam dotare. Atsi alimentis carerent, teneri patrem eam dotare in modica quantitate ad vitæ necessaria: & hoc ob æquitatem naturalem,nè fame depereant. Addiderim, patrem teneri alimenta præstare filio absque eius consensu ducenti vxorem, si aliundè non habeat:& non tantùm filio pauperi, sed etiam eius vxori,*l.si quis à liberis,*5.§.*si vel parens,ver. Non tantùm,ff.de liber.agnosc.* Quæsieris,quale matrimonium dicatur indignum, vt filij illud ineuntes dote,& alimentis non necessariis ad vitam priuari possint ? Porrò is coniux dicitur indignus, cui alter matrimonio colligari absque dedecore iuxta Ciuitatis mores nequit. Indignus etiam iudicatur ex bonis animi,vt si coniux malis sit moribus imbutus,verbi gratiâ, meretrix erit indigna coniux:& vir, qui lenonis obit officium. Assolet indignus etiam coniux vocitari ex bonorum fortunæ defectu, nisi aliundè excessus hic in diuitiis,aliter compensetur,verbi gratiâ,si pauperior, nobilitate excedat.Didici ex Sanchez *lib.*4. *d.*26. *num.*22. 23.& 24. 737 *Quid sentiam, vbertim expono.*

DVBIVM CLXXIX.

An teneatur pater dotare filiam vigintiquinque annis, ipso inuito, nubentem indigno.

734 *Nonulla supponuntur.*

CErtum mihi, si minor nupsit sine consensu patris digno, teneri patrem eam dotare. Quia pater tenebatur eam tradere marito, dote tradita:cum autem ipsa digno nupsit,rem,ad quam tenebatur pater, vtiliter gessit:sicut si emeret aliquid sibi necessarium, ad quod emendum teneretur pater, licet sine patris consensu emerit filia, pater soluere tenebitur.Quæstio igitur est, nùm pater filiam dotare teneatur,si nubat indigno ?

735 *Dotare tenetur.*

Dotare tenetur, licet contra eius voluntatem indigno nupserit.Quia cum dos loco alimentorum successerit, imò fauorabilior sit, quam alimenta:sicut nequit pater,hanc filiam alimentis priuare,ita à fortiori nequit priuare dote.Sic Ioan.Lupus *cap.Per vestras,de donat. inter virum,& vxorem,not.ab.*3.*cap.*10. *&* §.13. *num.*1.*&* §.15.*num.*1. *& toto* §.16. & inspecto iuris rigore,dicit esse veram Moli.*lib.*2.*de primogen.cap.*16. *num.* 8. explicans, licet dotem non promiserit, nupserítque indigno.Fatetur tamen,minorem dotem esse dandam, attenta minori viri qualitate. Imola dicit hanc sententiam forte esse veram *cap. Accedens,num.*8. *de procurat.* Iason. *Authent. Sed si post.*ne *fine, Codic. de inofficios. testament.* docet, posse teneri.

736 *Non tenetur dotare.*

Si indigno nupsit,dotare non tenetur.Quia non videtur æquum compellere parentes, ad dotandam filiam, quæ turpi matrimonio totum familæ decus deturpauit.Ità Gloss.*ad cap. de raptor.fine,* 36.*quæst.*1. Archidiac. *ibi.* Ioan. Andr.*cap. Accedens,fine,de procurat.* Anton.*ibi. n.*16.Practica Forens.*tit.de dote,*§.22. Francus *Cap.vni.*§.*Porrò n.*1.*&* 2.*de sponsat.impub.in* 6. Ripa *num.*59. Couar. *num.*7.

CAPVT XVII.

Circà Consensum Conditionatum.

DVBIVM CLXXX.

An hæc conditio, si Deus voluerit, *sit generalis, ita vt reddat, contractum matrimonij conditionalem.*

738 *Nonulla supponuntur.*

SVppono, matrimonio aliquid posse adiici per modum conditionis,cum scilicet adiicitur suspendens contractum, sub cuius existentia, & non aliter velis contractum celebrari. Nam de natura conditionis est,suspendere, & facere,vt actus possit se habere ad esse,& ad non esse,*libr.*1. *titul.*4. *& l.si ita, ff. de verborum obligation.* Verùm quædam sunt conditiones generales,ità appellatæ, quia tacitè cuilibet contractui insunt, quamuis non exprimantur : vt *si vixerimus.* Aliæ sunt speciales,quarum quædam intrinsecæ, quæ matrimonio ex necessitate insunt, nam sine eis constare nequit : vt *si non es consanguinea, si non es monialis contrahо tecum.* Aliæ sunt extrinsecæ:& rursus harum quædam sunt necessario euenturæ,vt *Contrahо tecum,si sol orietur.* Aliæ omninò impossibiles,vt *si cælum digito tetigeris.* Alię contingentes,& possibiles:

biles: & rursus harum aliæ sunt honestæ aliæ turpes, aliæ indifferentes, seu omninò impertinentes. Et tandem ex turpibus quædam sunt contra substantiam, & bona matrimonij, vt *Contraho tecum, si generationem prolis euites*, vel *Donec pulchriorem inueniam.* Aliæ sunt turpes non contrà substantiam, ac bona matrimonij, vt *Contraho tecum, si mecum concubueris.* Equidem si de conscientiæ foro agatur, standum est intentioni contrahentis sub conditione, qualiscúmque illa sit: hoc est, quamuis Ecclesia iudicet esse matrimonium, quando conditio est necessaria, turpis, aut impossibilis: præsumit enim, minimè defuisse consensum huiusmodi conditionibus adiectis: cæterùm in foro conscientiæ, si contrahens noluit matrimonium inire, nisi eueniente conditione, non erit matrimonium antè illius euentum: etsi nunquam euenire possit, quia impossibilis est, nunquam matrimonium erit. Quia matrimonium absque consensu nullatenus esse potest. Certum denique est, matrimonium admittere conditiones generales, quæ in omni contractu intelliguntur, tacitéque insunt, vt *si vixerimus, si tu quoque consenseris.* Quia hæ conditiones non magis suspendunt contractum, quam si non exprimantur. Siue enim exprimantur, siuè taceantur: prior consensus est inefficax, donec alter vita fruens coniux acceptet verbis, aut nutibus consensum proferens. His ex communi omnium Doctorum consensu suppositis, quæritur, an hæc conditio, *si Deus voluerit, si Deo placuerit*, sit generalis. ita vt non suspendat, nec reddat contractum conditionalem?

739 *Conditio hæc reddit contractum conditionalem.* Conditio hæc reddit contractum conditionalem, eúmque suspendit. Quia sunt sponsalia conditionata ea quæ contrahuntur sub hac códitione, *si Deo, & Ecclesiæ placuerit*: atque ita reperto impedimento ob quæ ea sponsalia sunt nulla, non oritur publicæ honestatis iustitia, eo quod non pure sint contracta. Sic Gloss. *cap. vni. fine de sponsal. in 6.* Ioan. Monach. *ibi, nu. 3.* Hostiens. *cap. Ad audientiam, de sponsal.* Abbas *cap. significasti, de elect. fine.* Angel. *verb. Matrimonium, 3. imped. 3. ad 1.*

740 *Non reddit conditionalè contractum.* Conditio hæc non reddit contractum conditionalem, neque illum suspendit. Quia huiusmodi conditio, *si Deo placuerit*, tacitè inest. Ità Gloss. *per illum textum. cap. Beatus, verb. Diuina 21. quæst. 2.* Archidi. *c. vni. de sponsal. in 6.* Alexand. de Neuo *c. Ad audientiam, & de sponsal. num. 15.* Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 2. articul. 1.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 19. §. 5.* Petr. de Soto *lect. 3. de matrim. §. Quarto denique.* Barttth. à Ledes. *dub. 25. de matrim.* Henriq. *lib. 11. c. 12. num. 2.*

741 *Sub distinctioni satisfactio.* Ego distinxerim. Si contrahentes sub hac conditione, *si Deus voluerit*, aut *Deo placuerit*, intelligant de voluntate beneplaciti, qua Deus omnia, quæ fiunt, aut vult, aut permittit: tunc est conditio generalis, & in omni contractu intelligitur, quare non suspendit consensum: si verò intelligant de voluntate diuina approbante, quasi sentiant, *si hic contractus Deo non displiceat, sed sit iuxta eius beneplacitum*: tunc non est conditio generalis, & ità suspendet. Quia multa sunt contrà Dei beneplacitum, vndè suspendet consensum, donec Deo placere constiterit.

DVBIVM CLXXI.

An conditio extrinseca necessariò euentura adiecta matrimonio, vt Contraho tecum, si cras sol orietur, *reddat illud conditionale; suspendáque consensum.*

742 *Reddit conditionale matrimonium.* REddit conditionale matrimonium, illúdque suspendit, donec conditio impleatur. Quia quamuis stipulatio sub conditione omninò exitura non sit conditionalis, at non est perfecta vsque ad diei aduentum, *l. Hæres meus, 78. in principio, ff. de condit. & demonstrat.* ibi: *Hæres meus, cum moritur Titius centum ei dato: purum legatum est. Quia non conditione, sed mora suspenditur: non potest enim conditio non existere.* Sic Gloss. *cap. Per tuas, de condit. appos. verb. Præsumendum.* Ioan. Andre. *ibi, num. 7.* Anton. *fine*, Anchar. *fine.* Speculat. *titul. de condit. apposit. princip. numer. 8.* Angel. *verb. Matrimonium 3. imped. 3.* Et rem hanc esse dubiam Rosella *verb. Matrimonium, 5. num. 1.* profitetur.

743 *Non reddit.* Minimè reddit conditionale matrimonium, nec illud suspendit: vndè matrimonium initum sub eiusmodi necessaria conditione, est absolutum, & validum, & conditio illa perindè est, acsi apposita non fuisset. Quia cum iam conditio illa futura, sit præsens, & determinata in sua causa naturali, ita vt impossibile sit oppositum esse, censetur iam impleta. Ità Sanch. *lib. 5. d. 2. num. 2.* ex D. Thom. *in 4. dist. 28. quæst. vni. art. 3. quæstiunc. 3.* D. Bonauent. *ibi, quæstion. 3. num. 13.* Durand. *quæstion. 2. num. 5.* Paludan. *dist. 29. quæstion. 2. art. 5. conclus. 8. num. 30.* Henriqu. *lib. 11. cap. 12. num. 4* Barthol. à Ledes. *de matr. dub. 25. concl. 1.* Petr. de Ledes. *quæst. 47. artic. 5. dub. 2.*

744 *Auctoris resolutio.* Hanc resolutionem veram esse putarim, si contrahentes existimábant, conditionem necessariam esse: nam si credebant, esse contingentem, suspenderet planè vsque in conditionis euentum. Quia in contrahentium intentione conditio contingens erat, ac proindè effectum conditionis contingentis sortiri debet: cum matrimonium conditionale ex contrahentium consensu pendeat. Imò si conditio necessaria, sit respectu nostri incerta, suspendit, vt *Respondebo te, si luna eclypsetur tali die*, non erunt statim sponsalia, sed aduenienti conditione. Præterea intelligenda est resolutio, quando conditio necessaria habet diem certum: vt *Contraho tecum, si Titius morietur.* Suspenditur enim matrimonium vsque ad Titij obitum.

* *
*

DVBIVM

DVBIVM CLXXXII.

An conditio impossibilis adiecta matrimonio, vt Contraho tecum, si digito cœlum tetigeris, *ipsum vitiet?*

745 Non vitiat. MInimè vitiat. Quia *cap. fin. de condit. apposit.* id manifestè præscribit. *Alia* (inquit) *conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi.* Ex quo textu constat, matrimonium contractum sub conditione impossibili, vt *Contraho tecum, si digito cœlum tetigeris*, esse statim validum, reiecta conditione. Sic omnes ferè Iuris Pontificij Doctores.

746 Vitiat omnino. Vitiat omninò, minimèque matrimonium stabit. Quia Ecclesia nunquam præsumit aliquid sinè iusta causa, alias esset temeraria, ac iniusta præsumptio: sed quando conditio impossibilis apponitur, nulla est coniectura consensus, sed potius dissensus, vt constat ex communi dicendi vsu, dum enim petita negare volumus, dicere solemus: *Dabo tibi, si cœlum digito tetigeris.* Ergo nulla est ratio, ob quam Ecclesia præsumat consensum, sed potius dissensum, & ideò nullum erit matrimonium. Et qui reliqui contractus initi sub conditione impossibili, non valent, *l. Impossibilis 7. ff. de verborum obligation. & l. Non solùm 30. ff. de action. & obligation. & lib. 3. titul. 4. part. 6.* sed matrimonium maiorem libertatem consensus desiderat, quam cæteri contractus, vt constat, cùm cæteros metus non irritet, nec ab iis excludatur pœna: quod omninò diuersum est in matrimonio. Ergò à fortiori non valebit matrimonium, simili conditione adiecta. His & aliis, quæ vehementissimè vrgent contra præfati *Cap. finalis*, decisionem adeò dubia ea decisio redditur, vt subtilissimus Durand. 3. *dist. 39. quæst. 4. num. 9.* fateatur, se minimè percipere, vndè Ecclesia in eo matrimonio præsumat consensum: & ideò hoc doctioribus iudicandum reliquit. Alij vero diuersos intellectus excogitarunt, quos disertè refert P. Sanchez *libro 5. dist. 3. à numero 2.* & reiicit.

747 Prima sententia adhærens tria suppono. Ego autem primæ sententiæ adhærens, vt textum illum aptius tueri valeam, tria suppono. Primum, conditionem impossibilem reputatam possibilem à matrimonio non reiici, sed suum sortiri effectum foro in vtroque: vndè *Cap. finale* intelligitur, quando sciebant contrahentes, conditionem esse impossibilem. Secundùm, vt conditio impossibilis habeatur pro non adiecta, vltrà cognitionem impossibilitatis conditionis, exigi etiam, vt contrahentes conscij sint constitutionis dicti *Cap. finalis*, statuentis eam conditionem haberi pro non adiecta, & censeri purum matrimonium. Tertium, conditionem impossibilem haberi pro non adiecta, quando dubia est contrahentium intentio, an animo consentiendi, vel potius irridendi, eam conditionem apposuerint: tunc enim fauore matrimonij præfertur pars ipsius conseruatrix, & præsumit Ecclesia, ea verba accipi in sensu absoluto, perindè ac si conditio non fuisset apposita: ita vt conditio nil penitus operetur: in dubio enim pro matrimonio est iudicandum *cap. fin. de sent. & re iudic.* His suppositis, verùm intellectum *cap. fin.* hunc crediderim esse. Omnes fideles dum Sacramenta recipiunt, consentunt ea recipere iuxtà Ecclesiæ intentionem: & dum contractus ineunt matrimonij, & norunt, conditionem esse impossibilem, eámque ab Ecclesia reiici, & pro non adiecta haberi, sed præsumere consensum esse purum, & absolutum: videntur velle purè contrahere iuxta intentionem Ecclesiæ. & vt ipsa Ecclesia præsumit, & iudicat tale matrimonium, nisi aliter explicent suam ipsi intentionem. Accipi ex Paludan. *in 4. dist. 29. quæstion 2.* Couar. *4. decret. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 1.* Palac. *lib. 6. de contr. cap. 6. concl. 1. & 2.* Palac. *libr. 6. de contract. cap. 6. concl. 1. & 2.*

DVBIVM CLXXXIII.

An omnes conditiones impossibiles iuxtà Cap. finale *reiiciantur, de matrimonio solùm quando apponuntur per verba de futuro?*

748 Nonnulla suppono. REcolo, multiplicem esse conditionem impossibile. n. Quædam enim est per naturam impossibilis, vt *si cœlum digito tetigeris, contraho tecum.* Quædam impossibilis iure, quando scilicet ius oppositum iubet; vt *Contraho tecum, si licet inter consanguineos contrahere.* Quædam est facto impossibilis: vt si quis pauperi dicat, *Contraho tecum, si centum mille aureos in dotem dederis.* Quædam est natura sua possibilis, at ex accidenti, id est, ex lapsu temporis impossibilis est: vt *Contraho tecum, si es virgo, vel si pater tuus adhuc viuit.* Quædam sunt conditiones impossibiles contra matrimonij substantiam. De his sigillatim sequentibus Dubiis agendum. Attamen generatim quæsierim, nùm cum apponuntur hæ conditiones impossibiles de præsenti aut præterito, pro non adiectis habeantur, vel tantùm quando per verba de futuro apponuntur?

749 Reiiciuntur solùm, quando apponuntur de futuro. Porrò dum *Cap. fin.* decidit conditiones impossibiles habendas esse pro non adiectis, intelligit, quando apponuntur de futuro: vt *Contraho tecum, si cœlum digito tetigeris.* Secùs quando apponuntur de præterito, aut de præsenti: vt *Contraho tecum, si cœlum digito tangis, aut tetigisti*: tunc enim non habentur pro non adiectis, sed vitiant matrimonium, & irritum illud reddunt. Quia verba iuris sunt propriè intelligenda, sed conditiones de præterito, aut præsenti non sunt propriè conditiones, vt constat, quia non suspendunt, quod proprium est conditionis: ergo cum *Cap. fin.* loquatur de conditionibus impossibilibus, intelligi debet de propriè conditionibus, quando scilicet sunt per verba de futuro. Sic Sylvest. *verb. Matrimonium 3. quæstion. 1.* & aliqui viri Neoterici, quos præsso nomine memorat Sanchez *lib. 5. d. 4. num. 2.* Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 47.*

qu. 47. *art.* 5. *dub.* 1. & fertur fuisse Magistri Cano.

750 *Non reiiciuntur solùm quando de futuro apponuntur.*

Conditiones impossibiles *Caput illud fin.* reiicit à matrimonio quamuis sint de præterito, vel de præsenti. Quia eodem modo reiiciuntur de matrimonio, quo ab vltima voluntate, vt probat Sanchez *d.* 3. *num.* 7. sed ab vltima voluntate reiicitur conditio impossibilis de præsenti, vt patet ex *l. si Mœuia* 45. *ff. de hæred. instit.* vbi conditio, *si filia testatoris viuet*, casu quo nunquam habuit filiam, reiicitur à testamento, tanquam impossibilis. Ibi Glossa *verb. Viuet, id est, vinit in præsenti tempore.* Ita Sanch. *citatus, nu.* 2. Durand. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 2. *num.* 5. Paludan. *d.* 29. *quæst.* 2. *art.* 5. *num.* 28. Couarru. 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 2. *num.* 2. Ludou. Lop. *part.* 2. *Instruct. noui, de matrimon. capit.* 42. Alexand. Carrera *de sponsal. lib.* 4. *cap.* 5. & alij.

751 *Hanc partem probabiliorem esse reor.*

Hanc partem probabiliorem esse reor. Quia dum Pontifex *Cap. fin.* decernit, conditiones impossibiles esse reiiciendas, non ideo id decernit, quod obligent ad aliquid impossibile, sed quia omninò impossibiles sunt: At tam impossibiles sunt, siuè apponantur de præterito, præsenti, aut futuro: ergo similiter sunt reiiciendæ. Certè conditiones de præterito, aut de præsenti, non sunt propriè conditiones, vndè dum textus reiicit conditiones impossibiles, non attendit ad proprietatem conditionis, quæ est, suspendere; sed ad impossibilitatem, quæ æquè propriè in conditione de præterito, ac præsenti reperitur.

DVBIVM CLXXXIV.

An conditiones iure impossibiles reijciantur, à matrimonio, vt Contraho tecum, si inter consanguineos potest matrimonium contrahi, *vel* si filius possit à patre sine causa exhæredari.

752 *Non sunt reiiciendæ.*

HÆ conditiones non sunt reiiciendæ. Quia non sunt absolutè de iure impossibiles: cum ius facilè possit variari. Vt consanguinitatis gradus variati sunt, *Cap. Non debet, de consanguinit.* Sic Sylueſt. *verb. Matrimonium* 3. *quæst.* 9.

753 *Reiiciendæ sunt.*

Sunt omninò reiiciendæ, sicut reiiciuntur impossibiles per naturam. Quia cùm id possimus, quod iure possumus, *l. Nepos Proculo, ff. de verborum significat.* dicetur impossibile, quod de iure fieri non potest. Et quia testamentum, à quo similiter reiicitur conditio impossibilis, valet reiecta conditione non tantùm per naturam, sed iure impossibili, *leg.* 1. *ff. de conditi. instit.* Ità Immola *lib.* 1. *num.* 11. P. Moli. *tom.* 1. *de Iust. tract.* 2. *d.* 106. *concl.* 2. Adrian. *in* 4. *quæst.* 2. *de Matrimon. dub.* 11. Couar. 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 3. §. 2. *num.* 7. Ludouic. Lopez *part.* 2. *Instr. de matrimon. cap.* 43. Sanchez *libr.* 5. *d.* 4. *num.* 7.

754 *Hoc omninò tenendum existimo.*

Hanc sententiam omninò tenendam existimo, si conditio referatur ad ius præsens, secus si ad ius futurum: vt *Contraho tecum, si aliquando licebit inter consanguineos inire matrimonium*, vel *si hoc anno liceat id, quod modo est iure prohibitum.* Hoc tamen intelligo, quando id est iure humano prohibitum: quia potest variari, & sic conditio est possibilis. Secus si iure naturali prohibitum esset, cum enim inuariabile sit, reiicietur conditio etiam in futurum relata: vt *Contraho tecum, si aliquādo licebit homicidium, furtum*; qui semper est impossibilis. Deindè intelligo, quando est certum, ac manifestum, conditionem esse contra ius, vel natura impossibilem: secus si id sub iudice sit. Tunc enim debet haberi pro non adiecta; quia non est, cur præsumatur tunc consensus absolutus,

---

DVBIVM CLXXXV.

An conditiones, quæ solo facto impossibiles sunt, vt Contraho tecum, (*paupere quidem*) si centum mille aureos in dotem dederis, *sint à matrimonij reiiciendæ contractu.*

755 *Non sunt à matrimonio reiiciendæ.*

COnditiones hæ non sunt à matrimonio reiiciendæ, sed illud vitiant, suspendendo eius valorem vsque ad illarum euentum. Quia vitiant vltimam voluntatem, vt probant Gloss. *instit. de hæredib. instit.* §. *Impossibilis, verb. Impossibilis.* Barthol. & Imola, quos refert, ac sequitur, Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 3. §. 2. *numer.* 9. Moli. *lib.* 2. *de primog. cap.* 18. *num.* 37. At ius Canonicum, dum reiicit conditiones impossibiles à matrimonio, voluit illi fauere, sicut ius Ciuile vltimæ voluntati, à qua reiicit conditiones impossibiles: si ergò ius Ciuile non reiicit conditiones de facto impossibiles ab vltima voluntate, sed illam vitiant, similiter ius Canonicum non reiiciet eas à matrimonio, sed illud vitiabunt. Sic Couar. *citatus, numer.* 9.

756 *Reiiciendæ omninò.*

Reiiciendæ omninò sunt à matrimonio huiusmodi conditiones. Quia similiter ab vltimis voluntatibus reiiciuntur, vt probant cum aliis Gregorius Lopez *verb. Portal. titul.* 4. *part.* 6. Acost. *lib.* 1. *select cap.* 8. *num.* 9. P. Moli. *tom.* 1. *de iust. tract.* 2. *d.* 206. quia tam impossibile videtur pauperi dare centum mille aureos, ac cœlum digito tangere: & tam irrisorium videtur, illud, ac hoc petere. Ità Barthol. à Ledesm. *de matrimon. dub.* 25. *concl.* 8. Palac. *lib.* 5. *de contr. cap. fin. dub.* 7. Ludouic. Lopez *part.* 2. *instr. de matrimon. cap.* 43. Ledesm. *part.* 4. *quæstion.* 45. *articul.* 1. Victor. *sum. de matrimon. numer.* 259. & alij.

757 *Vera distinctio.*

Ego sic distinxerim: aut conditio de facto est impossibilis solùm respectu illius personæ, cui proponitur implenda, & non simpliciter etiam respectu aliorum, potest enim alieno auxilio impleri: vt si à paupere petatur hæc conditio, *si dederis centum mille in dotem*: & tunc talis impossibilitas est potius difficultas, vt prima sententia probat: quare hæc conditio non reiicietur, sed suspendendi habebit effectum: etsi non impleatur, annullabit coniugium. Aut est impossibilis etiam respectu aliorum, vt *si dederis montem aureum artificialem*, quamuis enim

enim multis aureis congregatis, posset constitui, at quia id possibile alicui personæ non esset, de facto reiicitur tanquam impossibile fauore matrimonij. Didici ex Gregor. Lopez *lib. 6. verb. Monte, titul. 4. part. 4.*

DVBIVM CLXXXVI.

An reiiciatur à matrimonio conditio, quæ ex natura sua possibilis est, at ex accidenti est impossibilis, vt Contraho tecum, si es virgo, *aut* si pater tuus adhuc viuit.

758 Diuisum ur à matrimonio.

PRosectò hæc conditio: *si es virgo*, reiicitur à matrimonio iuxta illam *Cap. fin.* decisionem, & est matrimonium purum. Quia si iam defloratа est, virgo esse nō potest. *Cap. si Paulus 32. quæstion. 5.* ad præteritum enim non est potentia. Similiter hæc, *si pater tuus viuit*, qui qui iam obierat; quæ tamen non ex natura sua, sed ex accidenti impossibilis. Et quia *l. si Mœuia 45. de hær. instit.* asseritur, hanc conditionem, *si filia mea viuit, hæres esto*, quando testator nunquam habuit filiam, reiici, & sic valere institutionem: & redditur ibi ratio, *Quia id, quod impossibile in testamento scriptum esset, nullam vim haberet.* vbi Gloss. *verb. Impossibile*, dicit *de natura impossibile.* Vndè duplex colligo argumentum: alterum: quia hæc conditio ex natura sua est possibilis, & solùm per accidens ex transcursu temporis præteriti, quia non habuit filiam, dicitur impossibilis. Alterum quia eodem modo reiicitur conditio impossibilis à legato, & à matrimonio: Ergo si hæc impossibilis conditio per accidēs à legato reiicitur, à matrimonio etiam reiicietur. Sic Hostiens. *ad Cap. fin. de condit. appos. & in sum. tit. de condit. appos. num. 12.*

759 Non reiicitur.

Præfata conditio non reiicitur à matrimonio, decisióque *Cap. fin.* intelligitur de conditione, quæ ex se est impossibilis, secus de ea, quæ suapte natura possibilis est, quamuis ex transcursu temporis sit impossibilis: talis enim conditio non reiicitur, sed si vera est, matrimonium valebit: si verò falsa, vitiabitur. Quia in aliis casibus multum operatur, conditionem non esse naturā impossibilem, sed ex solo temporis transcursu. Vt lex nil potest fingere contra impossibile. *l. Quia certum, ff. locati. l. certè in princ. ff. de precar.* & tamen quando res ex transcursu temporis tantùm est impossibilis, habet locum fictio legis, vt cum Barthol. docet Decius *leg. Verum 31. ff. de regulis iuris, numer. 3.* Ità Petr. de Ledes. *de matrimon. quæst. 47. num. 5. dub. 3.* Ludouic. Lopez *part. 2. Instruct. de matr. c. 43.* Veracr. *p. 1. specu. a. 19.* Sotus *in 4. dist. 39. q. 2. a. 3. post 3. concl.* Aret. *consil. 32.* Couar. *4. Decret. p. 2. c. 3. § 2. num. 3.* Paludan. *in 4. dist. 29. qu. 2 art. 5. num. 33.* Sanchez *lib. 5. d. 4. num. 16.*

760 Cum hac sententia.

Proculdubio asserendum hoc est. Vndè hæc conditio, *Contraho tecum, si es virgo*, aut *si pater tuus viuit*, non reiicitur, si es virgo, aut pater superstes, sed valet statim matrimonium; secus si non sint. Quia est honesta conditio, & natura sua possibilis, quamuis per accidens supposita defloratione, aut patris obitu impossibilis sit.

761 *Alij quæstioni haud dubiō satisfacio.*

Quæsieris ad huius materiæ de impossibili conditione perfectionem, an conditio contraria matrimonij substantiæ reiicienda sit iuxta id, quod *Cap. fin.* deciditur, vel potius annullat matrimonium. Certè non reiicitur, sed matrimonium annullat: vt *Contraho tecum, si veneris ad exequias meas*, quod est idem, ac post obitum meum. Similiter *Contraho tecum, si non ascenderis Capitolium*: cum enim sit conditio negatiua, cuius contrarium toto vitæ curriculo fieri potest peinde est ac dicere, *Contraho tecum post mortem tuam.* Quia talis conditio cum tollat matrimonij substantiam, excludit consensum necessarium, absque quo consortium consistere nequit. Ità Sanchez *lib. 5. d. 4. num. 19.* citans Abbatem, Præpos. Alexand. de Neuo, Adrian. Sylvest. Angel. Ludouic. Lopez, & alios.

DVBIVM CLXXXVII.

An dantes sibi fidem de matrimonio contrahendo sub conditione, si Pontifex dispensauerit in impedimento dirimenti, *dispensante Pontifice, teneantur, matrimonium contrahere.*

762 *Nonnulla suppono.*

SVppono, si impedimentum sit eius generis, vt nunquam solitus sit Pontifex dispensare, vt in primo gradu transuersali, vel si contrahens sit sacris initiatus: nec vrgeat causa grauissima, vt cum eo dispensetur, talem contractum esse nullum, & eam conditionem reputandam esse impossibilem. Item contractum esse omninò nullum, quando Pontifex solitus est ex legitima causa dispensare in impedimento, & contrahentes ea carent. Quia non possunt absque graui culpa dispensationem petere, nec ea vti. Et id verùm esse affero, licet tali promissioni iuramentum accedat. Quia iuramentum vinculum non est iniquitatis. Difficultas ergo in eo versatur, nùm quando Pontifex solitus est dispensare in impedimento ex causa iusta, talisque adest causa, obliget matrimonij pomissio inter sic impeditos, ea expressa conditione, *si Pontifex dispensauerit*?

763 *Non tenentur contrahere.*

Ea promissio est omninò nulla, vndè licitum est vtrique contrahenti, ante impetratam à Pontifice dispensationem altero inuito, resilire. Quia conditio impossibilis reiicitur à contractu matrimonij, vel sponsalium, isque purus manet, ac si adiecta non fuisset: sed hæc conditio, *si Pontifex dispensauerit*, est impossibilis: ergo, ea reiecta, manet ea promissio pura, & absoluta, ac proindè minimè obligabit: quia est inter personas inhabiles, & contra bonos mores. Probo minorem, quia conditio à Principis voluntate dependens, qualis est hæc impossibilis reputatur. *leg. Continuus 137. § cum quis, ff. de verborum obligation.* ibi: *Vbi omninò conditio iure impleri non potest, etsi velit facere, ei non liceat, nullius momenti fore stipulationem, perinde ac si ea conditio, quæ natura impossibilis est.*

est, insertæ esset. Nec ad rem pertinet, quod ius mutari potest, & id, quod nunc impossibile est, postea sit possibile fieri; non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis, æstimari debes stipulatio. Sic Victor. *sum. de matrimon. num.* 258. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæstion.* 2. *artic.* 1. Ledes. 2. *part.* 4. *qu.* 45. *art.* 1. Veracruz *part.* 1. *specul. articul.* 19. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 10. *numer.* 4. Sylvest. *verb. Matrimon.* 3. *quæst.* 9. & censent esse probabilem Vega *lib.* 2. *sum. casu* 334. Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. & Sanchez *libr.* 5. *d.* 5. *numero* 5. plures ex Iuristis adducens.

764 *Contrahere tenentur.* Ea promissio valida est, & neutri ex contrahentibus fas est resilire altero inuito, siue ante, siue post obtentam dispensationem. Quia quod pendet à voluntate Principis reputatur impossibile, quando Princeps id concedere non solet, secus quando solet: vt patet ex *leg. Apud Iulianum* §. *constat ff. de leg.* 1. ibi: *Quoniam commercium eorum nisi iussu Principis non est, cum distrahi non soleant.* Imò nec quando Princeps difficillimè concedit, reputatur hoc impossibile. Quia potius ad difficultatem, quam ad impossibilitatem pertinet. Ità Angel. *verb. Matrimonium* 3. *imped.* 3. *num.* 4. Nauar. *libr.* 4. *consil. titul. de sponsal. cons.* 25. *num.* 2. Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. Iul. Clar. *lib.* 5. *recept. verb. Incestus, vers. sed quid.* Et quando interuenit iuramentum, tenet Tabie. *verb. Sponsalia, quæstion.* 8. *num.* 9. Armil. *ibi, num.* 11. Veracruz *append. ad spec. super. articul.* 19. Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. *concl.* 2. Barthol. à Ledes. *dubio* 25. & alij.

765 *Hæc sententia mihi est longè probabilior.* Profectò primam sententiam valdè esse probabilem existimo, sed secundam multò probabiliorem. Quia licet conditio pendens à Principis voluntate impossibilis reputaretur, at quoties est præambula: & necessaria ad dispensationis, & actus valorem, non est reiicienda, etsi summè difficilis sit, sed eius euentus expectatur: sed hæc conditio, *si Pontifex dispensauerit*, ad valorem promissionis matrimonij inter impeditos: Ergo non est reiicienda. Profectò impossibile non est, quod pendet à voluntate Principis, & per remedium dispensationis extraordinarium fit, quando Princeps assolet dispensare: sed quando nullo modo solet; nec tunc verè id dicitur impossibile, sed difficile.

DVBIVM CLXXXVIII.

An valeat, matrimonij promissio inter impeditos, non expressa ea conditione, si Pontifex dispensauerit.

766 *Valet quidē.* VAlet quidem. Quia promittens matrimonium consanguineæ necessariò supponit dispensationem esse præmittendam, cum ea conditio à iure insit, eo quod aliter matrimonium nequeat subsistere. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 29. *qu.* 2. *articul.* 1. & quando intercessit iuramentum docent idem Tabie. *verb. Sponsalia, qu.* 8. *num.* 9. Armil. *ibi, num.* 11. limitans, nisi ignorassent impedimentum, quo cognito, non sibi promitterent. Probabilem satis Sanchez *libr.* 5. *d.* 5. *num.* 25. hanc partem esse profitetur.

767 *Non valet.* Minimè valet promissio, ea conditione non expressa. Quia conditio secundum præsentis temporis ius æstimari debet, *leg. continuus* 134. § *cum quis, ff. de verborum obligation.* ibi: *Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio.* Et quia institutio spurij verbi gratiâ, purè facta, & præceptum de alienandis bonis maioratus, nil valent: quæ tamen adiecta conditione, si Princeps legitimauerit, vel dispensauerit, valida sunt: Ergo in actibus, qui aliàs sine hac conditione, *si Princeps dispensauerit*, sunt nulli, minimè subintelligitur hæc conditio, nec validi sunt: ea tacita. Ità Andre *in* 4. *qu.* 3. *de matrimon. dub.* 10. *ad* 2. Couar. 4. *Decretal part.* 2. *capit.* 3. *numer.* 7. Petr. de Ledes. *de matrimon. qu.* 47. *articul.* 5. *dubio* 2. *ad* 4. Ludouic. Lopez *part.* 2. *Instruct. capite* 42. *de matrimon.* Philiarch. *in sum parua, de Offic. Sacerd. cap. de sponsal.* Sanchez *vbi sup. numer.* 26.

768 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia nihil conferre putarim, si consanguinei sibi promittentes matrimonium intenderint id gerendum, præmissâ Pontificis dispensatione. Quia cum sit contractus inter homines initus oportet externè necessaria ad illius valorem exprimi. Fateor, quādo inita promissione absoluta inter consanguineos tractam de dispensatione impetranda, iam tacitè ineſſe conditionem, & promissionem obligare, si in ea promissione adhuc perseuerent.

DVBIVM CLXXXIX.

An si promittens matrimonium sub conditione, si Pontifex dispensauerit in impedimento, resiliat sequutus opinionem probabilem asserentem, id esse licitum: teneatur, alteri contrahenti soluere expensas occasione illius contractus, vel dispensationis impetrandæ gratia, factas.

769 *Proculdubio tenetur.* TEnetur proculdubio. Quia licet non teneatur ratione rei acceptæ, cum nihilo factus sit ditior, nec ratione iniustæ acceptionis, nullam enim iniustitiam admisit vtens iure suo; at tenetur ratione contractus, ea enim est natura talis contractus, vt possit resilire, seruando tamen alterum indemnem; non enim est iustum, vt alter, qui commodum non reportat, damnum experiatur: sed & resiliens, qui commodum reportat, incommoda subeat. Sic Gutier. *qq. Canoni. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 19 Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. & probabile reputat Sanchez *citandus.*

770 *Minimè tenetur.* Non tenetur vel licitè resiliens alteri expensas soluere: sed quilibet suam partem debet soluere tantùm. Quia nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur. *Reg. Nullus* 55. *ff. de regulis iuris.* Cum ergò hic resiliens iure suo vtatur, non tenebitur refundere expensas, quasi dolo gesserit. Ità Sanchez *lib.* 5. *d.* 5. *n.* 33. Petr. de Ledes. *de matrimon. qu.* 47. *art.* 5. *dub.* 2.

Cum

771 *Ego haec.* Cū his sēserim. Quia si is nō tenetur ratiōno rei acceptæ, nec ratione iniustæ receptionis, vt constat, & primæ sententiæ Auctores supponunt: nec contractus ratione tenebitur, (quod illi negant.) Quia nullibi cautum est in iure, resilientem, iustè à sponsalibus, teneri sponsas refundere. Porrò si dolosè contraxit, animo posteà resiliendi, vel iniustè à sponsalium fide recessit, tenebitur sponsas soluere. Vndè fœmina, quæ libidini dans operam, conditionem suam deteriorem fecit, nec eam absque dedecore potest alter ducere, ad hasce tenebitur expensas; quia culpa sua dissoluuntur sponsalia; nec liberè alter resilit, sed coactus, ne honoris subeat iacturam. Secus dixerim, quando vir fornicaretur: non enim teneretur expensas refundere resilienti sponsæ. Quia liberè resilit, nullum enim damnum illi nubens patitur.

DVBIVM CXC.

An promittens fœminæ consanguineæ matrimonium, si Papa dispensauerit, *teneatur procurare dispensationem, etsi eam violarit, & expensas facere?*

772 *Non tenetur procurare dispensationē vt soluere teneatur.* HÆc quæstio locum habet tetenta probabiliori sententia asserenti, hanc promissionem obligare. Igitur quamuis spe matrimonij fœminam violarit, minimè tenetur procurare dispensationem, nec illius soluere solas expensas. Sed solùm illa obtenta, contrahere, etsi animum habuerit dispensationem procurandi, nisi is animus tacitè, vel expresè esset fœminæ intimatus. Quia non se obligauit, ad procurandam dispensationem, sed tantùm ad ea obtenta, contrahendum: nec intentio impetrandi alteri non intimata confert cùm sit contractus humanus. Sic Nauar. *l.4. consil. de sponsal. cons.25.*

773 *Tenetur dispensationem procurare, & eam soluere.* Si spe matrimonij fœminam violauit, tenetur dispensationem procurare, imò eius sumptus solus exsoluere. Quia obligatus tam stricto iure ad coniugium gerēdum, subindè tenetur efficere, vt actus valeat. Ità Nauar. *libr.4. consil. in 2. editi.* primam corrigens sententiam *titul. de consanguin. consil. 5.* & quidam Doctor, cuius sententia *eodem cons.* refertur *num. 5.*

774 *Auctoris sententia.* Ego quidem existimo licet non defloratit, teneri dispensationem procurare. Quia licet expresè id non promiserit, eo ipso, quod promisit dispensatione concessa, matrimonium: videtur promittere, se dispensationem procuraturum; hoc enim est ei promissioni accessorium. At si spe matrimonij fœminam defloraverit, ad id strictiori iure tenebitur. Cæterùm, siue à viro, siue à fœmina dispensatio impetretur, crediderim sumptus fore communes; quia negotium commune est, vt docte Sanch. *l. 5. d. 5. num. 36.*

* *
*

DVBIVM CXCI.

An contracto matrimonio, vel sponsalibus initis sub hac de futuro conditione, si pater consenserit: *si pater conscius nec consensum, nec dissensum exprimat, censeatur conditio defecisse?*

775 *Nonnulli supponū.* SVppono, si sint coniecturæ, ideo tacere, quia dissenrit, habendam esse pro dissensu tacitumitatem: & si sint coniecturæ, ideo tacere, quia sibi placet, esse pro assensu habendam. Quare tota difficultas est, in dubio an iudicandum sit pro assensu, & ità censeatur tunc impleta conditio?

776 *Non est ita satis, vt conditio impleta censeatur.* Id minimè satis est, vt conditio impleta censeatur. Quia qui tacet, nec fatetur, nec videtur negare. *Reg. Is, qui tacet, de reg. iur. in 6.* Ergo tacendo non impletur conditio, *si pater consenserit*, quæ quidem positiuum consensum desiderat. Et quia facta non præsumuntur, nisi probētur. *Cap. Cùm in iure, de offic. delegat.* Cum ergò consensus ad factum pertineat, non præsumetur ex taciturnitate, nisi probetur. Sic Angel. *v. Matr. 3. imped. 3. n. 3.* Nauar. *sum. Lat. c. 22. n. 63.* mutans sententiam, quam Hispanè defenderat. Petr. de Ledes. *de matrimon qu. 47. art. 5. dub. 7.*

777 *Satis id est.* Id planè sufficit, vt conditio illa impleta censeatur: satis enim in specifica forma adimpletur. Quia hùc tendit ea conditio, ne pater contradiceret, ac ægrè ferret: id enim intendunt filij sub huiusmodi conditione contrahentes: At etsi taciturnitas expressum consensum non indicet; indicat saltem, patrem non negare, nec contradicere, iuxta *Reg. Is, qui tacet.* & consequenter, nec ægrè id ferre, nam si ægrè ferret, id exprimeret: Ergò conditio impletur. Ità Sanch. *l. 5. d. 7. n. 12.* Ludou. Lop. *p. 2. In r. de matr. c. 32.* Nauar. *sum. Hisp. c. 22. n. 63.* Veracruz *p. 1. spec. a. 19. §. Quidquid dicat.* Anton. Cucus *l. 5. institut. tit. 11. num. 54.* Rosel. *verb. Matrimonium 5. num. 5.* Sylvest. *verb. Matrimonium 3. q. 4. dicto 4.*

778 *Hoc mihi verius.* Hanc sententiam reputo veriorem, addens, secus esse, si pater dicat, se consentire: tunc enim non satis esset taciturnitas, sed oporteret, vt pater consensum exprimeret.

DVBIVM CXCII.

An si tempore, quo contractum est matrimonium, seu sponsalia sub ea conditione, si pater consenserit, *pater iam obierat, id contrahentibus minimè ignorantibus: valeat matrimonium?*

779 *Matrimonium valet, si sciebant.* SI scirent contrahentes patris obitum, matrimonium valet. Quia siue scirent, siue ignorarent conditio est impossibilis. Sic Galderin. *Cap. Super eo, de condit. appōn.*

780 *Si sciebant non valet.* Si scirent contrahentes patris obitum, non valet matrimonium. Quia deficit conditio, cùm mortui nulla sit voluntas, *Cap. si gratiosè, de rescr. in 6.* Et quia magna præsumptio est, quā do sciebat id contrahens, dolo illam conditionem adiecisse. Ità Alexand. de Neuo *Cap. Super. num. 11. & 12. de condit. appos.* Henriq. *l. 11. c. 12. num. 5. litter. D.*

781 *Auctorũ resolutio.* Probabilius autem mihi videtur, si sciebant mortem, haberi eam conditionem tãquam non adiectam, eo quod est impossibilis, & ita manere purum matrimonium, & sponsalia. Si autem ignorabant, validum etiam esse reor. Quia hi intendunt absolutè contrahere, nisi stet per patris displicentiam: volunt enim filij, ne parentes ægrè ferant, quod benè verificatur, quando pater obierat.

DVBIVM CXCIII.

An conditiones appositæ matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ ipsarum?

782 *Hoc certum suppono.* CErtum est, existentiam, seu subsistentiam conditionum, quæ matrimonio apponuntur, necessariam esse ad illius valorem; quia fit dependenter ab earum existentia. Quæsierim verò, an etiam sit necessaria notitia existentiæ, siuè impletionis earum.

783 *Necessaria est notitia existentiæ conditionis.* Necessaria est adeò, vt matrimonium factum sub conditione quamuis de præsenti, & præterito, non valeat; quamuis conditio impleta sit, sed suspendatur vsque ad notitiam saltem probabilem existentiæ conditionis appositæ à contrahentibus habitam. Quia ad contrahendum matrimonium, necessaria sunt verba, quibus contrahentes sibi mutuo significent determinatè consensum: sed quando impletio conditionis appositæ ignorata est contrahentibus, non significant suis verbis determinatè consensum: non enim magis significant consensum, quam dissensum, nam sub disiunctione significant, vel consensum, si conditio existat: vel dissensum, si non existat: Ergo verba, quibus contrahitur matrimonium sub conditione, non sufficiunt ad valorem quousque existentia conditionis sit contrahentibus manifesta. Sic Coninch *d.* 29 *dub.* 1.

784 *Non est necessaria.* Haud est necessaria eiusmodi notitia, sed matrimonium sub conditione factum statim, ac conditio existit validum est, ac perfectum. Quia qui contrahit matrimonium sub conditione nobilitatis, (v.gr.) vxoris, contrahit, & consentit sub conditione existentiæ rei significatæ per conditionem, nempè nobilitatis: & non sub conditione notitiæ illius, & suum consensum alligat existentiæ nobilitatis, & non notitiæ illius, vt constat ex verbis, quibus fit matrimonium, *Duco te in vxorem, si es nobilis.* Ergo non suspenditur vsque ad conditionis impletæ notitiam. Ità Hurtad. *d.* 7. *de matrim. diffic.* 2. sequutus Sancium *lib.* 5 *d.* 17.

785 *Magis mihi hæc resolutio placet.* Hæc magis mihi sententia placet. Quia quòd conditionis existentia non sit contrahentibus nota, haud tollit, verba quibus matrimonium contrahitur, sub conditione, significare ipsis contrahentibus determinatè consensum sub illa conditione, quamuis ignorent existentiam illius. Vndè crediderim, matrimonium contractum sub conditione de præsenti, aut præterito, statim absolutè valere, aut esse omninò nullum: valere quidem absolutè, si existat conditio: & esse omninò nullum, si non existat.

DVBIVM CXCIV.

An matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad eius euentum, fiat validum euentu ipso absque nouo consensu.

MAtrimonium contractum sub hac conditione de futuro, *si pater tuus consenserit*, non fit validum euentu ipso conditionis absque nouo consensu, sed tantùm vim sponsalium habet. Quia *Cap. Super eo, 5. de condit.* dicitur, eum, qui matrimonium contraxit cum fœmina sub conditione, *si pater illius consentiret*, non esse compellendum ad matrimonium antè euentum conditionis. Ergo ibi supponi videtur, impleta conditione fore compellendum ad contrahendum, ac proindè non esse perfectum matrimonium solo conditionis euentu. Et quia consensus de præsenti sub conditione de futuro præstitus, non est in rigore de præsenti, sed de futuro, vtpotè alligatus futuro euentui: Ergò non sufficit ad matrimonium, sed solummodò ad sponsalia. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæstion.* 2. *articul.* 1. Henriquez *libr.* 11. *cap.* 11. Basil. *libr.* 3. *cap.* 14. 786 *Non sit validum absque nouo consensu.*

Matrimonium contractum sub præfata conditione de futuro perficitur, & purificatur solo euentu conditionis absque nouo consensu. Quia consensus per verba de præsenti præstitus quamuis sub conditione de futuro, & contingenti, est verè consensus de præsenti (quamuis inchoatus tantùm, & imperfectus vsque ad euentum conditionis) quo contrahens ex tunc consentit, & vult alterum sibi in coniugem colligare sub conditione, id est si conditio existat: Ergò existentia conditionis consensus ille perficitur, & à conditione absoluitur, ac proindè etiam contractus. Consequentia patet, quia consensus ille conditionatus habitualiter manet, vtpotè non reuocatus, & iam positione conditionis, ab ea absolutus, & independens, imò manet moraliter præsens, vtpotè elicitus dependenter ab euentu ipso conditionis ab ea absolutus. Ità Paludan. *in* 4. *dist.* 29. *quæstion.* 2. *articul.* 5. Sanchez *libr.* 5. *d.* 8. *numer.* 5. Coninch. *d.* 29. *num.* 11. Hurtad. *d.* 7. *diffic.* 3. *num.* 10. & alij apud Sancium. 787 *Validum fit absque nouo consensu.*

Hanc mentem amplector, quia consensus illius, qui primo verbo protulit, includit quasi intrinsecè hanc conditionem: *si tu etiam consenseris*: & tamen statim, ac alter consentit, consensus, & contractus fit perfectus, & absolutus absque nouo consensu prioris: Ergò etiam consensus in matrimonium sub conditione de futuro, etiam contingenti, fit absolutus, & perfectus solo conditionis euentu. 788 *Hæc mihi probabilius.*

DVBIVM

DVBIVM CXCV.

An si matrimonium contrahatur inter inhabiles (inhabilitate, in qua Pontifex dispensare potest,) sub conditione, si Papa dispensauerit: matrimonium, facta dispensatione, perficiatur, absque nouo consensu?

789 Non perficitur absque nouo consensu. NOn perficitur absque nouo consensu, quāuis dispensatio obtineatur. Quia matrimonium absque consensu de præsenti absoluto, & inter personas habiles nequit esse perfectum: sed in casu nostro consensus absolutus non est, neque inter habiles personas, nam tempore, quo consensus fuit elicitus, & erat de præsenti, personæ erant inhabiles: & quamuis tempore impletionis conditionis iam personæ erant habiles, tamen tunc non est consensus de præsenti, sed præteritus, & antiquus: ergo. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 19. *quæstion.* 2. *articul.* 1. Henriquez *libr.* 11. *cap.* 12.

790 Absque nouo consensu perficitur. Perficitur matrimonium obtenta dispensatione absque nouo consensu. Quia in nostro casu reperitur consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles: Ergò absque nouo consensu est sufficiens ad coniugium. Consequentia patet, antecedens ostendo. Quia consensus ille conditionatus, vt sic est de præsenti, & est inter personas habiles ad contrahendum sub dicta conditione, & aliàs vsque ad conditionis impletionem perseuerat; qua ille consensus de præsenti fit absolutus, & contrahentes fiunt habiles ad consensum absolutum: Ergo verè adest consensus de presenti absolutus, & inter personas habiles. Ità Sanch. *l.* 5. *d.* 8. *n.* 10. Coninch *d.* 19. *n.* 33. Hurtad. *d.* 7. *diffic.* 4. *n.* 15. Angel. *verb. Matrimonium* 3. *imped.* 3. *n.* 4. Couar. 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 9.

791 Eiusdem sum mentis. Eiusdem sum mentis, licet enim dispensatio non efficit, vt prius matrimonium inualidum perficiatur, tollit impedimentum: & ponit in esse conditionem, ex qua contrahentium consensus pendebat: quare cū tunc perficiatur consensus, perficitur illius virtute matrimonium. Equidem consensus ille non fuit inter personas illegitimas, & inhabiles, cum non fuerit præstitus pro eo tempore, quo tales erant: sed pro tempore, quo Pontifex iam dispensasset, & tunc iam erant habiles, ac legitimæ.

DVBIVM CXCVI.

An si quis contrahit cum duabus sub conditione honesta, si tantam dotem dederis: Impleta conditione, præualeat, matrimonium secundum?

792 Non præualet secundum, sed primum. NOn præualet secundum, sed primum. Quia potior est prioris conditio, nec posterius potuit priori præiudicare. *Reg. Qui prior, 54. de regulis iuris, in 6.* Item quia primum vinculum secundum excludit sibi contrarium. *Cap. Intellecto. & 6. de iureiur.* Sic Tabie. *verb. Matrimonium,* 2. *qu.* 11. *num.* 12. & alij.

Non prævalet primum, sed secundum, siue simul, siue posterius impleatur conditio secundi matrimonij. Quia ad hoc, vt primum matrimonium perficiatur adueniente conditione, requiritur, vt contrahens maneat in eadem voluntate: At per posterius matrimonium à priore voluntate recedit, vt constat ex *l. fin. de diuortiis.* ibi: *Proinde si patronus sibi desponderit alia, vel destinauerit, vel matrimonium alterius acceptauerit, credendum est, nolle hanc nuptam.* Ergò omninò manet prius matrimonium dissolutum, & sic posterius valebit. Ita quidam quos presso nomine refert Præpos. *cap.* 1. *de condit. appositum.* 2. & Petr. de Ledes. *de matrim. qu.* 47. *art.* 5. *dub.* 1. *concl.* 4. 793 Non præualet primum, sed secundum.

Probabilem vtramque partem existimo: sed verius putarim, neutrum matrimonium valere. Quia incertitudo vitiat matrimonium, *Cap. Ex literis el* 2. *de sponsal.* Sed hoc matrimonium incertum est, nam conditio trahit consensum ad tempus impletæ conditionis, quæ simul impletur, perindè est, ac si in eodem tempore simul cum duabus matrimonium contraheretur. Sequor Præpositum, Sylueſtrum, aliósque, quos Sanchez refert, & etiam sectatur *libr.* 5. *d.* 8. *numer.* 15. Hinc fit, si aliqua illarum prius conditionem impleſſet, illud esse matrimonium. Quia vtrámque à conditionis pendebat euentu: Ergo illud præualebit, ac perficietur, cuius prius conditio fuerit impleta. 794 Verius putat neutrum coniugium præualere.

DVBIVM CXCVII.

An Matrimonium celebratum de præsenti sub conditione de futuro coram Parocho, & testibus: efficiatur purum statim impleta conditione: sed sit, vt Parochus, & testes simul conditionis impletioni assistant.

795 Non efficitur purum statim. NOn efficitur purum statim conditione impleta, sed necessarium est constare Parocho, & testibus impletionem conditionis. Quia Tridentinum exigit, vt Parochus & testes assistant vero matrimonio, quod tale est simpliciter & vinculum indissolubile inducit, vt de illo valeant testificari: sed illud matrimonium conditionale non est simpliciter matrimonium, nec indissolubile, nec de eo contracto possunt verè Parochus, ac testes ferre testimonium cùm matrimonium id pendeat à conditionis verificatione, nec huius verificationis testes sint: Ergò nullo modo erit matrimonium quale exigit Concilium, si Parochus, & testes impletioni conditionis non assistant. Sic Petr. de Ledes. *de matr. dub.* 7. *concl.* 3.

796 Statim purum efficitur. Efficitur purum statim conditione impleta, nec est necessarium constare Parocho, & testibus conditionis impletionem. Quia non videtur mens Concilij, vt plenè ac integrè possint Parochus & testes de matrimonio testificari: sed vt sint testes consensus de præsenti, quamuis valor matrimonij pendeat ex alicuius veritatis suppositione, vt constat ex matrimonio contracto per procuratorem, in quo

vt Parochus,& teſtes plenè de matrimonio teſtentur,oportet,vt procuratores v deant poteſtatem,& ſciant eſse ſufficientem,nec reuocatam.Ità Nauar.*l.4.conſil.tit.de cond.appoſ.conſ.1. num.6.*Manu.*tom.1.ſum.cap.219.concl.18.n.19.* Sanch. *lib.5.d.8. num.24.*

797 *Secundam ſententiam probabiliorem exiſtimo.*

Fateor primæ ſententiæ fundamentum fortiſſimum esse , illámque affatim probabilem reddere.Aſt probabiliorem ſecundam exiſtimo. Quia ſic ſeruatur finis Concilij, ne ſcilicèt ſecundæ nuptiæ, ſpretis primis , contrahantur. Nam cum conſtet Eccleſiæ de illo matrimonio de præſenti , quamuis eius valor pendeat ex conditionis verificatione , nullatenus permittet , eos ad ſecundas tranſire nuptias , donec plenè Eccleſia diſcutiat,an impleta fuerit conditio,nec,ne:& an receſſerint à conditione, & ſic voluerint , vt abſolutè contractus valeat. Porrò ſi pendente conditione, illius matrimonij coram Parocho , ac teſtibus initi,contrahentes gerant copulã,præſumet Eccleſia,à cõditione receſſiſſe,ac matrimonium perfici.Idem erit in foro interno etiam poſt Tridentinum, ſi affectu coniugali fuêre commixti ; quia iam ſeruata eſt forma Tridentini in priori contractu,& iudicandum erit , acſi conditio occultè fuiſſet impleta.

DVBIVM CXCVIII.

An conditio honeſta licet contraria bonis matrimonij illud irritet.

798 *Nõnulla præmitto.*

REcolo,quamuis tria bona matrimonij non ſint de eius eſſentia quoad executionem; esse tamen de eſſentia quoad obligationem;eſt enim de eſſentia , vt coniuges obligentur ad vitam perpetuam,& indiuiduam , & ad fidem ſibi ſeruandam,reddendo debitum,negandóque Corpus alij : ac ad prolem non impediendam, ſed educandam. Vnde conditiones , per quas coniuges ad aliquid his contrarium obligentur , tollunt matrimonij ſubſtantiam , ac debitum conſenſum.Igitur conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij,aut bonis eius , illud irritum reddit, *Cap.fin.de condit.appoſit.*Hoc præmiſſo,quæſierim,vtrùm conditio contraria bonis matrimonij,ſi honeſta ſit , illud vitiet , vel tantùm quando eſt turpis ?

799 *Matrimonium non irritat conditio honeſta licet bonis eius contraria.*

Conditio honeſta licet contraria bonis matrimonij,illud non irritat:vt ſi duo contrahant hac lege,vt in perpetua caſtitate viuant , aut conſummato matrimonio , Religionem profiteantur.Vndè dum *Cap.fin.*deciditur,conditiones contrarias matrimonio illud annullare, intelligitur,quando hæ conditiones ſunt turpes. Quia copula carnalis non eſt de matrimonij eſſentia:ergo conditio de illa non habenda illi non aduerſatur,licet ſit contra bonum prolis, atque ideò nec illud irritat. Certè hac conditione videntur B. Virgo , ac S. Ioſephus contraxiſſe.Sic Paludan.*in 4.diſt.30.qu.2.art.1. concl.2.num.6.*Abulenſ. *ad cap. 30.Num.qu.32.* Gerſ.*p.3.ſer.de Nat. Mariæ , conſider.2. alphab. 59.litter.V.*ibi:*Vouit Maria Virginitatem,vouit, & ipſe Ioſeph : cui voto non repugnauit vera matrimonialis coniunctio.*Sotus dicit , non esse improbabilem hanc ſententiam *in 4.diſt.29.qu.2.* Sanchez verò *lib.5.d.10.nu.1.*verè probabilem esse profitetur.

800 *Irritat conditio, ſi contraria ſit matrimonij bonis.*

Conditio honeſta licet, ſi contraria ſit matrimonij bonis,illud vitiat. Quia illa conditio quamuis honeſta ſit , repugnat intrinſecis ac neceſſariis matrimonij bonis: eſt enim contra bonum prolis:ergo illud irritat. Nam Pontifex *Cap.fin.* expreſsè aſſerit , conditionem contra bonum prolis,illud irritare: nec diſtinguit , an conditio honeſta ſit,an turpis:nec vim facit in conditionis turpitudine,ſed in bonis matrimonij repugnantia:æquè autem illis repugnat,ſiue turpis ſiue honeſta exiſtat. Ità D. Thom. *in 4. diſt.28.qu.vni.art.4.ad 3.*D.Bonau.*ibi,qu.vltim. num.33.*Richard.*art.2.qu.4.ad 3.*Adrian.*q.3.de marim.dub.9.*Sotus *in 4.diſt.29.q.2.a.3.*Henriq. *l.11.c.4.n.1.& l.12.c.2.*Barthol.à Ledeſ.*de matr. dub.25.concl.4.*Petr.de Ledeſ.*q.47.art.5. dub.4. ad 1.*Ludou.Lop.*p.2.Inſtruct.de matrim.cap.41.* Sanch.*citat.num.2.*

801 *Idem aſſero.*

Idem aſſero partem hanc probabiliorem esse credens. Quia licet copula non ſit de matrimonij eſſentia,eſt tamen obligatio poteſtáſque ad copulam de eius eſſentia,quæ quidem obligatio ac poteſtas per id pactum tollitur. Profecto B.Virgo, & Ioſeph non contraxêre cum ea conditione , ſed abſolutè , & verè conſentientes in ius , ac poteſtatem ſuorum corporum:quamuis vtérque haberet ſeruandæ caſtitatis votum, cœleſtéque (vt credo) acceſsiſse promiſſum,fore, vt nullatenus coniugio Virginitatis propoſitum violaretur.

DVBIVM CXCIX.

An hac conditio , Contraho tecum , ſi prius te voto caſtitatis ſic obſtrinxeris, vt nunquam à me petas,nec reddas petenti debitum: *violet, matrimonium.*

802 *Non violat.*

NOn violat.Quia talis conditio non impedit dominij tranſlationem , & corporum poteſtatem: ſi enim poſtea coniux , qui ſic vouit,petat,aut reddat , non peccat contrà iuſtitiam,ſed contra voti Religionem. Sic quidam Neoterici,quos memorat , ac ſequitur Petr. de Ledeſ. *de matrimon.quæſt.47. art.5. dub.4. in ſolut.ad 2.*

803 *Violat plenè.*

Violat quidem.Quia eſt contra bonum prolis,& quantum eſt inſe , impedit dominij corporis tranſlationem;nam cum in pactum deducatur,vt alter voto ſe adſtringat , nec petendi, nec reddendi,non tantùm tenetur ad id ex voti religione, ſed etiã ex iuſtitia pacti acceptati ratione,& ſub eo initi matrimonij.Ità Sotus *in 4.diſt.29.q.2.a.3.*Couar.*4.Decret.p.2.c.3.§.1. num.1.*Barthol.à Ledeſ.*de matr. dub.25.concl.4.* Henriq.*l.11.c.4.nu.1.& l.12.c.2.fine.*Sanch.*l.5. d.10. num.3.*

804 *Eiuſdem ſum mentis.*

Idem aſſero,quia fruſtra eſſet ea potentia ad copulam,quæ nunquam poſſet abſque lethali culpa in actum reduci.

DVBIVM

DVBIVM CC.

An annullet, matrimonium conditio hæc: vt alter coniux minimè teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere.

805 Sin annullat.

MInimè annullat. Quia ea conditio iure ineſt, cum alter cooperetur peccato tunc reddendo: conſentit enim crimini alterius. Ergo iure ineſt, vt tunc reddere non teneatur. Item quia eſt conditio peccati mortalis anſam remouens. Sic Anton. Cucus *lib. 5. iuſtit. maior. titul. 11. num. 112.*

806 Annullat quidem.

Annullat planè, eſt enim contra matrimonij ſubſtantiam. Quia ea conditio non eſt, in multis enim euentibus vir peccat mortaliter exigendo, at vxor debitum non poteſt abnegare. Vt ſi vir votum caſtitatis emiſerit, vel affectu fornicario petat, vel credat matrimonium non tenere, vxore ſciente eſſe validum: Ergò ſi ex conditione poſita liceat tum debitum denegare, ſignum eſt, non plenè tranſlatum eſſe corporis dominium: ideóque non valebit matrimonium. Ità Adrian. *in 4. qu. 3. dub. 4.* Couar. *4. Decret. p. 2. c. 3. §. 1. nu. 6.* Ludou. Lopez *part. 2. inſtr. de matrimon. cap. 42.* Petr. de Ledeſ. *de matrim. qu. 47. art. 5. dub. 4.* Sanchez *lib 5. d. 11. num. 2.*

807 Verius existimo.

Hoc verius exiſtimo. Quia per matrimonium acquiritur ius iuſtitiæ ad corpus alterius, quamuis exigés aliquando peccet contra Religionem, aut Temperantiam: Ergo conditio auferens hoc ius iuſtitiæ eſt contra matrimonij ſubſtantiam, illúdque vitiabit: talis autem eſt conditio non reddendi in his caſibus, tollit enim ius iuſtitiæ, quod alter coniux per matrimonium acquirit, vt ſibi debitum petenti ſoluatur. Verùm ſi apponatur conditio, vt poſſit coniux debitum denegare, quoties id ſibi licet, quia alter non habet ius iuſtitiæ ad petendum: vt ſi alter adulteretur, vel petat in loco ſacro: valet conditio, nec vitiat matrimonium. Quia iure ineſt.

DVBIVM CCI.

An valeat matrimonium initum à Paganis, ſeu Iudæis ea conditione, vt poſſint repudij dare libellum iuxta illorum ritum.

808 Nihilo iuppiter.

SVppono, Iudæis permiſſum fuiſſe repudij libellum, vt Chriſtus Dominus *Matth. 19.* teſtatur. Et quamuis fuerit ſub Iudice, an Moſes permiſerit tanquam licitum, Deo diſpenſante, vel tanquam minus malum: at hodie nullo modo eſt licitus. Tùm quia eorum lex ceſſauit: tùm quia Chriſtus *Matth. 19.* eorum diſpenſationem abſtulit, vt benè Sotus *in 4. diſt. 33. qu. 2. art. 2. concl. 2.* Quæſierim igitur, nùm validum ſit nunc Iudæorum matrimonium ſub huiuſmodi conditione initum?

809 Valet, Iudæorum matri.

Eſt quidem. Quia cum lex eorum hoc permittat, licitè deducitur in pactum, & iure ineſt: *Eſcob. & Mend. Theol. Moral.* To. III. P. II. atque ita eius expreſſio non nocebit. *Cap. ſignificaſti, de elect.* Sic Ioan. Andre. *cap. de infidelib. in nu. 5 de conſanguin.* Cardin *ibi, num. 2.* Anchar. *num. 2.* Anton. *num. 9.* Abbas *num. 6.* Alexand. de Neuo *num. 10.* Præpoſ. *num. 5.* *monium nihilo ſub libelli repudij conditione.*

Modò nullum eſt matrimonium. Quia ea conditio eſt contra matrimonij ſubſtantiam, cum contineat, poſſe diſſolui matrimonij vinculum; nec iure ineſt, cum iam ſine controuerſia ſit, eam legem non excuſare à culpa, nec dare ius, aliud ineundi matrimonium. Ità Gloſ. *Cap. de infidel. verb. Eſſe matrimonium.* & *ibi.* Hoſtienſ *ſine*, Couar. *4. Decretal. part. 2. cap. 3. §. 1. num. 5.* Sanch. *lib. 5. d. 12. num. 3.* *Nunc minimè valet.*

Primam ſententiam omninò reiicio, ſecundámque vnicè eſſe veram reor: & à fortiori idem dicendum eſt de aliis infidelibus, quibus nunquam licuit, libellum repudij dare. 810 *Prima ſententia omninò reiicienda.*

DVBIVM CCII.

An vitietur, matrimonium, quando conditio ei contraria ab altero tantùm ex contrahentibus apponitur.

NOn vitiatur. Quia conditio non confert ad contractum matimonij confirmandum, vel infirmandum, niſi ab vtráque parte accepetur: Ergò cum illa conditio non acceptetur ab vtróque contrahente, matrimonium non infirmabit: & cum ex alia parte ſit turpis, habebitur, quaſi adiecta non eſſet. Ità Angel. *verb. Matrimonium 3. imped. 3. num. 13.* Sylueſt. *verb. Matrimonium 3. qu. 11. ver. 2.* Tabie. *verb. Matrimonium 2. qu. 11. num. 12.* D. Antonin. *part. 3. titul. 1. cap. 19.* Barthol. à Ledeſ. *de matr. dub. 25. concl. 10.* 811 *Non vitiatur.*

Vitiatur omninò. Quia diuerſitas in conſenſu vitiat contractum: vt quando alter purè conſentit, alter verò ſub conditione. Habetur expreſsè *l. 1. §. ſi quis ſimpliciter, ff. de verborum obligation.* Et ratio eſt manifeſta, quia non vniuntur inter ſe conſenſus, ex qua vnione contractus oritur: Ergo cum in hoc matrimonio hæc diuerſitas inueniatur, erit nullum. Ità Adrian. *in 4. qu. 3. de matrimon. dub. 9.* Petr. de Ledeſ. *de matrimon. qu. 47. artic. 5. dub. 5.* ità mordicus hanc ſententiam defendens, vt aſſerat, primam eſſe omninò improbabilem. Couar. *4. Decret. part. 2. cap. 3. §. 1. num. 11.* Sanchez *lib. 5. d. 13. num. 5.* 812 *Vitiatur omninò.*

Ego quidem reor, immerito Petrum de Ledeſ. primam ſententiam omninò improbabilem eſſe aſſeruiſſe, quam Sancius, & alij meritò valdè probabilem eſſe iudicant. Secundam tamen vt probabiliorem elegerim. Quia ad matrimonium requiritur mutua corporum traditio, at in hoc caſu non inuenitur: cum alter non abſolutè tradat corpus, ſed ſub conditione, contraria matrimonij ſubſtantiæ, ac conſequenter excludente verum conſenſum: Ergo nullo modo eſt matrimonium. 813 *Secundam ſententiam, vt probabiliorem eligo.*

DVBIVM CCIII.

An Sponsalia vitientur, per conditionem substantiæ matrimonij contrariam, sicut vitiatur matrimonium.

814 *Vitiantur sponsalia.* Vitiantur quidem sponsalia per conditionem substantiæ matrimonij contrariam, sicut ipsum vitiatur matrimonium. Quia inaniter promittitur, quod non potest executioni dari. Sic D. Thom. *in 4. dist. 27. qu. 2. a. 1. corp.* D. Bonau. *dist. 28 q. 3. n. 13.* Dur. *ibi q. 2. num. 5.* Richar. *dist. 27. a. 3. q. 2.* Palud. *dist. 29. q. 1. ar. 3. concl. 1. n. 16.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 28. §. 2.* Sylueſt. *v. Sponsalia, q. 5.* Roſel. *ibi fine.* Tabie. *ibi, qu. 2. num. 3.*

815 *Non vitiantur.* Minimè vitiantur. Quia hæ conditiones tanquam turpes reiiciuntur, nec contrariãtur matrimonio, cum ad sponsalia ſolummodo pertineant, & non referantur ad matrimonij tempus: Ergo poſſunt sponsalia huiuſmodi conditione inita conſiſtere. Ità Petr. de Ledeſ. *de matrim. qu. 47. a. 5. dub. 6. quod excitat circà ſolut. ad 9.*

816 *Distinctione vtor.* Ego autem vſus diſtinctione, quæſtioni ſatisfacio. Quando cõditio contraria apponitur tanquam implenda poſt matrimoniũ ſemper illud annulat: quando autem debet impleri, antè matrimonium, tunc ſi eſt contra inſeparabilitatem, vt *Contraham tecum, niſi antè initum matrimonium aliam ditiorem, aut pulchriorẽ inuenero*: matrimonium non vitiat, quia ipſi nõ opponitur, cum non tollat matrimonij inſeparabilitatem, nec etiam opponatur ſponſalium naturæ, vtpotè quæ ſalubria ſunt: nec etiam reiicitur tanquam turpis; quia non eſt talis, cum ad peccandum minimè incitet: quare valida erunt ſponſalia, impleta ea conditione: & ea deficiente, erunt nulla. Si verò ſit conditio contrà matrimonij fidem, vt *ſi antè matrimonium forniceris*, tunc valebunt ſponſalia reiecta ea conditione tanquam turpi; quia ea non cõtrariatur matrimonio, cum ad fidem matrimonij ſolùm pertineat, ne poſtquam tranſlatum eſt corporis dominium in coniugem, alteri tradatur: at antè matrimonium nõ eſt tranſlatum dominium. Si autem aduerſetur bono prolis, vt *ſi antè matrimonium venena, quibus ſterilis efficiaris, ſumas*, vitiat ſponſalia; quia per eam conditionem obligatur ſponſus ad aliquid cõtrarium bono prolis, quod per illud matrimonium promiſſum intenditur, vndè aduerſatur futuro matrimonio promiſſo.

DVBIVM CCIV.

Conditio hæc, Si mecum concubueris, contraham tecum, *ſit tanquam turpis reiicienda.*

817 *Non eſt tanquam turpis reijcienda.* NOn eſt turpis, ideóque non reiicienda, ſed ſuſpendit contractum. Quia initio copulæ hæc ſponſalia purè contingunt, & conſequenter antè perfectam copulam efficiunt matrimonium *Cap. Is qui fidem de ſponſal.* Sic Couar. *4. Decret. p. 2. c. 3. n. 13.* Andr. Cucus *l. 5. inſtitut. tit. 11. n. 51.* Sed hoc ſi verum eſt, locum habere poterat ante Tridentinum, ſecus poſt cum iam ſponſalia non tranſeant in matrimonium per copulam: & ſic conditio illa eſt turpis.

818 *Tanquam turpis reiicienda eſt.* Turpis omninò eſt, ideóque reiicienda, nec ſuſpendit ſponſalia. Quia aut de concubitu illicito, & fornicario intelligitur, & tunc non ſuſpendit, ſed tanquam turpis reiicitur: aut de concubitu licito, ac matrimoniali, & tunc minimè ſuſpendit; quia iure ipſo ineſt, cum coniuges mutuo ſibi debitum reddere teneantur. Ità D. Antonin. *2. p. tit. 1. c. 19. §. 5.* Roſel. *v. Matrimonium 5. n. 7.* Angel. *v. Matrimonij 3. imped. 3. n. 9.* Sylueſt. *v. Matrimonium 3. q. 7.* Tabie. *v. Matrimon. 2. q. vlt.* Brunel. *de ſponſ. cap. 3. n. 6.*

819 *Auctorũ iudicium.* Aptius dixerim, ſi intelligatur de concubitu turpi, reiici tanquam turpem, & ſponſalia abſolutè manere: ſi verò de concubitu licito, ac matrimoniali, ſuſpendere vſque ad euentum. Quia cenſetur conditio, alio modo apposita, quam iure inſit: iure enim poſt contractum matrimonium bimeſtre datur: at ea cõditio intelligitur, ſi ſtatim inito matrimonio faceris tui corporis copiam. Mecum Sanch. *l. 5. d. 16. num. 3.*

DVBIVM CCV.

An conditio hæc, Si te virginem inuenero, *vel* ſi primo in coitu mihi placueris, tecum contraham, *ſit tanquam turpis reiicienda.*

820 *Tanquam turpis reiicienda.* TAnquam turpis reiicienda eſt, & ſic Spõſalia pura manent. Quia ea conditio ſuper actum turpem planè fertur. Sic Gloſſ. *cap. Per tuas, verb. Præſumendum. de condit. appoſ.* & *ibi.* Ioan. Andr. *n. 7.* Anton. *n. 8.* Anchar. *n. 7.* Abbas *n. 7.* Innocent. *cap. De illis, num. vni. de condit. appoſ.* Alex. de Neuo *ibi, num. 2.* Spino *ſpecul. teſtam. gloſſ. 15. num. 64.*

821 *Haud eſt reiicienda tanquam turpis.* Turpis non eſt, ideóque non reiicitur, ſed ſuſpendit contractum, quamuis intelligatur, ſi per coitum te virginem inuenero. Quia ea conditio non fertur ſuper actum turpem, ſed ſuper honeſtam virginitatis conditionem. Ità Sotus *in 4. diſt. 29. quæſtion. 2. artic. 3. poſt 3. concluſ.*

821 *Vſus diſtinctione reſpondeo quæſtioni.* Vera hæc ſatis, ſed verius diſtinxerim id *ſi te virginem inuenero*, ſi intelligatur per aſpectum matronarum, vel aliam iuſtam indaginem non reiici, ſed ſuſpendere; quia eſt honeſta conditio. Si verò intelligantur per concubitum, eſſe turpem; quia incitat ad peccandum: & quamuis virginitatis conditio honeſta ſit, at quando apponitur turpiter explorandam eſſe, turpis eſt admodum; vndè meritò ea reiecta, purus remanet contractus, vt aptè Henriq. *lib. 11. cap. 12. num. 6.* & Sanch. *lib. 5. d. 16. num. 7.*

DVBIVM CCVI.

An conditiones turpes, & impoſſibiles reiiciantur, à ſponſalibus, ſicut reiiciuntur à matrimonio.

822 *Minimè reiiciuntur.* MInimè reiiciuntur. Quia ſecluſo iure Eccleſiaſtico habente eas conditiones pro non

non reiiciuntur conditiones, sed annullarent, & turpes suspenderent matrimonium: Ergo ius Ecclesiasticum id statuens, tanquam correctiuum iuris naturalis, & diuini, est restringendum. Quæ enim à iure communi exorbitant, sunt restringenda. *Reg. Quæ à iure communi, de reg. iur. in 6.* Cum ergò *Cap. fin. de condit. appos.* olum in matrimonio eas conditiones reiici statuat, extendendum minimè est ad sponsalia. Sic doctissimi Theologi Salmanticensis Academiæ, teste Petro de Ledesma *de matr. q. 47. a. 5.* quorum ipse sententiam asserit esse probabilem.

824 *Reiiciuntur omnia.*

Reiiciuntur omnino. Quia sponsalia sunt initium quoddam matrimonij, vndè dispositum in matrimonio, in sponsalibus depositum censetur. *leg. Oratio ff. de spons.* Itaque conditiones turpes pariter à sponsalibus reiiciuntur: vt *contrahamtecum, si mecum coieris*, intelligendo de coitu turpi: vel *si te inuenero virginem*, intelligendo turpi indagine. Ità D. Tho. *in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. corp.* D. Bonau. *dist. 28. q. 3. n. 13.* Richar. *dist. 27. a. 3 q. 2.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 18. §. 21.* Palud. *in 4 dist. 29 q. 1. a. 3. concl. 7. n. 36.* Sylvest. *v. sponsalia q. 5.* Rosel. *ibi, fine.* Table. *q. 2. n. 1.* Ludou. Lop. *p. 2. instruct. de matrim. c. 42.* Sanch. *l. 5 d. 17. n. 2.*

825 *Secundam sententiam dico.*

Fateor primæ sententiæ fundamentum forte esse, meque admodum efficere, vt illam amplecterer, nisi alio ex capite inuenirem concordem omnium Doctorum sensum, tanquam quid indubitatum supponentem, reiici conditiones turpes ac impossibiles tam à matrimonio, quã à sponsalibus, à qua receptissima sententia recedere, piaculum ducerem.

DVBIVM CCVII.

An conditiones impertinentes habeantur, in matrimonio pro non adiectis: & illud suspendant.

826 *Habentur pro non adiectis.*

HAbentur pro non adiectis. Quia tales conditiones turpes videntur: turpe enim apparet contractui tam Sancto, & qui Sacramentum est impertinent conditionem adiicere, vt *si non es coeles. pulchra, aut bene morigerata.* Sic Sotus *in 4. dist. 29. q. 2. a. 3* Barth. à Ledesma *sub. 15 de matr. concl. 9.* & videntur tenere Rosel. *v. sponsalia, fine*, Sylvest. *ibi, q. 5.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 18. §. 2.* vbi asserunt, si conditio sit honesta, vel vtilis valere: vnde oppositum videntur sentire, quando inutilis, ac impertinens esset.

827 *Non habentur pro non adiectis.*

Non habentur pro non adiectis, sed suspendunt contractum matrimonij, nec aliter est validum, nisi illis stantibus. Quia omnis conditio iure non improbata potest apponi matrimonio, vt colligitur à contrario sensu ex *Cap. super eo de condit. appos.* ibi: *Ac conditionem ipsam canonica non improbent statuta*: sed hæ conditiones impertinentes nullo iure reprobantur: Ergò possunt validè apponi. Minorem probo, quia *Cap. fin. de condit. appos.* reiicit conditiones turpes, quia incitant ad peccandum: sed conditio impertinens ad nullum peccatum inducit: Ergò nullatenus est reiicienda. Ita Henric. *Cap. fin. num. 4* Sanch. *lib. 5. d. 18. num. 3.* & plures Doctores, quos ipse Sancius citat *lib. 5. d. 2. num. 7.* asserentes, conditiones quæ non sunt necessariæ à natura, vt *si Antichristus nascetur*, suspendere matrimonium; quæ tamen ad id sunt impertinentissimæ.

828 *Cum his opinor.*

Cum his opinor, quia quamuis conditionem impertinentem matrimonij Sanctissimo contractui adiicere, aliqualis sit culpa, non tamen est ex turpibus, quæ à matrimonio reiiciuntur, non enim alium incitat ad aliquod peccatum in futurum admittendum: qualis est illa: *si furtum feceris.*

DVBIVM CCVIII.

An demonstratio, & causa vitient matrimonium si ei contrarientur.

829 *Quædam præmitto.*

SVppono matrimonio posse aliquid adiici per modum demonstrationis, quod contingit, quando significatur aliqua qualitas in contrahentibus, & explicatur per relatiuum, aut dictionem importantem aliquam qualitatem: vt *Duco te, quæ libera es, aut virgo.* Vel potest adiici per modum causæ, quod euenit, quando denotatur causa, ob quam contrahitur: & communiter explicatur per dictionem. *Quia*: vt *contraho tecum, quia diues, aut pulchra es.* Quæsierim igitur, num idẽ quod de conditionibus diximus, censendum quoque sit de demonstratione & causa, ita vt si hæc contrarientur matrimonio, illud vitient: si sint honesta, illud suspendant: si turpia, impossibilia, reiiciantur?

830 *Vitiant matrimonium.*

Quamuis demonstratio & causa nunquam suspendant matrimonium, annihilant tamen, quando sunt contra substantiam, ac bona eius. Quia eo ipso, quod non absolutè, sed sub ea causa, & demonstratione quis consentit, quæ quidem matrimonij substantiæ aduersatur, non videtur absolute in matrimonium consentire. Sic Nauar. *Sum. cap. 22. num. 62.* videtur fauere D. Tho. & alij Doctores citati à P. Sanchez *l. 5. d. 9. nu. 6.* asserentes, annullare matrimonium conditionem ipsi repugnantem quamuis sit de præsenti, cum tamen illa non sit propriè conditio, sed demonstratio.

831 *Non vitiant.*

Demonstratio, vel causa per se sumpta nunquam suspendit, vel vitiat matrimonium, cuiuscumque sit qualitatis, siue vera sit, siue falsa: sed semper habetur pro non adiecta, firmumque manet matrimonium: vt *Accipio te, quæ* vel *quia es sterilis*, vel *quia procuras sterilitatis venena.* Quia quæ matrimonium variant, vel vitiant, debent ad substantiam, seu vim contractus spectare: sed demonstratio, & causa non spectant ad substantiam consensus contractus matrimonij, sicut spectat conditio, sed tantum pertinet ad opiniones rerum, quas contrahentes conceperunt, vel ad causas, quæ ad contrahendum ipsos mouent: Ergò nullo modo variant matrimonium. Ità Palud. *in 4. dist. 29. quæstion. 2. art. concl. 1. numer. 5. & art. 2. concl. 1. numer. 11.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. capit. 19. §. 5.* Sotus *in 3. dist. 29. quæstion. 2. art. 1.* Sylvest. *verb. Matrimonium 3. quæstion. 12.* Sanchez *libr. 5. d. 19. num. 2.* & alij apud ipsum.

832

Hanc sententiam omnino sectandam existimo. Quia demonstratio aut causa non se

Hanc sententiam omnino tenendam reor.

habet vt obiectum, vel pars obiecti contractus, sed antecedenter, & quasi motiuum: Ergo illum non irritat. Monuerim tamen hæc intelligenda esse, quando demonstratio vel causa per modum causæ, aut demonstrationis apponitur: nam si apponatur per modum conditionis, de illis iudicandum sicut de conditionibus: vt *Contraho tecum, quæ dabis tantam dotem*: tunc licet videatur demonstratio, at est sensus conditionalis.

DVBIVM CCIX.

An modus vitiet matrimonium, si ei contrarietur?

833 *Nonnulla præmitto.*

MAtrimonio aliquid potest adiici vt modus, qui est quasi adiectio oneris, ad quod volumus contrahentem obligare: & communiter explicatur per coniunctionem *Vt*, v. gr. *Duco te, vt diuitias*, vel *honorem consequar*. Quæstioni igitur committo, an idem censendum sit de modo, ac de conditionibus, ita vt si hic contrarietur matrimonio, illud vitiet: sit sit honestus, illud suspendat: si turpis, aut impossibilis, reiiciatur?

834 *Modus non vitiat matrimonium.*

Modus contrarius substantiæ, aut bonis matrimonij, ipsum minimè annullat, vt *Contraho tecum, vt venena sterilitatis procures*, vel *vt te adulterandam tradas*. Quia modus in hoc distat à conditione, quod conditio suspendit actus perfectionem, ità vt ante ipsius implementum validus minimè sit, at modus non suspendit, sed aduenit actui perfecto, statimque valet actus, & alter obligatus manet ad modi implementum. Vt *Dono tibi equum, vt facias hoc*, valet statim donatio, & tenetur donatarius, modum implere. *lib. 1. 2. & fin. C. de donation. quæ sub modo.* docet Barth. *l. Qubus diebus. §. Termilius, ff. de condit. & demonstr.* Ita Sotus *in 4. dist. 29. quæs. 2. art. 1. concl. 1.* Verbeci. quem refert, ac sequitur Rosel. *verb. Matrimonium 5. num. 9.* Tabie. *verb. Matrimonium 2. quæstion. vltim.* Petr. de Ledel. *de matrimon. quæs. 47. art. 5. dub. 3.*

835 *Vitiat planè.*

Modus contrarius substantiæ, aut bonis matrimonij, ipsum annullat, sicut contraria conditio. Quia *Cap. fin. de condit. appos.* habetur, hanc conditionem contractui matrimonij adiectam, *Contraho tecum, donec pulchriorem inueniam*, ipsum vitiare tanquam ipsius substatiæ contrariam & tamen est eadem ratio de hac conditione & de modo, nam sicut modus non suspendit dispositionem, sed aduenit dispositioni perfectæ, ita hæc conditio: Ergo similiter modus contrarius substantię vitiabit. Ità D. Antonin. *part. 2. tit. 1. c. 19. §. 1.* Angel. *verb. Matrimonium 3. imped. 3. fine.* Syluest. *ibi, qu. 12.* Nauar. *sum. cap. 22. nu. 62.* Couar. & alij quos ipse refert 4. *Decret. part. 2. cap. 3. §. 1. nu. 8 & 17.* Greg Lop. *l. 5. v. Aquellas, tit. 4. p. 4.* Sanch. *l. 5. d. 19. num. 5.*

836 *His hæres doctoribus, improbans Ludouic. Lopez distinctionem.*

Cum his sentio, nec placet mihi Ludouici Lopez *p. 2. Instruct. de matr. c. 42*, distinctio, qua intendit vtramque sententiam ad concordiam redigere: vt scilicet modus substantiæ matrimonij contrarius non vitiet, quando apponitur vt causa impulsiua, secus si apponatur, vt per illum inducatur obligatio ad eius obseruantiam. Displicet, inquam, quia semper ea est modi natura vt contractum minimè suspendat, verum alter recipiens sub modo, illum obseruare teneatur Addiderim, si modus sit impossibilis, verbi gratiâ *Contraho tecum, vt digito cœlum tangas*, valet omninò matrimonium, reiecto modo & similiter si sit turpis. Quia similis conditio tanquam impossibilis, & incitans ad peccandum à matrimonio reiicitur per *Cap. fin. de condit. appos.* Ergo à fortiori modus impossibilis & turpis, qui ad peccandum incitat, reiicietur: cum hic non suspendat contractum, sed contractui iam perfecto adueniat. Porrò si modus sit possibilis, & honestus, non suspendit matrimonium, sed statim est validum. Quia natura modi est, vt non suspendat. *l. Cum ab eo 41. ff. de contrah. empt.*

LIBER

LIBER XXVI.

DEBITVM CONIVGALE, DIVORTIVM.

QVAMVIS tractatio hæc ad præcedentem librum pernitebat, vbi receptiores circa eam Doctorum sine lite sententias exposui: at maioris perspicuitatis gratia huiusce materiæ Dubia sigillatim apponenda censui.

SECTIO SECVNDA.

De Debito, ac Diuortio Dubia.

CAPVT I.

Circa Debitum Coniugale.

DVBIVM I.

An vxor teneatur, reddere debitum virotacitè, seu interpretatiuè petenti?

1 *Nonnulla suppono.*

CERTVM est teneri virum vxori tacitè debitum petenti, illud reddere, id est, dum vir aliquibus signis percipit in ea petendi voluntatem, & præ pudore abstinere à petitione. Sic D. Thom. *in 4. dist. 32. qu. vni. a. 2. quæstiunc.* 1. & omnes communiter. Quæsieris verò num idem dicendum sit de vxore erga virum.

2 *Tenetur vxor reddere viro tacitè postulanti.*

Tenetur vxor debitum reddere viro taciè postulãti. Quia qui interpretatiue, siue signis petit expressis, indicat, se ob pudorem, vel ob pusillanimitatem expressis verbis non audere. Ergo quemadmodum vir tenetur vxori tacite petenti debitum reddere, ita vxor tenebitur reddere marito tacitè postulanti. Sic D. Antonin. *3 p. tit. 1. cap. 20. §. 7.* Syluest. *verb. Matrimonium 7. quæs. 4. dicto* 10. Nauar. *sum. cap. 16. numer.* 26. Manu. *tom. 1. sum. cap. 243. num.* 8. Ludou. Lop. *p. 1. Instr. cap.* 80.

3 *Non tenetur.*

Non tenetur vxor viro tacitè seu interpretatiue petenti reddere, sed licitum est ei petitionem expressam expectare. Non quia non pares sint in obligatione, sed quia cum viris minimè pudeat, verbis expressis debitum petere, dum id appetunt: merito ac iure optimo potest vxor præsumere, sibique persuadere, viros expresse non petentes, nequaquam velle: & signa illa, quæ in fœminis natura verecundis, tacitam, & interpretiuam voluntatem inducant, in ipsis viris minimè indicare. Ità Sotus *in 4. dist. 32. quæstion. vni a. 2.* ex D. Tho. *ibi, a. 3. ad 2.* Palud. *quæstion. 1. art. 1. numer. 4.* Syluest. *verb. Debitum quæs.* 8. Tabie. *verb. Matrimonium 3. quæs. 4. §. 5.* Sanchez *lib. 9. d. 2. num. 5.* & alij.

4 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem sic quæstioni respondeo. Ratione erubescentiæ, quæ communiter in fœminis inuenitur, non ita tenetur vxor reddere viro tacitè petenti, sicut è contra. Si tamen daretur idem pudor exigendi debitum, aut timor in viro, idem prorsus asserendum esset, nempe teneri vxorem ipsi reddere, quando nosset eius petendi voluntatem, & præ pudore, aut pusillanimitatem, aut insignem vxoris auctoritatem, aut asperam conditionem minimè verbis exigere expressis. Quia eadem militat ratio, cum sint coniuges in actus coniugalis obligatione pares. Certè omnes Doctores pro secunda sententia citati hoc non obscurè indicant, nec enim absolutè docent, non teneri vxorem debitum viro interpretatiuè petenti reddere: sed non ità teneri, sicut virum vxori. Et si qui absolute asserunt, non teneri, eo fundamento innituntur, quod is pudor exigendi non sit in viris: quare, existente eodem pudore, contrarium affirmarent

***

DVBIVM

DVBIVM II.

An quoties peccat coniux debitum exigens, peccet similiter alter, illud reddens?

5 *Peccat reddens ei, qui petens delinquit, semper quidem.*

QVoties coniux lethaliter delinquit exigendo, similis culpæ reus est coniux alter reddendo: ac proinde non reddere tenetur. Quia memo habet ius exigendi, sed iniustè petit, quando in ipsa actione delinquit: si enim ius haberet, iusteque peteret prorsus culpa illa exactio vacaret: Ergo reddens similiter peccat, cum delicto alterius cooperetur. Sic Guiliem. Rubion. *in 4. dist. 32. quæs. 2. art. 2. concl. 2. & dist. 25. quæs. 2. concl. 3.* Vgolin. *de Sacram. tract. de matrim. cap. 10. num. 2.* Anton. Cucus *l. 5. institut. tit. 12. num. 19.*

6 *Non semper peccat reddés ei, qui peccat petendo.*

Non quoties coniux lethaliter peccat petens, similiter delinquit alter reddens, nec eximitur à reddendi obligatione. Quia certum est, si vir affectu fornicario velit vxorem cognoscere, & ita exigat, lethaliter peccabit: at vxor reddere tenebitur. Et si vir existimans, matrimonium esse irritum ob dirimens impedimentum, petat, reus est culpæ mortalis: at vxor certo sciens illud minime subesse impedimentum, non potest debitum abnegare. Profecto debitum hisce in casibus reddens, non cooperatur formaliter loquendo exigentis piaculo: nam tantum cooperatur actui ex sua natura coniugatis licito, & quem ipse debet alteri reddere, quamuis aliunde sit peccatum in altero coniuge exigere: at reddens nō cooperatur alterius petitioni, sed ea suppositа cooperatur copulæ, quæ licita est, & à se debita. Ità Maior *in 4. dist. 31. quæs. 1. argum 1. cont. 2. conclus.* Abul. *ad c. 5. Mat. quæs. 224.* Adrian. *quodlib. 2. art. 1. in solut. ad 1.* Sotus *in 4. dist. 31. qu. vni. art. 3.* Petr. de Soto *lect. 16. de matrim. fine.* Couar. *4. decr. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 6.* Sanch. *l. 9. d. 6. num. 4.*

7 *Quid Auctor?*

Hoc certum existimo, fateor tamen, quoties coniux exactus potest commodè absque odij, indignationis, incontinentiæque alterius coniugis timore, & absque suo damno, tenere illum præcepto correctionis fraternæ alterum inique petentem auertere procurare. Quia lex charitatis obligat ad retrahendum proximum è peccato, vbi commodè præstari potest.

DVBIVM III.

An si quis incestum perpetrat ad consanguineam vxorù accedens, vel voto castitatè illigetur: Coniux peccet, lethaliter petenti ei debitum reddendo antè impetratam dipensationem.

8 *Peccat quidē.*

PEccat quidem. Quia cum reddere non teneatur, videtur cooperari culpæ lethali, exigentis, ac subinde simili piaculo inuolui. Sic Veracr. *append. ad part. 1. spec. art. 15.* Ledesm. *2. p. 4. quæs. 55. art. 1. in 4. dist. 31. quæstion. 1. art. 3.* Palac. *ad 32. d. 1.* Stunica *de voto, quæs. 3. num. 61.* Petr. de Ledesm. *de matrimon. quæs. 53. art. 1. dub. 3.* & alij.

9 *Minimè peccat.*

Minimè peccat. Quia hoc non est, alterius delicto cooperari, vt probaui *proximo Dubio.* Et quia dubius de valore matrimonij petat à non dubitante, potest hic non reddere, quia ille ius non habet petendi: potest etiam reddere, nam cum sit in possessione pacifica, potest vti plenè sua possessione, petendo, ac reddendo: nec aliquo modo illa spoliari debet, ob alterius dubium. Sic ergo in nostro casu, cum coniux innocens nullo delicto, aut voto se adstrinxerit, non est, cur ob delictum, aut votum alterius, quæ suos solum authores afficiunt, iure ac possessione petendi, ac reddendi priuetur. Ità Sanch. *l. 9. d. 6. n. 12.*

10 *Sanctio adhæreo.*

Vnus mihi pro mille Sancius, cui libenter adhæreo Quia ex *Cap. Transmissa. & Cap. Tua. de eo qui cognouit consanguin.* deducitur, incestuosum cum cōsanguinea alterius cōiugis nō posse petere, at teneri reddere: & subditur ratio. Quia affinitas post matrimonium contracta ei coniugi no debet efficere, qui iniquitatis minimè fuit particeps: nec suo iure debet absque culpa priuari. At valde officeret si innocens peccaret reddendo, cum priuaretur plena possessione, qua secluso voto, & delicto alterius, gaudebat, esset que ei necessarium, semper petere, vt matrimonio absque culpa vteretur: scrupulisque nō modicis vexaretur, dum petit, an ea sit petito, vel potius redditio propter alterius coniugis voluntatem nutibus intellectam.

DVBIVM IV.

An coniux, cui debiti petitio est interdicta, non tamen redditio, vt contingit ratione voti castitatis, cognationis, aut affinitatis post matrimonium contractæ: aliquando possit petere debitum.

11 *Nūnulla supponо.*

SVppono, posse coningem sic impeditum, exigere ab altero debitū, vbi in ipso periculum incontinentiæ sentiret. Quia hoc est, quodammodo reddere: & quia votum, vel alia præfata impedimenta non obligant, ad non petendum cum ruinæ alterius coniugis dispendio, vt apte Victor. *sum. tr. de matrimon. n. 293.* Henriq. *lib. 11. cap. 15. num. 9.* & alij. Quæsierim verò, num idem dicendum sit de ipso coniuge, cui debiti petitio est interdicta, nempè vt ibi petere liceat, quoties vehementibus carnis stimulis agitatur?

12 *Potest petere debitum.*

Licet quidem. Quia Christi Domini est iugum suaue *Mat. 11.* Sic Viguer. *leg. institut. c. 16. 8. 7. vers. 8. impedim. 5.*

13 *Nunquam potest debitum petere.*

Minimè licet petere debitum incestuoso, qui affinitatem cum vxore contraxit, aut votum castitatis emisit, debitū petere ad in continentiam vitandam, nondum obtenta dispensatione, esto instam dispensandi causam proculdubio præ se ferat. Quia id nullo solido fundamento, aut iure probatur. Ità Couar. *4. decret. part. 2. cap. 7. §. 2. numer. 5.* Gutier. *leg. Canonic. qq. cap. 23. numer. 6.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 1. rubr. Glos. 1. numer. 103.* Anton. Cucus. *libr. 5. instit. tit. 11. numer. 123.* Sanchez *libr. 9. d. 7. num. 7.*

Hoc

8 *Hoc certum existimo.* Quia suauitati iugi Dominici non aduersatur sicut nec votum castitatis impedire matrimoniũ contrahendũ absq; dispẽsatione, nõ obstãtibus carnis tentationibus illi repugnat. Nec iuuat, si dicas, matrimonium post lapsum institutum esse, vt huiusmodi incontinentiæ subueniatur. Quia ea se medicina destituit, quoad facultatem petendi, qui castitatem vouit, licet matrimonio ligatus sit: & eadem quoad eundem effectum priuatus est, propter affinitatem, aut cognationem inique post matrimonium contractam.

DVBIVM V.

An mortale sit in actu ipso coniugali expressa intentione finem prolis excludere.

9 *Lethale est primum.* LEthale crimen est. Quia tale est, in matrimonij contractu expressa intentione illius fines excludere, suprà ostendi. Sic Præpos. *Rubr. de sponsal. num. 12. ad fin.*

10 *Non est primum lethale.* Minime est lethale piaculum. Quia desidiosa non multiplicare prolem ex se malum non est: quare bono fine vestitum, vt ratione defectus diuitiarum ad eos liberos alendos, licitum est. Ità Palud. *in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. n. 15.* D. Antonin. *in 3. p. tit. 3. c. 20. §. 6.* Rosel. *v. Debitum numer. 11.* Angel. *ibi, num. 27.* Nauar. *sum. capit. 16. numer. 33.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tract. 1. part. 2. libr. 4. capit. 19.* Sanch. *l. 9. d. 8. num. 16.*

11 *Ad summum esse veniale.* Ego quidem primam sententiam nullatenus admittam, vbi cõiuges nil efficerent, quod prolis conceptioni obstaret: sed crediderim, ad summum esse veniale debiti finis ratione. Nec etiam erit lethale eo quod intentione excludatur finis, ad quem ordinatur actus ille coniugalis à natura. Quia finis præcepti sub præcepto cadit. Nec id esse lethale crimen in matrimonij contractu, arguit tale in ipso actu existere.

DVBIVM VI.

An veniale sit actui matrimoniali dare operam solummodo propter bonum Sacramenti, nempe ad significandam Verbi cum carne, vel cum Ecclesia coniunctionem.

12 *Veniale non est.* VEniale non est. Quia non minus, imò magis videtur matrimonium honestare finis illius, vt sacramentum est, qui est ea significatio: quam finis illi conueniens, vt est contractus naturalis, qui est prolis educatio. Sic multi, quos presso nomine memorat supplem. Gabr. *in 4. dist. 31. quæst. vni. art. 2. propos. 3.*

13 *Veniale est.* Veniale quidem est coniugalem actum in eum finem solummodo referre. Quia bonum Sacramenti non respicit primò & directè matrimonij vsum, sed vinculum, & essentiam: in quo differt à bono fidei, & prolis, quæ primò, & per se ad vsum ordinantur: Ergò contrà rectum ordinem est matrimonio vti, ob bonum sacramenti. At quia est leuis debiti ordinis peruersio, culpam venialem non excedit. Ità D. Tho. *in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 2. corp.* Richard. *ibi, art. 3. quæst. 2.* Palud. *quæst. 2. art. 1. numer. 5.* Supplem. Gabr. *citat.* Henriq. *lib. 11. capit. 15. numer. 2. liter. P.* Petr. de Ledes. *de matrimon. quæstion. 49. art. 5. dub. 1.* Sanchez *lib. 9. d. 8. num. 15*

14 *Idem affirmo.* Cum his opinor. Quia cum in omni sacramento duplex sit finis, alter intrinsecus, & alter extrinsecus: rectus ordo postulat, vt sacramenti vsus referatur ex intentione sumentis, & ministrantis ad finem intrinsecum, nam ad extrinsecum sufficit instituentis ordinatio: finis autem intrinsecus matrimonij est bonum prolis, & fidei: extrinsecus autem sacramentalis significatio: Culpa ergò est, ad solum finem extrinsecum vsqum matrimonij referre. Fateor tamen vacare culpa vsum matrimonij ad eam significationem relatum, de qua est quæstio, si alij fines, nempe fidei, ac boni prolis non excluduntur.

DVBIVM VII.

An venialiter peccet coniux, qui actui matrimoniali dat operam, vt vitet in se ipso incontinentiæ periculum.

15 *Nonnulla suppono.* NOn dubito, quin liceat debitum petere, ad vitandum in alio coniuge incontinentiæ periculum. Quia hic concubitus potius est redditio, quam petitio debiti, ac proinde in eo fidei bonum inuenitur. Quæsierim autem, num liceat similiter coniugi debitum petere, eo fine, vt vitet in se ipso incontinentiæ periculum?

16 *Venialiter peccat.* Non licet sed venialiter delinquit. Quia qui vtitur actu coniugali ob eum finem, proprium finem huiusce actus non intendit, scilicet prolis generationem, & bonum fidei, nam ad hoc pertinet tantum reddere petenti debitum, & ab actu carnali cum alio abstinere. Sic Magist. *in 4. dist. 31.* quem non pauci Scholastici, ac Summistæ sequuntur. D. Tho. *ibi, q. 2. a. 2. ad 2.* Bonau. *art. 2. quæst. 2.* Scot. *dist. 26. quæst. vni.* Petr. de Soto *lect. 16. de matrimon.* Rosel. *sum. verb. Debitum, 3.* Angl. *ibi, numer. 22.* Tabie. *v. Matrimonium 3. qu. 5. §. 6.* Turrecr. *c. Quidquid 32. num. 3. vers. 6.*

17 *Non peccat venialiter.* Licet omnino sine veniali piaculo petere coniugem, ad vitandum in se ipso incontinentiæ periculum. Quia id Paulus supponit 1. *Cor. 7.* dum ait: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat;* & dum iterum subdit. Reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Et quia vsus coniugalis supposito peccato, seu lapsu humanæ naturæ, sua natura ordinatur in propriæ concupiscentiæ remedium, quamuis minus principaliter, quam in prolis generationem: Ergò in vsu coniugali ob eum finem facto nulla est inordinatio: vsus enim coniugalis quamuis aliqualiter rationem absorbens, ex se tamen, & ex suo obiecto est licitus, & sua ex natura ordinatur in eum finem, qui est licitus: & nulla lex est, quæ cogat, vt in rei principalio-

rem

rem finem intendamus. Ità Durand. *in 4. dist.* 31. *quæs.* 4. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 32. Rebel. *libr.* 3. *quæs.* 19. *sect.* 1. Coninch *d.* 34. *num.* 6. Basil. *lib.* 10. *capit.* 8. Hurtad, *d.* 10. *diffic.* 2. *numer.* 4. Sà *sum. verb. Matrimonium*, *vers. copulam si fiat.*

18 *Auctoris resolutio.* Ego autem professus, vtramque sententiam valde esse probabilem, tamen sic quæstionem dissoluo: Petitio debiti causa vitandæ fornicationis in ipsomet petente, tunc culpa vacat, quando adhibitis aliis mediis, nequit quis carnis stimulos sedare: secus quando potest conuenienter alio modo ab incontinentia abstinere: tunc enim erit veniale piaculum. Quia vbi alia media conuenientia ad finem assequendum occurrunt, venialis peruersio est debiti ordinis, mediũ de se ordinatum ad prolis generationẽ, & fidem seruandam, in illum finem referre. Mecum Henriq. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 4. *liter. P.* & Sanch. *lib.* 9. *d.* 9. *num.* 4.

DVBIVM VIII.

An sit licitus coniugalis vsus, ad tuendæ, aut restaurandæ valetudinis corporeæ finem relatus?

19 *Culpa venialis est.* CVlpa venialis est. Quia finis aduersatur matrimonij institutioni, quod ad bonum prolis, & ad vitandam fornicationem est institutum. Certe ideo peccaret venialiter qui gratia sanitatis recuperandæ baptizaretur, quia hic finis aduersatur Baptismi institution, iquæ est ad remissionem peccatorum, quæ ante fuerant antè eum patrata. Sic D. Tho. *in* 4. *dist.* 31. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 4. Palud. *ibi, quæs.* 3. *art.* 3. *num.* 21. Petr. de Ledes. *de matrimon. quæs.* 46. *art.* 5. *dub.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 31. *quæstion. vni. art.* 4. Tabir. *verb. Matrimonium* 3. *quæstion.* 5. §. 6. & alij.

20 *Nec veniale est culpa,* Omni culpa vacat petitio debiti causa sanitatis acquirendæ, aut tuendæ. Quia cum ob bonum prolis id liceat, à fortiori id licebit, ad propriam sanitatem instaurandam, aut tuendam, cui plus quilibet tenetur consulere. Et quia intendens sanitatem, refert virtute actum illum in prolis bonum, cuius generationi morbo laborans est minus aptus. Ita Almain. *in* 4. *dist.* 31. *quæs. vnic.* Maioris *ibi, q. vni. fine.* Palac. *ibi. d.* 2. Sa *v. Debitum coniugale, vers. Copulam.* Hurtad. *d.* 10. *diffic.* 2. *num.* 6. Coninch. *d.* 34. *num.* 6. Basil. *l.* 10. *c.* 8. Henriq. *l.* 11. *c.* 15.

21 *Mediam eligo viam.* Mediam eligo viam, vt nulla sit culpa, quando aliud medium aptum non inuenitur, ad instaurandam, tuendamque salutem. Quod optime probat secundæ sententiæ fundamentũ: tunc enim nulla est debiti ordinis peruersio, cum in eo fine bonum prolis, ac fidei quamuis remotè includatur: coniux enim bona vtens valetudine generandæ aptior est proli, ac debito reddendo. At vbi medium aliud conueniens occurrit, culpa venialis erit. Quia Sancti solius prolis gratia, aut debiti reddendi, coniugalem vsum licere admittunt August. *de bono coniug. cap.* 6. 7. & 10. *to.* 6. Gregor. *lib.* 32. *Moral. c.* 20. & habetur *c. Nerui* 13. *dist.* & quia peruersio debiti ordinis est, actum coniugalem, qui suapte natura refertur ad speciei bonum, ad individui bonum, referre. In omni autem sentẽtia fateor, quantumuis peccet defectu recti finis coniux ob sanitatem petens, reddentem minimè peccare, sed reddere teneri.

DVBIVM IX.

An sit peccatum vti coniugio propter solam delectationem capiendam?

22 *Peccatum grauis est.* PEccatum est, mortale quidem. Quia coniux sic coniuge vtens, non refert illius vsum in Deum: sed in solam delectationem: ac proinde frui vult creatura, in ea constituens vltimum finem, quod mortale esse nemo dubitat. Certè non est simile de aliis delectationibus: hæc enim ita mentem absorbet, vt liberum hominem non relinquat, quo illam in Deum referat. Sic Hugo *c. Origo.* Hostiens. *sum. tit. de matrimon.* §. *Quis sit effectus num.* 23. & quidam Antiquiores vt refert D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 31 *art.* 2. *qu.* 3. dicens esse probabile, sed valde durum & alij

23 *Imo nec leue.* Nullum peccatum est. Quia virtus Temperantiæ inclinat ad moderate percipiendas delectationes gustus, & tactus: velle ergo moderate delectari in accessu ad coniugem, actus erit studiosus. Et quia vti ad libitum re sua, qualis est alteruter coniux alterutrius, culpa vacat: in eo enim accessu inuenitur Sacramenti bonum, nam coniux propter voluptatem accedens limites matrimonij non trasgreditur, sed propter illius vinculum accedit, alias omninò abstenturus. Ità Almain. *in* 4. *dist.* 31, *q. vnic.* Maior. *quæs. vni. concl.* 7. Celaia *ibi, quæs. vni. fine.* & refert Martinum de Magist. Palac. *ibi, d.* 2. Dicit esse satis probabile Veracr. *p.* 3. *spec. art.* 16. *concl.* 2. & Hurtad. *d.* 10. *diffic.* 2. *num.* 6.

24 *Quid Auctor?* Asseruerim tamen, quando voluptas limites matrimonij excedit, quia scilicet coniux ita voluptate captus ad suum accedit, vt paratus sit ad accedendum, quamuis suus non esset, lethalem esse culpam. Quia coniux ita accedens animum habet fornicandi. At actum coniugalem solius voluptatis gratia exercitum, nec matrimonij fines transgredientem culpam venialem esse. Quia est debiti ordinis peruersio, cum actus sic apte natura tendens ad prolis bonum ad finem voluptatis capiendæ referatur. Nec audiendi Doctores pro sententia prima relati asserentes esse culpam mortalem, vbi finis esset libidinosum satiare appetitum. Imo nec erit mortale aliquibus cibis callidis virum vti, vt naturam adiuuaret, quo potentior ad frequentem copulam redderetur.

Nam cum libido illa matrimonij limites non egrediatur, nec media alias sint illicita, non est vnde culpa lethalis incurratur.

* *
*

DVBIVM

DVBIVM X.

An sit peccatum diebus feriatis queiscumque ieiuniorumque, ac rogationum, actui matrimoniali dare operam?

25 Sententia affirm. SCio aliquos Doctores asseruisse, culpam esse lethalem. Quia in loco Sacro petere mortalis est culpa, eo quod locus ille Sacris peragendis est dicatus: Ergo similis est, temporibus Sacris, quæ ad idem sunt consecrata. Hanc itaque præteriens sententiam, quam improbabilem esse crediderim, quæsierim, num sit culpa venialis?

26 Prætermit. affirm. Est quidem. Quia dies festi principaliter ad vacandum Deo orationique sunt instituti: carnalis autem delectatio mentem absorbet, & ad spiritualia reddit ineptam. Quare apud Ethnicos lumine ipso naturali edoctos receptum erat, vt orationi vacaturi, à concubitu etiam coniugali abstinerent. Atque eadem ratione id ipsum dicendum de tempore publicis rogationibus præscripto. Necnõ de ieiuniorum tempore: quia ieiunia præcipiuntur, quo caro maceretur & sicut illicitas voluptates admittens delinquit, ita à licitis abstineat? Ergo præceptum est in iis abstinendi à vehementi delectatione, qualis in actu coniugali inuenitur. Sic Magist. *in 4. dist. 32. cap. 3.* D. Tho. *ibi, qu. vni. a. 5. quæstiunc. 2.* Albert. Mag. *dist. 31. a. 23.* Durand. *in 4. dist. 32. q. 1. n. 9.* Palud. *ibi, q. 1. a. 3. n. 11.* D. Antonin. *p. 3. titul. 1. c. 10. §. 11.* & alij plures.

27 Non est culpa. Haud est venialis culpa. Quia actus coniugalis ratione sui nullo peculiari iure prohibetur in diebus festis quamtumuis solemnibus. Et multo minus in diebus ieiunij, ac supplicationibus. Quia actus coniugalis non impedit fieri id quod in eis diebus agi præscribitur: Ergo non est illicitus, quamuis in eis nonnihil habeat indecentiæ. Ita Coninch *dict. 34. dub. 9.* Basil. *libro 10. cap. 9.* Scot. & Richard. *in 4. dist. 32.* Hurtad. *dict. 19. diffic. 3. numer. 9.* Sanchez *libr. 9. dict. 12. numer. 5.* & multi apud ipsum.

28 Auctoris sententia. Non me fugit Innocentij sententia *Cap. Proposuisti* 82. ibi: *Nam sic Paulus ad Corint. scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, vt expeditius vacetis orationi. Et hoc vtique laicis præcipit.* Vbi Pontifex manifeste dicit, esse præceptum. Attamen crediderim, solum esse consilium. Quia præceptum de colendis festis, solas prohibet operationes seruiles externas, qualis non est debitum petere. Nec finis præcepti, nempe vt liberius vacetur Deo sub præcepto cadit, auctore D. Tho. *1. 2. quæstion. 96. art. 1. ad 2.* Item quia culpa non est, vbi nullius præcepti adest prohibitio: quod hic contingit. Nam præceptum diuinum de colendis festis, minimè intercedit debiti coniugalis exactionem.

* *
*

DVBIVM XI.

An venialiter delinquat, qui debitum exigit die, qua Eucharistiam est recepturus?

DElinquit venialiter. Quia actus meritorius, & sub lethali obligans arcet quandoque ab altaris ministerio propter indecentiam, vt si Iudex homicidam suspendant: Ergo non mirum, si actus licitus debitum exigendi, ac meritorius obstet propter indecentiam Eucharistiæ sumptioni. Et quia si culpa veniali admissa ratione voluptatis intentæ exigere debitum, impedit sub veniali Eucharistiæ sumptionem. idem prorsus dicendum erit, quando culpa nulla fuit in ea exactione, sed ad debitum finem est relata. Quia culpa venialis non obstat, vt patet. Euagatio autem mentis, & hebetudo ad spiritualia eadem est in vtroque concubitu: absorbet enim mentem nimia illius voluptas, quocumque fine exerceatur. Sic Alens. *4. p. qu. 166. memb. 2. ad 3.* Caiet. *sum. v. Communio, c. 1. in 4. requis.* Victor. *sum. de matr. n. 278.* Sotus *in 4. dist. 32. q. vni. a. 3. post 2. concl.* Sà *v. Debitum, fine.* Veracr. *p. 3. spec. a. 17. concl. 2.* Ludou. Lop. *p. 1. Instruc. c. 11.* & alij plures. 29 Venialiter delinquit.

Nec venialiter delinquit. Quia pollutio inuoluntaria, in qua reperitur sola culpa venialis, tantum de consilio impedit Eucharistiæ sumptionem iuxta veriorem sententium: quam vltra alios defendit Couarrub. *Clem. si furiosus, de homic. p. 3. n. 7.* Ergò à fortiori solum consilium erit post copulam coniugalem, quæ actus est licitus, ab Eucharistiæ sumptione abstinere. Ita Bassol. *in 4. dist. 32. quæstion. vnic. art. 3.* Angel. *verb. Eucharistia, 3. numer. 30.* Victor. *sum. de Euchar. numer. 38.* Capua *part. 1. Decis. libr. 2. cap. 83. numer. 9.* Nauar. *sum. cap. 21. num. 51.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 3. c. vltim.* vbi dicit, de honestate sola debere abstinere. 31 Nõ delinquit venialiter.

Fateor, conuenientissimum esse post copulam coniugalem, siue petendo, siue reddendo exercitam, ea die à communione abstinere, idque consulendum, nisi iusta aliqua causa oppositum suadere videatur. Asserо tamen, si debitum petitum sit recto fine, vt causa prolis, nullam esse culpam, ad Eucharistiam ea die accedere; sed solum esse consilium, abstinere: suoque iudicio coniugem esse relinquendum, vt pro ratione impedimenti, aut spiritualis affectus, quem in se sentit, aut accedat aut abstineat. Imo idem existimo, vbi finis concubitus non esset proles, nec voluptas: sed incontinentiæ periculum euitare. Quia ad summum est culpa venialis in fine, & cum voluptas minime dominetur, sed continentiæ, seruandæque fidei matrimonialis amor, non ità mens absorbetur, inuenitúrque ratio præponderans, vel saltem adæquans, & compensans. Denique asseruerim, exigentem coniugale debitum ex nimia carnis concupiscentia, & voluptatis capiendæ gratia, regulariter culpam venialem admittere, ad 32 Auctoris ciuca hoc resolutio.

Eucharistiam ea die accedendo. Quia oritur magna distractio, mentisque hebetudo, deficiente bono præponderante, aut compensante. Attamen minimè eximi coniugem à debiti reddendi obligatione, eo quod eo die Eucharistiam sit recepturus, patet. Quia obligatio hæc ex ipsa iustitiæ lege oritur, nec inuenitur ius aliquod hunc casum excipiens.

DVBIVM XII.

An coniux reddens debitum, teneatur sub veniali, ea die à communione abstinere.

32 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem. Quia is accessus debitus, non minus mentem à spiritualibus auocat ipsamque absorbet, quam spontanea debiti petitio. Sic Caiet. *sum. verb. Matrimonium cap. vltim.* Tabie. *verb. Communicare quæs.* 37. §. 43. Victor. *sum. de matrimon. num.* 238. generaliter enim, ac indistincte dicunt, esse venialem culpam, post concubitum vxorium communicare. In terminis Ledes. 2. *part.* 4. *q.* 66. *a.* 1. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 65. *n.* 2.

33 *Non tenetur.* Minime tenetur. Quia adest bonum satisfaciendi iustitiæ debito, quo voluptas illa coitus, & mentis euagatio inde orta præponderatur. Ità Sanchez *libr.* 9. *d.* 13. *num.* 12. ex D. Tho. D. Bonau. Palud. Gabri. D. Antonin. Rosel. Syluest. Suar. Barth. à Ledes. Alen. Alberto. Mag. Soto. Maior. Veracr. & alij.

34 *Hi adhærent.* Existimo hisce Doctoribus adhærens, eum coniugem suo iudicio relinquendum (vt de petenti causa prolis proximo asserebam) imo à fortiori de coniuge reddente id affirmarim. Quia ille actum spontaneum, hic vero necessarium exercet.

DVBIVM XIII.

An casu, quo culpa venialis sit, post coniugalem copulam ad Eucharistiam acquiratur, viginti quatuor horarum spatium à copula esse transactum?

35 *Requiritur.* REquiritur quidem. Quia *Leuit.* 15. & *Deuter.* 23. id tempus (in typum probabiliter) destinatur prolustrationi polluti: eoque spatio elapso iam ea immunditia præsens moraliter non censetur. Sic de nocturna pollutione agentes Alens. 4. *part. quæstion.* 47. *memb.* 1. *art.* 1. D. Tho. *in* 4. *dist.* 9. *quæs. vnic. art.* 4. *quæstiunc.* 2. Alber. Mag. *dist.* 22. *art. vltim.* Angl. 1. *part. de Euchar. qu.* 2. *a.* 5. *concl.* 3. Turrecr. *cap.* 1. *num.* 7. *&c.*

36 *Non requiritur.* Non requiritur tantum spatium. Quia tantam desiderari moram, nulli solido fundamento innititur. Ita D. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *capit.* 6. §. 10. Angel. *verb. Euchar.* 3. *num.* 29. limitans, vbi copula non est mortalis. Adrian. *in* 4. *tract. de Euchar.* Sotus *dist.* 12. *quæstion.* 1. *art.* 7. Petr. de Ledes. *sum. tr. de Euchar. c.* 13. *concl.* 1. Non tamen inter hos conuenit, quanta debeat esse minor mora. Quidam putant, sufficere, vt copula non accidat intra eundem diem naturalem à media nocte incipientem. Alij explicant, quando pridie communionis copula coniugalis est habita. Alij tandem, quando nocte præcedenti exercita est copula coniugalis.

Existimo, haud posse certam præscribi moram. Quia cum mentis euagatio & hebetudo consurgens ex copula impedimenti illius susciendæ Eucharistiæ sit causa, alij autem tardius, alij citius, ea expulsa, se se colligant, ad pristinamque mentis tranquillitatem redeant: ea potius regula statuenda est, vt quandiu mentis illa euagatio perseuerat, duret impedimentum, & indecentia: cessanteque illa, cesset. 37 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM XIV.

An post communionem, eadem die liceat debitum exigere.

CErtum est, debiti redditionem in omni tempore licitam esse, & obligare: de petitione quæstio procedit. Culpa venialis est, eodem die quo quis Eucharistiam sumpsit, debitum exigere. Quia videtur indecens ea die non abstinere. Sic Angel. *v. Eucharistia* 3. *fine.* Viuald. *Cand. Sacram.* 1. *p. de matr. n.* 263. Beja *sum. casu* 8. & alij. 38 *Leuis culpa.*

Nulla est culpa. Quia nullibi inuenitur huiusmodi prohibitio, nec apparet indecentia, quæ culpam constituere videatur. Ità Tabie. *verb. Communicare, quæstion.* 37. §. 43. Victor. *sum. de Euchar. n.* 82. Nauar. *sum. Hisp. c.* 21. *nn.* 51. Sanch. *l.* 9. *d.* 13. *n.* 17. 39 *Nulla est culpa.*

Hoc verius existimo, quamuis sanum consilium sit, ob Eucharistiæ reuerentiam à licita ea actione abstinere. 40 *Hoc mihi verius.*

DVBIVM XV.

An sine veniali piaculo coniux excommunicatus possit debitum exigere?

MInime potest. Quia *Cap. Quoniam multos* 11. *qu.* 3. Soli vxori concedit participationem cum viro excommunicato: & ex rationis paritate, quia correlatiua sunt, ad virum extendimus. At ipsi excommunicato nullum ibi priuilegium conceditur. Ergo licet innocès coniux possit ab excommunicato debitum exigere, & excommunicatus reddere teneatur: non tamen ipse poterit in fauorem sui beneficio petendi vti. Sic Tabien. *verb. Excommunicatio* 1. *quæstion.* 3. *numero* 17. Vbi ait, excommunicatum teneri reddere, at petere non esse mortale: vbi sentire videtur, esse culpam venialem. 41 *Non potest.*

Potest planè sine veniali culpa petere. Quia coniux non excommunicatus tenetur ad obsequia excommunicato præstanda sicut antè excommunicationem (vt ex materia de excommunicatione suppono) inter quæ primas tenet hoc, quod est proprium coniugum quatenus 42 *Potest plane.*

quatenus coniuges sunt. Licitè ergo excommunicatus obsequium hoc sibi debitum exiget. Ità Vgoli. *de excommuntab. 2. capit. 23. §. 6. num. 2.* Sanchez *lib. 5. d. 14. num. 20.* & alij apud ipsum *num. 23.*

34 Quam hoc existimet.

Hoc mihi certum scienti ex *c. Inter alia, de sent. excommun.* seruos domino excommunicato inseruire teneri: vnde licebit domino, ea petere obsequia, alioquin id est seruorum ingenium, vt ea nunquam præstent: Ergo licebit idem viro excommunicato: vel maximè, quod vxores ingenuo quodam pudore nunquam petere audent.

DVBIVM XVI.

An actus coniugalis in loco Sacro licite exerceatur, extra casum necessitatis: illúmque reddat pollutum?

44 Nonnulla suppono.

LOci circumstantia in duplici euentu potest coniugalem actum vitiare: nempe dum publicè, id est, coram aliis, & dum Sacro in loco exercetur. Et quidem in publico loco petere, aut reddere debitum, manifesta lethalis culpa est, nemine dubitante. Quia aduersatur decentiæ, ac honestati humanæ, & sic coëuntes essent aspectantibus maxima ruinæ occasio. Imò tactus inter coniuges aliàs liciti, quando aliis aspicientibus habentur. Quia ad venerem excitant aspectantes. Qualitas autem culpæ pensãda erit ex tactus qualitate, & ad stantium fragilitate: si enim tales essent tactus, vt adstantes valdè ad libidinem excitarentur, attenta eorum fragilitate, esset culpa lethalis, Sà *v. Peccatum, vers. Facere.* Circà locum verò Sacrum quæsierim, an culpa lethalis sit, extra necessitatem coniugalem actum Sacro in loco exercere?

45 Culpa non est lethalis.

Non est. Quia *Cap. significasti, de adulter. &c.* & *Cap. si motum de consecr. d.* 1. quod est Hyginij Pontificis, solius copulæ adulterinæ violantis Ecclesiam fit mentio: & quamuis alij textus generaliter de seminis effusione loquantur, possunt de illicita explicari. Sic Glos. *in c. Ecclesiis de consecr. d.* 1. Hugo, Laurent. & Gandulp. *ibi.* Henriq. *in c. fin. de consecrat. l. n. 9.* Basil. *l. 10. c. 10.* Hurtad. *d. 10. diffic. 4. n. 16.*

46 Culpa lethalis est.

Est quidem lethale piaculum, in loco Sacro matrimonialem actum exercere. Quia prohibitus intuitu loci Sacri, vt supponitur in *Cap. vni. de consecrat. Eccle. in 6. & in Cap. fin. de consecr.* Quod limitant Doctores, vt tantum sit illicitus quando non est necessarius, non verò cum necessarius est. Ita Sanch. *l. 9. d. 15. n. 8.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. cap. 8.* Coninch. *d. 34. dub. 9.* Palud. *in 4. dist. 18. q. 8. a. 4.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 20.* Tolet. *l. 5. c. 8.*

47 Primam eligo sententiam.

Probabilis admodum hæc sententia, ego autem mihi eligo primam. Quia actus coniugalis in loco Sacro, aut benedicto non est illicitus iure naturali, nec diuino, vt patet; nec iure Ecclesiastico, quia nullibi prohibetur, nec prohibitus supponitur. Nam si alicubi, maxime in *Cap. fin. de consecr. Eccl.* vbi dicitur: *si Ecclesiæ cuiuscumque fuerit seminis, aut sanguinis effusione polluta &c.* In eo autem non constat esse sermonem de effusione seminis coniugalis; ad veritatem enim huiusce sententiæ sufficit effusio seminis non coniugalis illicita contra castitatem cuiuscumque sit, siue fœminæ, siue viri, siue Clerici, siue non Clerici. Imo id indicari reor in eo *Cap. dum dicitur: si fuerit polluta.* Quia dum alias non constat, actum coniugalem in Ecclesia esse prohibitum intuitu reuerentię Ecclesiæ, non est dicendum, eo pollui Ecclesiam, sicut nec polluitur sanguinis effusione alias licita: Ecclesiam itaque non pollui existimo actu coniugali, sed tantum non coniugali contra castitatem illicito facto solummodo intra corpus Ecclesiæ, & non acto in turri, in cubiculis corpori Ecclesiæ hærentibus, in cellulis seu tribunis, ex quibus Principes, qui domos Ecclesiis coniunctas habent, Sacrum exaudiunt, nec in Sacristia. De quibus alibi sermo recurret.

DVBIVM XVII.

An in casu necessitatis actum coniugalem in loco Sacro exercere, licitum sit?

48 Nonnihil præmitto.

SVppono venialem culpam esse coniugalem actum extra necessitatem Sacro in loco exercere, quia licet nulla sit lege interdictus, vt Dubio proximo resolui, aliqualis proculdubio indecẽtia est contra loci illius putitatem. Quæsierim vero, num sine huiusmodi indecentiæ periculo possit actus hic in casu necessitatis præstari, nempe quando coniuges diu sunt Sacro in loco inclusi, nec patet aditus ad cameram illi adiacentem?

49 Non est licitus.

Illicitus est, nec sine veniali saltem potest exerceri. Quia nulla est præcisa necessitas: nec mirum est, si tunc coniuges ob loci reuerentiam à concubitu abstinere teneantur, cum ad id ob diuturnam absentiam persæpè coguntur. Sic Palud *in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. n. 20.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 20. §. 1.* Caiet. *sum. v. Matrimonium, c. vlt.* Armil. *v. Debitum n. 6.* Pisana *num. 7.* Tabie. *v. Matrimonium 3. q. 9. n. 10.* Nauar. *sum. c. 16. n. 32.* & alij.

50 Licitum est omninò.

Licitus proculdubio est, sine vllo potest exerceri piaculo. Quia difficillimum est continere, & valde probabili incontinentiæ periculo exponerentur coniuges voluntarias pollutiones admittendo, nisi eis concubitus, liceret. Quare non est credendam, Ecclesiam in hoc euentu voluisse obligare ad abstinendum, ob aliqualem illam loci Sacri extrinsecam indecentiam: eo vel maximè quod cætera Ecclesiæ præcepta in casu magnæ necessitatis minime obligant. Ità Albert. Magn. *in 4. dist. 32. a. 11. ad 2.* Richard. *ibi, a. 3. qu. 1.* Scot. *qu. vlt.* Maior. *q. 1. argum. 2.* & alij quos refert, ac sequitur Sanch. *lib. 9. d. 15. numer. 12.*

51 Idem asserit.

Profectò licet necessitas coëundi non sit tunc præcisa, & absoluta, ac prorsus ineuitabilis: at est necessitas humana attenta fragilitate, ac morali modo, quæ euitabilis valeat vocitari, quod satis est, ad deobligandum.

* *
*

DVBIVM XVIII.

An sicut actus coniugalis in loco Sacro extra casum necessitatis sit aliquando licitus, & idem de impudicis cogitationibus, & tactibus dici possit?

52 *Liciti non sunt.* COniux, qui in loco Sacro desiderat actui cõiugali vacare extra Ecclesiã vel tactibus impudicis dat operam, proculdubio delinquit, ac si rem haberet cum vxore. Quia desideria & tactus eiusdem cum copula sunt malitiæ. Sic Sylvest. *v. Confessio 1. quæs. 10. n. 11.* asserens necessariò in desideriis explicandam esse in confessione loci circumstantiam. De tactibus Cordu. *sum. q. 190.* Ludou. Lop. *1. p. Instruct. c. 33.* Manu. *to. 1. sum. c. 207. n. 1.*

53 *Liciti sunt.* Coniux in Ecclesia existens, qui desiderat actum coniugalem extra Ecclesiam exercendum, haud reus est sacrilegij grauis vel leuis, illaque loci Sacri circumstantia aperienda necessariò nõ est in cõfessione. Idẽ dixerim de tactibus quatumcumque turpibus absque pollutionis periculo. Quia quod repugnat loci consecrationi, illumque polluit est seminis effusio: sed nec in desiderio, nec in tactu hæc non exeritur in Ecclesia. Ergo nulla est ex parte loci circumstantia. Ita Sanch. *libr. 9. d. 15. à num. 18.* & apud eum multi.

54 *Primam sententiam improbo.* Profecto primam sententiam falsam omnino reor, qui cogitationes, desideria, aspectus confabulationes, nutus, & tactus impudicos minime habere sacrilegij circumstantiam aperiendam in cõfessione certum puto, inter coniuges etiam extra casum necessitatis, si tunc prædictus actus non sit sacrilegus.

DVBIVM XIX.

An sit piaculum non naturali seruato tamen vase debito, ad vxorem accedere sine necessitate.

55 *Nonnihil præmitto.* SVppono in hoc solũ non esse piaculum effundendit, seminis extra vas naturale. Quæ, num lethalis sit culpa hoc modo ad vxorem accedere?

56 *Est lethale, nisi onum naturalem præterire sine necessitate.* Est quidem. Quia insoliti modi naturæ ordini aduersantur, nec ita certa est proles, specialiter vero modo præpostero: quia cum natura hunc modũ bestiis præscripserit, vir eum appetens, iis simillimus efficitur alij modi cum repugnant seminis in vas fœmineum receptioni, effusionique viri. Sic Præpos. *Rubr. de sponsal. n. 13.* Mol. *sum. tr. de matrim. tit. de bonis matr. ad fin.* Palud. *in 4. dist. 31. q. 3. a. 2. n. 15.* Abul. *ad. c. 5. Mat. q. 227.* Vincent. *in spec. mor. to. 3. l. 3. d. 2. p. 9. ad fin.* Philiar. *de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 4. c. 19.*

57 *Minime est lethale.* Minimè est lethale piaculum. Quia semen non recipitur in fœmineam matricem per infusionẽ, seu descensum; sed per attractionem, eo quod sit virtus naturalis in ea semen attrahens sicut in stomacho respectu cibi. Lege Aristotelem *l. 2. de gener. animal. c. 4.* Ergo nullus corporis situs in concubitu obstat generationi, ac proinde culpam lethalem non constituet. Ita Albert. Mag. *in 4. dist. 31. a. 24.* Supple. Gabr. *ibi q. vni. a. 5. concl. 6.* Cajet. *2. 2. q. 154. nn. 1.* Nauar. *sum. c. 16. n. 42.* Sotus *in 4. dist. 31. qu. vni a 4.* Armil. Viuald. Matiẽ. Alcoc. Ledes. 2. Palac. Rosel. & alij, quos refert, ac sequitur Sãch. *l. 9. d. 16. n. 3.*

Grauem venialem culpam solum esse crediderim hanc à naturali modo deuiationẽ, increpandosque esse coniuges ita coeuntes. Genera- 58 *Auctorũ retinuo solutio.* tim que asseruerim, nil eorum, quæ coniuges in copula efficiunt, seruato legitimo vase, culpam venialẽ excedere. Quia generatio minimè impeditur. Cæterum aliquando inuersio debiti sicus omnino vacabit à culpa, nempe dum sic vir non captandæ voluptatis gratia accedit, sed aliqua iusta causa intercedente, vt quia dispositio corporis aliud non patitur ob viri pinguedinem vel propter suffocandi fœtus periculum in prægnante, vel alia simili causa honesta occurrente. D. Tho. *in 4. dist. 31. fine, in exposit. lit.* Cajet. *sum. v. Matrimonium c vii.* Veracr. *p. 3. spec. a. 15. concl. 3.* & alij, & id immerito dixit sub conditione forte quasi dubitans Ledes. *2. p. 4. q. 51. art. 6. proposit.* Rogas, num coniugi exigenti modo indebito, quoad situm, teneatur, aut licitè possit alter reddere? Sequenti Dubio respondeo.

DVBIVM XX.

An petenti coniugi modo indebito quoad situm, alter teneatur, aut possit licite reddere?

59 *Suppositum appono.* SVppono quando sic concumbere esset lethale ob effusionis seminis extra vas periculum culpam esse lethalem etiam reddere. Quia talis congressus est prohibitus ob circumstantiam ipsi actui inhærentem: est enim contra naturam, & perinde ac si vir peteret, vt vxor sibi ad pollutionem cooperaretur. Quare nullus timor, etiam mortis fœminam sic reddẽtem excusaret. Quando autem est solum venialis culpa in exigente, est difficultas.

60 *Non tenetur, nec licite potest reddere.* Petenti coniugi modo indebito venialiter quoad situm, alter nec tenetur, nec licite potest reddere. Quia non petitur debitum modo debito, ac naturali. Sic Armil. *verb. Debitum, numer. 7.* Palac. *in 4. dist. 32. d. 1. casu 10.* Barth. à Ledes. *de matrimon. dub. 71. concl. 4.* D. Antonin. *sanct. 3. part. titul. 1. cap. 20. § 3. & 7.* & Henriq. *l. 11. c. 16. n. 6.*

61 *Licite potest & tenetur.* Potest planè licitè, imo tenetur reddere. Quia coniux reddere debet, quando exigens solam venialem culpam admittit. Ratio est, quia cum actus ille reddendi non sit in se, & intrinsecè malus ob peccatum exigentis, potest ex causa iusta excusari à culpa illa veniali, qua ad summum affici deberet propter cooperationem ad culpam exigentis venialem. At semper in reddente adest causa iusta ad excusandum à culpa illa veniali ad quod non grauis causa desideratur: adest enim causa, nè petenti displiceat, vel discordiæ vel leues inter coniuges excitentur. Ita Petr. de Soto *lect. 6. de matr. fine.* Matien. *l. 5. recopil. tit. 1. rubr. gl. 1. n. 112.* Cajet. *2. 2. q. 154. a. 1. circa solut. ad 4.* Sanch. *l. 9. d. 6. n. 6. & d. 16. n. 10.*

Semper probabilius esse iudicaui, non solum

posse

Hæc mihi probabilius. posse coniugem, sed & teneri reddere, quando coniux exigens solam venialem culpam admittit, forte admodum adiudicans secundæ sententiæ fundamentum.

DVBIVM XXI.

An sit culpa lethalis, coniugalem actum in vase innaturali inchoare.

63 Nonnulla suppono. SVppono, vbi in vase innaturali copula cõsummatur, aut est animus consummandi, manifestam esse Sodomiam lethalem, peccatumque contra naturam. Quia aduersatur fini naturali illius copulæ, qui est prolis generatio. Nec vxor ad similem copulam, sed ad solam copulam intra vas legitimum vxor est. Quæstio autem est, num lethalis culpa semper sit, in naturale vas coniugem vsurpare?

64 Non semper mortalis est culpa. Non semper mortalis culpa est, nempe quãdo vir volens legitimè vxori copulari, quo se excitet, vel maioris voluptatis gratia captãdæ, copulam Sodomiticam, non consummandi animo nisi intra vas legitimum, nec cum periculo effusionis extra illud quod vas seruari, dicitur, quoties extrà illud semen non profunditur: vt contingit in præsenti. Sic Nauar. *libr.5. consil.titul. de pœnit. & remiss. consil.* 7. dicens, tantum reperiri peccatum tactus cuiusdam illicitè, nec teneri virum confiteri Sodomiæ circumstantiam. Quare apertè solam venialem culpam in eo actu dignoscit, Fauet Ouand. *in 4.dist.31.q.vnic.prop.*3. vbi docet, omnem coitum libidinosum excusari inter coniuges, modo extraordinariæ pollutionis periculum non adsit.

65 Lethalis semper culpa est. Lethalis equidem culpa semper est. Quia tactus ille nec ex se, nec extangentis intentione potest ad actum coniugalem referri: Eo quod medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ sit. Sicut esset inter solutos habentes animum intra vas debitum consummandi, speciei distinctæ flagitium. Ita Doctissimi D. Theologi consulti à P. Thoma Sanchez quos memorat, & sequitur *l.9.d.17.n.5.*

66 His hæreo abnegans, vas legitimum seruari, quando illegitimum vsurpatur ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licet intra illud non summetur. Porò cæteri coniugum tactus non sunt media improportionata, nec alterius ordinis luxuriæ. Quare tactus (de quo sermo) non reputatur instar aliorum, qui ad summum culpæ veniales sunt.

DVBIVM XXII.

An sit lethalis culpa, quando data opera seminatio vtriusque coniugis non est simul.

67 Lethalis culpa. LEthalis culpa est. Quia cum ex semine maris & fœminæ vnum principium actiuum generationis consurgat, vtrumque simul concurrere necessum est, ne generatio impediatur vt docent Galen. *lib.4.de vsu partium,c.*7. Petr. Mato *leg. de semine, fol.* 56. §. *Intercedente.* Et Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom.III.P.II.* salrem vbi vir prius seminat, generationem impediri tradit Auice. *3.l.de membr.gener.cap. 7.de sterilit. vers. Error autem accidens est.* Vbi Iacob. de Partib. & Gentilis de Fulginio. Item Nicolaus Florent. *sup.serm.6.c.*13. Ergo est lethalis.

68 Non est culpa lethalis. Non est culpa lethalis consulto à simultanea seminis profluxione, abstinere. Quia non est necessarium ad generationem, vtrumque coniugem simul seminare. Quare dum vir semen profudit, non tenetur fœminę effusionem expectare: fœmineum namque semen nec est necessarium, nec actinè ad generationem concurrit, teste Galeno sibi contrario *lib.1.de sanit. tuen.cap.1.& libr. 2.de natural.facultat.capit.3.* Aristot. *lib.1.de gener.animal. cap.2.& lib.2.c.* 3. Auic. *lib.9.de animal.cap.1.* Albert. Mag. *l.5. de animal. c.vltim.* Hugo Senens. *sup.lib. Tegni Galeni, lib.2. tex.* 1. & Theologorum vniuersa Schola (si Scoti sectatores excipias (cum D. Tho. *3.part.qu.*31.*a.4.ad* 3. Verum experimento patet, fœminas omnino inuitas, in balneisque semen virile recipientes concepisse: tunc autem minimè seminant, alias venereã delectationem non possent non sentire. Ergo cũ absque eo semine, nedum vbi non simul, sed post effunditur, generatio sequatur nullum præceptum constringit ad pariter effundendum. Ita Sanch. *libr.9.d.17.num.*9. Henriq. *l.11. c.16.num.7.*

69 Hoc verum vnicè existimo. Profectò sanum consilium est, vt curetur vtrumque simul semen effundi: quare coniugi tardiori ad seminandum consulendum, vt antè concubitum tactibus venerem excitet, vt vel sic possit ipso in concubitu simul semen effundere, Caiet. monet 2.2. *quæst.*154.*a.* 11. *dub.*5. Cui non acquiescerem, nè adsit pollutionis fortasse periculum. Certe licet mulier semen non fit ad generationem necessarium, multum tamen confert ad facilius generandum. Attamen non tenentur coniuges conuenientiorem, ac faciliorem generandi viam eligere: sed satis illis est, si generationi non obstent. Eas denique est marito copulam continuare vbi ipse semen effudit, donec fœmina seminet. Quia hoc pertinet ad cõpletam copulæ vxoriæ consummationem.

DVBIVM XIII.

An abusus vxoris contra naturam, sit grauior culpa, quam inter solutos habeatque, circustantiis adultis necessario confitendam.

70 Leuior est culpa nec hæc adulterij circũstantiam necessariò cõfitendam. LEuior est culpa. Quia cùm propria vxore solùm quoad modum deliquitur quoad modum, cũ soluta verò quoad modum & substantiam, cum inter solutos nulla detur in corpus potestas. Et quia hic nulla adest adulterij circumstantia. Patet ex adulterij definitione, quam tradunt Gelasi. Papa *cap. Lex illa ad fin.* 36.*quæst.*1. & D Tho. 2.2. *qu.*154. *art.* 8. nempe *Adulterium est alieni thori violatio.* In præsenti autem, nil fit cum aliena coniuge, nec thorus violatur alienus. An non adulterium est contra bonum fidei matrimonij? Certè accessus ad suam extra vas legitimum

matrimonij fidei non opponitur. Quod indè constat. Nam fides hæc, duo includit: alterum vt coniuges sibi mutuo debitum reddant: alterum vero, ne alij commiscentur. At hîc maritus non commiscetur fœminæ non suæ, nec debitum ab vxore legitimo modo exactum negat: vt suppono, quod si negaret, esset ex hoc capite iniustitia, non tamen adulterium. Allici possunt ad hanc mentem D. Tho. *in 4. dist. 31. quæst. 1. art. 2. corp.* Palud. *ibi, quæstion. 1. art. 3. numer. 8.* Sotus *quæstion. vnic. art. 2. post concl.* Esto autem esset specialis circumstantia necessariò confitenda: videtur, satis esse explicare accessum contra naturam cum coniugata in genere. Quia grauitas adulterij si adsit in tali accessu ad vxorem, iam explicatur, dum coniugatus fatetur, se ad coniugatam quandam accessisse, addendo, id factum viro illius consentiente, ne se reum iniustitiæ mendaciter efficiat.

71 *Grauior est culpa, & habet circumstantiam adulterij aperiendam in confessione.* Grauior est culpa abusus vxoris extra vas legitimum abusu simili intet solutos. Quia est adulterium tam ex parte viri, quam ex parte vxoris consentientis: vnde vterque tenetur circumstantiam vtramque adulterij confiteri. Neuter namque coniux seruat alteri suum corpus castè, quod ad fidei bonum pertinet: non enim est coniux ad illum actum, sed ad naturalem: ac consequenter talis actus perinde est ac cum alieno coniuge gestus. Nec satis est, fateri adulterium cum coniugata in genere, sed explicandum est, cum propria coniuge fuisse admissum. Quia si explicatur cum coniuge in genere, manifestatur iniustitia aduersus illius coniugem, cum tamen nulla sit. Ità Sanch. *l. 9. 18. num. 3. & 4.*

72 Fateor primæ sententiæ fundamēta nō omnino esse inualida. Secundā autē vnice verā reor. Quam ex D. Ambrosio, *l. de Patriar.* & habetur *c. Nemo sibi 32. q. 4.* confirmo. *Nec hoc* (inquit) *solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge: sed omne, quod non habet potestatem coniugij.* Quod testimonium pro prima sententia affertur sed immerito. Asserit enim Doctor eximius omne id, ad quod potestas corporum per matrimonium concessa non extenditur, esse adulterium: talis autem est copula extra vas legitimum cum proprio coniuge. Profectò necessariò adulterij huiusce circumstantia in confessione aperienda. Nec sufficit fateri adulterium cum coniugata in genere addendo id cum mariti consensu factum. Quia oportet etiam explicare propriæ vxoris consensum, ne detegatur iniustitia falso aduersus illam. Quod si hîc simul explicaretur, cofiteretur coniux plura peccata, quam re vera admiserit: cum fateatur cooperationem consensui alieni viri, alienæ que vxoris, & propriæ, cum tamen soli propriæ vxoris peccato cooperatus fuerit.

DVBIVM XXIV.

An sit crimen lethale, virum ab inchoata copula desistere, antè vtriusque seminationem.

73 *Lethale est.* LEthale crimen est, si vir à copula desistat incepta ante seminis effusionem, cum valeat effundere, etiamsi fœmina non seminarit. Quia impeditur generatio, ad quam copula suapte natura ordinatur: frustrare autem copulam coniugalem suo fine obstando generationi, culpa lethalis est. Et quia tactus impudici inter coniuges animo non perueniendi ad copulam sunt mortales, nè dum claustra pudoris eo animo penetrare. Sic Sylui. *verb. Debitum, q. 7.* addens, animo à ratione oppositam sententiam deuiare. Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 82. nu. 16.* Petr. Ledesm. *de matrimon. qu. 46. art. 6. dub. 2. concl. 4* Henriq. *lib. 11. cap. 15 num. 4.* Temperant hic, Sylvius, & Graffius, nisi antè fœminæ seminationem vir se retrahat non animo obstandi generationi, sed ex causa iusta, nempè ne saluti seminis effusio noceat.

Minimè est lethale piaculum, si nondum vxor semen effudit, nèc se nec in ipsa aut marito periculum extra vas seminādi subsit. Quia sic ab inchoata desistere copula in nullius cedit iniuriam. Et quia vasis illa fœminei absque seminis profusione penetratio, reputatur instar partium verendarum tactus, qui inter coniuges, cessante pollutionis periculo, minimè sunt lethales, sed permissi. An non possunt optimè coniuges communi consensu copulæ ac generationi non vacare? Cur igitur eodem consensu non eis licebit, à copula incepta desistere, vbi nullius seminis fit dispendium? Ita Sanchez *lib. 9. d. 19. num. 3.* ex Palud. *in 4. dist. 31. q. 3. art. 2. num. 15.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 20. §. 6.* Caiet. *2. 2. qu. 154. art. 11.* Rosel. *v. Debitum, numer. 11.* Angel. *ibi, numer. 27.* Armil. *n. 6.* Tabien. *verb. Luxuriosus quæstion. 6. num. 7.* Sà *verb. Debitum coniugale, vers. Inchoatam copulam.* Veracr. *part. 3. spec. art. 15. concl. 2.* 74 *Non est lethale.*

75 *Hæ longe verius sunt.* Longè hoc verius existimo, imo crediderim mortale non effici, quamuis nullus alius finis adesset, quam impediendi generationem Quia eam impedire, semine emisso, manifesta culpa mortalis est contrà naturam, quæ ad solam generationem semen distinauit: at vbi seminis iactura non fit, nulla est lethalis piaculi ratio: non enim tenentur coniuges prolis generationi vacare, & illud ad illam impediendam, possunt communi placito à copula abstinere, ita ab incepta: neutrius semine emisso, resilire, Porrò si causa iusta abesset, erit veniale. Addiderim verò frequenter esse mortale ratione periculi seminis in alterutro coniuge profudendi, quod in eo actu communiter inuenitur. Vnde coniuges à similibus actibus arcendi. Attamen si experti sint, id minimè subire periculum, nequaquam sunt damnandi.

DVBIVM XXV.

An lethale peccatum sit coniugem ab inchoata desistere copula, postquam alter seminauit.

76 *Non est lethale peccatum.* VBi seminauit vxor, non est contra naturam, nec lethale piaculum, virum ante seminis

minis effusionem recedere, nisi vxor iure coniugij semen exigat: vel adsit in illa periculum pollutioni voluntariæ consentiendi. (In priori enim casu esset mortale contra iustitiam, in posteriori verò contra charitatem. Quia sicut vir non tenetur vitare in se pollutionem inuoluntariam, sed tantùm eam non procurare, ita non obligatur, ad inuoluntariam vxoris pollutionem, & dispendium seminis ipsius euitandum. Et quia fœmina seminante, non seminare virum in nullius cedit iniuriam. Non vxoris, ipsa enim consentit, vt suppono. Non prolis, quia non habet ius, vt generetur hic & nunc, nisi id ad naturæ conseruationem esset necessarium, quod hic non contingit: Cui autem alij inferatur iniuria non constat: Ergo non est lethale. Sic quidam vir, quem doctum esse P. Sanchez affirmat *libr. 9. d. 19. numer. 1.*

77 Vbi seminauit vxor, vel ad id excitata sit, ita vt probabile seminandi periculum adsit, lethaliter delinquit maritus data opera à copulâ cum desistit ante proprij seminis effusionem. Quia est peccatum contrà naturam, cum sit consummatus coitus ex parte fœminæ, ex quo nequit sequi generatio, atque adeò eius semen prodigitur, frustrato generationis fine, ad quâ à natura est destinatum. Ita Caiet. *2.2. qu. 154. articul. 1. circa solut. ad 4.* Paludan. D. Antonin. Armil. Tabien. Angel. Rosel. Veracr. Margar. Conf. Sà, quos citat, & sequitur Sanchez *citat. num. 4.* Henriq *lib. 11. cap. 16. num. 7.* Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 82. num. 15.*

78 Prima sententia vera omninò esset, vbi vir seminis effusioni, quantum est in se daret operam, nec posset: tunc enim recessio illa à culpa vacaret. Non crederem etiam mortale, sed solùm veniale: si vir seminante, fœmina ante proprij seminis effusionem à complexu desisteret coniugali: vel data opera, non seminare niteretur. Quia cum eius semen ad generationem non desideretur iuxta probabiliorem sententiam; cessat prorsus ratio cogens ad damnandam de culpa lethali contra naturam repressionem seminis in viro, fœmina seminante. Id colligo ex Doctoribus relatis. Ea enim ratione probant, in viro esse culpam mortalem, quòd impediat generantis finem, ad quam eius semen exigitur.

DVBIVM XXVI.

An liceat potionibus aliove remedio abortum procurare, vbi aliud non suppetit medium, ad prægnantis salutem restaurandam, & probabiliter creditur, nondum fœtum esse animatum?

79 Minimè licet. Quia multo magis à generatione distat semen, quam fœtus iam ex semine conceptus, licet nondum animatus, atque tam illud, quam hic suapte natura ad perfectam hominis generationem ordinatur: sed semen effundere, generationis natiuo fine frustraretur, ita est intrinsecè malum, vt nullo in euentu liceat: Ergò à fortiori id asserendum erit de procurata fœtus expulsione. Sic Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. diffic. 2. num. 132.* asserens, hanc esse concordem omnium sententiam.

80 Licet omninò. Quia cum illud non sit verè homicidium, & fœtus ille sit pars viscerum, nondum anima rationali informatus, non est cur conseruandus sit tanto vitæ maternæ discrimine imminente, eo vel maximè, quod matre pereunte, fœtus minimè animabitur. Ità Armil. *verb. Aborsus, num. 2.* Nauar. *sum. Lat. & clarius Hisp. cap. 25. num. 62.* Cordub. *sum. qu. 173. dicto 4.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. numer. 8.* Graf *part. 1. decis. lib. 2. cap. 83. num. 24.* Palac. *in 4. dist. 31. d. 2.* Sà, *verb. Homicidium, init.* Vega. *tom. 1. sum. cap. 5. casu 3.* Sanch. *libr. 9. d. 20. qu. 9.*

81 Deceptus planè est Nauarra dicens, primam sententiam esse omnium concordem, cum contraria manifestè sit communis, nullúmque Sanchez inuenerit dissentientem. Quare hanc firmiter teneo. Non tamen id admitto licere, ad vitandum vitæ periculum, quod ex partu fœmina sibi imminere sit experta, vel famæ, vitæve iacturam, quam probabiliter meruit, detecto crimine, si concipiat, fœtúsque in lucem prodeat, (vt contendit Nauarra.) Quia in his casibus fœtus non est aggressor, periculúmque non est præsentaneum, sed distans, illique aliis quæsitis coloribus, at mediis adhibitis potest occurri. In nostro verò fœtus inuadit, & velut aggreditur, causáque est materni obitus: periculum quoque est præsentaneum ac medicorum iudicio alia via nequit euitari.

DVBIVM XXVII.

An quando probabiliter creditur, fœtum esse animatum, liceat, prægnanti vti medicamentis; & medico ea applicare cum abortus periculo quoties mater periclitatur, & hæc ad eius salutem sint necessaria?

82 NOn licet. Quia si nullo bono fine honestari potest potionis sumptio, qua prolis conceptioni obstetur: minus poterit honestari medicamenti sumptio, quo conceptus, & animatus fœtus expellatur. Sic Ioan. de Neapoli. *quodlib. 10.* D. Antonin. *3. part. tiul. 7. cap. 2. §. 2.* Nauar. *sum. cap. 25. num. 61.* Couar. *Clem. si furiosus, de homicid. 2. part. §. 3. num. 1.* Aliqui (vt refert Corduba *l. 1. qq. qu. 38. dub. 3.*) opinantur, nefas esse medico, aut obstetrici, ea applicare medicamina, ad abortum: licere autem prægnanti eis vti. Quo ducantur fundamento prorsus ignoro.

83 Licet omninò. Quia potius ius habet mater, ad medicamentum salutiferum cum fœtus morte, quam fœtus cum morte matris: cùm hic à matre, non è contra pendeat; præcipuè cum matre vi morbi perempta, rarissimum sit, fœtum in lucem edi. Et quia inuadente fera, matrem fugientem cum abortus periculo nemo damnabit. At non si proles iam nata materno

lacte extremè indigeret, matri autem ad vitam tuendam opus esset vbera exsiccare, posset, non obstante fœtus morte per accidens euentura, id efficere? Ita planè; magis enim suæ, quam fœtus saluti consulere potest. Ita Cordub. *sum. quæstion.* 173. *dict.* 1. & 2. Nauarra *lib.* 2. *de rest. cap.* 3. *diffic.* 2. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 5. *num.* 1. Ludouic. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 63. Vega *tom.* 1. *sum. cap.* 5. *casu* 3. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 8. Sà *sum. ver. Homicidium in princi.* & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *l.* 9. *d.* 20. *num.* 14.

84 *Hoc tenens, expliro distinctione resolutionem.*

Hoc tenendum existimo, sed ad vberiorem huius mentis intelligentiam, hac vtor distinctione. Sunt enim medicamenta quædam directè ad fœtus occisionem tendentia, vt venenum, dilaceratio, percussio: alia autem per se, & directè ad morbos, prauósque humores expellendos, pristinámque salutem instaurandam destinata, vt venarum scissio, ventris purgationi pharmaca deseruientia. Prioris generis medicamina sumere, nefas lethale est. Quia directè innocentis neci cooperatur, quod intrinsecè est malum. Posterioris autem generis medicamentis vti, licitum est prægnanti, etiam cum probabili aborsus, periculo, vbi omninò ad eius salutem desiderantur. Quia actiones humanæ speciem, bonitatem, ac malitiam ex eo quod per se est in operantis intentione, non autem ex effectu per accidens, ac præter intentionem subsecuto, accipiunt, teste D. Th. 2. 2. *quæst.* 64. *articul.* 7. *corp.* Id enim, quod principaliter intenditur, attendendum est: At principalis intentio vsus huiusmodi medicamentorum, eorúmque institutio, ac natiua proprietas eo tendit, vt ad pristinam salutem mater restituatur: fœtus autem mors, & aborsus per accidens, & præter intentionem accidit: Licitus ergo est eorum vsus. Licet autem pro contraria, sententiam videam communiter referri quos Auctores expressi: ni fallor, immeritò eis tribuitur. Existimo enim eos loqui, quando aborsus ipse medicinis ad id relatis procuratur.

DVBIVM XXVII.

An lethale peccatum sit tempore menstrui vxorù, debitum petere?

85 *Lethale est peccatum.*

QVæstio procedit, vbi menstruũ est naturale, quod quibusdam fœminis tertio quoque mense accidit, communiter autem mensibus singulis, & nonnullis frequentius. Culpa itaque lethalis est, eo tempore debitum exigere. Quia cum principalis finis, quem matrimonij institutio spectat, bonum prolis sit, quicúmque matrimonij vsus illud impediens, est illicitus, qualis est tempore menstrui. Certè ideò fornicatio est intrinsecè, & lethaliter mala, quod sit in damnum prolis educationis: ergo à fortiori concubitus tempore menstrui eadem malitia afficietur, qui damnum proli in se ipsa infert: cum esse prolis bonæ educationi præponderet. Nonne nefas esset, cum notabili damno proprio debitum exigere, vbi morbus ille temporalis est? Quis dubitet? Ergo nefas erit ad vxorem menstruatam accedere cum notabili prolis iactura: proximum enim sicut nosmetipsos, & maximè filios diligere lex diuina præscribit. Sic Alens. *part.* 2. *quæstion.* 166. *memb.* 2. D. Bonau. *in* 4. *dist.* 32. *in expos. lit. n.* 7. & *a.* 3. *qu.* 1. Scot. *ibi*, *qu. vnic.* Argent. *qu. vnic. articul.* 1. Petr. de Soto *l. de inst. sacer. lect.* 10. Hugo *in cap.* 5. *Leu.* & alij ex Theologis, & Iurisperitis. D. Thom. *in* 4. *dist.* 32. *qu. vnic. art.* 2. *quæstion.* 2. & Richard. *ibi*, *articul.* 4. *quæstion.* 1. edocent, culpam esse, petere: qualis verò culpa sit, venialisne an lethalis, non exprimunt.

86 *Peccatum lethale non est.*

Haud lethalis est culpa, sed venialis solùm, menstrui tempore debitum exigere. Quia tale fundamentum, asserentium esse lethalem, est prolis damnum indè consurgens: id autem minimè probat, culpam esse mortalem, tùm quia est incertissimum, non enim certum est, fore, vt tunc vxor concipiat, imò oppositum est certius: fluxus enim menstrui valdè obstat retentioni seminis in matrice, vbi conceptio gerenda est: quare teste Arist. *l.* 1. *de generat. animal. cap.* 19. rara est eo tempore conceptio: tùm etiam quia cum proli melius sit esse cum tali morbo, quam non esse, & si tunc is coitus non haberetur, forsan postea non generaretur, aut non esset eadem, (quia cum non entibus nulla est vnitas) conqueri nequit de damno sibi illato, imò maximo beneficio afficitur. Esse autem culpam venialem, patet, Quia est quædam turpitudo, & inhonestas, cum immunda sit mulier, & aliqualiter inepta commodæ seminis retentioni, ac receptioni, atque ita minus conueniens generationis fini. Addo, aliquam esse incontinentiam tempus generationi aptius non expectare. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 31. *quæst.* 3. *articul.* 2. *num.* 12. D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *cap.* 20. §. 5. Abul. *ad cap.* 5. *Mat. quæstion.* 154. *articul.* 1. Armil. *verb. Matrimonium*, *num.* 68. Victor. *sum. de matrimon. numer.* 276. Sotus *in* 4. *dist.* 32. *quæst. vnic. articul.* 2. *ad* 2. Ledes. 2. *part.* 4. *quæstion.* 66. *articul.* 1. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 7. Sà *verb. Debitum, vers. Tempore menstrui.* Sanchez *libr.* 9. *dict.* 21. *numer.* 7. & alij plures.

87 *Auctorum resolutio.*

Ego quidem reor, ex se, & in plurimum, culpam esse venialem, debitum eo tempore exigere. Nec ducor ad id ratione damni prolis, eius enim incertitudo, & raritas, experientia magistra, cõprobatur: innumeri enim tempore mẽstrui coëunt, & rarissimè hæc damna iin prole perspicimus. At ratio peccati venialis est turpitudo, ac indecentia in huiusmodi vitam. Quare si aliqua ratio sit huic turpitudini præponderans, & actum honestans, prorsus vacare à culpa crediderim: nempè si ad vitandum in se vel in alio fornicationem, vel ne rixe inter coniuges excitentur, vel alia similia. Assero denique, nullo in euentu esse culpam lethalem tempore menstrui debitum exigere, quamuis coniuges credant fore, vt mõstrum gignatur. Quia adhuc verificatur, melius esse proli, ita esse: quare de damno sibi illato conqueri non potest.

DVBIVM

DVBIVM XXVIII.

An sit culpæ tempore menstrui reddere debitum?

88 Culpa est. Culpa est mortalis quidem tempore menstrui reddere. Quia est mortale petere ratione damni prolis: ergo & reddere: nam prolis damnum vterque coniux vitare tenetur? Sic Scot. *in 4. dist. 32. quæst. vni.* Angel. Rosel. Angl. quos citat Sanchez *lib. 9. dict. 21. num. 2.* Alij asserunt, culpam esse, reddere, subticent autem, mortalis ne, an venialis sit. Ità quidam antiquiores, vt refert D. Thom. *in 4. dist. 32. q. vnic. art. 2. quæstiunc. 3.*

89 Culpa nō est. Culpa non est, debitum reddere tempore menstrui, si alter admonitus desistere nolit à petitione. Quia eo tempore petere virum, ad summum est culpa venialis: sed vbi sola venialis adest culpa in exactione, non solùm alter coniux potest licitè reddere, sed tenetur, de quo dubio sequenti. Ita Caiet. *sum. verb. Matrimonium, cap. vltim.* D. Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 20. §. 5.* Maior. *in 4. dist. 32. quæst. 2. argument. 4. contrà 3. conch.* Medi. *sum. l. 1. c. 16. §. 13.* Ludou. Lopez *part. 1. Instr. cap. 84.* Sanchez *lib. 9. d. 21. num. 15.*

90 Auctoris sententiam. Primam sententiam minimè esse probabilem iudico, qui asserui vel in exigente ad summum culpam esse venialem. Licitè autem coniugem reddere, quis non videat, si illud ipsum reddere coniugi exigenti ratio est, qua actus honestatus, ab omnique liber redditur indecentia.

DVBIVM XXIX.

An coniux tempore menstrui teneatur exigenti debitum reddere?

91 Potest, sed nō tenetur. POtest licitè, (vt vidimus,) sed non tenetur, nisi sentiat exigenti periculum incontinentiæ imminere. Quia non tenetur obtemperare coniugi haud iustè postulanti. Sic Almain. *in 4. dist. 32. quæst. vnic. ad fin.* Ioan. de Friburgo *sum. lib. 4. titul. 2. quæstion. 46.* Vigueri. *l. institut. cap. 16. §. 7. versic. 10.* Henriquez *lib. 11. cap. 15. num. 7.*

92 Tenetur quidem. Non tantùm potest licitè, sed & tenetur reddere. Quia si exigere, quod omninò voluntarium est, vacat culpa, vbi iusta causa inducit, (vt ostendimus) cur non & reddere, ad quod lex iustitiæ obligat: quæ enim iustior causa excogitari potest, quam propriæ obligationi satisfaciendi. At cum reddere liceat, tenebitur vtique; quia nulla iusta causa ab eo se onere eximendi subest. Et quia coniux tenetur ex iustitia debitum reddere: nec videtur sufficiens excusandi ratio damnum prolis, quod vel nullum, vel rarissimum, incertissimúmque est. Ità D. Thom. *in 4. dist. 32. quæst. vnic. articul. 2. quæstiunc. 3.* Paluda. *ibi, quæstion. 1. articul. 3. numer. 13.* Sotus *qu. vnic. articul. 2. ad 2.* Carthu. *qu. 1. & in cap. 15. Leuit. quæstion. 2.* Sylui. *verb. Debitum, quæst. 6.* Ledes. *2. part. 4. quæstion. 66. articul. 5.* Barthol. à Ledes. Mann. & Petr. à Ledes. quos citat, & sequitur Sanch. *vbi sup. num. 15.*

Hæc mihi arridet sententia. Nec crediderim, necessariam esse illam, quam D. Thom. & alij Doctores asserunt admonitionem, nempè teneri coniugem petenti alteri debitum reddere, vbi vir admonitus non resipiscit, innuentes vtique debere coniugem huiusmodi præmittere monitionem. Certè minimè admiserim, esse in præcepto. Durum enim videtur, non existente damno prolis, ob quandam indecentiam venialem, quam ad summum vir admittit exigens, in eas vxorem angustias redigere, vt effingere debeat occasiones, quo se eximat: eo vel maximè, quod sæpè viri intelligent, ex odio procedere, aut saltem ex amoris defectu. Exciperem tamen casum, qui moraliter est impossibilis, nimirum, si coniuges probabiliter existimarent, monstrum ex eo concubitu gignendum; quamuis enim vir non peccet mortaliter exigens, ac proindè vxor reddere possit: non existimo ad id illam hoc in casu teneri. Quia detrimentum magnum vxoris esset, filium tanto affectum morbo habere.

93 Hanc eligo sententiam.

DVBIVM XXX.

An peccatum sit actu coniugali vti prægnationis tempore?

PRæmitto, si tempore prægnationis sit verisimile aborsus periculum, vtendo actu coniugali, manifestam esse lethalem culpam, petere, aut reddere. Quia talis concubitus bono prolis aduersatur, quod maximè coniugalis vsus spectat: atque ita suo fine frustratur, innocénsque fœtus perimitur. De tempore igitur, quo huiusmodi non adest periculum quæstio procedit. Videbitur alicui peccatum esse mortale. Quia talis concubitus videtur contra naturam, frustratur enim semen illud generationis fine, cum mulier, quæ grauida est, concipere nequeat. Attamen omnes conueniunt Doctores, minimè esse lethalem culpam etiam exigere tunc debitum. Quia nulla inuenitur prohibitio, & quia matrimonium non solùm est institutum in officium naturæ, sed etiam in concupiscentiæ remedium. Quæsierim igitur, vtrùm sit venialis culpa tunc exigere, aut reddere?

94 Nonnulla præmitto.

Venialis culpa est. Quia D. Augustt. *de bono coniug. cap. 6. tom. 6.* inter excessus hunc computat. *Sunt* (inquit) *adeò incontinentes, vt coniugibus, nec grauidis parcant.* Et D. Isidor. *lib. 2. de sum. bono, cap. 39.* & refertur *cap. Non solum 32. quæstion. 7.* coëuntes carpit, quasi pecoribus deteriores sint, quæ vbi conceperint, vltra maribus sui copiam non indulgent. Et Tiraquel. *lib. 15. connub. num. 141.* ex Hippocratis, & aliorum Medicorum sententia probat non paruum esse aborsus periculum, si ad mulierem, quæ recens concepit, vir accedat. Ergo venialis saltem erit coniugalis hoc tempore copula. Sic D. Th. Albert. Mag. Richard. Henric. Rosel. Angel. &c. & alij citati à P. Sancio *lib. 9. d. 22. num. 3.* dum disputantes de culpæ huius qualitate dixerunt, eam

95 Venialis est culpa.

eam non esse mortalem, quasi venialem esse supponentes. Expresè Alens. 2. *part. quæst.* 166. *memb.* 2. *ad* 3. Paludan. *in* 4. *dist.* 32 *quæstion.* 1. *articul.* 3. *numer.* 12. D. Antonin. 3 *part. titul.* 1. *cap.* 20. §. 4. Gerson. *part.* 2. *in comp. Theol. tractat. de matrimon. alphab.* 27. *litter. P.* Petr. de Soto *lect.* 16. *de matrimon.* Sotus *in* 4. *dist.* 31. *qu. vnic. articul.* 3.

96 *Non est culpa venialis.* Nulla culpa est reddere tempore prægnationis debitum. Quia reddendi obligatio lege iustitiæ præscripta ab incontinentia veniali excusat, si quæ tunc esset in ea debiti exactione voluntaria. Imò tenetur coniux reddere; nulla enim est iusta excusatio. Nam licet exigens venialiter delinqueret, quoties sola est venialis culpa in exigente, tenetur alter reddere coniux. Ita Alens. 2. *part. quæstion.* 166. *memb.* 3. Richard. Astens. Henric. D. Antonin. Rosel. Angel. Turrecr. Gaëta, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi suprà*. Nulla etiam in exactione culpa inuenitur. Quia nulla prohibitio adest, & vbi necessitas nō cogit, culpas multiplicare non oportet. Ita Abulens. *ad cap.* 5. *Mat. quæstion.* 243. Supplem. Gabri. *in* 4. *dist.* 32. *qu. vnic. articul.* 2. Veracruz 3. *part. spec. articul.* 17. *concl.* 3. Henriquez *libr.* 11. *cap.* 15. *numer.* 7. Palac. *in* 4. *dist.* 32. *quæstion.* 1. Sanchez *citatus numero* 5. *&* 6.

97 *Nullā adesse culpam reor.* Ego quidem existimo, absque dubio, nullam adesse in reddendo culpam: & probabilius reor, nec in ea debiti exactione vllum piaculum inueniri. Quia aliàs matrimonium laqueum iniiceret: cum enim magna temporis matrimonij parte vxor grauida sit, vel abstinendum esset coniugibus ferè semper à debiti exactione, vel innumera essent venialia admittenda.

DVBIVM XXXI.

An sit veniale ad vxorem accedere eo tempore, quo post partum eius immunditia perstitit?

98 *Venialia culpa est.* VEniale est. Quia abnegari non potest, quandam eo in actu interesse indecentiā, necnon nimiæ libidinis documentum coniugis, cui huiusmodi coitus naturalem non impertit horrorem. Sic Paludan. *in* 4. *dist.* 32. *qu.* 1. *articul.* 3. *num.* 12. Tabie. *verb. Matrimonium* 3. *quæstion.* 7. §. 8. Monald. *sum. tractat. de matrim. titul. de effect. matrimon.* Et cum hac moderatione, si recenter fœmina enixa sit, Sotus *in* 4. *dist.* 32. *qu. vnic. art.* 2. Ludou. Lop. *p.* 1. *Instruct. c.* 83. & alij.

99 *Non est culpa venialis.* Veniale non est. Quia nulla prohibitio reperitur, & vbi necessitas non cogit, non expedit culpas multiplicare. Ita Richard. *in* 4. *dist.* 32. *artic.* 4. *quæstion.* 1. Palac. *ibi*, *d.* 1. Astens. *sum. part.* 2. *libr.* 8. *titul.* 10. *articul.* 4. *qu. vltim.* Angel. *verb. Debitum, num.* 34. Rosel. *ibi, num.* 9. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 7. Sanch. *lib.* 9. *d.* 22. *num.* 11. Coninch. *d.* 34. *num.* 78. Hurtad. *d.* 10. *diffic.* 3. *num.* 13.

100 *Idem asserо.* In eo actu tunc habito nullam inesse inordinationem credo. Vnde miror, aliquos asseruisse esse culpam lethalem, tunc debitum exigere, nec esse reddendum, cessante incontinentiæ periculo. Illud enim testimonium D. Gregorij *resp.* 10. *ad August.* ibi: *Et nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri*, ad consilium pertinere non dubito.

DVBIVM XXXII.

An amenti perfecto nullis gaudenti intermissionibus teneatur, sane mentis coniux debitum reddere?

101 *Certa quædam supponо.* CErtum est, licitum esse coniugij vsum, vbi vel vtérque vel alter coniux non omninò est mente destitutus, sed est fatuus, ac instar pueri rationis vsuram habens, quos vulgò *Tontos* vocitamus: teneri que alterum alteri debitum reddere. Quia re vera vsu rationis libertatéque fruitur, & capax est meriti, ac peccati. Certum deindè est, si coniuges non omninò amentes sint, sed in vna, vel altera re, cum tamen circà matrimonium, & alia sint sui compotes, & licitum esse eis coniugij vsum, & reddere inuicem teneri. Difficultas autem est, vbi amentia est totalis, & perfecta, nulliſque gaudens intermissionibus.

102 *Tenetur quidam.* Tenetur coniux mentis compos amenti exigenti reddere, nisi probabiliter timeat notabile propriæ personæ damnum. Quia amens retinet corporis alterius coniugis dominium, adéstque matrimonij finis, cum ex eo concubitu possit æquè proles generari, ac si vtérque coniux sanus esset. Sic Angl. *verb. Debitum, nu.* 7. Sylvest. *ibi, quæstion.* 1. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 27. Le des. 2. *part.* 4. *quæstion.* 60. *articul.* 3. Cordub. *lib.* 3. *qu.* 8. Veracruz *part.* 2. *specul. art.* 41. §. *penultim.* Palac. *in* 4. *dist.* 32. *dict.* 1. *casu* 12. Abbas *cap.* 2. *numer.* 3. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 4.

103 *Non tenetur.* Coniux sanus per se, & ex natura rei non tenetur, debitum amenti perfecto reddere, quamuis nullum aborsus, aut coniugis periculum subsit. Quia illa debiti petitio non est actus humanus atque perinde est: ac si vir insomnis peteret, cui non teneri vxorem annuere, quis dubitet? Ita Victor. *sum. de matrim. num.* 287. Sotus *in* 4. *dist.* 34. *qu. vnic. art.* 4. Ludouic. Lopez *p.* 1. *Instr. cap.* 82. Sà *verb. Debitum coniug. vers. Coniugi amenti.* Vega *part.* 1. *sum. cap.* 78. *casu* 12. Richard. Supplem. Gabriel. Astens. Nicola. de Orbellis, & Barthol. à Ledes. quos citat, & sequitur Sanch. *l.* 9. *d.* 23. *num.* 10.

104 *Eiusdem sum mentis.* Hanc sententiam longè probabiliorem puto, quæ quidem notanter illam apposuit particulam, *Per se, & ex natura rei, non teneri.* Quia si adesset periculum, in coniuge furioso, negato sibi debito, accessus ad aliam, vel effusionis seminis: tenetur per accidens ratione cauendi hoc periculum: coniux reddere sanus. Hinc infero, quid de coniuge ebrio, ac penitus rationis vsu priuato sit dicendum. Non enim tenetur per se, & ex natura rei coniux sui compos ei debitum reddere. Quia actu libero, ac humano non petit, sicut, & amens. Lege Sotum, ac Ludouic. Lopez citatos.

DVBIVM

DVBIVM XXXIII.

An sanus coniux cum propriæ infectionis periculo teneatur, debitum reddere leproso coniugi?

105 Nonnulla suppono.

SCio, neutrum coniugem teneri debitum reddere cum graui propriæ salutis detrimento. Quia rectus, & naturalis matrimonij vsus sequitur rectum naturæ ordinem, in cuius officium est institutum: rectus autem naturæ ordo postulat proprij individui incolumitati potius consuli, quam prolis generationi. Scio etiam, illicitum esse vni, ac alteri coniugi reddere cum notabili salutis detrimento. Quia vitæ dominium minimè habent, vndè moderatam curam illius tuendæ gerere obligantur, nec illam graui discrimini exponendi, vbi vrgentior causa non cogit. Hinc infero, vbi alteri coniugi constaret, debiti redditionem esse in graui salutis exigentis dispendium, minimè reddere teneri. Sicut nemo tenetur gladium domino petenti tradere, si illo sese perimere velit. Imo peccaret lethaliter, tunc reddendo, nisi iusta aliqua causa, aut inaduertentia excusaret. Causa iusta reddendi esset, si subesset graue incontinentiæ periculum in coniuge exigente: tunc enim tenetur alter reddere etiam cum notabili suæ salutis corporeæ detrimento. Quia ordo charitatis petit, vt hæc saluti spirituali postponatur. Quamuis autem in genere conueniant omnes, coniugem liberum esse à debiti redditione, vbi graue damnum probabiliter sibi timet, at in casu leprę dissentiunt propter *cap. 2. de coniuge lepro.* decidens coniugi leproso esse reddendum. Quæsierim ergo, num sanus coniux leproso debitum reddere teneatur?

106 Tenetur sanus quidem. Quia testis illius *Cap. id absolutè decidit*, ibi: *Quod si virum, sine vxorem, leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est soluendum: cui præcepto in hoc casu nulla exceptio inuenitur.* Et quidem infectionis periculum ex coniunctione momentanea ad copulam, qualis ex cohabitatione diutina posset oriri. Sic D. Thom. *in 4. dist. 32. q. vni. articul. 1 ad 4.* D Bonauent. *ibi, artic. 2. quæst. 1. num. 19.* Richard. *articul. 4. qu. 2.* Carthus. *qu. 1.* Vigueri. *l. instit. cap. 16. §. 7. versi. 10.* Mayron. *in 4. dist. 35. qu. vni.* & alij. Imò etiamsi adsit infectionis periculum, tenetur sanus leproso reddere. Quia sese ad hoc per matrimonij contractum obligauit, Sic Sotus *in 4. dist. 32. qu. vnic.* Basol. *ibi. qu. vnic. articul. 3.* Guillelm. Borillong. *quæst. vnic. articul. 2. post 1. conclus. casu 5. in solut. ad 1.*

107 Non tenetur. Minimè tenetur, vbi medicorum iudicio notabilis infectionis periculum sano ex debiti redditione immineret. Quia cum tunc non vrgeat extrema propagandæ, aut conseruandæ speciei, necessitas, sola inuenitur in ea debiti redditione obligatio iustitiæ particularis spectantis priuatum coniugis petentis commodum, quæ cum grani redditoris nocumento minimè ligat, nè ordinatæ charitatis legi aduersetur. Ità Sanchez *lib. 9. d. 24. num. 17.* Durand. *in 4. dist. 32. quæstion. 1. num. 8.* Paludan. *quæstion. 1. articul. 2. numer. 7.* Almain. *quæst. vnic.* Quand. *quæst. vnic. post. 2. proposit.* Barthol. de Ledes. *dub. 71. de matrimon. concl. 1.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 145. numer. 2.* Sà *verb. Debitum coniug. vers. Excusat à reddendo.* Henriquez *libr. 11. capite 15. numero 7.* Nauarra *sum. cap. 16. num. 25.*

Huic omninò hæreo sententiæ existimans textum pro prima parte citatum, intelligendum esse, vbi ea redditio in reddentis damnum notabile non cedit. Quod Doctores, qui eam sectantur, ingenuè profitentur, dum eam reddunt rationem, nempè, quia ex tam breui coniunctione non imminet infectionis periculum. Assero tamen, si ex frequenti coitu timeatur infectio, non autem ex vno, vel altero, teneri coniugem, semel, vel iterùm reddere, non autem frequenter. Quia tota ratio cessationis præcepti reddendi est infectionis timor: ac proindè tandiù cessabit, quandiù talis timor adfuerit. Monuerim denique, certius infectionis periculum imminere viro accedenti ad fœminam lepra, alióve morbo contagioso infectam, quam mulieri sanæ ad virum infectum accedenti. Rationem reddit Sanchez *num. 19.*

108 *Huic hæreo placito.*

DVBIVM XXXIV.

An coniux possit, & teneatur, dum sanus est, reddere debitum coniugi leproso, quando etsi non adsit propriæ infectionis periculum, proles probabiliter sit necessitura leprosa?

NEc tenetur, nec potest reddere. Quia lex iustitiæ charitatisque prohibet, damnum aliis inferri maximè filiis. Sic Medina *Cod. de restit. qu. 19. §. vltim.* Palac. *in 4. dist. 32. dict. 1. ad fin.*

109 *Nec tenetur, nec potest.*

Potest, imò tenetur. Quia tantùm abest, vt proli irrogetur iniuria, quin potius maximo beneficio afficiatur: consequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius illi est leprosum existere, quam omninò non esse. Ita D. Thom. *in 4. dist. 32. qu. vnic. articul. 1. ad 4.* D. Bonauent. *ibi, articul. 2. quæstion. 1. num. 21. in solut. ad 2.* Scot. *qu. vnic. fine corp.* Richard. *articul. 4. dict. 2.* Durand. *quæstion. 2. numer. 10. in solut. ad 1.* Paludan. *quæstion. 1. articul. 2. numer. 6.* Sotus *qu. vnic. articul. 1. ad 2.* Rosel. *verb. Leprosus, numer. 2.* Syluest. *verb. Debitum, quæst. 1.* Viguer. *l. instit. cap. 16. §. 7. versic. 10.* Sanchez *libr. 19. dict. 24. num. 25.*

110 *Potest, & tenetur.*

Aliquando putabam primam sententiam inde valide vrgere. Quia magis licet cuiquam propriis, quam alienis cedere detrimentis: at non tenetur coniux reddere cum proprio detrimento, ergo efficacius cum alieno non tenebitur, imò nec poterit. At iam nullam vim fundamento inesse comperio. Nam coniugi sano simpliciter nocet debitum cum notabili salutis detrimẽto reddere: cum enim habeat iam esse naturale, non potest non male se habere, si

111 *Huius sententiæ.*

si contagione inficiatur; at proli non simpliciter nocet, sed melius est illi, vt secunda sententia ostendit, quam ideò longè probabiliorem esse reor.

DVBIVM XXXV.

An coniux sanus teneatur, cum leproso habitare?

112 *Tenetur planè.* TEnetur coniux sanus cum coniuge leproso in eadem domo, & in eodem lecto cohabitare, licet reddere ei debitum non teneatur, (de quo suprà.) Quia per contractum matrimonij obligant se coniuges ad cohabitandum, *cap. 2. de coniug. leprof.* dicitur, *Quoniam nemini licet, excepta causa fornicationis vxorem dimittere, constat, quod siue mulier lepra percussa fuerit, seu alia graui infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, aut etiam dimittenda.* Certè hæc proxima verba, *Non est à viro separanda*, accipienda planè videntur esse de cohabitatione. Præceptum autem continere, & non consilium, apertè probant verba mox apposita: *Quod si mandatum tuum seruare contempserint, vinculo excommunicationis constringas.* Sic Gosfred. *sum. tit. de coniug. lepr. num. 1.* Monald. *sum. tract. de matrimon. titul. de coniug. leprof. in fine*, & alij.

113 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia ex assidua cohabitatione vel in lecto, vel in domo graue infectionis periculum sano coniugi imminet. Ità D. Thom. Bonauent. Carthus. Richard. Scot. Maior. Sotus, Petr. de Soto, Ledes. Henriquez, & alij, quos citat Sanchez *libr. 9. dict. 24. num. 27.* Panci vero ex his Doctoribus explicant, an intelligant de cohabitatione in eadem domo, an in eodem lecto. Vtrúmque autem complectuntur Hostiens. Astens. Innoc. Rosel. Angel. Sylvest. Vincent. apud eundem Sancium *vbi suprà*, asserentes, nec teneri in eodem lecto, nec in domo eadem commorari.

114 *Auctoris expositio.* Ego quidem existimo, attendendum esse, nùm ex cohabitatione, aut in lecto, aut in domo immineat probabile notabilis infectionis periculum, necne: & illo imminenti, non teneri, secus si non immineat: vti asserui circa debiti redditionem. Porrò cum ex cohabitatione in eodem lecto, frequentius sequatur id periculum, existimarim, nunquam teneri coniugem sanum cum leproso in eodem lecto cohabitare. Circa cohabitationem autem in eadem domo, medici consulantur, qui attenta complexione, ac lepræ specie, aliísque circumstantiis, de infectionis periculo iudicabunt, vt indè obligatio, aut deobligatio cohabitationis peti valeat. Mecum Durand. *in 4. dist. 32. quæstion. 1. num. 8.* Paludan. *quæstion. 1. articul. 2. numer. 7.* Sà *verb. Debitum coniug. vers. excusat à reddendo.* Sylvest. *verb. Debitum, quæst. 1.* Monuerim verò, vbi sanus non tenetur eadem in domo cum leproso habitare, teneri propè illam esse. Quia ratione lepræ, quamuis sanus à cohabitatione, ratione periculi absoluatur, ab aliis tamen obsequiis coniugi leproso exhibendis minimè absoluitur. Denique quando coniuges seorsum habitant propter morbum alterius contagiosum proles apud sanum debet esse, quo à contagione euadat incolumis.

DVBIVM XXXVI.

An quando cognatio spiritualis siue ab vno siue ab vtróque coniuge contrahitur culpabiliter, seu baptizando, seu tenendo, nocens impediatur à debito exigendo?

115 *Nonnulla præmitto.* PRofectò quando Baptismus fit absque culpa, vel qua fit ignoranter inuincibiliter, vel quia fit in casu necessitatis, cum scilicet necessitas vrget, & non est alius, qui id gerere valeat: tunc cognatio spiritualis ex eo prouenies nullatenus actum impedit coniugalem. Quando autem fit culpabiliter ab vno coniuge, innocens coniux à iure petendi non impeditur, nocénsque reddere tenetur. Quæsierim itaque nùm nocens possit petere, an culpabili illo actu impediatur?

116 *Impeditur quidem.* Impeditur quidem. Quia apertè hoc deducitur ex *can. 1. & 2. 30. quæstion. 1.* Et *can. Nosse 30. quæstion. 1.* dicitur coniuges non esse separandos, si leuatio de sacro fonte, non fuerit facta vtriúsque consensu: ergo si vtriúsque consensu fiat separandi sunt, & non ad aliud, nisi vt neuter petat; & etiamsi vnius tantùm consensu fiat, ille priuatur iure petendi. Et *can. Ad limina, 30. quæstion. 1.* dicitur, eum qui filium in necessitate baptizauerat, non esse à coniuge separandum, quia id laudabiliter fecit: Ergo qui id culpabiliter fecerit, separandus est toro, scilicet, vt non petat. Sic D. Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 15.* Sanchez *libr. 9. dict. 26. num. 7.* Henriquez *libro 11. cap. 15.* & communiter Doctores.

117 *Non impeditur.* Non impeditur. Quia præfata priuatio petendi in nullo iure perseuerante sua viridi in obseruantia continetur: quamuis enim id contineatur in *can. 1. & 2. 30. quæst. 1.* etiam quando cognatio inculpabiliter contrahitur: hi tamen canones correcti sunt quoad separationem à toro per *can. 4. & 5. 30. qu. 1.* & per alios eiusdem *quæst.* & per *cap. si vir 2. de cognat. spirit.* Et non solùm id in nullo iure perseuerante continetur, sed nec ex aliquo iure sufficienter colligitur. Ità Durand. *in 4. dist. 42. quæstion. 1. articul. 3.* Coninch. *dist. 34. dub. 8.* Glossa *in cap. si vir 2. de cogn. spir.* Raconis *titul. 2. de Sacrament. part. 2. articul. 4.* Suar. *3. part. quæstion. 67. articul. 8. §. penultim.* Hurtad. *dict. 10. diffic. 6. numer. 24.*

118 *Eiusdem opinionis sum.* Cum his opinor. Quia *can. de eo 30. qu. 1.* dicitur: *Si autem coniuges legitimi vnus, aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susceperint: si innupti,* (id est continentes) *permanere voluerint, bonum est: sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.* Vbi supponitur, quòd quamuis ambo, & de industria id fecerint, possint simul permanere, id est, in eadem domo, ac toro cohabitare. Idem etiam apertè deduco ex *cap. si vir 2. de cognat. spir.* dum dicitur: *Siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi: quia*

quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari. Monuerim tamen, peccare coniugem, qui extrà necessitatem baptizat, aut tenet tanquam patrinus proprium filium, aut alterius coniugis. Quia id prohibetur dicto *cap.* 1 *& 2.30. quæstion.* 1. quæ licet corrigantur quoad separationis pœnam *per cap. si vir, de cognat. spirit.* at quoad prohibitionem, cum nulla mentio eius fiat, suo in robore permanet.

DVBIVM XXXVII.

An incestuosus coniux cum suis consanguineis priuetur iure petendi?

120 Certum quidam supponunt.

ILlud certum præmitto, incestuosum coniugem cum alterius coniugis consanguinea nõ posse ab ea debitum petere, ad reddere teneri. Quod nequeat petere constat *c.1. de eo, qui cognouit consang.* Quod reddere teneatur, patet ex *c. Discretionem, eodem titul.* Quærierim verò, nùm prohibitio hæc debitum exigendi extendatur ad coniugem incestuosum cum suis consanguineis, itavt ideo debiti petendi iure priuetur?

121 Priuatur iure petendi.

Extenditur quidem. Quia prior incestus est cum suis, quam cum coniugis consanguineis: si ergo hic impedit debitum petere, illi à fortiori idem erit tribuendum. Quod deduci videtur ex *c. si quis viduam 32.q.7.* & ex *c. si duo viri 35. q.6.* Sic Angel. *v. Incestus, n.5.* Mayron. *in 4. dist. 32. q.uni. concl. 2.* Suppl. Gabr. *in 4. dist. 34. q. 1. art. 1.* Lex Regia 13. *si 1. 2. p 4.* Greg. Lop. *ibi, v. Consuparienta, in fine.* Fauet. Abbas *cap. 1. nu. 2.* & Alexand. de Neuo *ibi, num. 2.*

122 Nil priuatur

Minimè extenditur. Quia quamuis hic incestus grauius peccatum sit, at cum ex ipso minimè oriatur cum propria coniuge affinitatis vinculum, non ita matrimonio aduersatur: quod secus euenit in incestu cum consanguineis alterius coniugis, per quem ius matrimonij violatur, producta affinitate cum coniuge, vndè iure optimo incestuosus hic punitur in matrimonij vsu, interdicta sibi debiti petitione. Ità Richard. *in 4. dist. 34. a. 4. q. 2. ad 1.* Sylui. *v. Matrimonium, 7. q. vlt. d. 3.* Sotus *in 4. dist. 37. q. vnic. a. 2.* Nauar. *sum. c. 16. n. 35.* Veracr. *3. p. spec. art. 17.* Henriq. *l. 12. c. 2. n. 3. & lit. M.* Lud. Lop. *1. p. Instr. c. 196.* Manu. *to. 1 sum. c. 143. n. 12.* Sanch. *l. 9. d. 27. n. 7.* Barthol. à Ledes. *dub. 50. concl. 2.* & alij.

123 Hic omninò tenendum.

Hoc omninò tenendum existimo. Quia cùm hæc sit pœna, non est vltra casus expressos in Iure extendenda. Ius autem eam solùm indixit incestuoso proprij coniugis consanguineis.

DVBIVM XXXVIII.

An prohibitio petendi debitum incestuoso indicta extendatur, post Tridentinum ad incestum vsque ad quartum consanguineorum alterius coniugis gradum?

124 Extenditur ad gradum, vsque quartum.

SCio, iure antiquo extendi eam consanguinitatem vsque ad quartum gradum. Nùm *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. autem attento decreto Tridentini *sess. 24. cap. 1.* affinitas ex huiusmodi incestu sit omninò sublata vltra primum, ac secundum gradum, quæstioni committo? Certè ius antiquum manet illæsum, ac proindè cognoscens carnaliter alterius coniugis consanguineum vsque ad quartum gradum, non potest à proprio coniuge exigere debitum. Quia interdictum hoc petendi debitum consurgit ex incestus peccato: nam vbi ignorata est consanguinitas, vel copula fuit coacta, oritur quidem affinitas, & tamen illi coniugi ignoranti, aut vi oppresso debiti petitio non interdicitur, quia à culpa incestus excusatur. *Cap. 1. & cap. Dispensationem, de eo, qui cogn. consanguin.* Si ergò impedimentum hoc ex incestu consurgit, cum copula illa vsque ad quartum gradum sit incestuosa, coniugem impediet, ne debitum petat. Sic Angl. *part. 1. de matr. qu. 14. de imped. affin. art. 1.* Canedo *de Sacram. cap. 6. de matrim.* & multi Theologi Salmantini, ac Complutenses teste Ouando *in 4. dist. 41. q. vnic. prop. 6.* & dicit, esse probabilem. Certè quæstio hæc proposita, ac exagitata in Sacro Pœnitentiariæ Romanæ prætorio indecisa relicta fuit, authore Nauar. *lib 4. consil. cons. 3.* ipséque se dubium etiam hærere ingenuè profitetur.

125 Non extenditur ad quartum quartum, sed solùm ad secundum.

Ius commune circa hoc non manet illæsum, sed per Tridentinum fuit correctum: vndè copula habita cum alterius coniugis consanguineis vltrà secundum gradum, non impedit debiti exactionem. Quia impedimentum hoc non tam ex incestu, quàm ex affinitate inde contracta exoritur, teste D. Thom. *in 4. dist. 34. quæst. vnic. articul. 5. in solut. ad obiecta*, & Sylues. *ver. Matrimonium 7. quæst. vltim. dicto 3.* & constat ex eo, quod superius asserui, nempè incestuoso cum propriis consanguineis, minimè interdici debiti exactionem, quamuis incestus ille sit grauior: idque ideò quòd ex illo non oriatur affinitas cum proprio coniuge: Ergo si iuxta Tridentinum in hoc casu ex copula incestuosa non oritur affinitas nisi ex primo, ac secundo gradu, vt ex decreti contextu patet: cessabit interdictum debitum exigendi. Ità Henriquez *lib. 11. cap. 15. num. 11. & lib. 12. cap. 10 num. 1.* Veracr. *append. ad Specul. circa impedim. affinit. fol. mihi 97.* Ouand. *in 4. dist. 41. quæst. vnic. propos. 6.* Sanchez *lib 9. dub. 17. num. 14.* Palac. *in 4. dist. 34. d. 4.* Sà, Vega, Petr. de Ledes. & alij, quos citat Santius.

126 Hoc mihi certum.

Hanc sententiam mihi certam esse fateor, dum videò, Tridentinum restrinxisse hanc affinitatem, vt simpliciter non impediat, nec dirimat: ergo concedit, vt non impediat secundum quid, nimirum quoad vsum. Audi Sacræ Congregationis Cardinalium declarationem. *Congregatio Concilij censuit, decretum Tridentini sess. 24. de matrimon. cap. 4. ad primum, & secundum gradum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam, censeri etiam ad eosdem gradus restringere impedimentum exigendi debitum ab vxore quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ vxoris post matrimonium habita.*

* *
*

DVBIVM XXXIX.

An cum vterque coniux affinis est effectus per copulam cum alterius consanguineis mutuam arceantur ambo, à debiti petitione?

127 *Non arcentur.* NOn arcentur, sed vtrique licet debitum exigere. Quia hinc indè fit compensatio sicut quando vtérque coniux est adulter, iuxta *cap. penultim. & fin. de adulter.* Sic Vincent. & Goffred. *cap. si vir, de cognat. spirit.* Ioan. de Friburgo *sum. lib. 4. titul. 7. quæstion. 2.* Basol. *in 4. dist. 42. quæst. vnic. articul. 3.* forsan hoc esse verum, ait. Et quamuis Doctores hi loquantur, quando vtérque coniux impedimento cognationis spiritualis laborat, at idem assererent de affinitatis impedimento, cum eadem prorsus militet ratio.

128 *Arcentur omninò.* Arcentur omninò, nec licet exigere debitum. Quia illa compensatio penitus in hoc casu improbanda: nam vbi de vtilitate delinquentium agitur, in eorúmque fauorem ius exigendi debitum aufertur, paria delicta mutua compensatione abolentur, vtin adulterio contingit: secus vbi non de eorum fauore agitur, sed in delicti pœnam priuatio illius iuris indicitur, vt contingit in præsenti. Quare vtérque iure petendi omninò priuatur. Ita Abbas *c. si vir, num. 5. de cognat. spirit.* & ibi Alex. de Neuo *num. 7.* Supplem. Gabri *in 4. dist. 42. qu. 1. art. 2. concl. 4.* Veracr. 1 *part. specul. articul. 75. concl. 5.* Petr. de Soto, Viger. Ledesm. 2. Barthol. à Ledesm. Petr. de Ledesm. quos refert, exponit, & sequitur Sanch. *lib. 9. d. 28. num. 2.*

129 *Idem assero.* Assero his hærens Doctoribus, vtrique coniugi cognationis affinitatis de impedimento innodato, interdici debiti petitionem. Quia ob id impedimentum iure petendi debitum priuatur: ergo si vtérque coniux idem habet impedimentum, vtérque hac priuabitur potestate. Cum enim delictorum compensatio locum in hac re minimè habeat, delictum alterius coniugis alterum non releuabit. Scio nonnullas ex Doctoribus, quos pro nostra sententia citaui, de spirituali agere cognatione, at idem dicere tenerentur impedimento affinitatis, in quo eadem est prorsus ratio.

DVBIVM XL.

An cum coniux vtérque fit affinis per copulam cum alterius consanguineis mutuam, vtérque teneatur, debitum reddere, quocúmque in casu?

130 *Nullo in casu tenetur.* NVllo in casu tenetur. Quia vbi alter solus reus est, innocens reddere non tenetur: eo quod ille iure exigendi fit priuatus: idem ergo dicendum erit de vtróque coniuge culpæ participe. Non enim datur delictorum compensatio, vt altero coniuge similiter delinquente, alter pristinum exigendi ius acquirat, (vt dubio proximo ostendi.) Et quia nulla alia ratione reus innocenti tenetur reddere, nisi ne innocens absque culpa iure suo cadat. Itaque vbi culpa est in vtróque, neuter habet ius, vt alter reddere teneatur. Sic Alens. 2. *part. quæst. 170. memb. 2. post solut. ad 2.* Alexand. Angelic. relatus ab Henrico *cap. si vir, num. 3. de cogn. spirit.* Palac. *in 4. dist. 7. d. 3.* Armil. *ver. Matrimonium, num. 9.* & alij.

131 *Aliquo tenetur in casu.* Aliquo in casu tenetur, nempè cum vtérque coniux malitiosè gessit animo alterum debito coniugali defraudandi, quamuis vtérque à iure petendi cadat, & petendo delinquat, at alteri petenti reddere tenetur. Quia cum hæc pœna solo iure positiuo infligatur, potest illomet, iure sic disponente moderari, ac restringi: At Ius sic moderatur, vt constat ex *cap. si vir, de cognat. spirit.* vbi hunc casum æquiparat casui, quo per ignorantiam id est effectum, in quo constat, eos coniuges teneri sibi reddere. Præterea cuia subiungitur ibi ratio, quia malitia, ac fraus non debent eis patrocinari: at valdè patrocinaretur, si ex ea coniuges immunitatem, ad reddendi debiti sibi inuicem, aut non reddendi libertatem acquirerent. Ita Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst. 56. art. 1. dub. vltim. concl. vnic.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 143. num. 14.* Altens. *sum. part. 2. lib. 8. titul. 18. articul. vnic. quæstion. 2.* Ludouic. Lopez, Matien. Veracruz, Hostiens. Ioan. Andr. D. Antonin. Rosel. Syluest. Nauar. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 9. d. 28. numer. 6.*

132 *Auctoris sententia.* Ego quidem assero, si non ex malitia, ac animo defraudandi coniugem vtérque in id impedimentum cognationis, aut affinitatis, culpa tamen vtriúsque, incideri, neutrum teneri, nec licitè posse alteri reddere. Quia quando vtérque coniux de valore matrimonij dubius est, neuter tenetur, nec potest reddere alteri petenti: eo quod manente dubio, neuter ius petendi habet: At in hoc euentu vtérque coniux ius petendi amisit: ergo neuter tenebitur, nec poterit reddere. Porrò quando vtérque coniux malitiosè id gesserit, animo alterum defraudandi iure petendi, petere neuter potest, at petenti vtrique vtérque propter rationem prosecunda sententia expressam, reddere tenebitur.

DVBIVM XLI.

An si affinitas, vel cognatio spiritualis contrahatur ab altero coniuge ante matrimonij consummationem, possit id licitè consummare reddendo, & vt eximatur à reddendi onere, teneatur Religionem inire?

133 *Non potest consummare reddendo, & tenetur inire Religionem.* COniux, qui matrimonin inito, antè illius consummationem affinitatem cum suo coniuge contraxit, peccat mortaliter dum prima vice reddit: vndè nisi dispensationem illius impedimenti impetret tenetur Reli

Religionem ingredi, vt euitet debiti redditionem. Quia accessus ad coniugem est incestus, cum sit ad affinem, atque si fieri potest, est necessario vitandus: cum ergo possit vitari, hoc coniuge profitente Religionem, nisi dispensationem impetret, ad id tenebitur. Sic Paludan. *in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. num. 26.* Maior. *dist. 41. qu. 1.* D. Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 11. §. 1* Sylvest. *verb. Matrimonium 8. q. 15. dicto 7.* & Petr. Ledes. *citandus*, ait hanc sententiam esse probabilem.

134 *Potest contrahere matrimonium, & non tenetur Religionem inire.*

Potest matrimonium consummare reddendo, nec post modum tenetur Religionem inire. Quia per talem affinitatem non priuatur coniux suo iure, vt habetur *cap. Discretionem, & cap. penultim. de eo, qui cognou. consanguin.* Ergò tenetur hic illi reddere non solùm prima vice, sed semper: igitur non tenetur Religionem inire, ad vitandum reddendi onus, quod potest sine piaculo sustinere. Ita Angel. *verb. Matrimonium impedim. 15. num. 2.* Petr. de Ledes. *de matrim. qu. 55. art. 6 dub. 4.* & communiter Neoterici. Sanchez *l. 9. d. 29. num. 2.*

135 *Hos sequor.*

Hos sequor. Quia dum textus pro secunda sententia allegatos recolo, haud video eos distinguere, an sit matrimonium consummatum, necne: nec obligare hunc reum ad Religionis ingressum: sed expressè docere, hos coniuges ad continentiam esse inducendos, quod si nolint, reum abstenturum à petitione, non tamen à redditione debiti.

DVBIVM XLII.

An pœna illa, qua coniux incestuosus afficitur, vt debitum non possit exigere, incurratur ante Iudicis sententiam, vel saltem criminis declarationem?

136 *Non incurritur ante sententiam.*

NOn incurritur. Quia huiusmodi priuatio verè est pœna incestus, vt communiter Doctores asserunt. Ergo non incurritur ante Iudicis sententiam, vel criminis declarationem: omnium enim pœnarum id proprium esse, quis abneget: Vt quis fame moriatur, nulla est necessaria actio, sed priuatio est comestionis: & tamen est necessaria sententia Iudicis. Inhabilitas ad beneficia est pœna priuatiua; cum tamen probabilissimum sit, eam Iudicis sententia indigere: Ergo quamuis priuari iure petendi pœna priuatiua sit, indiget Iudicis sententia, vt incurratur. Sic Sotus *l. 1. de iust. q. 6. a. 6. ad 4. & l. 4. q. 6. ad 3.* Ledes. *2. p. 4. q. 18. a. 2. dub. vlt.* Henriq. *l. 11. c. 15. n. 11.* Petr. de Ledes. *de matr. q. 56. ar. 1. dub. 4.* Ludou. Lopez *1. p. Instr. c. 80.*

137 *Dicit sententiam incurritur.*

Incurritur planè statim, & ante Iudicis sententiam coniux incestuosus iure petendi priuatur. Quia pœnæ priuatinæ sunt, atque ita facilius in eas incurritur: sicque vsu receptæ, & declaratæ sunt, vt nulla indigeant sententia condemnanti, seu declaranti crimen. Ita Castro *lib. 2. de lege pœn. cap. 5.* Caiet. *Opusc. tom. 1. tract. 31. qui est 17. responsion. resp. 4. vers. Et quoniam.* Angl Flor. *1. part. de matrimon. quæst. 14. de impedim. affin. articul. 1. diffic. 1. concl. 3.* & idem tenentur dicere, qui asserunt incestuosum occultum in hanc pœnam incidere. Sanch. *l. 9. d. 30. num. 1.*

Hoc mihi certissimum est, hâ neque sententiam, vnicè mihi veram existimo. Quod si ratio à me petatur, fateor, me nullam concludentem inuenisse, vt hæ pœnæ quamuis priuatiuæ sint, Iudicis sententia non indigeant. Sicut nec inuenio in Irregularitate, excommunicatione, suspensione, & interdicto. Atque ideo nec in illis, nec in hac aliam rationem adæquatam inuenio, quam quod pœnæ priuatiuæ sint, atque ideò in eas facilius incidatur: sicque vsu receptæ sunt, vt nulla indigeant sententia, vt fert secundæ mentis fundamentum. Quod non ita contingit in omnibus pœnis priuatiuis, vndè non mirum est, si aliquæ illarum Iudicis sententiam postulent. 138 *Hoc mihi vnicè verum.*

DVBIVM XLIII.

An si vxor à viri consanguineo vi aut metu cognoscatur priuetur debitum petendi potestate?

139 *Non priuatur iure petendi.*

SVppono metum grauè, ac cadentem in fœminam constantem esse debere. An vxor metu illo cognita à viri consanguineo petendi debiti iure priuetur? Non priuatur. Quia non est credendum, velle Ecclesiam suis pœnis mulctare eos, qui eiusmodi metu compulsi suis præceptis non obtemperant. Certè Christiani in Turcarum triremibus remigantes contra Christicolas metu mortis, ac tormentorum coacti peccant mortaliter, sed non incurrunt excommunicationem latam contrà opem infidelibus in simili bello ferentes: Ergo similiter cum pœna priuationis debiti exigendi sit ab Ecclesia statuta ob crimen iniquæ affinitatis contractæ, non ligabit vxorem, quæ tanta coacta metu illam (lethaliter quidem delinquendo) contraxit. Sic Nauar. *sum. capit. 27. numer. 63.* latius *cap. Ita quorundam, de Iudais, mtab. 11. in principio.* Pedraza *sum. præc. 7. Paragraph. 26.*

140 *Priuatur ob crimen.*

Priuatur quidem debiti exigendi potestate. Quia *cap. Discretionem, de eo, qui cogn. consanguin.* Ab hac pœna eximit vxorem vi absoluta cognitam, nam cessat in eo casu culpa incestus. Ergo cum in hoc euentu non cesset, (tenebatur enim vxor vitam exponere, ne consentiret,) pœnam incurret. Ità Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 55. art. 6. dub. 5.* Sanchez *l. 9. d. 31. num. 4.*

141 *Auctoris placitum.*

Fateor, primam sententiam pietate esse plenam, at nullo solido fundamine innititur. Quia in iis, quæ aduersantur iuri diuino, & naturali, qualis est illa copula, metus non excusat à pœna absolutè, sed à grauiori, vt aptè docet Turrecr. per illum textum *Cap. final. 2. numer. 31. quæstion. 2.* & probat textus *cap. si quis coactus 22. quæstion. 5.* ibi: *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate periurat: quanto plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat.* Fortius id probat textus *cap. Sacris, de his, quæ vi,* ibi: *Licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus incurrere,*

quinari. Hinc haud audiendos asseruerim Nauarrum, & Pedraza docentes remigantes aduersus Christianos peccare mortaliter, at non innodari excommunicatione. Quia casu, quo actio non eximitur à culpa, nec ab excommunicatione excusatur. Atque ita hoc in euentu censet Manu. *in addit. ad Bullam Cruc. §. 9. numer. 95.* Scio tamen alio ex capite posse ab excommunicatione excusari, quia nimirum communiter non peccant mortaliter remiges illi mortis metu id gerentes, vt latius probant Corduba *sum. qu. 127.* Moli. *tom. 1. de iust. d. 115.* & alij.

DVBIVM XLIV.

An ignorantia vincibilis facti excuset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatem, aut cognationem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur?

142 *Statum quæstionis explico.*

COniux ius sciebat vetans speciali illa pœna accessum ad alterius coniugis consanguineum: at ignorabat consanguinitatis gradum fœminæ, aut viri, cum quibus fuit inita copula: vel esse filium alterius coniugis, aut communem illum, quem tenuit, aut baptizauit. Quæsierim itaque, nũ ignorantia vincibilis facti excuset coniugem, qui cum coniuge suo affinitatem, aut cognationem huiusmodi contraxit, ne ipsi petitio debiti interdicatur?

143 *Non excusat.*

Non excusat quin coniux arceatur à debiti petitione. Quia *Cap. si vir, de cognat. spirit.* loquens de illa ignoranter contracta, aut ignorantiam excusare. Ignorantia autem, quæ excusat est sola inuincibilis, & inculpabilis. Sic Petr. de Ledes. *de matrimon. qu. 55. articul. 6. diffic. 5.* Sotus *in 4. dist. 37. qu. vnic. art. 2.* Cordu. *tom. 1. qq. quæstion. 12.* Gutier. *libr. 1. qq. Canon. cap. 21. num. 9.* Ouand. *in 4. dist. 41. quæst. vnic. propos. 9.* Agentes enim de affinitate ignoranter contracta, dicunt coniugem excusari, quando est inuincibilis ignorantia.

145 *Excusat plane.*

Ignorantia facti qualiscúmque sit, & quantumcúmque vincibilis, ac crassa, modo non sit adeò crassa, vt sit ingens temeritas ignorare, vel non sit affectata, excusat coniugem, qui affinitatem, aut cognationem spiritualem cum suo coniuge contraxit, ne debiti petitione priuetur. Quia priuatio hæc petendi debitum est pœna culpæ: vbi autem Ius pœnam imponit scienter aliquid facienti, ab ea excusat ignorantia quæcúmque non affectata, & quæ non est adeò crassa, vt sit ingens temeritas, vt doctissimè probat Sanchez *libr. 9. dub. 32. num. 36. 39. & 40.* Cum ergo Ius indicat pœnam hanc coniugi scienter contrahenti eam affinitatem, aut spiritualem cognationem, talis ignorantia omninò excusabit. Quod autem scienter facienti ea pœna imponatur, constat in affinitate ex *c. 1. de eo qui cogno. consanguin.* ibi: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit.* In cognatione spirituali etiam probatur ex *cap. Si vir, de cognat. spirit.* ibi: *Siue ex ignorantia, siue ex malitia.* Vbi ignorantia excusans malitiæ contraponitur: quo denotetur, malitiam, seu scientiam desiderari ad pœnam priuationis debiti ibi statutam, incurrendam. Ità Henriquez *libr. 11. capit. 15. numer. 11.* vbi loquens de affinitate, dicit, eam pœnam imponi incestui formaliter, & voluntario. Non enim talis apparet vbi procedit ex ignorantia etiam culpabili: sed erit incestus virtute, ac interpretatiuè volitus. Sanch. *lib. 9. d. 32. num. 47.*

His hæreo Doctoribus, adiiciens, idem dicendum, quando non penitus ignoratur factum, sed quatenus ex eo oritur huiusmodi pœna: verbi gratiâ, coniux accessit ad consanguineam sui coniugis in secundo gradu, ignarus talis consanguinitatis, existimánsque esse in gradu tertio, nempè, consobrina secunda: vel baptizauit filium alterius coniugis credens non esse filium, sed consobrinum, aut alio consanguinitatis gradu coniunctum, tunc non arcebitur à debiti petitione, perindè ac si consanguinitatem ignorasset: nisi esset ingens temeritas ignorare, aut esset ignorantia affectata. Quia perinde est ignorare consanguinitatem, ac ignorare eius gradum, cui hæc pœna statuitur. In vtróque enim euentu verè ignoratur factum tali pœna punitum. 145 *His hæreo Doctoribus.*

DVBIVM XLV.

An ignorantia inuincibilis Iuris præscribentis pœnam priuationis debiti, excuset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatem, aut cognationem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur?

NEscit coniux, specialiter esse interdictum accessum ad alterius coniugis consanguineos: vel baptizare, aut tenere filium communem, alteriúsve coniugis. Nùm huiusmodi ignorantia ab illa pœna excusat? 146 *Statum quæstionis expendo.*

Minimè quidem. Probatur in affinitate. Quia copula illa, ob quam affinitas contrahitur, est iure naturali, ac diuino vetita, ac proindè incurritur pœna iure humano illi annexa, non obstante huius ignorantia. In cognatione autem spirituali etiam incurritur pœna. Quia *c. si vir 4. de cognat. spirit.* decidit solam ignorantiam facti excusare. Sic in affinitate Cordub. *in quæstionar. qu. 12. art. 1.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 243. num. 11.* Abul. *ad cap. 5. Mat. qu. 200.* Sotus *in 4. dist. 37. qu. vnic. art. 2.* Sic in spirituali cognatione Anchar. *ad cap. si vir citatum.* Hostiens. *ibi, num. 2.* Ioan. Andr. *num. 4.* Abbas, *num. 5.* Neuo, *num. 7.* Præpos. *num. 5.* 147 *Non excusat à pœna.*

Ignorantia Iuris statuentis hanc pœnam priuationis debiti exigendi, eximit ab ea coniugem qui facti minimè ignarus, nempè consanguinitatis, contraxit affinitatem, aut spiritualem cognationem. Probatur in cognatione spirituali: Quia vbi lex aut Canon punit delictum nullo alio iure prohibitum, ignarus legis, aut Canonis sicut excusatur à culpa transgressionis, ita & à pœna: At baptizare, aut tenere proprium veriúsque coniugis, aut alterius filium, vnde cognatio spiritualis oritur, solo iure humano 148 *Excusat omnino.*

inter

interdictum est. In affinitate ostendo : Quia etiam vbi delictum est iure naturali vetitum, ignorantia iuris humani indicentis pœnam ab ea eximit. Deindè quia quamuis copula illa, vt fornicaria, sit iure naturali vetita, at quatenus cum sui coniugis consanguinea, ac proinde incestuosa solo iure positiuo Ecclesiastico interdicta est, quod affinitatem inde oriri constituit, ac proinde, eo secluso, nulla alia culpa esset in eo accessu præter illam quæ reperitur in accessu ad aliam non consanguineam. At pœna priuationis debiti soli incestui, ex quo affinitas oritur, statuta est : Ergo qui per ignorantiam excusatur ab ea incestus circumstantia, excusabitur, & à pœna. Ita in cognatione. Palud. *in* 4. *dist.* 42. *qu.* 1. *art.* 1. *concl.* 7. *numer.* 15. Supplem. Gabriel. *ibi, qu.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. Rosel. *verb. impedimentum, impedim.* 6. *num.* 8. Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *qu.* 7. *dicto* 2. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 34. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 243. *numer.* 10. Ità in affinitate Henriquez *l.* 3. *de Confirm. cap.* 3. *& l.* 2. *de Baptis. cap.* 18. *fine, & libr.* 11. *de Matrimon. cap.* 15. *num.* 11. Sanchez *l.* 9. *d.* 32. *num.* 49.

149 *Ignorantia iuris excusat.*

Existimo his hærens Doctoribus, eandem ignorantiam iuris hunc excusare coniugem, dubio proximo dixi, sufficere ad excusandum. Quia textus petunt, scienter id fieri, & cum pœnales sint, restringendi sunt, vt petant tam facti, quam iuris scientiam : alterius enim ignorantia concurrente, non verè scienter illi Canoni contrauenitur.

DVBIVM XLVI.

An votum castitatis ab altero, aut ab vtróque coniuge ante matrimonium emissum, reddat illicitam debiti petitionem?

150 *Nemo illa supponi.*

DE votis simplicibus agitur, & suppono, semel iam consummato matrimonio, teneri coniugem voto adstrictum debitum reddere. Quia voto non obstante verum transtulit corporis dominium in alterum coniugem, maior autem est obligatio matrimonij, per quam fit hæc actualis corporis traditio, quam voti simplicis, quod meram promissionem importat. Dixi *consummato iam matrimonio*, quia nùm prima redditio, qua id consummatur, sit peccatum? Inferius exponam. Quamuis autem coniux voti castitatis alterius conscius delinquat cum ipso contrahens matrimonium, adhuc potest ab eo debitum exigere, & tenetur altet sibi reddere. Quia verum ius, ac dominium in alterius corpus acquisiuit per sacrilegum illud matrimonium, nec ipse vouit alterius ve voto consensit. Quæstio igitur circa debiti petitionem excitatur: nùm simplex castitatis votum, ante coniugium, emissum illicitam reddat debiti petitionem?

151 *Non reddit illicitum.*

Non reddit, sed inito matrimonio penitus extinguitur, ac proindè liber manet vouens, acsi nunquam vouisset. Quia duobus contrariis occurrentibus, minus fortè à fortiori excluditur. *cap. de pœnit. dist.* 1. votum autem aduersatur matrimonio, eiusque obligatio minor est. Sic Antiquiores aliqui, teste D. Bonauent. *dist.* 30. *articul.* 2. *quæstion.* 2. & Gloss. *Cap. final.* 27. *quæstion.* 1. In alio simili nempè Religionis voto idem tenet Alens. *ad cap.* 27. *Leuit. quæstion.* 6. Alij verò docent, posse hunc coniugem eiusmodi castitatis voto adstrictum, vbi semel matrimonium consummauit, iam deinceps debitum petere, ac si nunquam vouisset. Quia semel matrimonio consummato, non potest iam promissam seruare continentiam. Quamobrem dixi quæstionis initio, posse eum reddere, poterit ergo similiter petere. Quia vtrúmque æquè castitatis voto aduersatur. Sic Gers. *part.* 2. *in regul. moral. tractat. de matrimon. alphab.* 25. *litt. I.* Angl *verb. Matrimonium*, 3. *impedim.* 5. *num.* 3. Veracruz 1. *part. spec. articul.* 15. *concl.* 2. Matien. *lib.* 5. *recopil. rubr. titul.* 1. *gloss.* 1. *num.* 151. Et censent non esse improbabilem sententiam hanc Sà, & Vega citandi.

Reddit omninò, vndè peccat mortaliter quotiescúmque debitum petit. Quia votum castitatis includit præcepti negatiui obligationem, per illud enim vouens adstringitur ad abstinendum ab omni actu venereo : Ergo obligat semper, & pro semper : ac proindè licet, inito iam matrimonio, teneatur vouens reddere ratione vinculi fortioris, at non poterit petere, cum id liberum sibi sit, nec ad id lex matrimonij constringat. Ità D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 1. *articul.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. Bonauent. *ibi, artic.* 2. *quæstion.* 1. Albert. Mag. *articul.* 15. Scotus *quæst. vnic.* Richard. *articul.* 7. *quæstion.* 1. *ad* 2. Paludan. *quæstion.* 3. *articul.* 5. *concl.* 4. *num.* 36. Durand. *dist.* 15. *quæstion.* 11. *numer.* 12. & alij plures, quos refert, ac sequitur Sanchez *libr.* 9. *dub.* 33. *numer.* 5. 152 *Reddit illicitum.*

Idem censeo asserendum. Quia *Cap. Quidam, de conuers. coning.* præscribitur, eum, qui renitente vxore professus est, quamuis professio non tenuerit, teneri non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideò quo ad hoc votum tenuisse. Addiderim, infidelem, qui post castitatis votum vxorem duceret, non posse debitum petere. Quia cum obligatio hæc voti sit de iure naturali, æquè fideles, ac infideles obligat. 153 *Idem asserto.*

DVBIVM XLVII.

An qui post Religionis votum matrimonium init, teneatur, à debito exigendo abstinere?

TEnetur quidem. Quia nemini debet sua culpa suffragari, nec suus patrocinari dolus. *Cap. Ex tenore, de rescript.* At patrocinaretur, si liberè posset petere, & reddere. Et quia cum de essentia Religionis sit castitas, eo ipso, quod voto se ad Religionem adstrinxit, obligauit se ad castitatem, vt vouens ieiunium, tenetur subindè ad vnicam comestionem, quæ de eius est natura. Id enim quod essentialiter sub obiecto voti clauditur, est materia voti, ad quã proindè obligat. Sic Anton. Cucus *l.* 5. *instit. maior. tit.* 12. *num.* 18. Alexand. *in suo Enchiri. p.* 2. *prac.* 6. *§. si post votum continentiæ.* 154 *Tenetur plènè.*

155 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia vouens ſtatum, non ſe obligat ad illius leges, donec illum re ipſa aſſumat: cum in ſuo voto minimè obligationem aliquam ad illius leges ſigillatim ſeruandas exprimat. Vt vouens ſe Ordines Sacros aſſumpturum, non tenetur donec aſſumat, Officium Canonicum recitare, nec ad caſtitatem ex vi voti in illis emittendi: vnde ſi tunc fornicetur, ſimplex erit fornicatio. Ita Caiet. *ſum. v. Matrimonium, c. vlt.* Sotus *in 4. diſt. 38. qu. 2. a. 1. concl. 4.* Abul. *ad cap. 27. Leuit. q. 6.* Petr. de Soto *lect. 14. de matr.* Angl. *1. p. de matrim. q. 11. a. 3.* Ludou. Lop, *p. 2. Inſtr. cap. 56. circa 2. imped.* Sà *verb. Debitum coniugale, verſ. contrahens matrimon.* Henriquez. Barthol. à Ledeſ. Petr. de Ledeſ. Viuald. & alij, quos refert, ac ſequitur Sanch. *lib. 9. d. 33. num. 15.*

156 *Auctoris ſententia.* Ego quidem aſſero, eum qui voto Religionis adſtrictus, matrimonium prima vice petens conſummat, ſiue reddens, mortaliter delinquere. Quia poteſt adhuc ſuum votum implere, Religionem ingrediens, ad idque ſe expreſſo voto aſtrinxit: & conſummans conſtituit ſe in eo ſtatu, vt nequeat implere. Semel autem conſummato matrimonio, licitum ei eſt, petere, & reddere, vt apertè ſecundæ ſententiæ ratio probat. Aſt defuncto coniuge altero, tenetur is, qui Religionem vouerat, illam inire. Quare improbo Abulenſis citati ſententiam aſſerentis, extingui voti huius obligationem, conſummato matrimonio, ac ſubinde, eo morte alterius ſoluto, poſſe vouentem ad alias tranſire nuptias. Mecum Sanchez *num. 16.*

DVBIVM XLVIII.

An qui votum emittit non ineundi matrimonium, eo inito, teneatur à debiti petitione abſtinere?

157 *Tenetur quidem.* TEnetur planè. Quia vouens abſtinentiam à matrimonio ineundo, cenſetur conſequenter ab illius vſu, qui matrimonium conſequitur, vouere. Sic Palud. *in 4. diſt. 38. q. 3. a. 5. n. 5.* Suppl. Gabr. *ibi, q. 1. art. 4. lit. Q.* Palac. *d. 1.* Nauar. *ſum. c. 16. n. 30.* Caiet. *to. 2. Opuſc. tr. 11. de voto, qu. 1.* vbi ait, hoc votum voto caſtitatis æquiualere, negaréque perinde, ac illud omnem vxorium concubitum.

158 *Non tenetur.* Non tenetur, ſed ei licet poſtquam matrimonium conſummauit, reddere, & petere, (dixi *poſtquam matrimonium conſummauit*: nam dubio ſequenti aperiam, nùm prima vice conſummando delinquat.) Quia votum hoc tantùm habet pro obiecto, non inire matrimonium, etſi obliget ad abſtinendum, ab actu matrimonij, non eſt per ſe, ac primariò, ſed mediante, & ſuppoſita abſtinentia ab ipſo matrimonio ineundo, quæ fuit primaria, ac immediata voti materia. Ergo quando iam primaria materia non eſt poſſibilis, quia initum eſt matrimonium, non obligabit ad ſecundariam, nempè ad abſtinentiam ab vſu coniugij. Ita D. Antonin. *part. 2. titul. 2. cap. 2. §. 1.* Barthol. à Ledeſ. *dub. 32. de matrimon.* Petr. de Ledeſ. *q. 35. articul. 1.* Ludouic. Lopez *part. 2. Inſtruct. de matrimon. cap. 56. circa 2. imped.* Sà *verb. Debitum coniug. verſ. Contrahens.* Vega. *tom. 2. ſum. cap. 129 caſu 76.* Sanchez *lib. 9. d. 33. num. 22.* alios referens.

Idem opinor. Cenſetur enim vouere abſtinentiam ab actu ſecundario, ac conſequente, ſed ſubſiſtente primaria voti materia, videlicet abſtinentia à nuptiis: ſecus vbi iam hæc non eſt poſſibilis. At tenetur hic, obeunte altero coniuge, ab aliis nuptiis abſtinere. Quia votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum durante matrimonij impedimento. 159 *Idem opinor.*

DVBIVM XLIX.

An qui poſt votum caſtitatis Religionis, aſſumendi Ordinis Sacri, vel abſtinendi à nuptijs ad illas tranſit, peccet prima vice conſummando matrimonium?

DElinquit quidem, quare dum non adeſt implendi facultas, quia alter coniux non vult cedere ſuo iuri petendi, vt ambo in ſæculo caſtè viuant: tenetur ingredi Religionem, quo votum obſeruet. Quia antè conſummationem poteſt votum illud caſtitatis impleri, & à coniugio à quo abſtinere promiſerat recedere, Religionem ingrediendo, quam poteſtatem ſibi adimit conſummando: Ergo delinquit. Sic Alenſ. *2. part. q. 170. memb. 3. §. 1.* D. Thom. *in 4. diſt. 38. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 1. ad 3.* Scot. *ibi, q. vnic. fine.* Richard. *a. 7. q. 1. ad 2.* Palud. *q. 3. a. 5. concl. 4.* Durand. *diſt. 15. q. 11. n. 12.* Maior. *diſt. 27. qu. 2. art. 2. contra 2. concl.* Caiet. *ſum. v. Matrimonium. cap. 1.* & alij. 160 *Delinquit, & tenetur Religionem ingredi.*

Nec delinquit, nec tenetur ingredi Religionem, ſed poteſt licitè matrimonium conſummare, reddendo debitum. Quia quando quis obligatur ad alienam rem non obligantur adhibere omnia media poſſibilia ſimpliciter, ſed ad ea, quæ ſunt moraliter talia: & id maximè verum eſt, quando illa obligatio ex ſpontanea voluntate proficiſcitur. Tùm quia liberaliter oblata ſunt benignè exigenda, *cap. Ex parte, de cenſib.* Tùm etiam quia viſus eſt, eam obligationem ſibi ſponte imponens, velle ſe adſola media bono modo poſſibilia obligare. At medium ineundi Religionem eſt difficillimum & longè excedens id, quod vouens promiſerat. Ita Sotus *in 4. diſt. 38. qu. 2. art. 1. poſt 2. concl.* Ouand. *ibi, q. vni propoſ. 6.* Veracruz *append. ad ſpec. part. 1. art. 15.* Cordub. *ſum. q. 136. punct. 2.* Ludou. Lopez *part. 2. Inſtruct. de matr. cap. 26.* Henriq. *l. 12. c. 2. n. 8.* Vega. *to. 2. ſum. c. 129. caſu 118. pun. 2.* Petrus de Ledeſ. *de matr. q. 55. art. 6. dub. 4.* Angel. *v. Matrimonium 3. imped. 5. nu. 2.* Sanch. *l. 9. d. 34. num. 3.* 161 *Nec delinquit nec tenetur ingredi Religionem.*

Eiuſdem ſum mentis, quam ſigillatim, claritatis gratia, confirmo, & expono. Qui voto caſtitatis adſtrictus matrimonium iniit, non tenetur ingredi Religionem, vnde non peccat, dum reddendo matrimonium conſummat. Quia nemo tenetur rem inferioris ordinis cum re Superioris oneroſiſſima compenſare: vt qui debet pecuniam, quam abſque vitæ, aut famæ detrimento reſtituere nequit, excuſatur. At talis eſt Religio reſpectu continentiæ promiſſæ. 162 *Eiuſdem ſum mentis.*

missæ. Qui autē voto assumēdi Sacros ordines astrictus, duxit vxorem, non tenetur Religionem ingredi, vt votum oberuet: vnde potest illicò reddendo, & petendo matrimonium consummare. Quia quamuis voto castitatis astrictus delinquat consummando ad sui petitionem, nam tenetur non petere: & similiter reddendo priori bimestri non quia admit sibi potestatem implendi votum per ingressum Religionis, ad eum enim non tenetur; sed quia intantum excusatur reddendo, in quantum ad id tenetur lege matrimonij: & priori illo bimestri non tenetur. At astrictus voto assumendi Ordines Sacros non peccat etiam consummando ad sui petitionem, & priori illo bimestri. Quia votum non obligat ad castitatem, & sic vbi seruari iam nequit, vt cōtingit post matrimonium ratum, ad nil obligat durante eo impedimento. Similiter iudicandum est de eo qui post votum abstinendi à nuptiis, ad illas transierit. Non enim tenetur Religionem eligere matrimonio nondum consummato, quo votum impleat, ac proinde nullius culpæ reus erit, matrimonium consummando siquidem multo minus voto castitatis obligat. Itaque nō peccat prima vice consummans ad sui petitionem, nec intra prius bimestre à matrimonio inito. Quia hoc voto nō interdicit debiti petitionem, nec impleri iam vllo modo potest, dum alter coniux superstes est, nisi ingrediendo Religionem ante consummationem, aut facto diuortio: hoc non potest, & ad illud non tenetur.

DVBIVM L.

An validum sit post initum matrimonium, votum non exigendi debitum?

163 *Non est validum.* VAlidum non est. Quia est in graue alterius coniugis præiudicium, cui onerosum erit, vt debito coniugij frui possit, semper petere, speciatim si non sit fœmina, quę vouit, sed vir. Sic D. Tho. *in 4. dist. 32. qu. vnic. art. 4. ad 3.* Supplem. Gabr. *ibi, quæs. vni. art. 2. concl. 7.* Turrecr. *cap. si dicat 33. quæs. 5. art. 1. numer. 1. ad 4.* Carthus. *in 4. dist. 32. quæs. 1. quæst. 2.* Armil. *verb. Debitum, numer. 19.* Tabie. *verb. Matrimonium, 1. quæs. 3. §. 4.* Manu. *sum. tom. 2. cap. 90. numer. 3.* & alij.

164 *Validum est.* Validum est. Quia coniux, qui hoc votum non petendi emittit, sibi soli præiudicat. Ità Sylvest. *verb. Votum 5. quæs. 2.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 60.* Manu. *tom. 1. sum. in 2. edit. cap. 243. num. 8.* Vega *tom. 2. sum. cap. 229.* Ledes. *2. part. 4. qu. 66. art. 4.* Albert. Mag. Durand. Gregor. Lop. Caiet. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *lib. 9. d. 35. num. 21.*

165 *Cum in opinor.* Existimo, validum esse votum, obligariquè cōiugem sub mortali, vt à debiti petitione abstineat. Quia coniux non tenetur lege coniugij petere, sed tantum reddere. Nec est adeò onerosum cum aliquories possit petere, vt alteri morem gerat, & quoties in eo præsentit coitus appetitum vel fornicationis periculum. Quod si adhuc sit aliquale grauamen, tenetur alter coniux id subire, cum vouens iure suo vtatur.

DVBIVM LI.

An votum castitatis post matrimonium consummatum emissum ab alteroconiuge sine alterius licentia sit validum.

166 *Invalidum est.* VAlidum non est. Quia est coniugi alteri onerosum. Et quia votum rei partim licitæ: vel partim illicitæ: vel partim possibilis, & partim impossibilis factum per modum vnius ad nil obligat. At hîc per modum vnius cadunt, nec petere, nec reddere sub castitatis votum, cum tanquam vnum, obiectum respiciatur vtrumque à vouente comprehensum in castitate. Sic aliqui apud Palud. *in 4. dist. 32. quæs. 2. a. 1. n. 14.* & ipse Palud. *in 4. dist. 38. quæs. 3. a. 5. n. 36. concl. 4.* docet ad votum non valere, nec debiti petitionem impedire. Petr. de Soto *lect. 16. de matrimon. §. vltimo tandem.* Fauet. D. Tho. *in 4. dist. 32. q. vni. a. 4.* & Sà *verb. Votum, vers. coniugem non posse*, asserens coniugem neutrum posse absque alterius licentia castitatem vouere.

167 *Est validum.* Validum est, & obligat, ad non petendum. Quia *c. Quidam, de conuers. coniu.* quando vir renitente vxore professus est, decernitur professionem fuisse irritam, obligari autem vouentem ad votum castitatis in ea professione emissum, in quantum se potuit obligare nimirum ad non exigendum debitum, ibi. *Votum non tenuit, vlterius verò non poterit vxorem accipere promisit enim, se non exigere debitum, quod in* eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem, non erat in eius sed in mulieris potestate. Ità D. Bonau. *in 4. dist. 32. num. 3.* Palud. *ibi, quæs. 2. art. 1. num. 14.* Sotus *lib. 7. de iust. q. 3. art. 1.* Henriq. *lib. 11. cap. 15. num. 8.* Sanchez *libr. 9. d. 35. numer. 36.* Nauar. *sum. cap. 12. numer. 60.* Angel. *verb. Matrimonium 4. numer. 6.* Sylvest. *verb. Votum 4. qu. 2. id. 4.*

168 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Quia vouens castitatem post matrimonium, licet absolutam castitatem intendat, at non vouet omnes eius actus per modum vnius: atque ita licet quidam actus, vt non reddere, sit malus, non desinet obligare votum quoad alios actus bonos. Quod autem non intendat vouere per modum vnius ostendo: Quia vouens, verbi gratiâ, nunquam se peccaturum, respicit omnia peccata sub vna ratione peccati generica, nec, ea obligatio potest commode diuidi, ac separari; non enim dabitur maior ratio, cur votum id obliget ad abstinendum à quibusdam peccatis, quam ab aliis. At castitatis votum non respicit abstinere à petitione, & redditione, & ab alio matrimonio ineundo, & à fornicatione tanquam indiuidua sub vna specie, aut species sub vno genere contenta; sed tanquam actus diuersos castitatis: & obligatio hæc est commodè separabilis, ac diuisibilis: si enim omnes actus sint possibiles, obligat ad omnes, si

utem alij qui non sint ratione status possibiles, bligat ad cæteros, & tunc dabitur sufficiens atio diuisionis: vnde materia erit duidua, nec promissa per modum vnius: ac subinde pars inutilis vtilem minimè vitiabit.

DVBIVM LII.

An licitum sit sine coniugis licentia votum abstinendi à petitione debiti, cum animo tamen reddendi, prout lex matrimonij obligat?

169 *Licitum est.* LIcitum est. Quia minime alteri præiudicat coniugi, absque cuius licentia emittitur: vouetur enim res libera, & ad quam lex matrimonij minimè astringit. Sic Bonau. *in 4. dist. 32. art. 1. qu. 1. num. 8.* Richar. *ibi, art. 2. q. 1.* Mayron. *dist. 38. quæs. vnic. part. 1. conel. 2.* D. Antonin. *3. part. titul. 1. cap. 19. §. 3.* Astens. *sum. part. 2. lib. 8. titul. 10. art. 2. quæs. 3.* Nauar. *sum. capit. 12. numer. 50.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instr. cap. 46.* Manu. *tom. 1 sum. cap. 246. num. 8.* Vega *tom. 2. sum. cap. 129. casu 93.*

170 *Est illicitum.* Est illicitum. Quia est onerosum alteri coniugi, maxime si sit vir, qui id votum emisit. Et quia exponitur incontinentiæ periculo: cum enim coniuges eodem accubent in lecto, posset vrgente concupiscentia facile votum violari. Ita Durand. *in 4. dist. 32. quæs. 1. a. 1. numer. 5.* Palud. *ibi, quæs. 2. art. 1. num. 14.* Victor. *sum. de matrimon. numer. 280.* Henriquez *libr. 11. cap. 15. numer. 8.* Petr. de Ledes. *quæstion. 64. art. 4. dub. 1. concl 3.* Barthol. à Ledes. *diffic. 71.* & alij.

171 *Auctoris placitum.* Ego quidem existimo, si votum secundum se consideretur, licite emitti, vt primam sententia docet. Si vero consideretur attentis circumstantiis periculi vouentis, & coniugis alterius oneris, esse illicitum, vt posterior sententia intendit. At putarim non excedere culpam cuiusdam indiscretionis venialem huiusmodi voti emissionem. Ideò Durand. & Palud. hoc votum indiscretum appellant.

DVBIVM LIII.

An coniux, ex cuius licentia alter solus vouit castitatem, possit debitum exigere: & subinde alter teneatur reddere?

172 *Non potest.* NOn potest qui dedit licentiam, petere debitũ nec qui vouit tenetur reddere Quia cum dedit alteri vouendi facultatem videtur iuri petendi cessisse. Et quia alias præfata licentia esset inutilis, nam vt coniux vouẽs nequeat exigere, nulla desideratur licentia, sed vt non teneatur reddere. Sic Palud. *in 4. dist. 32. quæstion. 1. art. 2. concl. 4. numer. 9.* Adrian. *q. 14. de matrimon. vers. Tertio contingit.* Abul: Turrecr. Alexand. & alij apud Sancium citandum.

Potest, qui licentiam dedit, debitum exige- 173 re, ne ad id votum (nisi aliud specificetur offi- *Potest quis.* cit iuri concedentis facultatem: sed ea intelligenda est, vt vouens coniux se ex parte sua ad continentiam obliget absque concedentis præiudicio, ita vt petere nequeat at reddere teneatur. Quia ea licentia accipienda est, vt quam minimum possit, noceat concedenti: eius enim tacita intentio, dum de contraria minime constat, ea esse videtur. Ità D. Antonin. *part. 4. tit. 1. cap. 22. §. 3.* Sà *verb. Debitum coniug. init.* Nauar. *sum. cap. 12. numer. 59. & cap. 16. n. 31.* Sanchez *l. 9. dict. 36. numer. 5.* Vega *tom. 2. sum. cap. 129. casu 77.* Manu. *tom. 1 sum. cap. 243. numer. 14.* Ludou. Lop *pa. 1. Instr. c. 84. & c. 46.* Vgol. *de matr. c. 10. n. 2.* & alij.

Cum his sentio, quia coniux huiusmodi li- 174 centiam impendens, minime suo iuri cessisse *Cum hi sentio.* putandus, est nisi id cum licentiam dedit expresse cautum fuisset. Ea autem facultas non est inutiliter concessa, obligauit enim se vouens, ad debitum non exigendum.

DVBIVM LIV.

An cum alter coniux concedit alteri expressam licentiam vouendi omnimodam castitatem: fas sit coniugi huiusmodi licentiam concedenti debitum petere: eique petenti possit alter reddere?

FAs non est petere vni, & alteri fas non est 175 reddere, nisi coactè ille licentiam concef- *Fas non est vnum petere, & alteri reddere.* serit, vel fuerit adeò ignarus, vt putarit ei adhuc esse reddendum. Quia cum volens vnum, censeatur velle omne id, per quod ad illud peruenitur, coniux, qui nec coactus, nec iuris ignarus, sed sui præiudicij conscius eam facultatem concessit, videtur ipse quoque tacite vonere continentiam, vt nec petere possit, nec ipsi petenti sit reddendum. Sic Philiarc. *de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 3. c. 4.* Fauet D. Bonauent. *in 4. dist. 32. in expos. lit. n. 4.*

Fas est petere, & fas erit alteri coniugi red- 176 dere. Audi precor. vir dãs illam licentiam, *Fas est petere, & reddere.* potest licentiam potest irritare valide id votum absque causa licet mortaliter delinquit: & cum causa sine vllo piaculo: & similiter vxor potest quoad obligationem non reddendi irritare cum peccato mortali absque causa quando semel licentiam concesserat: & sine peccato existente iusta causa. Porro tacita est irritatio quãdo coniux conscius voti de licentia à se emissi petit debitum: & si immemor sit, admonetur ab altero: & admonitus adhuc instat: est, (in quam) irritatio non absoluta, sed quoad illum actum: & in irritatione culpa adest. Ast semel irritato voto, non est peccatum, petere; quia iam omnino extincta est voti obligatio. Hoc ergo supposito, si coniux siue vir, siue fœmina prius irritet votum illud de licentia sua emissum quoad nõ reddendum, siue peccarit, quia absque causa siue non peccarit irritando, minime delinquit

vnus

vnus petendo debitum, & alter reddere tenetur. Quia præmissa irritatione, non manet voti obligatio, quod licitum vsum impediebat, si verò non prius irritet, at memor voti de licentia sua emissi, aut de illo admonitus ab altero, adhuc petat debitum; censebitur irritatio voti pro illa vice, & ita peccabit petés quatenus sine iusta causa irritat: at alter reddere tenebitur; quia cessauit voti obligatio. Ità Sanchez *lib. 9. d. 36. num. 6.*

177 *Idem affirmo.* Doctissimo hæreo Præceptori, adiiciens dato nollet coniux irritare, vel retenta opinione, quod id non possit efficere peccabit coniux, qui contra præfatam licentiam petit debitum, & quidem lethaliter. Quia aduersatur voto de licentia sua facto: at alter reddere tenebitur. Quoniam dans illam licentiam, cum nullus intercenerit pactum, quale reperitur in voto communi consensu emisso, solum censetur concedere, vt alter se dedicet ad absolutam continentiam seruandam, & ipse tenetur religionis vinculo, nempe voti de licentia sua emissi non contrauenire: at non abdicat, à se iustitiæ ius in corpus coniugis: quare si petat, erit sacrilegus contra votum, at alter reddere tenebitur tanquam rem suam poscenti.

DVBIVM LV.

An coniugi, qui de alterius licentia castitatem vouit, alter possit & teneatur reddere?

178 *Non tenetur solvere.* NOn solum non tenetur, sed mortaliter delinquet, si reddat. Quia cõiux non vouens ideo potest & tenetur reddere voto astricto, quod absque eius permissione vouit: quæ ratio cessat, quando consensus adfuit. Et quia vouens habita alterius coniugis copia, amittit ius petendi, sicut vterque vouens communi consensu amittit: Ergo sicut in hoc euentu peccat mortaliter coniux reddens, ita in illo coniux dans peccabit reddendo illi, qui vouit. Sic Ledes. 2. *part. 4 qu. 55. art. 1.* Manu. *tom. 2. sum. cap. 90. numer. 5.* Vega *tom. 2. sum. cap. 129. casu 77.* Ludou. Lop. *part. 1. Instr. cap. 84. & c. 46.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 46. & cap. 16. nu. 31.* Syluest. *v. Votum 5. qu. 2.* D. Antonin. *p. 3. titul. 1. c. 22. §. 3.*

179 *Non peccat dum reddit.* Non solum non peccat dum reddit, sed tenetur. Quia votum non priuat vouentem iure iustitiæ quod habet vt alter coniux sibi reddat, qua ratione tenetur, qui non vouit, reddere debitum coniugi voto astricto. Nec licentia concessa per alterum coniugem cum hoc iure priuat: ea enim nõ derogat iuri petendi, & reddẽdi, quod habet cõiux, qui nõ vouit, (vt superius expressi.) Nec inducit pactũ aliquod iustitiæ per quod voues abdicet à se iustitiæ ius; sed tantum operatur, vt coniux vouens ex virtute Religionis obligetur Deo ad non petendum. Ergo alter reddere tenetur. Ità Palud. *in 4. dist. 32. quæst. 2. art. 2.* Veracr. *part. 1. spec. a. 15.* Sanchez *lib. 9. d. 36. num. 11.* Henriquez *lib. 11. cap. 15. num. 8.* Barth. à Ledes. *dub. 20. de matr. concl. 1.* & alij.

180 Hanc sententiam veriorem existimo, imo crediderim, quamuis licentiam concesserit coniux qui non vouit, ad omnimodam cedens castitatem vouendam cedens omni iuri iustitiæ, quod ad petendum habebat: adhuc teneri, alteri contra votum petenti reddere. Quia alter cum nullum inierit pactum, nec iuri iustitiæ ad petendum cesserit, sed tantum se vinculo Religionis voti Deo obligarit, si contra votum petat debitum, iniquè quidem, petit, quod suum est, ac proinde est illi reddendum. Sotus enim qui non vouit, nullo inito pacto ex parte vouentis, iussum petendi à se abdicauit. Quod si qui vouit iustitiæ ius renunciarit, & ab altero renunciatio acceptetur, non poterit illi vouenti reddi debitum, nisi iterum concedat illi alter coniux ius ad petendum. *Hoc verius credo.*

DVBIVM LVI.

An vir possit irritare votum castitatis, constante matrimonio, emissum, & pro tunc implendum ab vxore?

181 *Non potest.* NOn potest. Quia vir non habet dominium in vxorem in ordine ad actum cõiugalem circa debiti petitionem, sed solum circa redditionem: in ordine enim ad petitionem sunt omnino pares. *Cap. Gaudemus, de diuortio.* Ergo nullatenus poterit votum vxoris circa eum actum emissum irritare. Sic Valent. *2. 2. d. 6. q. 6. de voto. pun. 6.* Palud. *in 4. dist. 38. qu. 4. a. 2. concluſ. 5. n. 23.* Caiet. *sum. v. Votum, C. de condit. ex parte vouentis.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 64.* Sylueſt. *verb. Votum 4. quæſ. 2. dicto 4.* & alij.

182 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia quamuis vir, & vxor sint pares, quoad libertatem non petendi, & reddendi obligationem, & ita materia illa non sit viro subiecta: at quoad illam nouam obligationem, quæ accidentaria est, vxor subditur viro tanquam capiti, cuius est, voluntatem ipsius dirigere, ne imprudenter vouear. Ita Sotus *in 4. dist. 32. q. 1. a. 2. post 1. concl. & l. 7. de iust. q. 3. ai.* Arag. *2. 2. q. 88. a. 8.* Anton. Gomez *de Bulla Cruci. Clauſ. 10. n. 67.* Vega *tom. 2. ſum. c. 129. caſu 22. & 93.* Sanch. *lib. 9. d. 39. nu. 11.*

183 *Auctorũ plæcitum.* Non solum puto hanc sententiam probabiliorem esse, sed addo, idem dicendum, licet votum sit continentiæ absolutæ: potest enim vir id omnino irritare. Quia illa noua obligatio, qua vxor absque viri consensu se astrinxit, viro subditur. Vnde ea irritatione facta vxor adulterans, sacrilegium non perpetrat: nec soluto matrimonio, tenetur, ab aliis abstinere, ad quæ votum obligabat. Quia irritatione extinctum est omnino, nec reuiuiscit. Vt latè in materia de Voto disputabo.

* * *

DVBIVM

DVBIVM LVII.

An maritus possit irritare votum castitatis de sua licentia ab vxore factum: valide quidem absque iusta causa: & licite intercedente causa iusta?

184 *Non potest.* NOn potest. Quia si vir faciens vxori copiam vouendi continentiam, simul voueat, nequit illius votum irritare: Ergo etiamsi ipse non voueat: ipsum enim vouere, aut non vouere parum videtur conferre ad irritandi potestatem, Sic D. Tho. *in 4. dist. 32. in expos. lit.* D. Bonauent. *ibi, nu. 4.* Albert. Magn. *a. 6.* Richard *a. 2. q. 2. ad 1.* Palud. *q. 2. a. 2. n. 17.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 22. §. 3.* Rosel. *v. Votum 3. n. 2.* Pisana *ibi, §. 3.* Sylvest. *v. Votum 5. q. 2.* Nauar. *sum. c. 12. n. 61.* Manu. *to. 2. sum. c. 90. n. 5.*

185 *Potest plane.* Potest plane. Quia licet vir non sit Dominus materiæ illius promissæ, sed in illa sit æqualis vxori: at tanquã caput est dominus actus illius liberi, quo vxor subiectionis tempore se se voto illo obligauit: & quãuis ex cõsensu viri sit Deo cõsecratus, vt vir irritãs sine causa, mortaliter delinquat: nõ tamẽ vt irritatio sit nulla. Nã illa licentia data, vir non amisit illius actus liberi dominium, sicut nec vbi est dominus materiæ promissæ, ab illius dominio cadit, quamuis suo consensu Deo per votum consecretur. Ita Sotus *lib. 7. de iust. quæs. 3. art. 1. & in 4. dist. 32. q. 1. a. 3. post 1. concl.* Palac. *ibi, d. 2.* Stunica *de voto q. 1. a. 3. numer. 62.* Barth. à Ledes. *dub. 71. de matr.* Aragon. *2. quæs. 88. art. 8.* Vega *tom. 2. sum. capit. 129. casu 22.* Sanchez *libr. 9. dub. 40. num. 17.*

186 *Ibi hoc probabilius.* Hoc mihi probabilius. Quia fragile video existere primæ sententiæ fundamentum. Neganda enim est consequentia; nam quando vterque vouet communi consensu, adest pactũ conuenitque virtute inter coniuges, vt vtérque iuri petendi renunciet, reddendi, ac irritandi. Quod minime adest, altero solo de alterius consensu vouente. Idem credo dicẽdum quamuis maritus fecisset vxori copiam vouendi omnimodam castitatem, contra Philiarc. *de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 3. c. 4.* asserentem oppositum, eo quod tunc maritus ipse videatur pariter castitatem vouere: quod fundamentum supra iam reprobaui.

DVBIVM LVIII.

An vtroque coniuge mutuo consensu castitatem vouente, integrum sit viro, votum castitatis vxoris irritare?

187 *Integrum est.* INtegrum est. Quia quando vterque communi vouet consensu, nullum initur pactum de non reuocando, sed de sola castitate seruanda, sicut quando alter solus continentiam vouet. Et quia si est contractus, cur non mutuo consensu possit reuocari: cum omnis res per easdem causas dissoluatur, per quas nascitur. *c. 1. de reg. iur.* Sic Palac. *in 4. dist. 32. d. 2.* & qui dam alij teste Aragon. *citando.*

188 *Non est integrum.* Nullatenus est integrum hoc marito. Quia dum vterque coniux mutuo consensu continentiam vouet, cum, mutuo pacto edicto, cedat iuri suo quoad quemcúmque actum coniugalem, idque Deo offerat, vitam cœlibem eligens, videtur omnino renunciari iuri reuocandi, vt vel sic finis ille vitæ continentis obtineatur. Et quamuis contractus ille, vt talis, posset rescindi, obstat tamen voti vinculum in eo inclusum. Ita Sotus *l. 7. de iust. q. 3. art. 1. & in 4. dist. 32. a. q. 1. a. 3. post 1. concl.* Stuni. *de voto qu. 3. num. 64.* Arag. *2. 2 q. 88. art. 8. dub. vltim.* Barth. à Ledes. *dub. 71. de matrimon.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 143. num. 14.* Ludou. Lop. *part. 1. Instr. capit. 46.* Vega *tom. 2. sum. 122. casu 68.* Sanchez *lib. 9. d. 40. num. 10.*

189 *Non tenendã iudico.* Hanc tenendam iudico sententiam quam ex D. August. *Epist. 199. ad Ecditiam,* (& refertur *c. Quod Deo 43. q. 5.*) ibi: *Quod Deo pari cõsensu voueratis perseueranter vsq; in finẽ reddere debuistis; à quo proposito si ille* (vir scilicet) *lapsus est, tu saltẽ instantissime perseuera.* Hinc fit virũ emisso hoc voto accedentem ad vxorem, inuitam, non solum delinquere aduersus voti religionem, sed etiam contra iustitiam, frangendo pactum cum ea initum.

DVBIVM LIX.

An vxor possit irritare votum castitatis aut mutuæ cohabitationis à viro absque eius licentia emissum?

190 *Minimè potest.* MInime potest. Quia vxor non habet dominium voluntatis viri, imo ipsi tanquã capiti subest. Nec etiam materiæ promissæ; quoniam hoc maximè verum haberet quoad actus matrimonij: ad quoad hos coniuges sunt pares. *c. Gaudemus, de diuortio.* Sic Sotus *l. 7. de iust. qu. 3. a. 1.* Petr. de Ledes. *de matr. q. 64. a. 4. dub. 2. concl. 2.* & quidem alij Neoterici docti, teste P. Sanchez *citand.*

191 *Potest plane.* Potest vxor omnia, & sola viri vota irritare, quæ sine sua licentia emissa ipsi præiudicant, quoad moderatam debitionem, vel cohabitionem mutuam Quia vxor habet dominium, & potestatem corporis viri per contractum matrimonij acquisitam quoad debitum sibi moderatè reddendum, & cohabitandum, *1. Cor. 7.* Ergo vota huic dominio præiudicantia poterit irritare. Ità Nauar. *sum. cap. 12. num. 64.* Tolet. *libr. 4. sum. c. 18.* Arag. *2. 2. qu. 88. art. 8.* Stuni. *de voto qu. 1. num. 60.* Graf *p. 1. decret. l. 2. cap. 29. num. 8.* Ludou. Lop *p. 1. Instr. c. 47. §. vltim.* Caned. *sum. de Sacr. tr. de matr. c. 8. n. 74.* Valent. *2. 2. dub. 6. q. 6. de voto punct. 6.* Caiet. Abbas Angel. & alij quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 9. dub. 42. num. 2.*

192 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum. Quia quamuis ad actus matrimonij sint æquales maritus, & vxor, ea ratione, quod æque neuter adstringitur, ad petendum, & vtérque petenti reddere tenetur: at sibi ipsi sunt subditi, in quantum neuter habet sui corporis potestatem, ac dominium, sed per matrimonium in alterum transtulit: Ergo hiusce dominij ratione poterit vxor ea vota irritare, quæ illi potestati officere videantur. Ad

diderim ea vota viri irritata ab vxore, non reuiuiscere, sed manere perfectè irritata, & extincta. Infero non posse virum absque vxoris consensu, eas preces, ieiunia, vigiliasve promittere, quæ adeò debilitent vires, vt ineptus reddendo moderatè reddatur.

DVBIVM LX.

An sit lethale coniugibus, morosè delectari seclusо pollutionis periculo, in copula cogitata tanquam præsenti, dum absentes sunt, aut eo tempore, vel loco vbi copulam exercere non possunt?

193 Lethalis culpa. LEthalis culpa est. Quia delectatio venerea non intenta ob bonum prolis, nec in ipsum relata, omnibus sub lethali culpa interdicitur. Et quia huiusmodi delectatio est quasi incepta seminis effusio, ad illamque tendit, cum ipsa comitetur membrorum generationi inseruientium commotio. Sic Sylvest. *verb. Delectatio, quæst.* 2. Nauar. *cap. si cui, de pœnit. dub.* 1. *num.* 6. *& sum. capit.* 16. *numer.* 10. Cordu. *libr.* 1. *qq. quæst.* 28. *dub.* 12. Manu. *to.* 1. *sum. cap.* 212. *numer. vltim.* Sà *verb. Luxuria, vers. Delectatio de peccato.* Vega *to.* 1. *sum. c.* 81. *casu* 2. & alij.

194 Non sit lethalis culpa. Non est lethalis culpa, sed venialis solùmodo. Quia sicut matrimonium efficit, ne tactus extra copulam, & ad illam non relati sint culpa lethalis, sed venialis solum, (vti infra dicemus) defectu legitimi finis: ita idem efficit circa delectationem sensitiuam copulæ cogitatæ vt præsentis: quia eadem est ratio. Et quia D. Chrysost. *hom.* 17. *in Mat. circa ver. Qui viderit mulierem*, admittit, licitum esse delectari aspectu vxoris præsentis, etiam absque animo copulæ gerendæ. Ità D. Tho. *qu.* 15. *de malo, art.* 2. *ad* 17. Palud. *in* 4. *dist.* 9. *quæstion.* 3. *art.* 1. *numer.* 7. Caiet. *sum. verb. Delectatio morosa*, §. *Secundum, an delectatio. & i.* 2. *quæstion.* 74. *art.* 8. *circa solut. ad* 4. D. Antonin. *part.* 2. *titul.* 5. *cap.* 1. §. 6. Rosel. Nieua, Gers. Armil. Tabie. Viguer. Medi. Zumel, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *dub.* 44. *num.* 3. Vazq. 1. 2. *dub.* 113. *num.* 2. & 3.

195 Hanc sententiã longè veriorem puto. Longè veriorem hanc partem existimo. Quia consensus in delectationem nequit esse grauior culpa, quam consensus in actum, de quo capitur, teste D. Augustin. *lib.* 12. *de Trin. cap.* 12. *tom.* 3. & constat: nam talis est delectatio, quale obiectum, vt docet Aristot. *l.* 10. *Ethic. capit.* 4. *&* 5. sed copula de qua est ea delectatio, & licita inter coniuges: Ergo ex hoc capite non est culpabilis delectatio. Est tamen culpa venialis, consensus in eam delectationem. Quia caret debito fine, ad quem actus coniugalis à natura ipsa dirigitur.

DVBIVM LXI.

An tactus inter coniuges ab solam voluptatem in ipsis captandam, absque animo perueniendi ad copulam, sint lethale peccatum:

196 Sunt mortales. SVnt mortale. Quia omnis actus venereus non relatus ad copulam, mortalis est. Sic D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 6. Sylvest. *v. Debitum.* 9. *n.* 7. Margar. confes. *præc.* 6. *c.* 7. Humada *sup. l.* 2. *tit.* 1. *p.* 1. *Glos.* 12. *n.* 1. & Sylvest. id tribuit Paludano.

197 Mortale non sunt. Non sunt mortale, sed veniale solummodo. Quia voluptas illa venerea non quæritur extrà matrimonium, sed in actu suapte natura ordinato ad matrimonij actum. Quare sicut matrimonium excusat actum copulæ inter coniuges à copula lethali, licet fiat solius voluptatis captandæ gratia: ità similiter excusabit tactus illos, & sola manebit venialis culpa ob indebitum finem. Ità Angel. *verb. Debitum, num.* 29. Armil. *num.* 8. Caiet. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 4. *& in sum. verb. Impudicitia, & verb. Matrimonium, cap. vltim.* Abul. *ad cap.* 5. *Mat. qu.* 197. Barth. à Ledes. *de matrimon. dub.* 18. Vasq. 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. *dub.* 113. *numer.* 3. & 4. Manu. *tom.* 1. *sum. capit.* 249. *num.* 9. Sanchez *lib.* 9. *d.* 44. *n.* 11. Nieua *sum. tit.* 87. & 90.

198 Idem opinor. Idem opinor, adiiciens, non aliter dicendũ esse de aspectibus, verbisque turpibus inter cõiuges absque pollutionis periculo. Nunquã enim sunt peccata lethalia, sed venialia, si ad voluptatem, licita autem si ad prouocandum se se ad copulam referantur. Quia eadem est ratio, & matrimonium omnes hasce delitias à mortali excusat.

DVBIVM LXII.

An quando coniux se ipsum singulariter tangit, absque pollutionis periculo, ad captandam voluptatem, delinquat mortaliter?

199 Delinquit mortaliter. DElinquit mortaliter. Quia naturam tactibus prouocare, nec est actus coniugalis, cum minime cum coniuge fiat, nec ad coniugij finem referatur, vt suppono; non enim fit, quo coniux ad copulam se præparet. Quare nullo modo potest ad coniugium referri, vt à mortali excusetur. Sic Armilla *verb. Impudicitia, num.* 3. Vasq. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *dub.* 113. *numer.* 4. Citari affolent pro hac sententia D. Antonin. Sylvest. & Margar. Confes. sed eorum perlegens placita, aduerti, non loqui expresè de tactu, quo se ipsum coniux tangit, sed de omnibus tactibus inter coniuges, quos generaliter mortales reputant, quoties ad copulam non ordinantur.

200 Mortaliter nõ delinquit. Non delinquit mortaliter, sed venialiter solum. Quia cum tactus ille suapte natura sit indifferens ad copulam coniugalem, vel ad illicitam

citam: possitque ad vnam, vel ad alteram referri nec ex intentione tangentis se à sua natura & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur: non est cur de culpa lethali sit damnandus. Sicut nec morosa delectatio copulæ cum coniuge absente tribuitur culpæ mortali eo quod referri potest suapte natura ad coniugalem copulam, licet actu non dirigatur. Ità Sanchez *lib.9. dub.44.num.16.* Fauent Palud. *in 4.dist.31.q.3 a.2,n.17.* & Ludou. Lop. *p.1. Instruct.cap.87.* dum asserunt, esse mortalem huiusmodi tactum, quando adest pollutionis periculum: vndè extra hunc casum non videntur de lethali damnare.

201 *Huic hæreo sententiæ.* Huic sententiæ adhæreo. Quia dici absolute non posse credo, eum tactum non esse actum coniugalem, quia non habetur cum coninge. Nam vt actus coniugalis sit, non desideratur, eum cum coniuge fieri: sed satis est, vt ad coniugium præsens suaptè natura referri possit, nec ab hac natura ex intentione illo vtentis debet.

DVBIVM LXIII.

An liceant coniugatis delectationes morosæ, & tactus, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum coniugalem exercere?

202 *Minime licet.* MInime licent. Quia talis est delectatio, quale obiectum: sed tunc accessus ad cõiugem est lethalis: Ergò lethaliter delinquent huiusmodi delectationibus, ac tactibus dantes operam. Sic Abul. *ad cap. 5. Mat. quæstion.197.*

203 *Licent quidẽ.* Licet coniugibus delectatio partis sensitiuæ de coitu cogitato capta etiamsi illis nec petere nec reddere liceat, quia mutuo consensu votum castitatis emisere. Liciti etiam sunt eis tactus dummodo non sint verendorum, aut partium illis vicinarum. Quia cum permaneat matrimonium, & copula sit solum illicita ob extrinsecam voti circumstantiam: non ideò illicita erunt delectatio, & tactus. Et quia ob id delectari licet in carnium esu in Quadragesima, cũ nunquam liceat in re ab intrinseco mala; quia ab illo, vt potè qui ratione solius extrinsecæ prohibitionis Ecclesiæ est illicitus, potest præscindi malitia. At vsus illius matrimonij non est ab intrinseco prohibitus, sed ratione extrinsecæ voti circumstantiæ: Ergo licebit in illo delectari. Ità Docti Neoterici, quos presso nomine memorat P. Sanchez *libr. 9. dub. 44. numer.20.*

204 *Auctoris iudicium.* Ego autem vnam, & alteram sententiam ex parte admitto, & ex parte reiicio. Quoties copula interdicitur coniugibus ob circumstantiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem ab vsu matrimonij arcet: licita est talis delectatio appetitus sensitini de copula cogitata vt præsenti; liciti sunt etiam tactus eo pacto, quo liciti essent eo secluso impedimento: vt si illicita sit copula propter notabile salutis abortusve periculum, &c. Quia tunc suapte natura est licitus vsus matrimonij & ab extrinseco prohibetur. Idem affero, quando concubitus est interdictus ratione alicuius præcepti Ecclesiæ: vt si coniux contraxit affinitatem, cognationemve cum altero coniuge, ratione cuius à debiti petitione arcetur. Quia adhuc impedimentum est extrinsecum. At quoties coniugi interdicitur debiti petitio, eo quod dubius sit de valore matrimonij mortale est partis sensitiuæ de copula cogitata delectatio. Quia matrimonium eam delectationem cohonestans est dubium, ac proinde dubia etiam erit illius delectationis honestas. Denique multo probabilius reor, contra sententiam secundam, quando ratione voti non licet coniugi petere, nec reddere nullatenus esse licitam delectationem partis sensitiuæ, aut tactus, sed culpam esse lethalem aduersus votum. Quia vouens absolute castitatem, tenetur in quantum potest abstinere ab omnibus illis, quæ castitati aduersantur: solum ad quod lex iustitiæ matrimonij obligat, nempè reddere debitum, quando solus ipse vouit, sed seruata matrimonij lege, potest abstinere ab illa delectatione & à tactibus, dum non petuntur. Ergo tenetur. Denique si alter, vel vterque coniux vouisset, solummodo, si non petiturum debitum, omnia hæc illis licerent. Quia non aduersantur illi voto, quod solum interdicit debiti petitionem: & ex alia parte sunt suapte natura illis ratione matrimonij licita.

DVBIVM LXIV.

An tactus, delectationes morosæ, aspectus, verba turpia inter coniugatos sint, licita ratione periculi pollutionis in alterutro coniuge præuisi?

205 *Tactus præsertim sunt illiciti.* ILicita non sunt, tactus speciatim. Quia licet coniuges dent operam rei licitæ, at tactus illi sunt causa per se pollutionis, & notabiliter ad illam habendam influens. Sic Palud. *in 4. dist.31.art.2.numer.17.* D. Antonin. *3.part.titul. 1. cap. 20.* Angel. *verb.Debitum.numer.26.* Sylvest. *ibi,quæs.7.* Armil. *numer.8.* Caiet. *verb.Matrimonium,cap.vltim. §. vltim.* Rosel. *verb.Debitum,numer.12.* Henriquez *libr. 11. cap.16. nu. 6.* Manu. *to.1. sum.c.211.num.1.* Sà *verb.Luxuria, §.Oscula.* & alij.

206 *Cuncta sunt licita, quibus tactus vacant.* Licita sunt, etiam tactus in reddente. Quia dat operam rei licitæ, ad quam ex iure alterius obligatur. Et quia culpa vacant ij tactus exerciti cum periculo pollutionis vbi adest causa vrgens, vt suppono *extrat. de Luxuria ad 6. præc.* At satis vrgens causa est, reddendi tactus ab altero coniuge exactos. Id tamen temperarim, nisi tactus tales sint, & ita ad pollutiones tendant, vt sint velut inchoata pollutio. Imo in coniuge petente non semper sunt mortales tactus hi cum pollutionis periculo in se, vel in altero coniuge, quando nec ea est intenta, nec consensus periculum, (sed erunt mortales, quando absque causa vrgenti exercentur.)

Quia

Quia licet hi tactus sint causa per se pollutionis, at excusat tali causæ operam dantem vrgens causa. Ita Nauar. *sum. c.* 16. *n.* 42. Sanch. *l.* 9. *d.* 45. *a. nu.* 34.

207 *Quæstionem quibusdam verbis explicat.*

Eiusdem mentis sum. Vt autem doctrinam planiorem reddam, hasce statuo resolutiones. Tactus impudici in coniuge petente cum pollutionis in se, vel in altero coniuge periculo, nisi in eo loco sint, vbi, adueniēte periculo, possint facile copula vti, vt pollutionem vitent, semper culpa est lethalis. Quia hi tactus necessarij non sunt inter illos ad mutuū amor indicandū, sed solū quo se ad copulā statim habēdā præparent: & alio ex capite notabiliter pollutionē excitant. Amplexus, oscula, & alij tactus soliti inter coniuges exerceri, ad indicandum, ac fouendum mutuum amorem turpitudine carentes, minime damnandi sunt de culpa lethali ob periculum pollutionis præuisæ: quando non nimia voluptas adest, nec incitādo pollutionem, sed tanquam indicia amoris exhibendo, exercentur, represso tamen excessu libidinis insurgentis. Et in hoc casu tempero primam sententiam generatim damnantem huiusmodi tactus. Quia causa vrgēs adest hoscetatus exercendi, vt mutuus amor inter coniuges indicetur ac fouearur. Tactus, quo coniux semet ipsum attingit cum pollutionis periculo, culpa lethalis est. Quia ad eam valde influit, nec causa vrgens illum exercendi adest. Delectatio morosa cōiugis in copulæ coniugalis cogitatione, quam secluso pollutionis periculo superius dixi non esse lethalem, eo periculo præuiso, culpa lethalis efficitur. Quia est res ad venerem pertinens, valdeque ad pollutionem incitans, & causa vrgens prorsus desideratur. Aspectus, ac verba turpia cum delectatione venerea sufficienti ad culpam lethalem inter solutos quamuis inter coniugatos, secluso pollutionis periculo, ab ea excusentur: (de quo supra) minime ab ea excusātur, eo periculo existēte. Quia valde iuuāt ad pollutionem habendam, & iusta causa deficit. Denique non iudico, esse mortale in coniugatis, per tactus, aspectus, ac verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata consurgentem dare causam commotioni membrorum, quæ generationi deseruiunt, & in distillationes præuisas incurrere: quamuis inter solutos teneo esse id esse lethale. Quia hoc non est grane damnum generationis in tali casu: & aliunde ea spirituum commotiones in eis vacāt culpa lethali, vt benè Sanch. *l.* 9. *d.* 45. *num.* 3. & *v. Impudicitia, & v. Oscula.* Sotus *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *a.* 2. Angl. Florib *p.* 1. *q.* 8. *de imped. matr. a.* 1. *dub.* 9. *conc.* 1. Pedraza *sum præc.* 6. §. 5. & aliqui Neoterici docti, & videtur tenere Henriq. *l.* 11. *c.* 19. *n.* 4. dicens, olim fuisse licita, modo minime.

Licita sunt.

Oscula, & amplexus, aliique tactus non impudici à piaculo excusantur inter sponsos. Quia sicut matrimonium cohonestat copulam, ita sponsalia, quæ quoddam matrimonij sunt initium, cohonestare debent huiusmodi tactus, qui inchoatio quædā sunt copulæ. Præsertim quia sic magis fouetur amor inordine ad matrimonium. Et quia ex eo, quod inchoatus sit matrimonij contractus per verba de futuro, data est de præsenti ex natura rei maior facultas ad actiones, quæ ad matrimonialem copulam ordinantur. Ita Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 18. & *c.* 16. *nu.* 12. Veracr. *append. ad* 9. *de condit. matr.* Medina *l.* 1. *sum. c.* 14. §. 18. Valēt. *to.* 2. *d.* 9. *q.* 3. *pun.* 3. Sà *v. Luxuria*, §. *oscula, & tactus.* Sāch. *l.* 9. *disp.* 46. *n.* 46. Barth. à Ledes. *dub.* 14. *de matr.* Petr de Ledes. *de matr. q.* 13. *a.* 1. *dub. vlt.* Gutier. *l.* 1. *qq. Canonic. c.* 22. *n.* 17. & ferre omnes Neoterici.

209 *Auctoris sententia exponitur, veraque Doctrina patefcit.*

Ego quidem horum Doctorum mentem, cui hæreo, planam reddam, & illustrabo. Primū, existimo, veram esse hanc sententiam, si de culpa lethali sermo sit, quamuis sponsi intendant eam delectationem sensitiuam, quæ ex ipsis amplexibus ac osculis oritur. Quia sponsalia, quæ matrimonij initium sunt huiusmodi delectationem à mortali excusat, quæ copulæ inchoatio est, & in omnino solutis est culpa lethalis. Est tamen moderanda conclusio, dummodo non adsit periculum copulæ, vel consensus in eam, aut pollutionis. Tunc enim essent hi tactus lethale piaculū. Deindè amplexus & oscula habita inter sponsos de futuro in benēuolentiæ documentum, & ad conciliandum, fouēndumque mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum licita sunt omnino, & sine veniali piaculo poterunt exeri. Quia finis est honestus, si vero finis sit delectatio, erunt culpa venialis. Quia etiam inter coniugatos sunt similis culpa, quādo propter eum sinē habentur. Præterea tactus impudici nullatenus eis licitī sunt. Quia proximiores sunt copulæ: ac proinde illis solis licent, quibus ipsa coniugalis copula est permissa. Vnde non permittendi soli esse sponsi, tum ob tactuum periculum impudicorum, tum ob ipsius copulæ periculum. Denique similiter licent sponsis aspectus, ac colloquia mutua, & frui possunt ea voluptate, quæ inde nascitur secluso pollutionis, consensuve in copulam periculo. Quia tactus cum ea voluptate licent. Intellige tamen licere, id est à lethali excusari, ac veniali, si adsit finis honestus. Nam si voluptas sit finis, erunt culpa venialis, vt de tactibus dixi. Intellige etiam, modo aspectus non sit valde impudicus, id est partium verendarum.

DVBIVM LXV.

An sponsis de futuro licita sint oscula, amplexus alīque tactus, cum non adsit pollutionis, nec consensus in copulam periculum?

208 *Non sunt licita.*

LIcita hæc non sunt. Quia ideo solutis non licent, nam eis interdicta est copula: hæc autem similiter est sponsis de futuro interdicta. Et quia sunt eiusdem malitiæ moralis cum ipsa copula inter eos est lethalis. Et quia solum matrimonium delectationem tactuum cohonestat. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 33. *q.* 3. *a.* 2. *n.* 17. & Suple. Gabriel. *ibi. q. vni. a.* 3. *dub.* 2. Caiet. *sum. Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II.

DVBIVM LXVI.

An sponsis de futuro liceat, delectatio captata ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione?

210 *Distant quidē.* NOn est mortalis delectatio appetitus sensitiui, quæ consurgit ex cogitatione copulæ habendæ tempore coniugij, dummodo absit periculū pollutionis, & consensus in aliquod mortale piaculum. Quia ea delectatio est de obiecto licito: talis autē est delectatio, quale obiectum, teste Arist. 3. *Ethic.* Sic Victor. quem refert, ac sequitur Medina 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. *dub.* 3. Zumel. *ibi*, §. *d.* 4. *d.* 3. & quidam Neoterici, vt refert Cordu. *in qq. l.* 1. *q.* 23. *dub.* 13. ipseque clare sentit probabilem esse sententiam. Nam oppositam tantum appellat tutiorem, & fortè veriorem. Addit autem Zumel, veniale esse sic delectari.

211 *Non licent.* Mortalis est delectatio huiusmodi. Quia ille actus appetitus sensitiui semper fertur in copulam præsentem vt præsentem, cum præsenti commotione, ad illamque ordinatur, & est quædam ipsius inchoatio: At copula præsens solis coniugatis est licita. Porrò à fortiori mortale est delectari in appetitu sensitiuo de copula cogitata sub conditione, si adesset matrimonium. Quia quamuis consensus, & desiderium ferantur in actum sub conditione, & proinde licitum sit in eum actum consentire, illumque desiderare sub conditione matrimonij: at delectatio illæ præsens appetitus sensitiui non potest ferri in actum sub conditione, sed in actum præsentem, & vt talem apprehēsum. Ità Caiet. *Opusc. to.* 1. *tr.* 14. *de delect. mor. dub.* 1. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 212. *n.* 3. Vega *to.* 1. *sum. cap.* 81. *casu* 2. Armil. *v. Delectatio nu.* 4. Nauar. *sum. c.* 16. *n.* 9. Graf. *p.* 1. *decis. l.* 2. *c.* 78. *n.* 9. Sanch. *l.* 9. *d.* 47. *n.* 4. & 5. & alij.

212 *Idem censeo.* Idem censeo. Quia sicut externa delectatio venerea, quam constans matrimonium nō cohonestauerit, mortalis erit: ita interna, quæ eiusdem rationis est. Nec eius malitia, aut bonitas æstimanda sunt ex copula futura, sed ex præsenti, ad quam tendit. Hæc circa debitum matrimonij. Plura alia digesseram ad hanc materiam necessaria Confessariis: quæ quidem à Tiraquello, Thoma Sancio, Diana, Leandro, Ledesma, *reliquisque Doctoribus de Sacramēto Matrimonij scribētibus vbertim enodata lubens omitto. Ne quæstiones, quæ vix modestis terminis explicari valent, meo in volumine forte aures rursum offendant.*

CAPVT II.

Circa Diuortium

DVBIVM LXVII.

An vxor possit à marito adultero separari?

213 *Nonnulla suppono.* VIdimus *lib.* 25. *sect.* 1. adulterium vxoris, causam sufficientem esse, vt maritus possit ab ea diuertere quoad thorum & cohabitationem. Quia Christus Dominus *Mat.* 19 fatur: *Quicumque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, &c.* & quia id *Cap. significasti. Cap. Gaudemus, cap. Ex literis, de diuort.* præscribitur. Omnibus Doctoribus attestantibus propositionem hanc esse certam de fide. Lege Basilium *l.* 9 *c.* 16. *à n.* 3. Bonac. *q.* 4. *de matr. pun.* 5. *n.* 2. Coninch. *d.* 35. *sub.* 1. Quæsierim vero, num etiam vxor possit ab adultero marito quoad thorum separari?

214 *Vxor separari non potest.* Minime potest. Quia Christus Dominus *Mat.* 5. & 19. legem hanc diuortij explicans innuit vxorem & maritum quoad hoc haud esse pares, dum de solis viris gesserit mentionem. Et eodem pacto eorum solummodo meminere textus memorati. Nec est similis ratio, vt vxor valeat à viro adultero diuertere: quoniam vxoris adulterium infert iniuriam propter eius infamiam, ac prolis incertitudinem. Et quia saltim consuetudo iam inualuit, vt diuortium nō concedatur vxoribus ob viri adulterium. Vt testatur D. Basil. *in suis Canonib. can.* 9. & 21. Sic Caietan. ad illud *Mat.* 19. *Quicumque dimiserit vxorem.* Citat D. Ambrosium. *in* 1. *Corinth.* 7.

215 *Vxor potest separari.* Potest omninò: coniuges enim sunt pares in causa diuortij ex adulterio: & sicut maritus innocens potest ab adultera vxore diuertere: ita è contra vxor innocens potest ab adultero seiūgi marito. Quia pœnæ legales no ita strictim ponderant culparum quantitatem, ob quas imponuntur, sed satis est, si in vtroque delicto inueniatur pœnæ infligendæ causa sufficiens: Vt omnia homicidia capitis pœna plectuntur inter quæ aliqua esse grauiora, nemo dubitat. Cum ergò fidei fractio, quæ est causa diuortij in adulterio tam viri, quam vxoris: reperiatur, ob vtrumque concessum est diuortium: licet hoc maiorem iniuriam matrimonio irroget. Ita D. Tho. *in* 3. *dist.* 35. *q. vni. a.* 4. Habetur expresse *c. fin.* 32. *q.* 5. *c. Placuit.* 32. *q.* 7. Magist. *in* 4. *dist.* 45. Albert. Mag. D. Bonau. Durand. Richar. Sotus, Palud. & alij vsque ad 68. Doctores quos refert, ac sequitur Sanch. *l.* 10. *d.* 3. *n.* 6. Basil. *l.* 9. *c.* 16. *n.* 4. Hurtad. *d.* 11. *diffic.* 2. *n.* 6. Bonac. *q.* 4. *pun.* 5. *n.* 6. & alij

216 *Auctoru ratio soluitur.* Equidem sententiam Caietani prorsus falsam ac temerariam esse affirmo: contrariam enim definit Innocens. I. *Epist.* 3. *ad Exuperi.* & refertur *c. fin.* 32. *q.* 5. & Concil. Mileuitā. *can.* 17. & refertur. *c. Placuit* 32. *q.* 7. Porrò Sapiēs ipse Caietanus mutauit consiliū *to.* 1. *Opusc. tr.* 29. *de reddit. Debiti inter coniuges, altero adulterante.* Vnde nostrum dubium dissoluitur, cum probabilis nullatenus sit prima sententia.

DVBIVM LXVIII.

An maritus deserens vxorem adulteram, quoad thorum & habitationem: possit eam quoad curam, ac disciplinam deserere?

217 *Non potest recedere ab eius cura.* VIr ab adultera recedēs vxore quoad thorū & habitationem, haud potest recedere ab eius cura, ac disciplina, nisi post pœnitentiam Septennē ab ipsa paratā. Quia Stephanus V. *c. Admonere, 33. q.* 2. profatur. *Post Septem annos pœnitentia peracta, dimittere eam potest si*

ſi voluiſſes. Sic Goſſred. & Rofenſ. ad *cap. illud*, provt eos refert ibi Archidiac. *n.* 3.

218 *Poteſt ab vxore cura recedere.*

Poteſt ab vxoris cura, ac diſciplina mox omnino recedere haud expectata ſeptenni pœnitentia. Quia indiſtincte Chriſtus Dominus ait licere viro ab adultera ſeparari *Mat.* 5. & 19. Ita Archidiac. *citat.* & Bellam. ad *c. illud n.* 2. referentes Hugonem, & Laurentium. Sanch. *l.* 10. *d.* 3. *n.* 3.

219 *Hæc mihi vera videtur.*

Hanc ſententiam veram eſſe, primamque omnino improbandam iudico: Quia Stephanus manifeſte à minori ad maius argumentatur hoc modo: ſi poſt ſeptennem pœnitentiam poterat vxor adultera omnino dimitti: à fortiori antè illam.

DVBIVM LXIX.

An diuortium ob adulterium coniugis licitum ſit ſolum ex iure diuino poſitiuo?

219 *Sola eſt licitus ex iure diuino poſitiuo.*

SOlum eſt licitum ex iure diuino poſitiuo, non ex iure naturali. Quia diuortium ratione adulterij nunquam antè Euangelicam legem innotuit: nullum enim in veteri teſtamento huius legis veſtigium inuenitur. Sed adulteræ pœna fuit lapidari, adultero autem nulla eſt indicta pœna. At ſi eſſet ex lege naturæ fuiſſet in aliquo veteris Teſtamenti loco declaratum: vt multa alia non æque neceſſaria ſunt inibi expreſſa. Sic Caſtro *l.* 2. *de lege pœnali, c.* 4.

220 *Licitum eſt, non ſolum ex iure diuino poſitiuo.*

Licitum eſt diuortium non ſolum ex iure diuino poſitiuo, ſed etiam ex matrimonij natura, & ita de iure naturali. Quia ex contractus matrimonij natura oritur, vt coniuges mutuam ſibi ſeruare fidem, quoad thorum, habitationem, ac reliqua miniſteria teneantur: At ipſummet ius naturæ dictat, vt frangenti fidem fides non ſit ſeruanda. *c. Peruenit. el* 2. *de iureiran. cap. ſi infidelis* 28. Ergo ex vi matrimonij, & ipſo naturæ iure coniux cui alter adulterans fidem fregit, minime teneatur illi fidem ſeruare, ſed poſſit ab ipſo diuertere. Ità Sotus *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt. vnic. a.* 1. *concl. vni.* Henriquez. *l.* 11. *cap.* 17. *numer.* 1. & 6 Petr. de Ledeſ. *quæſt.* 62. *art.* 1. *concl.* 1. Baſil. Ochaga. Hurtad. quos citat, & ſequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 26. *q.* 5. Sanch. *l.* 10. *d.* 3. *num.* 4.

221 *Hæc mihi vera.*

Hanc ſententiam cenſeo veriorem eſſe. Quia contractus promiſſionem includens non obligat ſuapte natura, rebus notabiliter mutatis, vti accidit, coniuge altero adulterante. Qua ratione textus *cap. Quemadmodum. de iureiur.* vtitur ad probandum, ſponſalia dirimi, ob alterius ſponſi fornicationem. Cum ergo matrimonij contractus claudat ſponſionem redditionis debiti, ac mutuæ habitationis, altero coniuge in adulterium lapſo, eximetur innocens ex vi naturæ ipſiuſmet contractus ab huiuſmodi obligatione.

* *
*

DVBIVM LXX.

An tactus impudici, vt amplexus, oſcula, &c. quæ vxor cum alieno habuit, præbeant iuſtam diuortij perpetui cauſam?

222 *Iuſtã præbent diuortij cauſam.*

IVſtam præbent cauſam. Quia iniuria irrogata viro ob adulterium in cauſa eſt, vt ſoli viro competat ad diuortium, dotemque amittendam accuſatio: ſed aliquãdo maior iniuria irrogatur viro per oſculum, vt ſi publicum ſit, adulterium verò occultum: Ergo oſculum ſufficiet: nam vbi eadem eſt ratio idem eſt ius. Et quia feudum amittitur ob iniuriam illatam Domino turpiter eius vxorem tangendo *l.* 1. §. 1. *Quibus modis feudum amittitur.* At maiori afficit iniuria maritum vxor turpes tactus admittens. Sic Barth. Lupus, Caſtillo, Bern. Diaz Crottus, Carrer. Catelliã. Lara, & alij apud Sanciũ *citãdũ.*

223 *Non præbet iuſtam cauſam diuortij.*

Non præbet cauſam iuſtã. Quia diuortij fundamentum, ac radix eſt carnis in aliam diuiſio: quæ in oſculis, aliiſque tactibus minime reperitur. Præterea quia pœnæ imponendæ nõ ſunt niſi in caſibus iure expreſſis. *Authent de eligendo ſecundo nubentes.* §. *Cum igitur corolar.* 1. Cum igitur in iure ſolum cõcedatur diuortium, doſque amittatur ob adulterium, extendendum nõ eſt ad oſcula, & amplexus, eo vel maximè quod ſi extenſio fieret de adulterio ad oſculum, eſſet arguere de maiori ad minus, quod pœnalibus abſurdiſſimũ eſſe quis nõ videat? Ità Couar. 4. *Decret. p.* 2 *c.* 7. §. 6. *n.* 8 Sotus *in* 4. *diſt.* 36 *q. vni. a.* 1. Angl. *p.* 1. *de matr. q.* 9 *de diuort. a.* 1. *difficul.* 1. Nauar. *Rubr. de diu.* & alij plures refert, ac ſequitur Sanch. *l.* 10. *d.* 4. *n.* 12 Baſil. *l.* 9. *c.* 16. *n.* 5. Palaus, *d.* 3. *punct.* 6. §. 1. Perez *de matr. d.* 56. *ſect.* 2. *n.* 8. Diana *p.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 38.

224 *Auctoris ius dictum.*

Mihi quidem veriſſimum eſt, ſolos tactus quantumuis impudicos, ac animo ad adulterij perueniendi habitos, eo non ſecuto, nec diuortio, ac dotis amiſſione iuſtam cauſam exhibere. Quia vel certum eſt non adfuiſſe adulterium, & tunc non eſt, cui pœna ordinaria adulterij, quæ eſt diuortium, ac dotis amiſſio imponatur vel id non conſtat: & tunc cum requiratur ad hoc præſumptio violenta *cap. Literis, de præſumpt.* non debet imponi pœna ordinaria ob tactus huiuſmodi, non interuenientibus aliiconiecturis, quæ violentam præſumptionem inducant.

DVBIVM LXXI.

An pollutio habita cum vxore diſſentiente, ſit iuſta diuortij cauſa?

225 *Eſt iuſta diuortij cauſa.*

POllutio cum diſſentiente vxore extra pudoris clauſtra iuſta eſt cauſa diuortij. Quia omne contra naturã peccatum eſt dinortij cauſa: ſed illud eſt piaculũ contra naturã: Ergo. Sic Alberic. referẽs Laurentium *dictionar. lit. M. v. Matrimonium.* Abul. *ad c.* 19. *Mat. q.* 65. D. Antonin. 3. *p. tit.* 2. *c.* 12. §. 5. Sà *v. Diuortiũ, n.* 1. Barth. à Ledeſ. *dub.* 65. *concl.* 2. Palud. Caſtro, Viguer. Petr. de Soto, & alij, apud Sancium *l.* 10. *d.* 4. *n.* 7.

226 Haud eſt iuſta diuortij cauſa. Quia vir nõ diuit

Non est iusta causa diuortij.

dit hoc casu carnem suam in plures, sed in propriam vxorem. Ita Rosel. *v. Matrimonium 7. n. 2.* Sylvest. *v. Diuortium, qu. 7.* Palac. *in 4. dist. 35. d. vni.* Tabie. suplem. Gabri. Gaëta, & alij, quos affert, & sequitur Sanch. *vbi s.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. n. 370.* Basil. *l. 9. c. 16. n. 5.*

227 *Quid Auctor?*

Ego quidem affirmo, id non esse causam perpetui diuortij. Quia si vir desistere nollet, posset vxor ratione periculi animæ, ne trahatur ad conniuendum illo in scelere, à viro diuertere. At diuortium illud non erit perpetuum, sed tantum ad tempus, dum vir non resipiscit. Quia non qualitas criminis est iusta diuortij causa, sed inductio ad peccandum. Quare tantum durabit diuortium, donec inductio illa cesset.

DVBIVM LXXII.

An pollutio extraordinaria habita cum tertia alia persona non vxore, sit iusta causa diuortij?

228 *Est iusta causa.*

ESt quidem. Quia est grauius peccatum, quã adulterium. Et quia læditur matrimonium, cum prodigatur semen viri debitum. Sic Laurent. *c. Omnes causationes 32. q. 7.* Alberic. *Dictionar. lit. M. verb. Matrimonium* 8. §. 1. Abul. *Mat. 19. q. 7.* Gaëta *repetit. c. Ad limina. 30. q. 1. §. 4. n. 211.* Sà *v. Diuortium, n. 3.*

229 *Non est causa iusta.*

Minimè est iusta diuortij occasio. Quia non integrè, ac consummatè matrimonium læditur cum non diuidatur caro viri in aliam per concubitum: quæ diuisio est diuortij radix. Ità Henriq. *lib. 11. c. 8. num. 13. liter. C.* Nauar. *lib. 4. consil. tit. de diuortio, consil. 1.* Petr. de Ledes. *quæs. 62. a. 1. dub. 4.* Bonac. *q. 4. de matr. pun. 5. num. 5.* Palac. Angl. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *l. 10. d. 4. n. 9.*

230 *Cum his opinor.*

Nil confert ad diuortium, illam extra ordinariam pollutionem grauius esse peccatum. Cum odium Dei ac blasphemia longè grauiosa sint adulterio, & ad diuortium non sufficiãt. Sed attendendum est, num repugnet fidei matrimonij, illudque offendat. Vndè secundam sententiam merito præferendam duxi.

DVBIVM LXXIII.

An coniugũ Sodomia sufficiens causa sit ad diuortium gerendum?

231 *Causa sufficiens est.*

ESt causa sufficiens. Quia cum matrimonium eò tendat, vt efficiantur coiunges vna caro, iuxta illud: *Et erunt duo in carne vna Gen. 2.* violat perfectè ille coniux, consummatéque matrimonij fidem carnem suam in aliã, vel in alium diuidens: indéque oritur ius diuortij. Violanti enim perfectè matrimonij fidem suam diuidendo carnem, alter non tenetur seruare fidem cohabitando, aut debitum ei reddendo. Cum autẽ diuisio hæc carnis perfectè reperiatur in omni concubitu siue naturali, siue sodomitico, hinc est, vt vtérque sufficientem diuortio causam exhibeat. Sic D. Tho. *in 4. dist. 35. q. vni. a. 1. ad 4.* D. Bonau. *ibi, quæs. 1.* Durand. *q. 1. art. 1.* Richard. & Palud. *ibid.* Sotus *dist. 39. qu. vnic. a. 1.* Henriq. *l. 11. c. 8. num. 13.* Sanch. *l. 10. d. 4. n. 3.* Petr. de Ledes. *quæs. 62. a. 1. dub. 4.* Hurtad. *d. 11. diffic. 2. n. 7.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. n. 366.* Coninch *d. 35. n. 5.* Lublin. *v. Diuortium, num. 8.* Villalob. *tr. 15. diffic. 1. num. 1.* & alij plures.

Non est sufficiens causa.

Non est sufficiens causa. Quia ob solam causam adulterij Christus Dominus diuortium permisit. *Mat. 5. & 19.* sodomia verò coniugati, vel coniugatæ haud est propriè adulterium. Et in pœnis benignior est interpretatio accipienda *Reg. In pœnis, de reg. iur. in 6.* Et quia coniuges sola legitima membra, & eorum vsum necessarium ad generationem videntur mutua fide sibi ipsis obligare: ac proinde sodomiticus vsus saltem patiendo, cum non obstet vsui naturali necessario ad generationem, non videtur huic fidei nocere. Non ergo est legitima diuortij causa. Ita Florian. *cap. Meritis.* Ludou. Roman. *Rubri, ff. solut. matrimon. nu. 20.* Glos. *c. Omnes causationes, v. Sodomita, 32. quæs. 1.* Cardin. *cap. Maritus.* Aluar, Pelagi. *de planctu Eccl. 2. art. 2.* Abul. *ad capit. 5. Mat. quæs. 233.* Palac. *in 4. dist. 27. dub. 3.* & alij.

Auctoris sententia.

Non audeo à priori sententia recedere, quã video communi consensu à Doctoribus approbari, quidquid sit de ratione fundamentali qua nititur & speculat suis considerationibus.

DVBIVM LXXIV.

An Sodomia passiua det iustam diuortij causam?

Non dat iustã diuortij causam.

NOndat iustã causam, quando sodomia est actiua, vt si vir sodomitice fœminam aut marem cognoscat: secus si vir, aut vxor copulã sodomiticam patiantur. Quia patiens nõ emittit semen, nec vas alteri coniugi debitum tradit, nec generationis membro abutitur. Sic aliqui quos presso nomine, memorat Veracr. *p. 3. specu. a. 1. concl. 2.*

Dat quidem.

Dat equidem iustam diuortij causam. Quia caro coniugis patientis perfectè in aliam agẽtis diuiditur: sicque fides matrimonij violatur: Ita Abul. *ad c. 19. Mat. q. 68.* Veracr. *citat.* Rosel. *v. Matrimonium, 7. n. 1.* Astens. Vincent. D. Antonin. Barbat. Monald. Angl. Vega, quos refert Sanch. *l. 10. d. 4. n. 3.* & sequitur *n. 4.*

Idem asserо.

Idem asserо. Quia diuisio hæc carnis perfectè in omni concubitu siue naturali, siue sodomitico reperitur. Quare Christus Dominus *Mat. 5. & 19.* declarans diuortium fornicationis ratione licere, nomine fornicationis omnẽ illũ concubitum, per quem caro coniugis diuiditur in aliũ, inclusit. Quam rationẽ haud obscurè significauit D. Hieronymus *in c. 19. Mat.* explicans, quonãmodo liceat ratione fornicationis vxorẽ dimittere, (& refertur *c. Dixi Dominus, 32. q. 1.*) ibi: *Cũ illa vnã carnẽ in aliam diuiserit, & se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri.* Idem dixerim de sodomia inter duas fœminas commissa, quam esse veram sodomiam D. Tho. testatur *2. 2. q. 154. a. 11.* & puniri pœna ordinaria, quando instrumento aliquo

aliquo medio perpetratur docet Anton. Gomez *l. 8. Tauri, n. 34.*

DVBIVM LXXV.

An vir patrans Sodomiam perfectam cum vxore inuita, exhibeat, iustam perpetui diuortij causam?

237 Exhibet quidem. Quia omne peccatum contra naturam dat legitimam diuortio causam: At hoc crimen contra naturam esse, quis debitet? Sic D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *capit.* 30. §. 3. Monal. quem citat Sanchez *lib.* 10. *dub.* 4. *num.* 3. Astens. *sum.* 2. *p. lib.* 8. *titu.* 11. *art.* 3. *qu.* 7.

238 Non exhibet. Minime exhibet. Quia vir non diuidit hac in copula carnem suam in aliam, cum propria sit patiens vxor. Ita Tabie. *v. Matrimonium* 4. *q.* 2. *n.* 3. Palac. *in* 4. *dist.* 35 *d. vni.* Sanch. *citatus*, id colligens ex Rosel. & Syluest.

239 Ita haec. His hæresens iudico hoc non esse perpetui diuortij gerendi causam, nisi ad tempus, dum vir desistere ab infando illo scelere renuit, ob spirituale damnum, quod animæ infert vxoris.

DVBIVM LXXVI.

An naturalis copula absque seminis intra vas effusione iusta sit diuortij occasio?

240 Ita quidā sen. Est profecto. Quia est peccatum contra naturam, & saltem impudicus tactus, qui fidem violat matrimonij. Sic à fortiori Bartol. Lupus, Castillo, Bernar. Diaz, & alij plures, qui apud Sancium *l.* 10. *d.* 4. *n.* 11. nituntur oscula, & amplexus dare iustam diuortij causam.

241 Ipsa causa ista est. Non est diuortij occasio. Quia hoc in casu non est consummatus concubitus, sed attentatus: nec caro coniugis in aliam diuiditur, sed diuidi attentauit. Ità Sanch. *ibi, n.* 13. Hurtad. *d.* 11. *diffic.* 2. *num.* 8. Filliuc *tr.* 10. *part.* 1. *num.* 366. Palaus *d.* 3. *pun.* 6. §. 1. *n.* 1.

242 Auctoris resolutio. Crediderim, copulam siue naturalem, siue sodomiticam, quæ fit penetrato vase, seminè tamen minime intra illud emisso, haud exhibere iustam diuortij causam: secus si semen intra vas naturale vel præposterum immitteretur absque eius penetratione. Quia in priori casu non est concubitus consummatus, vt fert secunda sententia. Vnde non incurrit diuortij pœnam ille coniux tanquam non reus perfecti adulterij, perfectaue sodomiæ. At in posteriori est delictum omninò consummatum. Scio, nulli vsui deseruire priorem meæ resolutionis partem, cum nunquam coniugi innocenti possit constare, alterum adulterij reum minimè semen emisisse. Porrò deseruiet ipsimet adultero, qui compensare non tenebitur eam copulam imperfectam cum alterius coniugis adulterio: De quo inferius.

* *
*

DVBIVM LXXVII.

An Bestialitas præbeat diuortij occasionem?

243 Non præbet. NOn præbet. Quia cum carne diuersæ naturæ admiscetur coniux. Sic Abul. *ad c.* 5. *Mat. quæst.* 253.

244 Præbet quidē. Præbet quidem. Quia verè coniugis caro in aliam diuiditur, nempè in carnem bestiæ, cui copulatur sicut quando vir viro sodomice admiscetur. Ita Veracr. *p.* 3. *spec. a.* 1. Sanch. *lib.* 10 *d.* 4. *n.* 15.

245 Cum his opinor. Cum his opinor. Quia nil refert admisceri cum carne eiusdem, aut diuersæ naturæ cum ad diuortium inpertinens sit, an possit ex copula generatio sequi: alias sodomitica nullatenus esset, diuortij causa.

DVBIVM LXXVIII.

An concubitus cum fœmina exanimis cadauere iustam exhibeat causam diuortij.

246 Causam exhibeo. EXhibet. Quia est saltem molliciei peccatum quod insta est diuortij causa: nam est grauius peccatum, quam adulterium. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *a.* 1. *concl.* 3. *nu.* 8. Abul. *ad c.* 19. *Mat. q.* 67. & 70. Gaëta *repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 213. Veracr. *p.* 1. *spec. a.* 1. *concl.* 1.

247 Non exhibet causam. Minimè exhibet. Quia concubitus cum mortua fœmina non est propriè fornicatio: sed quasi concubitus cum statua mulieris. Ità Sanch. *l.* 10. *d.* 4. *n.* 14. Bonac. & Filliuc. quos refert, ac sequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 26. *q.* 13. asserens communem esse sententiam.

248 Eiusdem sententiæ. Non credo esse iustam diuortij causam concubitum perfectū cum fœmina aut bestia mortuis. Quia non sit verè vnius carnis in aliam diuisio similiter asseruerim, si vir in balneo existēs semel voluntariè expellat, & matrix alicuius fœminæ illud mox ingredientis, vel iam existentis illud attraheret. Quia fuit præter viri intentionem vnde non fuit ex eius voluntate perfectus concubitus.

DVBIVM LXXIX.

An detur, compensatio adulterij vtriusque coniugis, si alter adulteretur cum alieno, alter perpetret Sodomiam.

249 Septem præmitto casus, in quibus non sufficiat adulterium ad diuortium celebrandum. SCio, aliquos esse casus, in quibus non sufficiat adulterium ad diuortium celebrandum Primus est, quando vterque coniux adulterium commisit. Quia paria delicta mutua compensatione sopiuntur *c. significauit. i. e. Ex literis &c.* Secundus, quādo vir suam prostituit vxorem, seu lenocinium exercuit. Quia author ipse fuit adulterij. Tertius, quando vxor probabiliter credens, maritum suum obiisse, alteri nupsit. Quia vbi non est culpa pœna esse non potest. *cap. Cum per bellic.* 34. *quæstion.* 2. Quartus, quando vxor cognita fuit per fraudē ab aliquo simulante esse coniugem. Quia excusatur ab

adulterij culpa, & consequenter à pœna. Sextus, quando post commissum adulterium, vir adulterij conscius coniugi suæ conciliatus est dissimulatione tacita, vel expressa. Satis autem ad hanc erunt vel externa verba, quibus ea condonetur labes, vel copula aut etiam oscula, & amplexus *cap. si quis vxorem.* Septimus quam vxor tempore infidelitatis repudiata à viro ad aliud transiens matrimonium cognita fuit. Nam si ambo ad fidem conuertantur, non poterit repudians obiicere coniugi repudiato consummationem illius secundi coniugij. *cap. Gaudemus, de diuort.* His præmissis, quæsierim num detur compensatio adulterij, si alter coniux adulteretur cum alieno viro, vel fœmina, alter verò Sodomiam perfectam gerat?

250 *Compensatio non datur.* Ad iustam delicti compensationem in hoc casu faciendam opus non est, vt eadem fornicationis specie vtérque coniux sit infectus: sed satis est, vt sit eodem fornicationis genere dummodo is, qui compensare, eaque compensatione mutui delicti exceptione se vult tueri, sit leuioris fornicationis speciei reus. Vt adulter potest se tueri contra Sodomiam diuortium petentem: si tamen adulter diuortium intentet contra sodomiam non potest hic se defendere exceptione compensationis sui delicti cum adulterio alterius allegata. Quia suum delictum est grauius, ac subinde alterius piaculo impar. Sic Castro *l. 2. de lege pœn. c. 4.* Quand. *in 4. dist. 35 d. vni. propos. 1.* Hostiens. *c. fin. n. 4 de adult.* Ioan. Andr. *n. 1.* Anton. *n. 5.* Cardinal *statim in principio* Leand. *tr. 9. d. 26. q. 15.* & alij ab ipso *q. 11. citati.* Quia illa delicta in ordine ad diuortium sunt imparia, cum solum adulterium non ob sodomiam diuortium concedatur.

251 *Datur compensatio.* Ex vtraque parte datur compensatio, ac subinde neutri coniugi licet diuortium celebrare. Quia si paritatem criminis in ordine ad diuortium consideremus, (vt re vera est considerandа) vtrumque crimen est æquale: cum ob vtrumque (vt vidimus) diuortium concedatur. Si vero cõsideretur in ordine ad matrimoniũ, cui iniuria irrogatur cum grauior sit iniuria illi per adulterium, quã per sodomiam illata, adulteriũ grauius delictũ erit, atque ita adulter non poterit à sodomita diuertere. Ità Sanch. *l. 10. d. 6. n. 5.* Palud. *in 4. dist. 35. q. 1. a. 2. casu 1. n. 11.* Supplem. Gabri. *q. vni. a. 2. post. 1. conclus. casu 1.* Palac. Tabie. Gaëta apud Sancium *citatum.*

252 *Hoc teneo.* Cum his opinor. Imo idem asserendum iudicarim, quamuis alter adulterij, sodomiæ, bestialitatisque reus esset, alter autem solius adulterij. Neutri enim liceret diuertere: sed compensatio proculdubio daretur. Quia ad hoc sufficit paritatem criminum dari quoad hoc quod vterque carnem suam diuiserit contra fidem in matrimonio præstitam: quod est fundamentum diuortij; multiplicatio verò maior delictorum huic compensationi minimè obstat. Monuerim, ad hanc mutuam delictorum compensationem faciendam nihil referre vnum coniugum prius lapsum esse in delictũ, quam alterum. Quia iura solum ponderant vtrumque coniugem simili crimine iam infici, & neutrum matrimonij fidem illæsam seruasse, non habita ratione prioritatis seu posterioritatis delicti.

DVBIVM LXXX.

An coniux, qui plura adulteria patrauit, possit diuertere ab alio, qui vnum solummodo commisit?

Potest gerere diuortium. Quia tunc solum censentur crimina paria esse in ordine ad compensationem, quando paritas huiusmodi adest in quantitate. Sic Hostiens. *c. fin. nu. 4. de adult.* Ioan. Andr. *n. 1.* Anton. *n. 5.* Cardin. *statim. in principio.* 253 *Potest diuortium gerere.*

Minimè potest diuortium gerere. Quia cum vterque fidem matrimonij violauerit, delicta paria ad compensationem censentur. Iura enim fractionis fidei non autem numeri, aut grauitatis rationem habent. Ità Sotus *in 4. dist. 16. quæst. vnic. art. 1.* Angel. *part. 1. de matr. q. 9. de diuor. a. 1. diffic. 2. c. 1.* Sanch. *l. 10. d. 6. nu. 8.* Coninch *d. 35. n. 11.* Ochag. *q. 5. num. 3.* Filliuc. *tr. 10. p. 1. v. 175.* Hurtad. *d. 11. diffic. 3.* Basil. *lib. 9. c. 17. n. 4.* Villalob. *tr. 15. diffic. 1. n. 8.* 254 *Minime potest.*

Profectò minimè obstat adulterij mutui cõpensationi, si alter coniux plurima adulteria, alter autem vnum solum admiserit. Vterque enim fidem matrimonij violauit. Vnde merito Anan. *c. penult. nu. 6. de adult.* primæ sententiæ paritatem in quantitate, ac qualitate delicti requirentes, reprobat. 255 *Idem asserunt.*

DVBIVM LXXXI.

An peccet mortaliter coniux occulte adulter diuortium petens ab altero adulterio publice.

Quamuis adulterium alterius coniugis sit occultum, solique Deo cognitum, alterius vero publicum, nequit adulter occultus diuortium petere: sed tenetur publicum alterius coniugis adulterium compensare. Quia in foro conscientiæ occulto non desideratur probatio per testes, sed sola veritatis cognitio. Quare nil interest, an fornicatio secreta sit, necne, quando ipsi coniugi cõstat, se fornicatũ fuisse. Præterea, vxori adulteræ publicè, cuius vir occultum adulterium patrauit, non deficit ius excipiendi, vt crimen suum alterius crimine tollat: sed sola deficit probatio. Propter defectum verò probationis, & si in foro contentioso à causa cadat, non tamen in foro conscientiæ. Sicut qui re vera æs alienum contraxit, licet creditor probare nequeat, re vera est debitor, nec poterit simile debitum sibi recuperare, sed compensare tenebitur. Hoc commune apud Doctores. Quæsierim igitur, num adulter occultus petens diuortium à publicè adultero coniuge lethaliter delinquat, an solum venialiter? 256 *Nonnulla suppono.*

Non delinquit lethaliter, sed venialiter solũmodo. Quia cum coniux publicè delinquens fœdius matrimonij fidem deturpauit videtur aliquod ius occultè delinquenti exhiberi, vt non tam grauiter peccet petendo diuortium. Sic Henriq. *l. 11. c. 17. n. 3.* qui *lit. K.* pro se D. Thomam, Sotum, Sylvestrum, Nauarrum, & alios, eo quod solummodo dicant, peccare. 257 *Venialiter delinquit.*

Lethali

258 Lethaliter proculdubio delinquit. Quia cum res grauissima sit diuortium celebrare, si occultus adulter iure dimittendi caret, vt Doctores profitentur, non potest esse solùm venialis culpa tunc dimittere, diuortium celebrando. Ita Abulen. & Castro, quos affert, & sequitur Sanchez *libr.* 10. *num.* 9. Leand. & alij apud ipsum *tractat.* 9. *dub.* 26. *quæstione* 18.

Non delinquit solùm venialiter.

259 Idem affirmo. Quia licet iuxta Caietan. (quem sequitur Sanchez *l.* 1. *d.* 68. *n.* 4) concedatur coniugi occulte adultero, vt nō priuet se iure exigendi debitum, donec ab innocente coniuge illius adulterij conscio, eo iure priuetur: non tamen ipsi conceditur, vt possit diuertere à coniuge similiter adultero eius adulterij ignaro. Quoniam ius diuertendi soli coniugi, qui non est infectus simili adulterio est permissum. Nec obstat, illud adulterium esse occultum, & coniugi publicè adulteræ ignotum. Quia in foro conscientiæ sola rei veritas inspicitur.

Hoc verum esse ait.

DVBIVM LXXXII.

An fiat compensatio adulterij vnius coniugis cum adulterio alterius iam condonato, à coniuge posterius adulterante?

260 Licet prius adulterium coniugis sit condonatum ab altero coniuge innocente, si post condemnationem innocens in adulterium cadat, datur tamen huius adulterij compensatio cum adulterio illo prius condonato: neutrique diuertere licet. Quia quamuis adulterium remissum nequeat in iudicium deduci ad effectum accusationis, potest tamen ad effectum excipiendi contrà accusantem ad diuortium. Quædam enim consequi possumus excipiendo, quæ agendo non possumus. Sic Hugo, quem refert, ac sequitur Turrecr. *ad cap.* 1. 32. *quæstion.* 6. *numer.* 4. Archidiac. *ibi.* Bellamer. *numer.* 2. Gregor. Lopez *lib.* 8. *ver. Ese mismo tit.* 2. *part.* 4.

Fit compensatio.

Non datur compensatio, nec competit coniugi posterius adulteranti exceptio illius adulterij, quod iam condonauit: sed potest prior coniux celebrare diuortium. Quia remittentibus actiones suas, non est dandus regressus. Ita Gloss. *ad illud cap.* 1. *fine.* Astens. *part.* 2. *sum. l.* 8. *titul.* 33. *articul.* 3. Sanchez *lib.* 10. *dub.* 6. *num.* 7. Fauet Sotus *in* 4. *dist.* 36. *qu. vnic. art.* 2. Leander tenet *tract.* 9. *d.* 26. *qu.* 19.

261 Certè reconciliatio, seu condonatio illa contractum matrimonij ad suum pristinum reuocauit statum, ac si nulla esset vsque tunc fornicatio admissa: in quo euentu poterit prior coniux reconciliatus à coniuge postmodum adulterij reo iustè diuertere, (vt optimè Sotus *vbi supr.*) ac si omninò innocens existeret.

Cum hic effectum.

* *
*

DVBIVM LXXXIII.

An quando coniux vtérque adulterij crimine est reus, si alter emendatur, altero in adulterio persistente: possit emendatus diuortium prætendere?

262 TAnquam notum apud omnes suppono, si ambo coniuges in adulterium lapsi, ad pristinam redierint amicitiam, eáque reconciliatione facta alter adulterio iterum maculetur: posse alterum noui adulterij ratione ab eo diuertere. Quia reconciliatio illa matrimonium ad suum antiquum vigorem restituit, ac si nullum esset vsque tunc adulterium admissum. Vnde fit, vt coniux postea delinquens reus diuortij fiat. Quæstioni autem do, num quando vtroque coniuge fornicante, reconciliatio minimè præcessit, sed alterius coniugis emendatio, altero in adulterio persistente, possit coniux emendatus ab alio diuertere?

Nonnulla suppono.

263 Minimè potest. Quia ad diuortium celebrandum, impediendúmque mutui delicti compensationem, nil iuuat alterius coniugis emenda, quæ solum Deum reconciliat, nec abolet iniuriam per adulterium matrimonio irrogatam. Quare integrum est coniugi impœnitenti illud adulterium opponere, dum id minimè condonauit, reconciliatione facta. Sic Petr. de Ledes. *quæst.* 62. *articul* 1. *dub.* 2 Ledes. 2. *part.* 4. *quæstion.* 64. *artic.* 1. *n.* 2. Basil. *lib.* 9. *cap.* 1. Texeda *tom.* 2. *lib.* 4. *tractat.* 1. *controu.* 13. *nu.* 65. Hurtad. *d.* 11. *diffic.* 3. Leander *tractat.* 9. *dubio* 26. *quæstion.* 21.

Minimè potest.

264 Potest quidem coniux emendatus diuertere ab altero incorrigibili, & in adulterio persistente. Quia iam non censentur paria delicta, vt compensatio impediatur. Quandoquidem vnum est emendatum, alterum perseuerat. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 35. *quæstion.* 1. *articul.* 1. *numero* 12. D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *capit.* 21. *Paragraph.* 6. Syluest. *verb. Diuortium*, *qu.* 9. *casu* 7. Sotus *dist.* 36. *qu. vnic. art.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *cap.* 13. *casu* 14.

Potest emendando.

265 Ego quidem (probabilius, vt reor) assero, posse coniugem emendatum, si admonitus coniux alter in adulterio persistat, diuortium celebrare. Quia monitio illa, & interpellatio, quæ adulter emendatus adulterum pertinacem monet, vt corrigantur, simúlque habitent, vim habet reconciliationis. Sic enim interpellans, & monens reconciliationem offert alteri, & sua ex parte illum sibi reconciliat; & nil referre videtur, si alius acceptare nolit, tenetur enim admittere. Quare si post labatur in adulterium, vltima mora sibi nocere debet, ac perindè censebitur, quasi post reconciliationem factam, patrasset adulterium: in quo casu suprà vidimus licitum esse diuortium. Mecum Nauar. *lib.* 4. *Consil. titul. de diuor. cons.* 3. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *fine.* Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resolut.* 39. Villalob. *tractat.* 15. *diffic.* 2. *num.* 2. Sanch. *l.* 10. *dub.* 7. *num.* 4.

Auctorum sententia.

DVBIVM LXXXIV.

An liceat marito vxorem, & adulterum in adulterio deprehensos propria authoritate interficere, vt leges illi permittunt?

266 *Licet quidem, ex iustitiæ zelo.* LIcet quidem in foro conscientiæ vti virum concessione legis permittentis adulteros in crimine repertos propria authoritate interficere, dummodo non vindictæ liuore, sed iustitiæ zelo perimat. Quia legis ciuilis authoritate id præstat: leges autem in foro conscientiæ seruandas esse, nemo dubitat. Et quia vt culpa caret sciens, nec potens prohibere: ita illa non vacat potens prohibere magnum damnum, si id permittat: argumẽto ducto à contrario sensu ex *leg. Culpa caret, & leg. Nullum crimen, Digest. de regulis iuris.* Si ergo leges illæ solùm permittant impunè occidere vxorem, & non concedant tanquam licitum in pœnam delicti, iniquæ sunt, tanquam permittentes id, quod poterant, ac tenebantur interdicere. Sic Castil. *lib.* 82. *Tauri, numer.* 6. Anton. Gomez *ibi, num.* 52. Minchaça *in controu. vsufrequent. libr.* 1. *cap.* 6. *numer.* 2. Iul. Clar. *lib.* 5 *recept.* §. *Homicidium.* Azebe. *l.* 8. *recopil. titul. lib.* 1. *numer.* 21. Et Sà *verb. Homicidium, num.* 15. refert, aliquos hoc tenere, & videtur sentire, esse probabile, dum oppositum *melius* appellat.

267 *Minimè licet.* Minimè licet. Quia leges solùm permittunt, impunè occidere adulteros in delicto repertos parcens vehementissimo dolori, quo concitatus vir iniuriam sibi irrogatam adulterorum interfectione vindicat. At leges permittentes aliquid impunè fieri, minimè à culpa excusant, vt latissimè, multis exemplis adductis, confirmat Tiraquell. *libr.* 9. *connub. numer.* 1. Ita Diuus Thomas *in* 4. *dist.* 37. *quæstion.* 2. *articul.* 1. Bonauent. *ibi, articul.* 2. *quæstion.* 1. Durand. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *numer.* 5. Richard. *art.* 2, *quæstion.* 1. Paludan. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *num.* 5. Maior. *quæstion.* 2. §. *vltim.* Abul. *part.* 5. *qu.* 113. Victor. D. Antonin. Metina, Ouandus, Viguet. Veracruz, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *libr.* 10. *dub.* 8. *num.* 39. ex Iurisperitis plurimos afferens.

268 *Hoc mihi indubitatum.* Hoc mihi indubitatum, Quia iniustum est, parte non audita, generalem facultatem reum occidendi concedere: Ergo leges, quæ id concedere videntur, potiùs permittunt, impunè id fieri, quam facultatem id gerendi concedant: ac ideò maritus illarum authoritate adulteros in delicto comprehensos interimens, homicidij culpa minimè vacabit. Hinc deduco, virum, qui priuata authoritate adulteros in scelere repertos enecat, teneri damna restituere instar aliorum homicidarum. Quia delinquit peccato homicidij, & subindè contra iustitiam.

* * *

DVBIVM LXXXV.

An si maritus sit Iudex, liceat adulteram vxorem in scelere comprehensam, interficere?

269 *Licet planè.* LIcet planè. Quia Iudex reos mortis interimere potest: talis autem est adultera coniux. Sic Paludan. *in* 4. *dist.* 35. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *concl.* 3. *num.* 10. Fauet D. Thom. *in* 4. *dist.* 37. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *ad* 1. ait enim, ideo virum tunc interficientem peccare, quia Iudex non est: Ergo si Iudex sit, ex mente Doctoris Angelici, non delinquet.

270 *Non licet.* Id minimè licet. Quia Iudicis est reos punire, non vtcúmque; sed parte audita, sententiáque lata. Ita Sanchez *libro* 10. *dubio* 8. *numero* 40.

271 *Hoc vnicè tuendum.* Hanc sententiam vnicè tuendam existimo, credens D. Thomam oppositum sensisse. Nam dixit, non licere viro interficere vxorem, quia non est eius Iudex: Supple, & esto esset Iudex, non interficit, vt Iudex, sed vt persona priuata. Quia non procedit causa cognita. Profectò, nec Paludanus contrarium absolutè asseruit. Ait enim id fortè esse licitum.

DVBIVM LXXXVI.

An licitum sit viro adultero in foro conscientiæ, vxorem adulteram criminaliter accusare, vt capite damnetur?

272 *Licitum nõ est.* NOn est licitum. Quia paria delicta coniugum mutua compensatione abolentur, *cap. penultim. de adulter. & leg. Viro atque vxore* 40. *Digest. Soluto matrimonio.* Et quia nil iniquius, quam virum eodem vitio laborantem adulteram coniugem de eodem crimine accusare. Præterea quia *libr.* 6. *titul.* 9. *part.* 4. *& lib.* 9. *titul.* 19. *part.* 7. expressè decidit, virum accusantem adulterium vxoris per exceptionem similis adulterij repelli. Sic Palac. *in* 4. *dist.* 37. *d. vnic.* Gutier. *q.* 7 *practic. lib.* 2. *quæstion.* 1. *num.* 23. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 206. *numer.* 9. Vega *tom.* 1. *sum. cap.* 127. *casu* 3. Henriquez *libr.* 11. *cap.* 17. *num.* 3.

273 *Est licitum.* Licitum est viro quantumuis adulteriis cooperto, criminaliter accusare vxorem adulteram, & aduersus eam pœnam legis, sententia Iudicis præcedente, exequi. Quia idem seruandum est in vtróque foro, quando forum externum non innititur falsæ præsumptioni: (vt docet Sanchez *libr.* 1. *dub.* 5. *numer.* 20.) sed in foro externo admittetur accusatio adulterij vxoris ad pœnam criminalem, repulsa exceptione similis adulterij viri, vt ipse probat in præsenti quæst. *libr.* 10. *dub.* 8. *numer.* 33. & 34. Ergo & in foro conscientiæ id licebit. Ita Petr. de Ledes. *quæstion.* 62. *articul.* 1. *dubio* 3. Barthol. à Ledes. *dubio* 68. Henriquez *libro* 11. *capite* 17. *num.* 3. Sanchez *libr.* 10. *dub.* 8. *numer.* 46. & alij apud ipsum.

274 Hanc sententiam tenendam existimo. Quia ideo

ideo vir adulter nequit coniugem adulteram de adulterio accusare, quoad diuortium, quia adulteria hæc quoad hanc accusationem ciuilem mutua compensatione abolentur, id ita Iure disponente, (vti superiùs vidimus.) At quoad accusationem criminalem contrarium disponitur: datur enim viro, vxorem adulteram accusare posse, non tamen è contrà: nec fit vtriúsque adulterij compensatio: ergo licitum est viro adultero criminaliter vxorem adulteram accusare. Nec oportet addere limitationem, quam Henriquez citatus adhibet, nempè si vir corrigatur, vxor autem in adulterio perseueret. Quia licet vir non corrigatur, nequaquam datur compensatio delicti vtriúsque quoad hanc criminalem accusationem, vt doctissimè probat Sanch. *citat. num.* 36.

DVBIVM LXXXVII.

An cum lata diuortij sententia, contingit, innocentem in adulterium labi: compensentur mutuò delicta compellendus sit ad coniugem adulterij causa dimissam redire?

185 Nonnulla premitt.

CErtè si ante latam diuortij sententiam innocens coniux à adulterio maculetur, mutua illa delicta abolentur compensatione, proindèque coniux adulter tenetur sibi alterum sibi reconciliare. Quia constat iam illi deferendæ sententiæ iniustitia. Idem dixerim, si adulterium commissum sit post latam sententiam antequam in rem iudicatam transeat, siue quia non est lapsus appellationis tempus, vel tres concordes sententiæ non emanarunt: vel quia, licet transierit terminus appellationis, at quia reus minor est, beneficio restitutionis ei subuenitur. Nam etiam eo in casu si is, qui litem mouit, eo tempore adulterium committat, non potest iustè litem mouere, cum adhuc locum habeat compensatio. Sic Sanchez *lib.* 10. *dub.* 6. *à num.* 14. Basil. *lib.* 9 *cap.* 20. *num.* 3. & communiter Doctores. Quæsierim vero, nùm idem asserendum sit casu, quo coniux innocens perpetret adulterium post perfectam, & latam diuortij sententiam?

276 Non compensantur inuicem delicta.

Non compensantur mutuò delicta, nec compellendus est post latam sententiam adulterans innocens coniugem dimissum sibi reconciliare. Quia res iam in iudicatum transiit, & quod semel est rectè definitum, minimè est retractandum: præcipuè quod diuortij sententia non fertur sub conditione in fauorem rei, nimirùm si innocens castè vixerit: sed absolutè in odium eius, & supplicium. Sic Henriquez *libr.* 11. *cap.* 17. *num.* 3. Bartholà Ledesm. *dub.* 70. Sotus *in* 4. *dist.* 36. *qu. vnic. articul.* 6. *ad* 3. Petr. de Ledesm. *quæstion.* 62. *articul.* 6. *dub. vnic. concl.* 2. Reginald. *libr.* 31. *numer.* 330. Gutier. *cap.* 127. *numer.* 10. Bonacin. *quæstion.* 4. *de matrimon. puncto* 5. *numero* 19. Filliuc. *tractat.* 10. *part.* 1. *num.* 377. & alij plures apud Sancium *lib.* 10. *dub.* 6. *num.* 3. Adiiciunt tamen integrum esse Iudici eo in casu hosce coniuges conciliare, eos ex officio cogens, vt incontinentiæ consulatum periculo.

277 Huiusmodi delicta compensantur.

Mutuo delicta compensantur, vnde compellendus est innocens post latam sententiam adulterij reus coniugem dimissum sibi reconciliare. Quia sic expressè colligitur ex *cap. Exliteris, de diuor.* Et quia præfata adulteriorum crimina possunt mutuo compensari: Ergo ad id coniuges tenentur. Consequentia patet, nam compensatio adulteriorum ex iure diuino, ac naturali nascitur, ideóque nullatenus potest per Iudicis sententiam auferri. Antecedens probatur: nam coniux innocens etiam post latam diuortij sententiam tenetur, alteri coniugi ob adulterium dimisso fidem seruare; vnde etiam post diuortium adulter est, & contra iustitiam delinquit. Ergo illata ab eo iniuria contingi dimisso debet cum iniuria ipsi innocenti à dimisso facta compensari. Ità D. Bonauentur. *in* 4. *dist.* 35. *articul. vnic. quæstion.* 5. D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *cap.* 21. §. 6. Petr. Soto *lect.* 12. *de matrimon.* Palac. Angl. Canedo, & alij vsque ad triginta, quos refert, ac sequitur Sanchez *citatus, numer.* 17. Palaus *tom.* 5. *dub.* 3. *punct.* 6. §. 6. *numer.* 11. Præpositi. *in* 3. *part. qu.* 5. *dub.* 12. *numer.* 10. Perez *de matrimon. dubio* 56. *sectione.* 3. *numer.* 5. Diana *part.* 3. *tract.* 8. *resol.* 39. Villalob. *tractat.* 5. *diffic.* 5. *numer.* 3. Coninch *dist.* 35. *dubio* 2. *numero* 14. Hurtad. *dist.* 11. *diffic.* 3. *numero* 11. Ochag *tractat. vltim. de matrim. q.* 5. *numer.* 11.

278 Probabiliorem hanc reputo sententiam.

Existimo, secundam sententiam longè esse probabiliorem. Quia diuortij sententia respicit statum præsentem, iuxta quem fuit lata: nec tollit ius ad compensationis, si innocens nocens fiat. Nil enim refert, quod sententia Iudicis transierit in rem iudicatam: nam etiam post illam adulterando innocens infert iniuriam coniugi dimisso. Certè diuortij sententia retractanda non est casu, quod res in eodem statu permaneant, secus autem si mutentur. Imò crediderim proferri sub conditione, nimirùm si innocens continens fuerit, aut quandiù innocens talis existat; quia hanc conditionem contractus coniugalis exigit.

DVBIVM LXXXVIII.

An coniugi, qui ante diuortij sententiam in adulterium labitur, liceat Religionem profitèri, vel Sacros Ordines susscipere?

279 Licet quidem.

LIcet quidem. Quia sicut ante matrimonij consummationem potest coniux Religionem ingredi, quod ius haud deperditur fornicando, sed tenetur reddere, nisi Religionis eligat statum. Ita vxore fornicante post consummatum matrimonium, potest innocens ad Religionem, vel Ordines Sacros transire: & si vir sit adulter, potest vxor ad Religionem migrare. Certè ius hoc non amittitur, eo quod coniux ille innocens postea in adulterium labatur; quoniam per alterius fornicationem ius acquisierat non reddendi, & vouendi: vbi autem

autem ipse postmodum fornicatur, ius quidem non reddendi amittit, sed non ius vouendi. Sic Paludan. *in 4. dist. 35. quæstion. 2. articul. 2. numer. 14.* Supplem. Gabriel. *ibi. quæst. vnic. articul. 2. post 9. concl.* Guillelm. relatus ab Abbate *cap. Veniens, numer. 7. de conuers. coniugat.*

280 *Minimè licet.* Minimè licet. Quia eo ipso, quod ante diuortij sententiam adulterium patrauit, delicta compensantur, & matrimonium ad pristinum redit statum, in quo neutri coniugi diuertere gratia transeundi ad alium statum permittitur. Ita Hostiens. *cap. Veniens, numer. 7. de conuers. coniugat.* Sanchez *lib. 10. dub. 9. num. 26.* Nauar. *lib. 5. consil. titul. de adulter.* Basil. *libr. 9. cap. 20. numer. 7.* Ioan. Andr. *ad cap. Veniens, numer. 5.* Abbas *num. 7.* Anchar. *num. 6.* Card. *quæstion. 5.*

281 *Idem affirmo.* Ob præfatam rationem certum existimo minimè licere huiusmodi coniugi Religionem inire, aut Sacrum suscipere Ordinem: & si secus gesserit, posse reuocari ab altero dimisso coniuge: imò & ipse reconciliare sibi adulterum coniugem tenebitur, & è monasterio egredi, si sine scandalo queat.

DVBIVM LXXXIX.

An coniugi, qui post diuortij sententiam in adulterium prolabitur, liceat Religionem profiteri, vel ad Sacros conscendere Ordines?

282 *Licet quidē.* Licet quidem. Quia coniux dimissus post latam sententiam omni iure ad repetendum coniugem dimissum destitutus est. Sic Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnic. articul. 6. ad 3.* Henriqu. *libr. 11. capit. 17. numer. 3.* Reginald. *libr. 31. numer. 330.* Bonacin. *quæstion. 4. de matrimon. puncto 5. numero 19.* Filliuc. *tractat. 10. part. 1. numer. 377.*

283 *Non licet.* Minimè licet. Quia cum factus fuerit nocens nondum mutato statu amisit ius diuertendi ab altero coniuge dimisso. Ita Coninch *dub. 35. numer. 14.* Hurtad. *dub. 11. diffic. 3. numer. 11.* Villalob. *tractat. 15. diffic. 5. num. 3.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 257.* Præpositi. *in 3. part. q. 5. dub. 12. num. 101.* & alij.

284 *Eiusdem sum mentis.* Existimo, esse compensationi locum etiam post latam sententiam, & postquam transiit in rem iudicatam. Quia sententia diuortij statum præsentem respicit, inxta quem lata est: nec tollit ius reo compensationis, si innocens nocens efficiatur: vnde tenetur sibi dimissum reconciliare coniugem.

DVBIVM XC.

An si post diuortium celebratum coniux innocens iam professus, vel Sacris initiatus perpetrat adulterium: teneatur egredi è monasterio, & ad coniugem, ob adulterium, dimissum redire?

285 *Tenetur redire, ad coniugem dimissum.* Tenetur ad coniugem redire. Quia colligitur expressè ex *Cap. Ex literis, de diuort* Fit enim ex delicto coniugis professi, aut Sacris initiati cum delicto coniugis dimissi compensatio. Sic nonnulli Iuristæ apud Quand. *in 4. dist. qu. vnic. propos. 15.*

286 *Non tenetur redire.* Minimè tenetur, imò nec potest ad coniugem dimissum redire. Quia ius monasterio acquisitum non perditur ob monachi delictum: & ille coniux dum innocens erat, ob adulterium alterius coningis notorium potuit Religionem ingredi, siue præcesserit sentencia diuortij siue non. Nam cum ob adulterium notoriū, non præcedenti diuortij sententia, liceat coniugi diuertere, & statum mutare: eo professo iam in Religione, ius est monasterio acquisitum: quare per sequentem fornicationem ius illud acquisitum nequit auferri. Ita Sanchez *lib. 10. dub. 9. numer. 34.* Basil. *libr. 9. cap. 20. numer. 7.* Gregor. Lopez *libr. 8. verb. Ese mismo, titul. 2. part. 4.* Paludan. *in 4. dist. 35. quæst. 2. articul. 2. num. 14.* Quand. *citatus*, & alij apud Sancium,

287 *Secundam sententiam vnice ajutē.* Crediderim haud loqui illos Iurisperitos, quando iam professus fornicatione fuerit maculatus. Quare prima sententia, vt improbabili omninò reiecta, secundam vnice amplector, ad-iiciens, idem dicendum esse de viro, qui dimissa vxore ob notoriam fornicationem ad Ordines Sacros est promotus; si enim eo statu assumpto, fornicetur, non est ad vxorem reuocandus. Quia iam status est mutatus, & ius acquisitum est statui illi immutabili, cui per sequentem fornicationem præiudicari nequit: & tunc solùm fit delictorum compensatio, quando res in eodem statu permanent. Attamen si sententia diuortij non præcesserat, & dum fornicatur, est nouitius, vel in minoribus Ordinibus solùm constitutus, aut solo simplici voto castitatis ligatus: crediderim, eum teneri ad vxorem redire. Nam cum status hic non sit immutabilis, nec omninò perfectus, non potuit vxori præiudicare, quæ ius habet, vt delicta compensentur, quoties ante diuortij sententiam contigerit, virum in adulterium simile labi: at si voto simplici castitatis illigatus sit, debitum petere non poterit.

DVBIVM XCI.

An post latam diuortij sententiam coniux innocens possit adulterum etiam inuitum sibi reconciliare: & adulter teneatur ad id?

288 *Non potest.* POtest ne (re integra ex parte vtriúsque coniugis, quia nemo statum mutauit, votóve castitatis se adstrinxit) innocens adulterum sibi semper reconciliare: tenetúrque adulter id admittere? Non potest quidem innocens coniux id gerere, nec adulter admittere tenetur. Quia sententia diuortij cum matrimonium omninò separet, manente solo vinculo: vtrúmque coniugem æquè absoluit ab obligatione cohabitandi, ac reddendi debitum: alias claudicaret, nec seruaret iustitiæ æqualitatem: Ergo sicut innocens non tenetur admittere adulterum petentem reconciliationem, ita è contra innocens poterit inuitum cogere, nec ipse admittere tenebitur.

debitur. Sic Hugo relatus à Gloss. *cap. Ex literis, verb. Redire, de diuort.* Monald. *sum. titul. de diuort. ratione fornicat.* Tabie. *ver. Matrimonium 4. quæst. 5. numer. 6* Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnic. art. 5. ad 3* Nauar. *libr. 3. consil. titul. de regular. consil. 38. num. 1.* Petr. de Ledes. *qu. 62. art. 6.* ait esse probabile.

289 *Potest omnino.* Potest sanè innocens quandiù status vtriusque est omninò immutatus, cogere adulterum, vt sibi reconcilietur: & tenetur adulter conniuere, quamuis diuortij præcesserit sententia. Quia coniux innocens non priuatur per sententiam iure, ac dominio, quod habet in adulteri corpus: aliàs prodesset sententia reo, aduersus quem fuit lata. Quod iniquissimum esse Iurisconsultus *leg. Euidenter 16. ff. de except. rei iudicatæ* docet. Ita D. Thom. *in 4. dist. 35. qu. vnic. art. 6. ad 3.* D. Bonauent. *ibi, art. vnic. qu. 5.* Durand. *qu. 2. art. 1. num. 6.* Paludan. *qu. 1. art. 3. num. 16.* Supplem. Gabriel. *qu. vnic. art. 2. concl. 9.* Viguer. D. Antonin. Angl. Barthol. ac Petr. de Ledes. Graff. Ludouic. Lopez, & alij multi, quos refert, ac sequitur Sanctus *l. 10. d. 10. num. 3.* Sà *verb. Diuortium, num. 2.*

290 *Hæc mihi probabilius.* Hãc sententiam probabiliorẽ esse existimo; nam cum diuortij sententia prorsus sit in fauorem innocentis; & adulteri odium non est in innocentis damnum, & adulteri fauorem retorquenda, concedens huic coniugalis obligationis immunitatem, & illum pristino iure in corpus adulteri priuans. Quod enim in meum fauorem est introductum, non debet in meum damnum retorqueri, *leg. Quod fauore 6. Codice de legibus.* Potrò diuortij sententia non absoluit vtrumque coniugem, sed solùm innocentem, in fauorem ipsius, & odium adulteri; nec ob id, sententia est iniusta, vt doctè admodum probat Sanchez *dubio 9 numero 38.*

DVBIVM XCII.

An si coniux, innocens votum simplex castitatis solummodo emisit, possit sibi adulterum coniugem reconciliare?

291 *Nonnihil suppono.* CErtè si coniux innocens statum mutauit factus professus, vel sacris initiatus: ei integrum non est adulterum sibi reconciliare coniugem iam dimissum. Quia iam assumpsit statum immutabilem, à quo nequit resilire. Quæsierim verò an saltem si coniux innocens votum simplex castitatis solummodo emiserit, valeat coniugem adulterum sibi reconciliare?

292 *Non potest.* Minimè potest. Quia Deo sese voto litans omne à se ius matrimonij abdicauit. Sic Palac. *dist. 35. d. vnic.*

293 *Potest sanè.* Potest omninò. Quia licet delinquat contra votum, si reconciliet sibi adulterum: at adulter nulla se exceptione tueri valet, ne ad innocentem petentem redeat. Votum enim simplex non priuat coniugem vouentem iure iustitiæ, quod habet in coniugis corpus. Ita Sanch. *l. 10. d. 10. num. 6.* Basil. *lib. 9. cap. 19. num. 2.* & omnes communiter.

294 *Hoc mihi certum.* Hoc certum mihi. Et eadem ratione censui superiùs teneri coniugem reddere debitum alteri sacrilegè petenti contrà castitatis votum. Etiam id affero, si innocens solis minoribus ordinibus sit initiatus. Quia nondum habet statum immutabilem.

DVBIVM XCII.

An liceat, coniugi adultero post latam diuortij sententiam professionem emittere, aut ad Sacros Ordines, inuito coniuge innocenti, ascendere?

295 *Quid certum suppono.* CErtum est, antè latam diuortij sententiam id minimè ei licere. Quia innocens quandiù non mutat statum, ius habet ad reuocandum coniugem nocentem: Ergo hic nequit quidquam contrà ius alterius præstare: vnde si mutauit statum poterit ab innocente reuocari. Requisierim autem, nùm id gerere ei liceat post latam diuortij sententiam?

296 *Licet quidem.* Licet quidem. Quia sententia illa non solùm innocentem, sed etiam adulterum ipsum à coniugalis seruitutis eximit obligatione, quæ sola obstaculo est, ne coniuges statum possint immutare. Vndè inscio, imò inuito innocenti, potest nocens professionem emittere, vel Sacris Ordinibus initiari. Sic. Nauar. *libr 4. consil. titul. de diuort. consil. 1. numer. 1.* Hugo relatus à Gloss. *cap. Ex literis, verb. redire, de diuort.* Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnic. articul. 5. ad 3.* Barthol. à Ledes. *de matrimon. dub. 64. post 3. concl.* & alij.

297 *Non licet.* Minimè licet coniugi adultero ad Religionem, vel ad Sacros Ordines, inuito innocenti etiam post latam diuortij sententiam; quod si ingrediatur, potest post professionem reuocari. Quia cum teneatur adulter reconciliari innocenti id petenti, si eo volente reconciliationi operam dare, tenuat adulter, & ipso inuito, profiteatur; non potest ea professio iuri coniugis innocentis præiudicare. Ita Sanchez *lib. 10. dub. 10. num. 12.* Basil. *lib. 9. cap. 19. nu. 4.* Ochag. *tract. vltim. qu. 7. num. 8.* Syluest. *verb. Diuortium, qu. 10.* Palac. *in 4. dist. 35. d. vnic.* Graff. *p. 1. decis. l. 2. cap. 84. num. 14.* & alij.

298 *Hoc mihi probabilius.* Probabilius hoc iudico. Quia non valet professio contra ius coniugis innocentis. Addiderim verò, valide adulterum statum mutare post diuortij sententiam, si id sciat innocens, nec contradicat, cum possit. Quia satis videtur data licentia. At si, lata diuortij sententia, innocens monitus nolit adulterum sibi reconciliare, potest adulter mutare statum profitendo: & semel iam professus reuocari non poterit. Quia innocens reconciliationi non conniuens videtur licentiam concedere adultero, vt ad Religionem transeat: & licet reconciliationem denegans Religionis refrageturingressui est irrationabilis voluntas. Innocens enim, lata diuortij sententia, non habet ius omninò in adulterum, vt ipsum quasi ligatum habeat, ne possit sibi statum Religionis eligendo, consulere, si ad reconciliationem non admittatur. Solùm námque habet ius reconciliandi, & reuocandi eum ad pristinum matrimonij vsum.

DVBIVM

DVBIVM XCIII.

An possit saltem, adulter post latam diuortij sententiam, ignorante, ac inconsulto innocente, Religionem profiteri, initiari sacris, aut votum simplex castitatis emittere?

299 *Potest plane.* POtest quidem, sicque professus nequit ab innocente repeti. Quia innocens perfistens vsque ad diuortij sententiam, illique conniuens, videtur adultero facultatem profitendi concedere, & quoad hoc suo cedere iuri. Sic Henriq. *l.* 11. *cap.* 17. *num.* 6. & *l.* 12. *cap.* 5. *nu.* 10. Paludan. *in* 4. *dist.* 35. *qu.* 2. *art.* 3. *num.* 16. Sotus *dist.* 36. *qu. vnic. art.* 6. *ad* 2. Petr. de Ledes. *de matrim. qu.* 62. *art.* 6. *notab. vnic. circa* 3. *concl.* Ludo. Lop. 1. *p. Instruct. cap.* 295. & *p.* 2. *de matr. cap.* 7. *num.* 65.

300 *Non potest.* Non potest coniux adulter ad Religionem transire, ignorante, & inconsulto innocente: sed eius licentia desideratur. Quia cum innocens ius habeat cogendi adulterum ad reconciliationem, necessario circa mutationem status adulteri consulendus est, eiúsque beneplacitum petendum, ne iuri sibi acquisito præiudicetur. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *qu. vnic. art.* 6. *ad* 3. D. Bonauent. *art. vnic. qu.* 5. *ad* 2. Barthol. à Ledes. *de matrim. dub.* 70. Sanchez *lib.* 10. *dub.* 10. *num.* 13. Villalob. *tract.* 15. *diffic.* 7. *num.* 6. Bonacin. *qu.* 4. *de matrimon. punct.* 5. *num.* 23. Coninch. *dub.* 35. *num.* 39. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 326. Gutier. *de matrim. cap.* 129. & alij.

301 *Hoc mihi verius.* Probabiliorem hanc puto sententiam. Vndè sine innocentis coniugis licentia haud fas erit adultero ad Religionen transire, sacris initiari, aut votum castitatis emittere. Si verò gesserit, ab innocente reuocari poterit, & votum irritari. Attamen status mutatio facta ab adultero erit valida, si coniux innocens sciens non contradicat, vel si sæpiùs monitus nolit reconciliari. Cæterùm vt adulter de licentia innocentis profiteatur, aut ad Sacros Ordines transeat, votúmve castitatis emittat, non erit necessarium, vt innocens etiam Regulare ineat institutum, votóve se illiget castitatis: sed absque voto aliquo potest in sæculo manere. Quia textus illi *cap. Sanè, cap. Cum sis, cap. Significauit, de conuer. coniug.* prohibentes mutationem status alterius coniugis, altero in sæculo manente, saltem absque castitatis voto: loquuntur, vbi matrimonium integrum, & illæsum perseuerat: secùs vbi est diuortium. Quia cum innocens liber sit à iugo debiti coniugalis, potest independenter à mutatione status adulteri, ad Religionem transire, vel Ordines Sacros suscipere. Quod si id non possit ità liberè adulter, prouenit fauore innocentis, nè iure reconciliandi, quod habet, derogetur. Quare renunciante innocente huic fauori, poterit ita liberè adulter vti innocens, ad Religionem, vel Ordines transire.

DVBIVM XCIV.

An sufficiat, adulterium valdè esse notorium, vt innocens valeat ad Religionem transire, vel Sacris Ordinibus initiari?

Certum est, coniugi innocenti libertum esse post diuortij sententiam, (vt vidimus) etiã inuito coninge adulterO, Religionem inire, aut sacris initiari. Quia hoc in casu innocens vtitur iure suo, cum in fauorem ipsius lata fuerit sententia diuortij. Ambigitur autem, num idem gerere valeat, cùm non præcesserit sentencia, sed adulterium sit valde notorium? 302 *Quid certum adiicio.*

Minimè quidem. Quia adulterium notorium non impedit restitutionem, nec concedit ius, propria authoritate, minimè expectato Ecclesię iudicio, diuertendi. Cuius fundamentum *Dubio* 99. subiiciam. Sic Durand. *in* 4. *dist.* 32. *quæstion.* 2. *articul.* 1. *numer.* 5. Abul. *ad cap.* 19. *Mat. quæstion.* 75. Veracruz *part.* 3. *specul. articul.* 6. *probat.* 3. *secundæ conclus.* Graff. *part.* 2. *decision. libr.* 1. *capit.* 12. *numer.* 66. & alij. 303 *Non sufficit.*

Sufficit omninò. Quia adulterium esse notorium. Satis est, ad licitè diuertendum à coniugis habitatione, impediendámque restitutionem. Cuius fundamentum *Dubio citato* adhibebo. Ita Sanchez *lib.* 10. *dub.* 11. *num.* 10. Alexand. de Neuo *ad cap. Ex literis, numer.* 20. *de diuort.* Nauar. *libr.* 3. *consil. titul. de conuers. coniug. cons.* 5. Corduba *sum. quæstion.* 138. Barthol. à Ledes. *de matrimon. dubio* 64. *post* 3. *concluf.* & alij. 304 *Sufficit.*

Ego autem existimo, tunc licere innocenti, ad Religionem transire: adultero inuito, ita vt non possit repeti ab eo, nec ei sit restituendus: quando, vel præcessit sententia diuortij, vel ea non expectata, adulterium ita notorium est, vt possit innocens propria authoritate deserere consortium, & habitationem adulteri absque restitutionis metu. Quando autem hoc contingat, loco indicato planum reddam. Idem dixerim, de facultate concessa innocenti assumendi Ordines Sacros absque restitutionis gerendæ periculo. Quia eadem militat ratio. 305 *Eiusdem sum mentis.*

DVBIVM XCV.

An licitum sit, pro foro interno conscientiæ coniugi innocenti ad Religionem, Ordinémque Sacrum transire, votúmve castitatis simplex emittere, ob adulterium alterius coniugis occultum?

NOn est licitum. Quia id non est satis ad celebrandum propria authoritate diuortium. Sic Doctores *Dubio* 99. referendi. Pro cunctis in præsenti do Basilium *libr.* 9. *cap.* 18. *fine.* 306 *Non est licitum.*

Licitum

307 *Licitum est.* Licitum est. Quia id est satis ad celebrandum propria authoritate diuortium. Ità Doctores, quos Dubio citato exhibebo. Nunc pro cunctis sufficiat Sancius *l.* 10. *d.* 11. *n.* 11.

308 *Ex coniug. & maritum ex-pat.* Profectò quamuis vt impediatur restitutio in foro externo coniugis innocentis professi, aut ad Ordines Sacros promoti, desideretur vel sententia diuortij, vel adulterium coniugis manentis in sæculo, ita notorium esse, vt possit propria authoritate dimitti, at vt in foro conscientiæ is transitus liceat ad professionem, Ordinésve, aut ad votum simplex omnimodæ castitatis & valida omninò sit professio, & votum: satis est occultum coniugis derelicti adulteriũ. Quia id satis est, vt in foro conscientiæ, secluso scandalo, liceat propria authoritate celebrare diuortium. Atque ità cessat ius coniugale, & subindè iniuria coniugis derelicti, quæ mutationi status coniugis obstat. Vndè fit, vt si coniux innocens iam professus, aut Sacro Ordine initiatus, vel simplici castitatis voto adstrictus, Iudice cogente, coniugi derelicto restituatur, eo quod adulterium sit occultum, aut illud probare innocens nequeat: non possit petere, nec reddere debitum. Quia sententia illa innititur falsæ præsumptioni, & in foro conscientiæ professio & votũ omnino valida extitere. Cũ sit certus de adulterio alterius coniugis, & consequenter amissionis totius iuris coniugalis. At si solum esset votũ simplex castitatis, & semel recõciliaret sibi coniugẽ derelictũ: peccaret quidẽ cõtra illud votũ reconciliando, eo quod obliget se ad reddendũ: at deinceps reddere teneretur, nõ autem posset petere, Intellexerim tamen, licere coniugi innocenti, ad Religionẽ, aut ordines transire ob occultum alterius coniugis adulteriũ, si solũ attendamus iniuriã, & damnum matrimonij, ac coniugis derelicti. Quia cum sit sufficiens causa diuortij, nulla iniuria irrogatur. Ast aliunde poterit esse culpa, nempè ratione scandali, aut detrimenti Religionis vel Ordinis Sacri. Quia si repetat coniux derelictus, restituetur coniux professus, aut Sacris initiatus: ex quo detrimentum patietur Religio, & grauem iniuriã professiõ, & Ordo. Vndè hac ratione esset prorsus illicitum moraliter loquendo, nisi diuortij sententia præcederet. Quare existimo, hunc coniugem, qui diuortij sententiã non obtinuit, rogatum à Monachis, aut ab Episcopo promoturo ad Ordines, aut literas dimissorias ad id concessiro, num sit coniugio illigatus: teneri fateri veritatem, nec posse abnegare se coniugatum esse.

DVBIVM XCVI.

An vir innocens possit inuita adultera vxore, eodem iure ad Ordinem Sacrum transire, quoad Religionem valet?

309 *Non potest.* NOn potest. Quia vxor cuiuslibet viri in Sacris constituti tenetur post viri mortem ab aliis nuptiis abstinere *c. Quia sunt. 28. q. 1. Seria, d. 32.* ad quod nequit cogi. Et quia non potest vir ad ordines promoueri, nisi vxor in sæculo relicta promittat castitatem *c. Coniugatus, de conuers. coniug.* Et quia cum vir sic initiatus maneat in sæculo, facile potest vxori commisceri, ac pleraque Sacrilegia admittere. Ergò in iis casibus, in quibus diximus ei esse integrum professionem, non est ei licitum ad ordines trãsire ob expressam differentiæ rationem. Sic Innocent. *c. Veniens, de conuers. coniug.* Gutier. *l. 11. qq. canonic. c. 25. a. 13.* Graf. *p. 2. decis. l. 1. c. 12. n. 64.* Hostiens. *ad c. Veniens, n. 8. & 9.* Ioan. Andr. *n. 4.* Anton. *n. 4.* Et hoc dicit esse tutius Cardin. *ibi, in fine.* Astens. *sump. 2. l. 8. tit. 11. a. 2. q. 9.*

310 *Potest plant.* Potest quidem. Quia ius coniugale æque obstat Religionis ingressui, ac Ordinum susceptioni. Cum ergo adultera omni iure coniugali distituatur, æquè licebit viro ipsa inuita transire ad ordines, ac ad Regulare institutum. Ita Palud. *in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. n. 10.* Victor. *de matr. nu. 253* Sotus *in 4. dist. 26. q. vni. a. 5. ad 3.* Henriq. *l. 12. c. 5. n. 10.* Nauar. *l. 3. consil. tit. de conuer. coniug. consil. 10. n. 1.* Sà *v. Diuortium, n. 1.* Rodrig. *tom. 1. sum. c. 230. n. 2.* Vega *to. 1. c. 89. casu 3.* Sanchez *lib. 10. cap. 11. num. 16.* Basil. *lib. 9. cap. 19. num. 5.* Hurtad. *d. 11. diffic. 8.*

311 *Eiusdem sit opinionis.* Eiusdem sum mentis, & eam regulam generalem certam esse reor. Quoties licet viro ad Religionem transire, vxore adultera manente in sæculo, ac renitente: licet ei similiter Sacris Ordinibus initiari, nisi aliunde adsit obstaculum vt quia vir esset bigamus, aut aliàs irregularis.

DVBIVM XCVII.

An liceat innocenti debitum coniugi adultero denegare ante Iudicis sibi suffragantem sententiam?

312 *Non licet.* NOn licet coniugi innocenti propria authoritate, iudicio Ecclesiæ minimè expectato, debitum adultero cõiungi denegare. Quia negare debitũ est pœna adulterij, vt docet Glos. *c. Porro v. Separari, de diuort.* Ergo inferenda nõ est nisi per Iudicem. Alias idẽ coniux innocens esset actor, & Iudex, sibique ius diceret in propria causa contra *l. Nullus, 13. cap. de Iudæis & l. Vnicam. C. Ne quis in sua causa iudicet.* Et quia Lex vniuersalis ad causam particularẽ nõ applicatur nisi media Iudicis sententia, cuius est merita causæ discutere & accusationem actionis, exceptionesque rei perpendere. Cum ergo lex de diuortio à Christo Domino lata *Mat. 19.* ob adulteriũ, sit generalis, omneque adulterium, ac vniuersos coniuges amplectatur, desiderabitur Iudicis sentẽtia, vt huic speciali adulterio commodetur. Sic Hugo relatus à Glos. *c. Finali, v. fornicationis adulter*, & Glossa docet esse valde probabile *c. 1. v. Patronus 33. q. 1.* Innocent. *cap. penult. de adulter. & ibi* Anchar. *n. 4.* Turrecr. *c. Agathosa super verbo, vxorem 27. q. 2.* Suppl. Gabri. *in 4. dist. 35. q. vni. a. 2. concl. 6.*

313 *Licet omninò.* Licet coniugi innocenti certo de alterius adulterio debitum ei denegare, nec ad id desideratur adulterium esse publicum, aut præcedere Ecclesiæ sententiam. Quia iure naturæ in ipso matrimonij cõtractu ea est imbibita cõditio, vt seruanti fidem fides seruetur, secus eam violanti. Ità D. Tho. *in 4. dist. 35. quæst. vnic. art. 3.* Bonau. *ibi*, Sotus *dub. 36. q. vni. a. 3. concl. 1.* Petr. Soto *lect. 12. de matr.* Henriq. *l. 12. c. 17. n. 1.* Sà *v. Diuortium, nu. 1.* Ochag. *q. 7. n. 1.* Hurtad. *dub. 11. diffic. 7.* Basil. *l. 9. c. 18. num. 6.* Rodrig. *to. 1 sum. c. 240. n. 4.* Sanch. *l. 10. d. 12. n. 5.* & alij.

314 *Hæc mihi sententia longè est probabilior.*

Hanc sententiem probabiliorem esse reor. Quia conditione, quæ in pacto imbibitur, non seruata ob vno, alter paciscens est eo ipso liber ab obligatione fidei in pacto præstitæ, nec ad hanc assumptionem aliquid amplius desideratur, quam certa notitia fidei sibi fractæ. Ergo coniux innocens certo sciens, sibi fidē admisso adulterio, esse violatam, liber est à debiti reddendi obligatione. Præterea cum debiti abnegatio intra priuatos parietes sit gerenda, & nō postulet publicitatem instar expulsionis à propria habitatione; non est cur notorium delictum, Iudicisve sententiam desideret. Profectò alias cogeretur innocens, iniuriam sibi ab adultero illatam condonare. Nam reddens condonat, vt infra videbimus.

DVBIVM XCVIII.

An si iudex sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiat coniugi innocenti certo scienti adulterium alterius occultum, quod nequit probare, vt illi debitum reddat: teneatur obedire?

315 *Tenetur quidem.*

TEnetur quidem. Quia Ecclesia iustè præcipit, cum iuxtà allegata, & probata illi nō constat, alterum coniugem reum esse adulterij. Sic D. Tho. D. Bonau. Durand. Richar. Astens. D. Antonin. Syluest. Tabie. Turrecr relati à Sancio *l.* 10. *d.* 12. *nu* 6. Armil. *v. Matrimonium, n.* 76. Palud. *in* 4. *dist.* 27. *d.* 3.

316 *Non tenetur.*

Licet consultius est, tunc reddere, vt vitetur excommunicatio in foro externo ad id minimè tenetur coniux innocens certus de alterius adulterio. Quia Ecclesiæ præceptum ex falsa præsūptione procedens minimè obligat in cōscientia. Ita Abul. *ad c.* 19. *Mat. q.* 7 2. *in solut. ad* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 36. *q. vni. a.* 3. Castr. *l.* 2 *de lege pœn. c.* 4. Ledes. 2, *p.* 4. *q.* 64. *a.* 3. Veracr. 3. *p. spec. a.* 5. *concl.* 4. Petr. de Ledes. *qu.* 62. *art.* 3. *notab.* 2. Barth. à Ledes. *dub.* 67. *concl.* 3. Vega *to.* 1. *sum. c.* 78. *casu* 5. Sanch. *citat.*

317 *Auctoris ex positio.*

Existimo, innocentem coniugem ex natura rei minime teneri obedire, nec esse coram Deo excommunicatum. Quia sententia illa, & præceptum Iudicis falsa præsumptione innituntur (vti Doctores secundæ sententiæ affirmant) vnde non obligant in foro conscientiæ, in quo veritas innocenti constat. At posse teneri scandali vitandi ratione. Ideoque si breui possit adulterium probare, cum tunc non magnū indè scandalum oriatur non tenebitur reddere: secus si longa mora sit necessaria. Quia tūc meritò graue scandalum orietur: eo vel maximè, quod insor descens in excommunicatione per annum, tanquam suspectus de hæresi sit habendus. Tridentino *sess.* 25, *c.* 3. *de reform.* attestante. Vnde cum obligatio hæc reddendi debitum minimè consurgat ex Iudicis præcepto, sed obligatione vitandi scandalum, iuxta scandalum ex negatione exortum, temporis breuitas, vel diuturnitas, quæ ad probandū adulterium desiderantur, sunt expendenda. Porrò si coniux innocens in loca aufugeret remotiora, vbi scandalum omnino cessaret, minimè reddere teneretur.

DVBIVM XCIX.

An coniux innocens possit licite, propria authoritate ab adultero diuertere ob adulterium publice notorium, ita vt adulter restitutionem minime petere valeat?

318 *Minimè licet.*

NOn potest esse licita separatio hæc sine Iudicis sententia. Quia separatio habitationis pœna publica, ac proinde publicum Ecclesiæ iudicium requirit. Esto, ex natura rei liceret propria authoritate diuertere: at Ecclesia iustè id interdicere potuit, vt interdixit *c. Porro. de diuort.* Nam cum Ecclesia consentiente initum sit matrimonium, æquum est, vt eius dissolutio siue quoad vinculum, quando inualidum reperitur: siue quoad habitationem per diuortiū, eiusdem Ecclesiæ authoritate fiat. Sic D. Tho. *in* 4. *dist.* 35. *q. vni. a.* 3. vbi D. Bonau. Duran. Supplem. Gabr. Richar. Comitol. *l.* 1. *resp. moral. q.* 41. Bellarm. *l.* 1. *de matr. cap.* 14.

319 *Licet omnino.*

Licita est coniugis innocentis ab adultero propria authoritate separatio quando adulteriū est notoriū. Quia *c. significasti, de diuort.* cōiugi dimisso ob adulterium denegatur restitutio. Ergò licite potuit adulter notorius dimitti alias ad pristinam matrimonij plenam possessionem restituendus esset. Ita Rosel. *v. Diuortium, n.* 12. Angel. *v. Matrimoniū, 4. n.* 76. Friburgo *sum. confes. l.* 4. *tit.* 22. *q.* 7. Brunel. *de sponsal. concl.* 30. *declarat.* 7. *n.* 11. Nauar. *l.* 3. *consil. tit. de conuers. coniug. consil.* 5. Victor. *sum. de matrim. n.* 290. Cordu. *sum q.* 138. Henriq. *l.* 11. *c.* 17. *n.* 2.

320 *Hanc tenet, & expono sententiam.*

Profecto vt liceat coniugi innocenti expellere adulterū ab habitatione propria authoritate, non expectata Ecclesiæ sententia, ita vt in foro externo non competat adultero restitutionis beneficium: desideratur, adulterium sic esse notorium, vt nulla prorsus tergiuersatione valeat celari. Quia cum cōiux adulter sit in possessione pacifica, vt illa coniugis innocētis propria authoritate spolietur, sibique hæc publica quasi pœna absque Iudicis sententia inferatur, nec statim competat sibi restitutio: æquū est, vt ita notoriū sit adulteriū, quod spoliandi causā præbet, vt oculis pateat. Certè tunc dicetur adulteriū publice, vel perse notum, quando Iudici, & aliis notum est; aut, quando adulter, id est professus in iudicio, etiā ciuili; aut quando adulter publice cum adultera commoratur; aut quando est notorium facti permanentis, vt si extent filij notoriè ex adulterio habiti. Lege Sancium *l.* 10 *d.* 12. *num.* 13. plures pro hac sententia referentem. Queis addo Hurtadum *d.* 11. *diffic.* 6. Bonac. *q.* 4. *pun.* 5. *n.* 10. Laym. *tr.* 10 *p.* 3. *c.* 3. *n.* 8. & 9. Coninch *dub.* 35. *dub.* 1. *n.* 2. Villalob. *tr.* 15. *diffic.* 3. *n.* 3.

DVBIVM C.

An liceat, innocenti coniugi propria authoritate ab adultero diuertere ob adulterium occultum, haud expectato Ecclesiæ iudicio?

321 *Non licet.*

MInime potest etiā secreto cōiux innocēs aut eiicere è domo fœminā aut fugere partes

partes longinquas: sed cohabitare debet quo vsque Ecclesia de adulterio iudicet. Quia id expressè deciditur *c. Porrò, de diuort.* vbi consanguinitas est notoria, in quo casu est ratio vrgentior, vt liceat propria authoritate diuertere ob notoriam consanguinitatem: eo quod cohabitando adsit grauissimum peccandi periculum cum si coniuges sint verè consanguinei, atque ita matrimonium inualidum, sit eis copula prorsus interdicta. Ergo à fortiori non licebit absque sententia Ecclesiæ ob occultum adulterium diuertere. Sic primæ sententiæ Doctores dubio proximo relati. Basil. *lib 9. cap. 18. num. 6.*

322 *Licet plane.* Coniux innocens adulterij sui coniugis conscius, potest in foro conscientiæ, secluso scandalo, ab eius cohabitatione diuertere, quamuis adulterium sit occultum: nec ad id aliqua Iudicis sententia desideratur. Quia Christus Dominus *Mat. 19.* absolutè dixit, licitam esse coniugis dimissionem propter adulterium non distinguens inter publicum, & occultum. Et licet fiat distinctio *c. significasti, & c. Porrò, de diuort.* intelliguntur tamen hi textus in foro externo. Et quia in foro conscientiæ est licita dimissio coniugis adulteri occulti quoad thorum, & debitum coniugale reddendum, (vt vidimus:) Ergo, & quoad cohabitationem, si cesset scandalum: cùm maior sit obligatio reddendi debiti, & ex illa cohabitandi obligatione consurgat. Ita Sotus *in 4. dist. 6. q. vni. a. 3.* Nauar. *sum. c. 22. n. 23.* Henriq. *l. 11. c. 17. nu. 2.* & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 10. d. 12. n. 31. & 32.* Ochag. *tract. vltim. de matrim. qu. 7. num. 1.*

323 *Cum his opinor, & rationibus confirmatur.* Cum his opinor, iudicans id decidi *c. Dixit Dominus, 32.* quod est D. Hieronymi *ad cap. 19. Mat.* ibi: *Vbicúmque fornicatio est, vel fornicationis suspicio liberè dimittitur vxor.* Nam verbum *Liberè* est canon latæ sententiæ, & denotat, nullam requiri licentiam, vel sententiam, vt latè probat Tiraquel. *l. si vnquam, v. Reuertatur, à n. 134. vsque ad 138.* Igitur, cessante scandalo, licitam esse hanc dimissionem reor. Vt si vir conscius adulterij vxoris in partes longinquas excedat, vbi matrimonium ignoratur. Quia tota ratio prohibitionis huiusce dimissionis est scandalum. Vndè vbi matrimonium esset clandestinum poterit innocens propria authoritate recedere. Quia scandalum cessat. Cæterùm Ecclesia compellente, vt innocens coniugem adulterum occultum ad cohabitationem admittat: donec lis decidatur non tenetur parere innocens ex natura rei: sicut nec tenetur, quando Ecclesia compellit, vt reddat debitum. Quia in vtróque casu Ecclesiæ sententia falsa præsumptione innititur. At tenebitur parere, dum ad remotiora non se loca contulerit scandali ratione, quod in hoc euentu nunquam non excitabitur: cum separatio habitationis sit publica. Quod non contingit in debiti coniugalis abnegatione, quæ omninò est in occulto. Hinc à culpa excusatur factum D. Iosephi, qui voluit à Deiparæ consortio recedere ob adulterij occulti suspicionem. Quia occulta erat dimissio, (*Voluit occultè dimittere eam. Mat. 1.*) & absque scandali excitatione, quæ quidem in foro conscientiæ est licita.

DVBIVM CI.

An vir teneatur, vxorem in adulterio persistentem dimittere ex præcepto speciali.

TEnetur sub mortali vir vxorẽ in adulterio persistentem dimittere. Quia non diuertẽs ab ea, videtur multis nominibus criminis esse reus. Primò violans Ecclesiæ præceptũ eã iubẽtis dimissionẽ *c. si vir, de adult.* ibi: *Si vir sciens vxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa reus erit, & eius criminis particeps;* Secundò quia scandali maximam exhibet ansam: omnes enim meritò suspicabuntur ipsum virum criminis vxoris conscium ipsi conniuere, patrocinarique, ac esse lenonem: consentire enim videtur etranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. *c. Consentire 83. dist. 3.* Tertio, quia periculo exponitur, vt proles sit incerta, & illegitimi hæredes illi supponãtur: quod est contra bonum Sacramenti, & in graue damnum legitimi cedit hæredis. Sic D. Tho. *in 4. dist. 35. q. vni. a. 2* Bonau *ibi, a. vni. q. 2.* Richard *a. 1. q. 2.* & alij, quam plures, quos citat Sanch. *l. 10. d. 13. num. 4.* 324 *Sub mortali tenetur.*

Non tenetur sub mortali vir vxorem persistentem in adulterio deserere si solam adulteri attendamus rationem. Quia diuortium est pœna adulterij: ac proinde vir innocens eam subire pœnam minimè tenebitur. Adde, diuortium esse inductum in innocentis fauorem, & adulterij supplicium ob iniuriam innocenti illatam, atque adeò proprium viri est, posse diuertere: Ergo potest suo iuri cedere, ac condonare iniuriam. Ita Sanch. *citat. n. 6.* asserens neminem de hac conclusione dubitare. 325 *Non tenetur.*

Equidem nullum extare præceptum diuertendi ab vxore adultera pertinaci, & quantumcúmque publica, existimo. Quia *Cap. 5. & 19. Mat.* vbi Christus Dominus explicuit, diuortium esse licitum, ratione adulterij, id non præcepit, sed tanquam licitum permisit. Attamen ex duplici capite potest ortum habere obligatio viri circa adulteræ vxoris dimissionem. Aut ex præcepto scandali vitandi: vt quando renitens, eam daret ansam suspicandi, suo consensu adulterium admitti; aut ex præcepto correctionis fraternæ; eo quod vir tanquam caput omni modo sibi possibili corrigere vxorem teneatur. Quare vbi spes est, fore, vt ab ea diuertendo resipiscat, videtur ad id teneri. Vnde omnes Doctores ad adulterum ex his duobus præceptis, (non ad directum, & speciale dimittendæ vxoris adulteræ pertinacis,) vel ad vtrúmque referunt obligationem hanc, & inde eam deducunt. 326 *Hoc esse parùm probabile.*

DVBIVM CII.

An vir teneatur, vxorem adulteram iure dimissam (si emendetur) ad suam pristinam amicitiam reuocare.

TEnetur planè. Quia per *Caput Ex literis de diuortio*, compellendus est vir ad vxorem adulteram resipiscentem admittendam, vt ipsius incontinentiam vitet, per *cap. si vir, de adulter.* vbi dicitur, virum debere sibi reconciliare 327 *Tenetur planè.*

ciliare adulteram emendatam. Et D. Augusti. *l.2.de adulte.coniugat.cap.5.* cuius dictum refertur *cap.Quod autem,32.qu.1.* ibi: *Quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt ignouisse Dominum.* Porrò charitatis lege veniam petenti, ac resipiscenti remittendum. Sic Veracruz *3.p.spec.art.6.concl.3.*

328 *Minimè tenetur.* Minimè tenetur. Quia etiam pœnitentia adulterij facta, potest adultera accusari ex *cap. Admonere*, quod est Stephani Pontificis *33. quæstion. 2.* & ex *cap. De Benedicto 32. quæst. 1.* Et constat cum possit adulterium admissum ante Baptismum coniugis iam baptizati ad iudicium deduci, quo diuortium celebretur: vt probat Sanch. *l.10.d.3. n.5.* Et quamuis in Baptismo discordent Auctores, eo quod sit noua quædam generatio: at circa pœnitentiam id omnes Theologi fatentur. Ita D. Thom. *in 4. dist.35.q.vni a.6.ad 2.* Hostiens. *c.fin.n.1. de diuort.* Durand. *in 4.dist.35.qu.2.art.2.n.2.* Petr. de Soto *lect.12.de matr.* Henriq. *l.11. c.17. num.2. & 3.* Petr. de Ledes. *q.62.c.6.concl.1.* Sanch. *l.10. d.13.num.1.*

329 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi compertum. Nam cùm *cap.si vir*, dicitur, virum debere sibi reconciliare adulteram emendatam, explicat ibi Glossa ab omnibus recepta de honestatis debito, & eodem pacto intelligendus est Augustinus citatus. Fateor, charitatis lege remittendum esse recipiscentis, veniámque petentis piaculum. Sed id verum existimo, quo ad animi odium, & aliqua externa beneuolentiæ signa; secus quoad pœnas delicto debitas in iudicio exigendas. Quod si vir iuret vxori, se an minimè accusaturum de futuro adulterio: non valet pactum, nec iuramentum, quoad accusationem criminalem: secùs quoad ciuilem ad diuortium, & dotem petenda. Nam in priori casu agitur de iuris publici renunciatione: & datur ansa vxori libere delinquendi, impunitate promissa, interest enim Reipublicæ delicta puniri. In posteriori autem de renunciatione iuris priuati, ac iniuria, & lucro ipsius viri.

DVBIVM CIII.

An vir teneatur, ab adultera vxore diuertere, eique debitum abnegare ratione præcepti correctionis fraternæ?

330 *Tenetur ex præcepto correctionis fraternæ.* TEnetur ex correctionis fraternæ præcepto. Quia vir tanquam caput obligatur vxorem corrigere omni modo sibi possibili. Vndè vbi adest spes, fore vt ab ea diuertendo resipiscat, ad id plane tenetur. Sic D. Tho. *in 4. dist.35.q.vni.a.2.in corp.* D. Bonau. *ibi, a.vnic.q.2.* Caiet. *Opusc.to.1.tr.29, de reddendo debito, altero coniuge adulterante, q.vnic.* Syluest. *v. Debitum, q.10.* Armil. *ibi, n.16.* Couar. *4. Decretal. p.2. c.7.§.2.n.4.* Manu. *tom.1.sum.c.240.concl.6.n.6.* Petr. de Ledes. *q.62.a.2.concl.2.*

331 *Non tenetur* Non tenetur diuertere ex correctionis fraternæ præcepto. Quia ei plenè satisfacit vir vxorem admonens, & pœnis inferni illi proponens, eam deterrens, parcéque puniens modo sibi permisso. Quod si hæc non sufficiant, nulla supereſt moraliter loquendo emendæ spes: imò creditur, fore, vt dimissa à viro, libertius libidini vacet, deteriórque efficiatur. Ita Sotus *in 4.dist. 6.q.vni.a.2.concl.2.* Ledes. *2. p. 4.q.64.a.2.* Palud *in 4.dist.35.q.1.art.3.concl.4. n.23.* D. Antonin. *3.p.tit.1.c.20.§.9.* Rosel. *verb. Debitum, n.16.* Sanch. *lib.10.d.13.n.8.* & videor tenere Abul. *ad c.19. Mat.q.71.* Victor. *sum.de matr.n.290.* Petr. de Soto *lect.12. de matr.* Barthol. de Ledes. *dub.66.*

His hæreo Doctoribus. Quia vbi vxor, viro sciente, ita fronte perfricata in adulterio persistit peruicax, vt mediis adhibitis hisce, ne trahi nequeat, virum despicit ardentiúsque diligit amasium: vnde tantùm abest, vt expulsione à viri consortio tristitia affecta ad se redeat; quin potius triumphum aget, liberioremque vitam, vt veneri vacet, libentissimè amplectetur. Quod si in casu tarissimo contrarium speretur, res morales, ac de moribus instituēdis præcepta tradita non casus metaphysicos, & præter communem spem, sed in plurimum contingentes respiciunt. *l.Nam ad ea, ff. de legib.* 332 *His hæreo.*

DVBIVM CIV.

An obligatio dimittendæ vxoris in adulterio persistentis, oriatur ex præcepto vitandi scandali?

NOn oritur ex vitandi scandali præcepto. Quia ex constitutione Ecclesiastica apertè consurgit *cap.si vir, de adult.* ibi: *Si vir sciens vxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius criminis particeps.* Et *cap. Quemadmodum, §.vltim. de iureiur.* idem habetur. Sic Ioan. de Friburg. *sum.l.4 tit.2. quæst.48.* Henric. *c.final n.4.de adult.* Monald. *sum.tit.de effect.matr.* Rosel. *v. Debitum, nu.15.* Sylvest. *ibi, qu.10.* Armil. *num.16.* 333 *Non oritur obligatio hæc vitandi scandali præcepto.*

Oritur ex præcepto scandali vitandi: ne vir censeatur conniuens, & patrocinans vxoris adulterio. Quia aut consurgit hæc obligatio ex præcepto correctionis fraternæ, aut vitandi scandali, aut ex Ecclesiæ præcepto. At non consurgit ex correctionis fraternæ præcepto, vt *dubio 103.* probaui. Nec ex præcepto Ecclesiæ, nam *c.si vir,* & *c. Quemadmodum*, pro prima sententia relati, & alij, qui solent afferri innituntur præsumptione consensus viri in vxoris adulterium; ac proindè ad vitādam eam suspicionem, & cauendum scandalum, constituunt textus illi, eam faciendam esse dimissionem; non nouum præceptum imponendo, sed declarando naturale, de vitando scandalo, quod ex ea suspicione oritur. Vnde tanta obligatio hæc ad præceptum de vitando scandalo est referenda. Ita Palud *in 4.dist.35.q.1.a.3.concl.4. n.23.* Suppl. Gabri. *q.vni.a.2.* Palac. *d.10.* D. Antonin. *3.p.tit.1.c.20.§.9.* Sotus *in 4. dist. 36. qu. vnic.art.2.* & alij. Sanch. *l.10.d.13.num.10.* asserit, id omnes fere Doctores profiteri. 334 *Oritur planè ex præcepto vitandi scandali.*

Idem affero, adiiciens, audiendos non esse Cardinalem *cap.si vir,* & Anton. ibi, asserentes satisfacere huic obligationi virum, si vxorem tanquam sororem retineat. Cum enim obligatio hæc oriatur ex præcepto cauendæ suspicionis consensus viri in vxoris adulterium, & scādali inde exorti, nec vicinis notum esse possit, an 335 *Idem affirmo.*

an eam, vt vxorem, an vt sororem retineat: sic, ea retenta, non cessabunt scandalum, ac suspicio.

DVBIVM CV.

An si scandalum absit peccet, lethaliter vir, retinens vxorem in adulterio persistentem?

336 Delinquit lethaliter. LEthaliter delinquit. Quia dum vxor adulterio vacat, & à proprio viro detinetur adest periculum incertitudinis prolis, & falsos hæredes supponendi. Sic Petr. de Ledes. *qu.* 62. *art.* 1. *concl.* 2.

337 Non delinquit lethaliter. Non delinquit lethaliter. Quia ad hoc vitandum periculum non tenetur vir adeò acerbo, vel medio vti: eo vel maximè quòd nulla est correctionis spes: vndè aut ratione huius periculi vitandi, debet vir semper ab eius consortio separatus manere; aut quando eam ad se reuocarit, idem erit periculum. Ita Sanch. *l.* 10. *d.* 13. *num.* 12.

338 Hactenus. Hoc tenendum, nec enim viro culpæ tribui debet ea prolis incertitudo, cùm ipso renitente, & media suauia, ad quæ tenetur corrigendi gratia adhibere, adhibente, id accidat. Nec obscurum est mihi indicium, vt hanc obligationem ex hoc capite non consurgere credam: quòd Doctores antiqui quam plures de hac re disserentes, illius non meminerint; sed scandali, & correctionis.

DVBIVM CVI.

An cum adulterium coniugis ita occultum est, vt probari non possit: teneatur adhuc vir eam dimittere, debitumque abnegare sub mortali?

339 Tenetur dimittere vxorem. QVamuis adulterium vxoris sit occultum, si vir sit conscius, tenetur eam dimittere, debitúmque denegare, & id non agens lethaliter delinquit. Quia agit contra Ecclesiæ constitutionem. Sic Angel. *v. Debitum, num.* 8. Sylvest. *ibi, q.* 10. Armil. *num.* 4. & 16. Ioan. de Friburgo *sum. l.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 48. Quamuis hic solam petitionem debiti damnet, in hoc casu, non autem redditionem.

340 Non tenetur. Non tenetur vir conscius adulterij vxoris, eam dimittere, si adulterium adeò occultum sit, vt nequeat probari. Quia tunc cessat scandali ratio: & aliis suauioribus mediis est corrigenda, ne detur ansa, vt ipsa conqueratur, & adulterium occultum diuulgetur. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 36. *q. vni. a.* 2. *post* 1. *concl.* D. Bonau. *dist.* 35. *a. vni. q.* 2 Durand. *ibi, q.* 1. *a.* 3. *n.* 6. Veracr. 3. *p. spec. a.* 2. *concl.* 2. Mann. *tom.* 1. *sum. c.* 240. *concl.* 7. *num.* 7. Sylvest. *v. Matrimonium* 9. *qu.* 6. Armil. *num.* 75. Tabie. *v. Matrimonium* 4. *q.* 3. *n.* 4. Sanch. *l.* 10. *d.* 13. *n.* 14. & alij apud ipsum.

341 Hoc verum licet quamuis probari non possit adulterium ipsius. Hoc crediderim, verum esse, quamuis adulterium probari possit, nisi publicum sit: non enim tenetur tunc vir vxorem dimittere. Nec quamuis vxor sit infamata publice, nisi communiter credatur, infamiam esse veram. Vt benè annotat Abul. *ad cap.* 19. *Mat. quæst.* 71. Nec tenetur etiam vir à petitione, aut redditione debiti abstinere, dùm adulterium non est publicum, sicut nec diuertere tenetur. Quia dum non est publicum adulterium, cessat commune scandalum, quod est huiusce obligationis ratio. Et licet pauci aliqui norint, atque ita adulterium probari valeat, facillimum est paucis illis satisfacere, certiores illos faciendo, vxorem non dimitti, ne adulterium euulgetur. Certè negare debitum vxori, dum domi retinetur, nil conducit ad scandalum amouendum. Imò si ad eius correctionem conducat, non tenetur vir eo vti medio ad eum finem assequendum.

DVBIVM CVII.

An vir teneatur, pertinaci adultera necessaria alimenta denegare?

342 Tenetur quidem. TEnetur quidem. Quia vir tribuens illi necessaria alimenta, persistendi in peccato ansam exhibet. Et *vilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat. quam esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* Authore D. Augustino *ad Vincent. Donatill.* & refertur *cap. Non omnis*, 5. *quæst.* 5. Sic Abbas *cap. si vir, num.* 2. *de adulter.* Angel. *verb. Debitum, num.* 9. Sylvest. *ibi, qu.* 10. Temperat Angel. quando alimentis denegatis vxor corrigeretur.

343 Minimè tenetur. Minimè tenetur. Quia est medium acerbissimum alimenta denegare, nec correctionis præceptum ad id obligat. Eo vel maximè, quod moraliter loquendo, efficeretur obstinatior, ac deterior vxor ita percita, ac vehementi furore: prostituerétque corpus suum, vt victum quæreret. Ita Ioan. Andr. eo *c. si vir, n.* 1. Anton. *ibi, n.* 3. Cardin. *ibid. initio*, & dicit, id esse verius Anani. *n.* 4. Sanch. *l.* 10. *d.* 13. *n.* 37.

344 Idem affirmo. Idem affirmo, iudicans, vitum haud vxori pertinaci tribuens necessaria alimenta ansam ad delicta præbere, cùm nec eum animum gerat alimenta exhibendo, nec ea denegare ad finem emendæ comparandum teneatur.

DVBIVM CVIII.

An vxor innocens teneatur, similiter diuertere à viro in adulterio persistente?

345 Tenetur planè. TEnetur planè. Quia D. Chrysost. (vt refertur *c. si quis vxorem, el* 1. 32. *q.* 1. expressè ait) virum, & vxorem non ad imparia iudicari quo ad obligationem diuertendi propter persistentiam alterutrius in adulterio. Sic ibi Gloss. *verb. Non ad imparia.* Et quando est emendæ spes viri, teneri vxorem, si ille monitus, non desistat, adhibere pœnalem medicinam abstinendo ab eius concubitu, docet Caiet. *Opusc. tom.* 1. *tr.* 29. *de redden. debi. altero coniuge adulterante, q. vnic.* & in *sum. v. Matrimonium, c. vlt. vers.* 10. Pedraza *sum. prec.* 6. §. 18. Et non deberevxorem participem asserit Archid. *c. In coniugio*, 32. *qu.* 1. *n.* 1. Et expressè peccare lethaliter vxorem habentem

tem rem cum eiusmodi viro tradit Bertachin. *in Dictionar. litter. A. verb. Adulter.* & Monal. *sum. vbi de matrim. titul. de effectu matrimon. ad finem.*

346 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia cum sit viro subdita, nó est moraliter spes correctionis viri, sed timor peioris exitus, si ab vxore dimittatur. Et cessat scandalum. Ita Supplem. Gabriel. *in 4. dist. 35. qu. vnic. artic. 2. concl. 4.* Palac. *ibi, d. vnic.* Nauar. *sum. cap. 22. num. 21.* Barthol. à Ledes. *dub. 66. concl. 1.* Petr. de Ledes. *qu. 62. art. 2.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 4. cap. 19. vers. 4.* Petr. de Soto *lect. 11. de matrimon.* Adiiciunt tamen teneri ad id vxorem, vbi spes esset emendæ. Quia præceptum correctionis fraternæ ipsam obligat, vt media sibi possibilia adhibeat, vt vir ab adulterio resipiscat.

347 *Auctoris resolutio.* Ego autem existimo, nunquam vxorem hoc præcepto dimittendi viri in adulterio pertinacis, aut ab actu coniugali abstinendi adstringi. Quia obligatio viri ad dimittendam adulteram pertinacem ex solo præcepto vitandi scãdali exoritur. Quod in vxore non dimittente virum, nec ei debitum abnegante, cessat prorsus. Cùm omnibus sit manifestum, vxores egerrimè ferre, vt viri aliis commisceantur, & zelotypia exuri: nec potestatem habere cohibẽdi viros, quia subditæ sunt. Esto obligatio hæc in viris ex correctionis fraternæ præcepto consurgeret, (quod suprà negaui:) id non adstringeret vxorem, eo quod, licet corrigere verbo, vbi est emendæ spes, omnibus incumbat: at facto ipso, pœnam inferendo, solius est superioris. Abnegare autem debitum, & recedere à consortio coniugali, est facto ipso corripere, & adulterij pœna virum punire. Ergo correctionis fraternæ præceptum non obligat vxorem, quæ viro est subdita, vt virum corrigat, ea pœna plectendo: quamuis vxor innocens ratione fidei sibi non seruatæ à viro adulterante possit id efficere.

DVBIVM CIX.

An copula habita à coniuge innocente cum adultero ante diuortij sententiam, sit adulterij condonatio?

348 *Nonnulla suppono.* PRæmitto, reconciliationem coniugis adulteri duplicem esse, vnam expressam, alteram tacitam. Expressa est, quando expressè remittitur adulterium, de qua loquitur textus *l. si maritus 15. §. si negauerint, ff. ad l. Iuli.* Tacita verò est, quando facto ipso animus condonandi indicatur. Nam facta non minus, quam verba animum indicant, *l. si tamen, 48. ff. de ædilitio edicto.* Quæsierim igitur circa tacitam condonationem, an copula inita cum adultero coniuge sit tacita adulterij condonatio, ita vt ratione illius diuortium celebrari nequeat: aliâve accusatio criminalis, aut ciuilis intentari?

349 *Non est adulterij condonatio.* Non est reconciliatus coniux adulter, nisi copula illa habita sit post diuortij sententiam. Vndè coniux innocens reddens debitum coniugi adultero, petenti ius habet adhuc, vt possit in posterum adulterium ad Iudicem criminaliter, ac ciuiliter deferre, & ratione illius diuertere. Quia redditio debiti debet esse spontanea: at petenti adultero tenetur innocens debitum reddere. Sic Gloss. *c. 1. v. Patronius, 32. q. 1.* Innocent. *c. penult. de adult.* Ancha. *c. finali, eodem titul. num. 4.*

Coniux innocens copulam gerens etiam ante Iudicis sententiam cum coniuge adultero, siue petendo, siue reddendo debitum, censetur condonare adulterij iniuriam, & ad pristinam amicitiam coniugem adulterum etiam occultum renocare: vnde deinceps non est sibi integrum diuertere, ídve adulterium ad iudicium criminale, aut ciuile deferre. Quia id plures textus manifestè decernunt, *leg. Crimen, 11. Codic. ad leg. Iulian. de adulter.* ibi: *Crimen adulterij mauitum, retenta in matrimonio vxore, inferre non posse, nemini dubium est.* Et *leg. Quæsitum 40. §. Item quæritur, ff. ad leg. Iulian. de adulter.* ibi: *Respondi, eum, qui post crimen adulterij intentatum, eandem vxorem reduxerit, desiisse videri: & ideò ex eadem lege postea ei ius accusandi non superesse.* Et *l. Regia 8 tit. 17. p. 7.* ibi: *Si despues que la muger ha hecho el adulterio, la recibe el marido en su lecho, o la tiene en su casa como a su muger, non la podra despues acusar.* Et ratio est, tũ, quia copula est actus amicitiæ, & omninò spõtanea, nõ enim innocẽs cõiux certus de adulterio tenetur debitum adultero reddere quantumcúmque occulto. Tùm etiam quam cùm ratio diuortij celebrandi ob adulterium sit diuisio carnis coniugis adulteri in aliam *c. Dixit Dominus, 32. q. 1.* & per copulam post habitam cum coniuge restituatur caro diuisa adulteri ad pristinam vnionem, atque iterùm efficiatur vna cum carne innocentis: indè est, vt matrimonium separatum ob carnis diuisionem instauretur, carne iam effecta vna per coniugalem copulam: ac subindè scienter, & sponte habens eam copulam cum adultero, censetur, abolita priori adulterij iniuria, paces perficere. Ita Henriquez *l. 11. c. 17. nu. 5. casu 6.* Barth. à Ledes. *dub. 67. concl. 1.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 21. §. 5.* Durand. *in 4. dist. 35. q. 1. art. 2. n. 7.* Lud. Lop. *p. 1. Instruct. cap. 295.* Rosel. *verb. Debitum, num. 13.* D. Bonauent. Abul. Petr. de Soto, Veracr. Barbo. Cenedo, Bellarm. Angl. Vega, & alij plures, quos refert, explicat, & sequitur Sanch. *l. 10. d. 14. n. 7.*

350 *Est condonatio adulterij.*

Idem asserо, adiiciens, non referre, an ea copula contingat antè, vel post diuortium celebratum. Quia casu in vtroque reconciliatio censetur, nec impossibile fas erit innocenti in diuortio persistere: rationes enim pro nostra sententia expositæ in vtróque æque probant euentu: vt docet Sotus *in 4. dist. 36. q. vnic. art. 1. casu 6.* Barth. à Ledes. *dub. 65. post 3. concl.* & alij. Duplicem verò conditionem desiderari monuerim, vt copula post adulterium habita censeatur illis condonatio, ac proinde ius diuertendi, accusandique extinguatur. Prior est, vt coniux innocens sit adulterij conscius *l. 5. tit. 7. l. 4. fori Regij.* Quia nulla est remissio, vbi est ignorantia iniurię iurisque competentis, *l. Manifestissimi, 22. C. de furtis, l. fin. C. de condict. indeb.* & actus agentium vltra eorum intentionem non operantur *l. Non omnis, ff. si certum petatur.* At intentio non potest haberi, vbi adest ignorãtia. Posterior est, vt sponte sit habita copula. Quia hæc condonatio proficisci debet ex liberali innocẽtis volũtate, at in necessitate nemo liberalis præsumitur, *l. Rem legatam, ff. de adim. legat.* Hinc deduxerim, innocentem reddentem

351 *Idem asserit & expon.*

kem debitum Ecclesiæ præcepto compulsum minime videri remisisse: vnde non amittit ius diuortij, & accusandi criminaliter, aut ciuiliter. Nec esse condonationem, quando vxor reddit debitum viro adultero gtaui eius metu perculsa. Quia cessat liberalitas. Nec esse condonationem, si coniux innocens reddat adultero eo quod existimabat, se ad id teneri, aut deceptus est ab aliquo id docente, alias tamen redditurus. Quia deficit spontanea voluntas. Cæterum censeo, reconciliationem deputari factam, ac adulterium condonatum, si innocens scienter, & sponte, nulla necessitate etiam honestatis compulsus familiarem se exhibeat adultero vt simul ludendo, ridendo, comedendo. Vnde oscula, & amplexus scienter, & sponte cum coniuge adultero habita esse à fortiori condonationem adulterij non dubito. Quia sunt actus coniugales.

DVBIVM CX.

An detur, compensatio si coniux alter adulterij spiritualis reus sit, alter carnalis: ita vt neutri diuertere liceat?

352 *Nonnulla certa suppono.*

CErtum de fide est ob alias causas aliquas licitum esse diuortium, quando adulterium carnale. Sic definit contra Kemnitium, ac alios hæreticos id abnegantes, Trident. *sess. 24. can. 8. si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas, separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertúmve tempus fieri posse, decernit, anathema sit.* Porro vna ex præcipuis hisce causis est spiritualis fornicatio. Vnde lapsus vnius coniugis in infidelitatem, vel hæresim sufficiens est causa ad gerendum diuortium. *c. fin. de conuers. coniug.* Probant id disertè Sancius[1] *l. 10. d. 15. per totam*, & Basil. *l. 9. c. 21.* Qui bene contra alios edocent, casu quo innocens iudicio Ecclesiæ sit à coniuge hæretico separatus ob hæresim, non teneri postea eum admittere, quamuis iam emendatum. Quæsierim igitur, num detur compensatio, vt neutri coniugi diuertere liceat, si alter sit carnalis adulterij, alter vero spiritualis reus?

353 *Datur compensatio.*

Datur compensatio, ita vt neutri coniugi diuertere liceat. Quia vtraque fornicatio est sufficiens causa diuortij, idemque quoad illud operatur: Ergò à fortiori idem operari debet quoad reconciliationem, & compensationem. Proniora enim sunt iura ad coniungendum, quam ad separandum. *cap. 1. in fine, vt lite non contest.* Sic D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 21. §. 6.* Sylvest. *v. Matrimonium, 9. q. 8. §. 8. & verb. Diuortium, qu. 11. §. 14.* Rosel. *ibi, n. vlt.* Armil. *n. 9.* Gregor. Lop. *libr. 8. titul. 2. part. 4.* & alij plures.

354 *Compensatio non datur coniugi.*

Spiritualiter adulterans non potest vti compensatione quamtumuis correctus sit ratione adulterij carnalis alterius coniugis. Quia ad iustam compensationem desideratur æqualitas inter res compensandas: At fornicatio spiritualis nullo grauius delictum est quacumque carnali: Ergo æquum non est, vt hæc delicta compensentur. Admittunt autem huius sententiæ referendi Doctores coniugem reū cuiuscumque carnalis fornicationis posse suum delictum compensare cum fornicante spiritualiter, & repellere hunc petentem diuortium ratione adulterij carnalis, obiiciendo ei adulterij spiritualis ipsius exceptionem. Quia leuioris criminis reus existit. Sic Palud. *in 4. dist. 35. quæst. 1. art. 2. casu 1. numer. 11.* Supplem. Gabriel. *ibi, quæst. vni art. 2 post 1. præposit. casu 1.* Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 4.* Quand. *in 4. dist. 35. qu. vni propos. 1.* Palac. *in ibi d. vni.* Qui tamen limitat, nisi hæreticus sit occultus, adulter vero manifestus. Tunc enim forsitan, ait dabitur hinc inde compensatio: eo quod adulterium ratione illius circumstantiæ aggrauetur, hæresis verò malitia minuatur.

355 *Neutra sententia placet? meam subiicio.*

Ego quidem neutram sententiam omnino approbo. Non priorem, quia nondum lata est sententia aduersus hæreticum: & tunc manifestum est non posse adulterum vti compensatione illius hæresis exceptionem obiiciendo; quia vt ratione compensationis denegetur diuortium, allegato delicto illud petentis, desideratur vtriusque coniugis delictum esse sufficientem diuortij causam: at hæresis ante sententiam non est sufficiens causa diuortij, nisi ad tempus, dum deest emenda: & illa existente, nullomodo. Non ergò datur compensatio adulterij cum illa hæresi, sed integrum erit hæretico non dum damnato diuertere ab adultero: non tamen è contra nisi ad tempus, quod nō corrigitur. Aut iam lata est sententia aduersus hæreticum: quo in euentu vtraque fornicatio est sufficiens causa diuortij. Et neque in hoc casu dari compensationem inde mihi persuadeo; quia lōgè diuersa est ratio diuortij in vtroque delicto in carnali enim fornicatione est ratio fides violata, & caro in alia diuisa: in spirituali vero quod in pœnam hæresis damnatæ absoluatur Catholicus à fidelitatis debito. Si Ergo Catholicus adulter petat diuortiū ratione hæresis damnatæ, non poterit hæreticus quasi compensatione vtens, obiicere illi fidem violatam cōiugij per adulterium. Non enim adulter tuetur se, quo diuortium velit violatione fidei coniugalis alterius, vt vel sic possit alter allegare eandem fidei violationem adulteri petentis diuortium; sed intendit diuortium, eo quod hæreticus iusta sententia illo damnatus sit in sui delicti pœnam. Adulterium vero alterius hæretici pœnam non tollit. Nec posteriorem approbo. Quia ad diuortium non attenditur grauitas delicti in se, sed in ordine ad matrimonium. At in ordine matrimonium est grauius adulterium carnale, maioremque iniuriam illi irrogat, plusque illi aduersatur. Itaque meam iam expono sententiam. Si hæreticus est iam damnatus, potest libere diuertere ab adultero, & hic ab illo, nullaque datur compensatio inter hæc crimina, si autem non sit damnatus, integrum est illi diuertere ab adultero: at adulter id nequibit, nisi dum hæreticus non resipiscit: ita tamen vt ad ipsum resipiscentem redire teneatur, donec sententia ipsum hæresis condemnans accedat. Et ideo non dari compensationem inter huiusmodi fornica-

tiones docet Bald. *c. 1.* qualiter debet vasallus domino fidelitatem.

DVBIVM CXI.

An detur, compensatio si vtérque coniux fuerit lapsus in hæresim?

356 *Datur quidē compensatio.* DAtur equidem. Quia ideò dum vtérque coniux est adulterij carnalis reus neutri datur ius diuortij: nam paria delicta mutua compensatione abolentur: Ergò dum vtérque est adulterij spiritualis reus dabitur similiter compensatio: nec enim iure optimo alteri poterit crimen obiicere, quo ipsemet est infectus. Sic Goffred. *sum. titul. de adulter. numer. 6. & titul. de diuort. num. 14.* Hostiens. *ibi, numer. 10.* Ioan. Andr. *c. fina. numer. 4. de conuers. coniu.* Anton. *ibi, num. 4.* Abbas *in fine.* Anchar. *numer. 3.* Syluest. *v. Diuortium, q. 11. §. 14.* Rosel. *n. vlt.* Armil. *n. 9.* & alij.

357 *Non datur.* Non datur compensatio, si vtérque sit lapsus in hæresim: vnde qui hæresis damnatus non est, poterit à damnato & reconciliato diuertere: hic autem minimè ab illo nisi ad tempus, dum resipiscit: & tenetur ad resipiscentem redire, donec condemnetur. Quia in condemnato inuenitur sufficiens causa diuortij perpetui: in non condemnato autem solum ad tempus. Si verò vtérque hæresis sit damnatus, integrum erit vtrique, altero inuito, diuertere, donec mutuo consensu ambo ad pristinum matrimonij statum, & amicitiam redeant. Quia non sicut inter duo adulteria vtriusque coniugis datur compensatio, ita inter hæ delicta hæresis: Nam diuortium ratione adulterij est prorsus in fauorē coniugis solus innocētis, ita vt ipse hanc pœnā adultero valeat infligere. Quare vbi alter nō est innocēs eo priuilegio minimè gaudet. Aſt in hæresi nō datur diuortiū principaliter, ac directe in alterius coniugis fauorē: sed in delicti pœnā, eo quod debitam fidem hæreticus non seruarit Deo, punitur in eo quo reus fuit, & ita absoluitur alter à fide coniugali ipsi debita quamuis indirectè, & consecutiuè (vt aiunt) ea pœna in alterius cedat fauorem. Porro eo quod alter cōiux eandem pœnam incurrerit, non eximitur prior à pœna, in quam semel incidit. Nullibi enim cautum inuenitur, vt ius per pœnā emissum recuperetur altero obnoxio eiusdem pœnæ: sed vtérque pœna illa punietur. Nec illa pœna imponitur ab altero coniuge, vt in adulterio carnali contingit, in quo pœna diuortij, & priuationis iuris debitum exigendi, imponenda est ab innocente: sed imponitur ab ipsa Ecclesia independenter ab alterius coniugis voluntate: quamvis possit alter eā remittere sibi coniugē damnatum reconciliando. Ita Sapientissimus Tho. Sanch. *l. 10. d. 16. n. 4.*

358 *Cum hu opinor.* Tota difficultas in eo sistit, quod iam sint paria delicta: ac proinde mutua compensatione abolenda. Ad quod respondeo, paria delicta mutua compensatione aboleri, intelligendum esse, quando pœna delicto correspondens est directè, ac principaliter in alterius fauorem inflicta, vt ex secundæ sententiæ fundamento constat, cui lubens adhæreo.

DVBIVM CXII.

An licitum sit diuortium ob multa alia crimina, etiamsi eis coniux ad pecandum non inducatur?

359 *Licitum est.* LIcet coniux coniugem ad delinquendum non inducat, licitum est diuortium ob alia crimina adulterio paria, quibus alter coniux sit implicitus. Quia fatur D. Augustinus *libr. 1. de serm. Dom. in monte. c. 28* & refertur *c. Idololatria 28. q. 1 Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum qua in stupris cum alienis viris, aut fœminis committuntur: sed omnino quas libet, qua animam corpore male utentem pernitiose turpitérque corrumpunt, possit sine crimine & vir vxorem dimittere, & vxor virum.* Vbi apertè per quodcúmque crimen concedit diuortium. Accedit D. Hieronymi authoritas, qui *Epist. ad Amand.* & refertur *c. Omnes causationes. 32. q. 7.* ibi: *Quandiu vivit vir, licet adulter sit, licet Sodomia, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, mari tu tamen est reputandus eius, scilicet cui alterum virum recipere non licet.* Vbi Doctor egregius tanquam manifestum videtur supponere, posse coniugem ob alia flagitia dimitti. Sic Orig. *ad cap. 19. Mat* Ripa *rubr. de iudic. n. 18. & 19.* Tiraquel. *lib. 16. connub num. 37.* Breche. *l. Inter diuortium, 191. num. 6. ff. de verbor. signif.* Lara *l. si quis à liberis, à numer. 78. ff. de liber agnosc.* Quos omnes citat Barbo. *rubri. solut. matrim. 2. p. n. 17.*

360 *Non est licitum.* Si coniux coniugem ad delinquendum non inducat, ob nullum crimen aliud à fornicatione carnali, vel spirituali licet coniugibus diuertere. Quia id deciditur in Concilio Tolet. XII. *c. 8.* & refertur *c. Præceptum. 32. quæs. 5.* Et constat ex *capit. 2. de diuor.* Ratio est, quod fornicatio spiritualis magnum affert secum periculum peruertendi alterius coniugis fidem, atque ideo, dum coniux ille minime resipiscit, licitum est alteri diuertere. Fornicatio autem carnalis directè fidei coniugali certitudinique prolis opponitur: quæ quidem in aliis criminibus minimè reperiuntur. Vnde quamtumuis coniux aliis grauissimis peccatis deditus sit, & incorrigibilis dummodo coniugē alterum non inducat ad delinquendum, minimè licet diuortium celebrare. Ità communiter Doctores. Pro cunctis Sanch. *l. 10. d. 17. n. 3.*

361 *Hanc sententiam teneo, & limito.* Hoc verius esse credo. Negandum tamen non est, si vxor iis peccatis sit implicita, licere viro causa ipsam corrigendi, ad tempus à consortio coniugali, recedere quo ipsa eo solatio destituta resipiscat. Quia est caput, ipsiúsque est, vxorem corripere. Sic D. Thom. *in 4. dist. 29 quæstion. vnic art. 9.* & alij. Scio Petrum de Ledes. *quæstion. 59. art. 6.* negare, id esse etiam licitum

licitum vxori ad viri iis sceleribus implicíti correctionem; quia mulier est subdita viro, ac proinde ipsius non sit, illum corrigere. At cum Soto *in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 4. ad 4.* & Ludouico Lopez *part. 2. Instruct. de matrimon. c. 53.* assero, etiam id vxori licere, si commodè possit, ac probabiliter speretur, fore vt vir resipiscat. Quia licet ipsi non adeò incumbat, virum corrigere, ac è contra: at potest vtique, si præfatæ circumstantiæ incurrant.

DVBIVM CXIII.

An si coniux pertrahat alterum coniugem ad peccandum, lethaliter possit ab illo separari?

362 *Non potest diuortium.*

NOn potest. Quia cum hæc sint iuris positiui, & pœnalia, minime sunt extendenda. At *c. 2. de diuor.* limitatè concedit mulieri diuortium, vel quando ad fidei peruersionem trahitur, ibi *verum si coniugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari* Et paulo antè, *Mulier pro furto, vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet.* Et ratio disparitatis est: Quod cum fides sit totius Christianæ vitæ fundamentum, periculosius in illa erratur: in reliquis autem non tanti momenti est error: & ideo ob solum periculum deficiendi à fide diuortium conceditur: negatur vero ob periculum, & inductionem ad alia crimina, ne detur ansa facile dissoluendi matrimonium. Sic Abul. *ad cap. 19. Mat. quæstion. 70. in solut. ad 3.*

363 *Diuertere potest.*

Potest quidem. Quia iure naturali, & diuino cuique permissum est, periculum corporis, nedum animæ cauere. An non licitum est à leprosi coniugis consortio recedere, quando infectionis periculum coniugi sano imminet? Superius ostendi. Ergò à fortiori abscedere licebit, vbi infectionis animi adest periculum. Ità D. Tho. *in 4. dist. 39. quæstion. vnic. art. 6. ad 3.* D. Bonau. *ibi, num. 4. in expos. lit.* Sic intelligens Magistrum asserentem ob alia crimina dare diuortium. Richar. *ibi in expos. lit.* Ledes. *2. p. 4. q. 61. art. 6.* Bellarm. *lib. 1. de matrimon. cap. 14.* Henriquez *lib. 11. cap. 17. nnmer. 7* Sà *verb. Diuortium, num. 1.* Sanchez *lib. 10. dub. 17. numer. 5.* plures citans. Basil. *lib. 9. cap. 14. num. 2.* Hurtad. *d. 11. diffic. 5.* Villalob. *tr. 15. diffic. 10.*

364 *Hanc vnicè amplectendam sententiam iudico.*

Hanc certissimam iudico esse sententiam, & Abulensis doctissimi venia, vnicè amplectendam cui minime obstat *cap. 1. de diuor.* vbi solum concedi videtur sic diuertere, quando vir nititur, vera Religione deserta, ad suam hæresim coniugem allicere. Porro textus ille ea, quæ regulariter contingunt, attendit regulariter enim ob viri hæretici consortium instantius vxori periculum peruersionis, quam ob alia crimina imminet. Iustam itaque diuortij causam vir ille exhibebit, qui lenocinium cum vxore exercet, qui suam in domum viros procaces, & impudicos inducit, qui vxorem solicitent eosque solos cum ila relinquit. Et qui vult eam furtorum suorum fieri participem, hortando scilicet, vt eis cooperetur, furta tegendo, ac simulando. Et qui cogit vxorem, vt pellicem foueat, & alat, & similia, quæ in animæ periculum vergere videantur.

DVBIVM CXIV.

An liceat viro ob vxoris sæuitiam gerere diuortium?

365 *Nonnulli. suppone.*

CErtum est, viri sæuitiam sufficientem causam exhibere diuortio, quamuis coniux timens dederit occasionem *c. Literas, de restit. spoliat. cap. Ex transmissa, eodem tit.* & alibi. At non quæuis sæuitia sufficit, sed debet esse tanta, quæ constantem animum vxoris deterrere valeat: vel quòd malum, quod ex illa sæuitia timetur, tale sit, quale ad metum constantis viri exigitur. Vnde assero, iustam diuortij causam, ratione sæuitiæ, esse molestam admodum cohabitationem, discordias, ac iurgia grauia. Item causa est iusta, si vir ad collum vxoris gladium apposuit, si per venena, per maleficia, aut alio modo parauit insidias, si grauiter, ac atrociter voxrem percusserit, siue id gerat gladio, vel hasta in capite, facie, seu oculis, aut pectore: vel acriter eam, & immoderate excedendo lenem correctionem viro permissam diuerberarit. Sic omnes Doctores. Lege Sanchez *lib. 10. dub. 18. à num. 10.* Basil. *libr. 9. cap. vltim. a num. 4.* Bonac. *quæst. 4. pun. 5. n. 25.* Quæsierim igitur, num liceat etiam viro ob sæuitiam vxoris, celebrare diuortium?

366 *Minimè licet.*

Minime licet. Quia textus *cap. Literas, cap. Ex transmissa*, & alij, loquuntur expresse de vxore virum timente. Et quamuis maritus & vxor sint correlatiua, ac proinde videatur dispositum in vxore, censeri quoque dispositum in marito *l. vnica, Cap. de indicta viduit.* At id locum non habet, quando vtriúsque correlatiui non est eadem ratio. Esse autem diuersam hoc in casu manifestè constat. Quia vxor nequit coërcere virum, ipsumque panire, ac potest vir ipsam vxorem. Sic Tancred. quem refert, ac sequitur Glos. *cap. 2. verb. Vel alio, de diuor. & cap. Quemadmodum in fine, de iureiur.* Ibi Hostiens. *ad finem.* & Anton.

367 *Licet plané.*

Vir cuius vitæ axor tendit insidias, poterit huius sæuitia ratione gerere diuortium, quando aliter nequit eam compescere, sibique aduersus illius insidias consulere. Quia ius naturale vnicuique concedit facultatem vitandi mortis periculum: nec contractus matrimonij obligat ad cohabitationem cum tanto vitæ discrimine, præcipuè cum id discrimen ex vxotis culpa proficiscatur. Quæ ratio æque militat in vtroque coniuge. Ità Sanchez *lib. 10. d. 27. numer. 8.* Henriq. *lib. 11. cap. 17. num. 7.* Veracr. *3. part. spec. art. 1.* Basil. *lib. 9. cap. vltim. num. 8.* asserens sic in supremo Regis Catholici Senatu pronunciatum fuisse circa diuortium D. Annæ Palomeque, & Ioannis Moreno. Plurimos Sancius citat Auctores.

368 *Eiusdem mutua sunt.*

Crediderim, cum vir & vxor sint correlatiua, dispositum in textibus allegatis circa vxorem, cuius vitæ maritus insidiatur, censendum esse

esse disponi in viro easdem vxoris insidias patienti. Adeo, eos textus locutos esse de vxore, eo quod frequentior sit viri in vxorem sæuitia & rarò, accidat vxoris in virum. Verba autem posita in lege frequentioris vsus gratia, non limitant egem.

DVBIVM CXV.

An ob furorem coniugis liceat alteri diuortium celebrare, quamuis non adsit vitæ periculum?

369 *Non licet nisi instet vitæ periculum.*

NIsi instet vitæ periculum, non licet coniugi à furioso coniuge diuertere. Quia nihil tam humanum est, quam fortuitis casibus vxoris maritum: vel vxorem viri esse participem. *l. si cum dotem. 23. § si maritus ff. soluto matr.* Vnde vbi absque graui vitæ periculo coniux potest cum furioso coniuge habitare, ei diuortium gerere non licet. Sic Nauar. *sum. cap. 22. num. 22.* Sà *verb. Diuortium, numer.* 8. Philiarc. *de offic. Sacer. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 17.* & alij.

370 *Licet, quamuis vitæ periculum non instet.*

Licet non instet vitæ periculum, sufficit ad diuortium gerendum aliud grauissimum prudentis arbitrio. Quia sine viræ periculo potest furor adeò esse intolerabilis, vt sufficientem diuortio causam exhibeat. Ità Couar. *4. decret. p. 2. c. 7. §. 5. n. 3.* Ludou. Lop. *p. 2. Instr. de matr. c. 54.* Graf. *1 part. decis. lib. 2. c. 84.* Petr de Ledes. *q. 61. a. 1.* Henriq. *l. 11. c. 8. n. 13.* Sanch. *l. 10. d. 18. n 18.*

371 *Hanc eligo sententiam, nonnullaque annoto.*

Eiusdem sum mentis. Moneo tamen non sufficientem esse causam diuortij molestam cohabitationem, & rixas. Quia hæc absque culpa coniugis amentis accidunt, nec graue periculum plerumque constituunt similiter crediderim esse iustam diuortij causam, si vir sæpe inebrietur cum periculo vitæ vxoris, vel cum alio graui periculo. Idem censeo si è contra vxor sic ebria fiat, vt compesci nequeat à viro. Quoties autem id periculum abesset, non liceret hac ratione diuortium: sicut nec ob alia crimina, quæ in alterius coniugis perniciem minime vergunt. Vnde poterit vxor à viro latrociniis adicto nolenteque ab eis abstinere, si prudenter timeat, inde sibi aliquod graue incommodum obuenturum vt si timeat, ne tanquam consentiens, furtis viri, ac receptatrix furtorum puniatur: secus autem si indè nullum sibi acidere possit nocumentum. Denique adnoto, in nullo casu ex assignatis posse fieri separatio in perpetuum, nisi periculum in perpetuum duret. Quia cum coniux à cohabitatione cum altero ob solum periculum excusetur: eo cessante, tenebitur pristinam inire cohabitationem.



LIBER

LIBER XXVII.

MATRIMONII IMPEDIMENTA.

Si tam Dirimentia, quàm impedientia Matrimonium Impedimenta, eorumque Dispensationem expressero, ingentis Prouinciæ breui cursu iter absoluo.

SECTIO PRIMA.

De Matrimonij Impedimentis receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Impedimentis Matrimonij nonnulla prælibo.

1 De fide est, posse Ecclesiam Matrimonij impedimenta statuere.

EX multis Pontificum decretis, ex Canonibus Conciliorum, ac præcipuè ex Tridentino *sess. 24. can. 3. & 4.* constat, fide tenendum, posse Ecclesiam Impedimenta Matrimonium dirimentia statuere, Matrimoniúmque contra eam prohibitionem contractum, esse irritum. Nec id est mutare essentiam, aut variare materiam, & formam Sacramenti, sed irritum facere contractum humanum qui in Matrimonij Sacramento prærequiritur. Dupliciter autem potest Ecclesia contractus irritare. Primò mediatè, reddendo personas ad cõtrahendum Matrimonium inhabiles. Secundo immediatè, irritando contractum Matrimonij, qua ratione etiam potest Matrimonia infidelium irritare, modo illa irritet non tanquam Princeps Ecclesiasticus, quia Ecclesia non habet potestatem suprà infideles; sed tanquam Princeps sæcularis erga subditos, Bonacin. *de matrimon. quæstion. 3. pun. 1.* Sylui. *in Supplem. q. 50. articul. 1. quæst. 5. conclus. 5.* Filliuc. *tractat. 10. part. 2. capit. 1. quæstion. 1.* Sanchez *libr. 7. dub. 1.*

2 Iusta causa requiritur vt valeat Pontifex indicere de matrimonij impedimento.

Vt Pontifex ritè, & rectè valeat Matrimonij impedimenta indicere iusta debet ineſſe causa. Quia ipsius potestas non est ad ruinam, sed ad rectam Ecclesiæ administrationem. Vnde non existente causa iusta, Matrimonium aduersus prohibitionem Pontificis initum, foret validum, culpáque vacaret. Quia extra primum consanguinitatis gradum inter ascendentes, & descendentes Matrimonij vinculum est iure naturali, ac diuino inuentum, quod nequit ad libitum Pontifex interdicere, Episcopus autem posset huiusmodi impedimenta sua in Diœcesi statuere, si ius diuinum, & naturale attendatur: ex generali tamen Ecclesiæ consuetudine hæc potestas soli est Pontifici reseruata. Filliuc. *tractat. 10. part. 2. cap. 1. quæstion. 3.* Victor. *hic 1. part. 2. partis*, Sanchez *lib. 7. dub. 1.* Armil. *verb. Matrimonium, numero 54.* Sylui. *in Supplem. qu. 50. art. 1. quæst. 5. concl. 5.*

3 Potest sæculari Princeps iusta ex causa suis fidelibus subditis impedimenta Matrimonij statuere, sed eius hæc potestas est ab Ecclesia ablata.

Princeps sæcularis ex genere, ac natura suæ potestatis posset impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa suis legibus indicere, nisi Summus Pontifex hanc sibi potestatem reseruasset. Quia iuxta D. Thomam *in 4. dist. 34. articul. 1. ad 4.* Matrimonium in quantum contractus ciuilis, est in officium communitatis institutus, subiacet legis ciuilis ordinationi. Verum tamen hæc potestas suprà Matrimonium illis ablata est ab Ecclesia. Quia Matrimonium non tantùm est contractus, sed etiam res spiritualis, & Sacramentum, suprà quod sæcularis potestas sese non extendit. Vnde cum causa dotis, & matrimonij infidelium sit nudus contractus, non tamen Sacramentum, & res spiritualis. Principi sæculari relicta est potestas circa illa, & valet Princeps aliqua impedimenta apponere, per quæ infidelium subiectorum sibi coniugia dirimantur. Henriq. *libr. 21. cap. 1. num. 4.* Coninch *d. 30. dub. 1. num. 5.* Bellarm. *de Matrimon. libr. 1. cap. 32.* Valent. *tom. 4. d. 10. qu. 5. punct. 1.* Sanchez *l. 7. d. 3. n. 2. & 3.* Diana *p. 5. tract. 1. resol. 16. & p. 7. tract. 1. resol. 23.*

4 Consuetudo vires habet statuendi nouum impedimentum dirimens Matrimonium.

Consuetudo legitimè præscripta, ac rationi consona, qualis petitur ad legem statuendam, & statutam derogandam, vires habet inducendi nouum impedimentum dirimens. Vnde Matrimonium aduersus eam consuetudinem initum erit nullum, idque ex vi solius consuetudinis etiam absque scandalo, & adminiculo alterius iuris; nec ad eam inducendam desideratur scientia Pontificis, sed eo ignorante, potest huiusmodi consuetudo præscribi, suúmque effectum operari, dummodo sit consuetudo mixta

ta Clericorum, & laicorum. Quia laici non possunt per se solos aliquid spectans ad leges Ecclesiasticas immutare. Coninch *d.*30.*nu.*13. Filliuc.*tract.*10.*p.*2.*cap.*1.*qu.*5.Sanch.*lib.*7.*d.*4. *num.* 11.

5 *Culpa lethalis est, Matrimonium cum impedimento.*

Matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, culpa lethalis est. Quia contrauenitur iuris naturalis præcepto, si de iure naturæ impedimentum sit: vel Ecclesiastici, si de Ecclesiastico sit iure, idque in re magni momenti. Filliuc.*tract.*10.*part.*2.*cap.*1.*quæstion.*7. Sanchez *lib.*7.*dub.*4.*num.*1.& 4.Sylui. *in Supplem.quæstion.*50.*articul.*1. *quæst.*4. *conclus.*1. Ex metu tamen graui cadente in constantem virum cum hoc impedimento contrahere, vacaret culpa lethali, ex natura rei, & cessante scândalo, modo absit animus consummandi, & metus in odium fidei, vel Religionis non incutiatur. Vasqu. Suar. Becanus, & Salas apud Dianam *p.*3.*tr.*6.*resol.*48. & 83. Legendus Sanch. *l.*7. *d.*5.

6 *Quæ impedimenta dirimant, quæ impediant Matrimonium.*

Impedimenta, quæ non solùm impediunt Matrimonium, sed etiam dirimũt iuxta ius antiquum sunt duodecim; secundum autem ius nouum quatuordecim annumerantur. Nam Tridentinum duo addidit, nempè raptum, & defectum præsentiæ Parochi, & testium. Omnia hæc impedimenta hisce vulgaribus carminibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta autem non dirimentia, sed impedientia Matrimonium sunt quinque: Interdictum iuris, Catechismus, Sponsalia prius celebrata cum altera, Votum simplex castitatis, vel Religionis, vel Ordinis Sacri suscipiendi, & crimen sextuplex. Singula præstringam.

CAPVT II.

De Impedimento Erroris.

7 *Error in Matrimonio potest esse quadruplex.*

QVADRVPLEX in Matrimonio potest error contingere. Primus est personæ, cum vna pro alia supponitur. Secundus est conditionis seruilis, cum contrahens liber, existimat se cum libera contrahere, & est ancilla. Tertius est qualitas, cum credit se contrahere cum pulchra nobili, virgine, & est deformis, plebeia, corrupta. Quartus est fortunæ, cum putatur dives, & est pauper. Quilibet ex hisce erroribus, vel est antecedens actum, nimirum causam actui faciendo præbens, ita vt, eo non existente, actus neq; aquam gereretur: vel est concomitans actum, qui scilicet non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, vt eo non existente, actus fieret. Igitur certum est apud omnes, Matrimonium contractum cum errore antecedenti circa substantiam personæ inualidum esse, non solùm iure humano, sed etiam iure naturali. Quia error libertatem, & consensum aufert: At Matrimonium absque consensu est iure naturæ irritum. Vnde non solùm inter fideles, sed etiam inter infideles matrimonium initum cum errore personæ inualidum est. Quia iuri naturæ infideles sunt subditi, nec potest Ecclesia statuere, ne error personæ Matrimonium dirimat. Sanchez *libr.* 7. *dub.*18.*num* 21. Filliuc.*tract.*10.*part.*2. *cap.*2. *num.*32. Reginald.*lib.*31.*num.*92. Gutier. *c.*89. *num.*2. Coninch. *d.*31. *dub.*1. Sylui.*in Supplem. q.*51.*art.*2.

8 *Error personæ concomitans reddit Matrimonium inualidum.*

Error personæ concomitans, id est, quando quis contrahit cum Maria existimans esse Antoniam, sed ita est dispositus habitualiter in voluntate, vt cognitam Mariam æquè libenter, aut libentius duceret: reddit adhuc Matrimonium inualidum. Quia vt validum sit Matrimonium, necessarius est consensus, ac voluntas positiua: error verò concomitans, quâuis non efficiat, actum esse inuoluntarium, efficit tamen non esse voluntarium positiuè. Henriquez.*lib.*11.*cap.*10.*numer.*1. Coninch *d.*31. *dub.*1.*n.*9. Bonac.*hic, q.*3 *punct.*2.*n.*4. Sanch.*l.*7. *d.*18. *num.*6.

9 *Matrimonium celebratum cum errore antecedenti circa qualitatem validum est.*

Matrimonium celebratum cum errore qualitatis, seu dolo antecedenti, qui ineundo Matrimonio causam præbet, alias non ineundos: non est inualidum. Quia tale Matrimonium est simpliciter voluntarium quoad naturam, & substantiam rei, quamuis quoad accidentia non sit voluntarium. Tamen si qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu matrimoniali, siue exprimatur verbis, siue mente contrahẽtis retenta sit: Matrimonium esset inualidum: verbi gratiâ, si quis dicat: Duco te in vxorem, si dives sis, vel nobilis: inualidè contrahit, si illa non est dives, vel nobilis. Præterea si error qualitatis in errorem personæ redundet, Matrimonium erit inualidum defectu consensus absoluti. Quia erratur circa personam. Tolet.*libr.*7.*cap.*3. Nauar,*cap.*22.*num.*32. Gutier.*capite* 89. *num.*3.6. & 7. Coninch.*dub.*31. *numer.*11. Filliuc.*tract.*10. *part.*2.*capit.*2.*quæstion.*2. Sanchez *libr.*7.*dub.*18. *numer.*18.

10 *Quomodo dignoscamus qualitatis error in errorem.*

Verùm ad dignoscendum, quando error qualitatis in errorem personæ redundet, est aduertendum, quod quando qualitas, in qua erratur, designat aliquam certam, & determinatam personam distinctam ab ea, quæ præsens est, tunc error circa qualitatem in personæ errorem refunditur, ac Matrimonium dirimit. Exempli gratiâ, si Maria contraxit Matrimonium, cum Francisco, qui se fingebat filium Regis, alicuius nominatim expressi, aut Principis eximij, cuius verè non erat filius: nihilominus Maria filium Regis sibi in mente proposuit, in illúmque consentire directè voluit; in hoc casu error qualitatis dicitur in errorem personæ redundare. Quoties autem qualitas, non determinat indiuiduam personam, non est error personæ, sed solius qualitatis. Exempli gratiâ, si quis se filium Regis fingat minimè explicans, cuius Regis sit filius: contractum cum tali errore Matrimonium est validum. Quia circa huiusmodi personam absolutus adest consen-

consensus.Reginal.*l.31.n.95.*Nauar.*c.22.n.32.* Sanch.*l.7.d.18.nu.26.& 27.* Coninch *d.31.nu.* 12.Bonac.*hic,q.5.pun.3.n.7.*

11 *Seruitus nõ tollit de naturali impedimẽtum matrimonio contrahendi.*

Seruitus non præstat naturale impedimentũ Matrimonio ineundo sicut naturalis ad copulam impotentia coniugalem. Quia seruitus cognita non aduersatur Matrimonij substantiæ. Sanch.*l.7.d.19.n.13.* Vnde validum est Matrimonium seruorum inter se : & matrimonium liberæ cum ancilla : vel liberæ cum seruo , non ignorata seruitutis conditione. Solo autem iure Ecclesiastico hoc matrimonium irritatur,quamuis id valde iuri naturali sit consonum.Sanchez *l.7.d.19.n.13.*Sylues.*verb. Matrimonium* 8.*qu.* 2.Angel.*ibi* 3 *imped.* 4.*num.*5.Filliuc.*tract.*10.*p.* 2.*nu.*11.Henriq.*l.*11.*c.*10.*n.*3.Victor.*de Matrim.n.*270.

12 *Error conditionis efficit matrimonium nullum, quando conditio erratio sit deterior.*

Non omnis error conditionis efficit , vt Matrimonium sit nullum,sed quando conditio errantis sit deterior , verbi gratiâ , quando liber contrahit cum serua , quam credebat liberam. Quando autem persona,cum qua contrahitur, est æqualis aut melioris conditionis , matrimonium est inualidum.Quia hoc impedimentum inductum fuit ab Ecclesia ad tollendã inæqualitatem , & ne fieret alteri contrahenti iniuria. Magna autem esset inæqualitas, si validum esset Matrimonium, quando sit deterior errantis conditio,id est,quando liber cõtrahit cum serua, quam credebat esse liberam , si autem liber credit alterum esse seruũ,& sit liberue sit ipse seruus,siue liber:valebit Matrimoniũ.Quia erras inuenit conditionem digniorem,quam ipse putabat.Similiter valebit,si seruus contrahat cum ancilla, credens eam liberam. Quia serui conditio nõ efficitur deterior,sed æqualem suæ reperit conditionem. At si liber contrahat cum serua sciens vel opinãs,vel probabiliter dubitãs esse seruam,validum erit Matrimonium. Quia hoc in casu illi iniuria non fieret,cum inæqualitas voluntaria esse videatur.Bonac.*hic,quæs.*3. *punct.*3.*num.*4.Tolet.*lib* 7.*cap.*3. *num.*4. Filliuc. *tract.*10.*part.*2.*num.*44.Nauar *capit.* 22.*numer.* 33.Sanch *lib.*7.*d.*19.*n.*23.Rebel.*l.*3.*q.*3.*Sect.*2. *num.*12.

13 *Dominus tradit seruam liberæ, hoc ipso illam à seruitute liberat.*

Quando Dominus seruum tradit liberæ in Matrimonium nescienti seruitutem , hoc ipso illum à seruitute liberat.Idem dixerim,si tradat ancillam libero seruitutis conscio ; & ancillam per instrumentum dotet. Fit enim illa hoc ipso libera , in vtroque casu coniugium est validum.Authent.*Ad hoc, c. de stat. lib.*Sanch. *l.7.d.20.*Filliuc.*tr.*10.*p.*2.*n.*45.

14 *Inuito Domino seruus validè potest inire coniugium cum libera, vel serua, modo seruitus sit liberæ nota.*

Inuito autem Domino seruus validè potest contrahere coniugium cum serua , vel libera, modo seruitus sit liberæ nota. Cauere tamen debet seruus , ne dominum priuet debitis obsequiis , cum per Matrimonium non eximatur ab obligatione erga dominum. Contracto autem matrimonio seruus ille coniugi,vel Domino potius obsequi debet , cuius necessitas magis vrget:& si cætera sint paria,coniugi potius est satisfaciendum.Gutier.*ca.*92.Sanch.*lib.*7.*d.* 21.Sylu. *in supplem.q.*52.*a.*2.Bonac. *qu.* 3.*pun.* 3.*num.*7.

15 *Non potest Dominus absq; mortali peccato*

Non potest dominus absque mortali piaculo vendere seruos in locis distantibus,in quibus illi non possint sibi debitum reddere , quando Matrimonium de domini consensu est contractum.At quando ignorante,aut inuito domino Matrimonium contractum est , non debet dominus in parte remota illos vendere absque necessitate, vt gr si inueniat iustum pretium in eodem loco ; contrarium autem facere culpam venialem non excedet Henriq.*l.*11.*c.*10. *num.*4. Tolet.*l.*7.*c.*7.*n.*3.Nauar.*c.*22.*n.*34.Sà *v. Matrimonium,de imped.n.*1. *vendere seruos in locis distantibus , in quibus non valeant sibi debitum reddere.*

Post contractum vero matrimonium vir in seruum potest se vendere,etiam renitente vxore:non ita vxor absque viri consensu Et quoad seruitutem,& libertatem filij sequuntur matris conditionem;nisi contrarium sit per consuetudinem aliquo in loco receptum. Quoad honores tamen , & nobilitatem patris conditionem sequuntur Si mater fiat libera vel conceptionis tempore, vel partus vel tempore medio, filius non remanet seruus:nisi quando mater grauida fit serua iure belli. Quia in hoc casu fœtus sit seruus cum matre, quamuis mater fuerit conceptionis tempore libera.Filliuc.*tr.*10 *p.*2.*n.*55. Gutier.*c.*93.Sanch.*l.*7.*d.*27.

16 *Vir post cõtractum matrimonium potest se in seruum vendere, renitente vxore: hæc minimè.*

CAPVT III.

De Impedimento Voti.

17 *Votum solemne castitatis in Religione approbata, & simplex in Societate Iesv dirimit matrimonium.*

Fide tenendum , votum solemne Castitatis in Religionis approbatæ professione emissum , Matrimonium etiam consummatum post ipsam professionem dirimere : & consequenter Religiosum professum inualidè contrahere Matrimonium.Sic enim definitur in Conciliis & nouissime hæc veritas definita est in Tridentino *sess.*24.*can.*9. Eandem vim dirimendi Matrimonium subsequens , Gregorius XIII. concessit tribus votis simplicibus,quæ emittũt societatis Iesu Fratres,peracto Nouitiatus biennio,vt patet ex nostræ Religioni concessa Bulla,quæ incipit, *Ascendente Domino.*Sanch.*l.*7. *d.*26.Sylu.*in supplem.q.*53.*a.*2.Gutier.*disp.*94. Valent.*to.*4.*d.*10.*q.*5.*pun.*3.

18 *Et hoc iure solummodo Ecclesiastico.*

Quæris,quonam iure Matrimonium sit irritum post solemne castitatis votum , vel in ordine Sacro,vel in professione cõtractum? Scio, Doctores varia in placita abire(de quo *sect.* 2.) ex receptiori sententia respondeo , solo iure Ecclesiastico huiusmodi diriminiconiugium. Quia votum simplex non dirimit Matrimonium. Ergo neque votum solemne : votum enim solemne nihil habet supra votum simplex,ratione cuius magis dirimat Matrimonium simplex,excepta Ecclesiæ præscriptione, sicut enim in voto solemni Deo persona traditur, ità etiam in simplici.Igitur solo iure Ecclesiastico votum solemne dirimit Matrimonium. Existimo,hoc definitum esse à Gregorio XIII. *in Bulla Crutiata.*Reginal. *lib.*31. *n.* 123. Gutier.*cap.*94.*num.*6.Lessi.*lib.*4.*c.* 41.*nu.*68 Bellarm, *lib.*2.*de Monach.c.*34.Filluc. *tr.*10 *p.*2.*c.*4.*n.* 118.*&* 119.

CAPVT IV.

De Impedimento Cognationis carnalis.

19 *Quid cognatio, Linea, Gradus, stipes Ascendentes, & Descendentes.*

CArnalis cognatio, quæ & consanguinitas dicitur, est, *vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* Distinguitur hæc cognatio per lineas, & gradus. *Linea* dicitur ordinata collectio personarum ab vno stipite descendentium diuersos continens gradus: vel potius ipsæmet personæ tam ascendentes, quam descendentes collectiuè sumptæ. *Gradus* est mẽsura personarum, quæ cognoscitur, quanta sit propinquitas consanguinitatis, vel distantia inter ipsas personas, quę in linea includuntur. Linea duplex *Recta* est, alia, *Trãsuersa*, seu *Collateralis*. Recta est illa, secundũ quam multæ personæ ab vno stipite immediatè, vel mediatè descẽdunt, vt vna sit genita ab altera vt filius à patre, nepos à filio, &c. At hæc recta linea alia est ascendentium in qua continentur personę, à quibus origo deducitur, vt pater auus, proauus, atauus; alia descendentium, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, &c. Collateralis vero linea est illa, secundum quam multæ personæ ab vno stipite immediatè vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt; vt sunt fratres, & eorum filij, patruus, amita. *Stipes* est persona illa, à qua omnes personæ, de quarum coniunctione tractatur, descendunt, seu originem ducunt Gutier. *hic c.* 98. *num.* 1. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 5. Reginal *lib.* 31. *num.* 140. Sanch. *lib.* 7. *dub.* 50. *num.* 2. & 3. Bonac. *hic q.* 3. *pun.* 5. §. 1. *n.* 3. & 4. Valent *to.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *pun.* 3.

20 *Regula pro linea recta ascẽdentium, ac descendẽtium.*

Vt cognoscas, in quo gradu vnus cõsanguineus cum altero existat, triplicem regulam exhibebo. Prima in linea recta descendentium & descendentium hæc est: Tot sunt gradus quot sunt personæ, dempta vna persona, scilicet stipite: verbi gratiâ, pater & filius sunt duæ personæ, si stipitem demas, id est patrem, pater & filius erunt in primo gradu, eo quod dempto stipite remanet vna persona. Similiter pater & nepos sunt in secundo gradu, eo quod tot sunt gradus, quot sunt personæ dempta vna; personæ autem in hoc casu sunt tres, videlicet pater filius, & nepos. D. Tho. *in* 3. *dist.* 40. *q.* 1. *a.* 2. Coninch *d.* 32. *dub.* 1. Reginal. *l.* 31. *n.* 141. & 142. Sanch. *l.* 7. *d.* 50. *n.* 4.

21 *Regula pro linea transuersa æquali.*

Regula secunda: Quando personæ, quarum gradus quæruntur, sunt in linea transuersa æquali, eodem gradu distant inter se, quo distãt à communi vtriusque stipite proximo: v. gr. duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant à primo stipite, in quo coniungũtur, qui est parens. Filij duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodẽ coniũguntur in communi vtriusque stipite proximo, qui est auus. Couar *in Epit. part.* 2. *cap.* 6. §. 6. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 9. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 5. §. 1. *num.* 5.

24 *Regula pro*

Regula tertia. Quoties personæ consanguineæ in linea transuersa distant inæqualiter à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite: v. gr. patruus & filius ex fratre distant inæqualiter ab auo in quo vniuntur; ille enim distat in primo gradu, hîc verò in secundo, vt. pote qui est eius nepos, alter autem eius filius distabunt igitur inter se in secundo consanguinitatis gradu. Sanch. *l.* 7. *d.* 50. *n.* 5. & 6. Valent. *to.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *pun.* 3.

consanguinei in linea transuersa inæqualiter distantibus à communi stipite.

Itaque matrimonium in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ, id est, inter parentes & filios est ipso iure naturæ irritum. Quia omnes Gentes bene instructæ solo naturæ lumine edoctæ, nuptias inter hos nefandas existimarunt. D. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *q.* 1. *a.* 3. Valent. *to.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *pun.* 3.

25 *Est iure naturæ irritum Matrimoniũ initum in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ.*

Attamen Matrimoniũ contractum in quolibet alio ascendẽtium & descendentium gradu, non erit iure naturali irritum. Quia ascendentes non habent rationem principij, sed per se respectu omnium, sed solum respectu filiorum ab ipsis immediate procedentium. Respectu autem aliorum descendentium habent rationem principij tantummodo per accidens. Vnde infero, Matrimonium contractum ab infidelibus in secũdo, tertio, & quarto gradibus lineæ rectæ validum esse. Quia Matrimonium in his gradibus naturæ. Ideo cõuersi ad fidem non sunt separandi nisi cum patre, & matre coniuncti sint. Sanch. *lib.* 7. *d.* 51. *nu.* 19. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 180. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 5. §. 1. *n.* 8. Sà *v. Matrim. Impedim. n.* 4.

26 *In alijs gradibus non erit iure naturali irritum.*

Matrimonium in primo gradu æqualis lineæ transuersæ, v. gr. inter fratrem & sororem, non esse iure naturæ prohibitum, vnde iusta concurrente causa dispensare in eo posset summus Pontifex. D. Thomas asseruit 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *ad* 3. Quam sententiam Sotus *in* 4. *dist.* 40. *q. vni. a.* 4. immerito appellauit erroneam, de quo *Sect.* 2. At ex receptiori assero, Matrimonium inter fratres & sorores esse iure naturæ interdictum. Quia inter fratrem & sororem est maximus pudor naturalis, cui actus coniugalis maximè auersatur. Et quia summus Pontifex requisitus ad dispensãdum in primo gradu, nunquam voluit annuere: Ergo non vulgare est eum non posse, documẽtum. Sanch. *l.* 7. *d.* 51. *n.* 11. Præpositus *in supplem.* 3. *p. q.* 7. *dub.* 9. *n.* 73. Bonac. *hic, qu.* 3. *pun.* 5. §. 1. *n.* 11. Vasq. 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. *d.* 112. *art.* 7. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 182. & alij apud ipsos.

25 *Matrimoniũ in primo gradu æquali lineæ transuersa, v. gr. inter fratrem & sororem, non est iure naturali irritum.*

Iure Ecclesiastico est inualidum Matrimonium initum inter consanguineos intra quartum gradum ineluſiue tam in linea recta, quàm in transuersali. Tamen si duo consanguinei in æqualiter distent à stipite, v. gr. si alter distet vltra quartum gradum, alter vero intra illum possunt Matrimonio colligari. Quia tunc attenditur gradus cõsanguinitatis penes distantiã remotioris à stipite; remotior autem à stipite distat vltra quartum gradum: Ergo ambo erunt consanguinei inter se vltra quartum gradum. Cap. *Non debet, de consanguin.* Trident. *sess.* 24. *can.* 3. Cap. *final. de consanguinit.*

26 *Iure Ecclesiastico est inualidum Matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum inclusiue in linea vtraque.*

* *
*

CAPVT

CAPVT V.

De Impedimento Cognationis spiritualis.

27 *Quid spiritualis cognatio & quo iure sit inducta.*

Spiritualis cognatio est, *propinquitas quædam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, vel Confirmationis: vel ob susceptionem susscipientis hæc Sacramenta.* Hæc cognatio non est ex iure diuino naturali, aut ex iure diuino positiuo; sed ex solo iure Ecclesiastico. Ex aliis Sacramentis minime oritur spiritualis cognatio, quæ Matrimonium aut dirimat, aut impediat. Illa autem cognatio, quæ superuenit Matrimonio, vt quia alter coiux fuit patrinus alterius in confirmatione, aut leuauit è Sacro fonte filium alterius, aut communem Matrimonium præcedēs minimè dissoluit. Porro impedimentum hoc cognationis spiritualis est perpetuum, vnde non extinguitur morte personæ, qua mediante contracta est, vt in affinitate, & aliis impedimentis contingit. *Cap. de eo: si quis filiastram 30. q. 1.* Gutier. *c. 100.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 5. n. 188.* Reginal. *l. 31. n. 148.* Sanch. *l. 7. d. 54.* Bonac. *hic, q. 3 pun. 5. §. 2.*

28 *Duplex est hodie tantū cognationis spiritualis species, Paternitas, & Compaternitas.*

Non iure Tridentini *sess. 24. c. 2.* attento, duplex est hodie tantum cognationis spiritualis species, nempe *Paternitas*, & *Compaternitas*. Paternitas contrahitur inter baptizantem cum baptizato & inter patrinos cum ipsomet baptizato, & similiter inter confirmantem cum confirmato, & inter patrinos Confirmationis cum ipsomet confirmato. Compaternitas autē contrahitur inter baptizantem, cum patre & matre baptizati, & inter hos parentes carnales baptizati cum patrinis Baptismi; & similiter parentes confirmati cum confirmante, & cum patrinis confirmationis. Hinc Parochi incidentes in tactum libidinosum, aut delectationem morosam circa puellam à se baptizatam, vel circa fœminam, cuius aliquam prolem diluerint, non satisfaciunt, si in confessione dicant, quod attigerint, vel consenserint in puellam aliquam, vel in mulierem coniugatam, aut viduam; sed etiam addendum est, talem esse à se baptizatā vel aliquā prolem fœminæ illius diluisse. Quia cum hic sit spiritualis cognatio, talis actus, vel consensus ad incestum reducitur. Sanci. *in selec. d. 40. n. 25.* Nauar. *c. 22. nu. 40.* Tolet. *l. 7. cap. 18.*

29 *Cognatio spiritualis contracta à viro non trāsfunditur ad vxorem: & è contra.*

Filliuc. *tr. 10. p. 2. n. 190.* Sylui. *in supplem. qu. 56. art. 4.*

Pius V. declarauit in Bulla *Cum illius vicem*, cognationē spiritualē contractā à viro in Baptismo, vel confirmatione non trāsfundi ad vxorē & è contra. Imo vir & vxor simul alienum puerū in Baptismo iure communi suscipere possunt. Quia cognatio hæc nō contrahitur inter ipsosmet patrinos: vnde iure exigendi debiti nō prohibentur. Henriq. *l. 12. c. 11.* Rodrig. *to. 2. cap. 225.*

30 *Multa requiruntur, vt cognatio contrahatur in Baptismo, vel confirmatione.*

Multa requiruntur, ad contrahendam cognationem in Baptismo, vel confirmatione. Primo, vt infans in Baptismo teneatur; vnde quando puer est domi baptizatus, & in Ecclesia solemnitates supplentur non contrahitur cognatio ab eo, qui illū suscipit. Secūdo, vt puer suscipiatur, quando primo Sacra vnda diluitur; vnde si infans baptizetur iterum, cognatio non contrahitur; si verò dubium sit de priori Baptismo, & infans rebaptizetur sub conditione, præsumendum est cognationem contrahi. Tertiò, requiritur, vt susscipiens puerum teneat, quando Baptismus solemniter administratur: vnde qui suscipit infantem in Baptismo priuatim ministrato, non cōtrahit cognationem; baptizans autem siue sit vir, siue fœmina baptizās priuatim illam contrahit. Quarto requiritur contractus, ita vt susscipiens, seu tenens verè dicatur susscipere, seu tenere. Præterea debet puer susscipi de baptizātis manibus: aīm, ac dilutus est. Quinto requiritur intentio expressa, vel tacita præstandi patrinis munus, seu de Sacro fonte susscipiendi, vnde vt quis sit legitimus susceptor, & cognationem contrahat, debet vsum rationis ad huiusmodi intentionem gerendam, habere. Sextò requiritur, ne adsit error personæ: quia qui intendit susscipere filium Petri, & est Pauli filius, non contrahit; secùs si præsentem susscipere intendat, quicumque sit ille. Septimo requiritur, vt baptizans, aut susscipiens sit baptizatus, alioquin cognationem non contrahit. Vnde infidelis baptizans, vel tenens fidelis filiū non contrahit cognationē cū patre, vel matre fideli; quia infidelis Ecclesiastico iuri nō submittitur. Hæreticus tamen susscipiendo, vel baptizādo cognationem contrahet, quia est baptizatus, ac subiectus Ecclesiæ, sicut & Religiosus contrahit cognationē susscipiēdo alios in Baptismo, vel confirmatione, quāuis sit illi prohibitum. Cap. *Non licet de consecr. dist. 4.* similiter fideli s non cōfirmatus & tenens fœminam in Confirmatione, non contrahet spiritualem cognationem cum illa; quia quamuis vitam spiritualem Baptismi ratione habeat, at nō habet conditiones ab Ecclesia præscriptas, vt verus sit susceptor. Constat ex Cap. *In Baptismate, de consecr. dist. 4.* Carptim collegi ex Gutier. *capit. 100. numer. 7.* Sanchez *libr. 7. dub. 62. numer. 5.* Rodrig. *tom. 1. cap. 225.* Rebel. *libr. 3. quæstion. 6. numer. 16.* Diana *p. 5. tract. 3. resol. 7.* Henriquez *libr. 12. capit. 11. numer. 3.* Reginal. *libr. 31. numero 151. 155. & 157.* Sylueſt. *verb. Matrimonium 8. quæstion. 7.* Coninch *dub. 32. numer. 25.* Valent. *tom. 4. dub. 4. quæs. 2. pun. 3.*

21 *Quando nulli patrini designantur, nulli tangentes baptizatum contrahunt cognationem, siue simul, siue successiue contingant.*

Quando nulli patrini designantur, nulli tangentes baptizatum contrahunt cognationem, siue simul, siue successiue contingant. Suar. *3. p. q. 57. n. 8.* Sanch. *l. 7. d. 57. num. 12.* Quando vero plures designati à parentibus, vel ab aliis cum infantis habentibus tangunt, omnes contrahunt cognationem, modo tangant simul si antē susceſſiue tangant, solus primus, qui baptizatum susscipit, vel ad summum duo, si sint, si fuerint mas, & fœmina, cognationem contrahent. Coninch *d. 32. nu. 25.* Reginal. *libr. 31. num. 152.*

22 *Quando plures designantur à parentibus, qui ad susscipiendum infantem mittit procuratorem, ipse cognationem contrahit, non procurator.*

Quando autem plures designantur à parentibus, sed Parochus admisit vnum tantum, & vnam: cognatio contrahitur solummodo ab iis, qui fuerunt à Parocho admissi, si verò nulli sint designati à parentibus, cognationibus cognationem contrahent designati à Parocho. Bonac. *hic. q. 3. pun. 5. §. 2. n. 26. & 29.*

Qui procuratorem immittit, ad infantem susscipiendum, ipse contrahit cognationē, non procurator. Quia quæ procurator agit non suo sed

sed mittentis gerit ex nomine, qui quidem fuit designatus. Sic fertur Cardinales exposuisse. Coninch. *d.* 32. *n.* 40. Sà *v. Matr. impedim. n.* 5. Bonac. *q.* 1. *pun.* 5. §. 2. *n.* 34. Scio Thomã Sanch. *l.* 7. *d.* 59. *n.* 4. & Reginaldum *l.* 31. *n.* 156. asseruisse, in hoc casu cognationem neque à mittẽte contrahi. Et Toletum *l.* 7. *c.* 4. putasse, contrahi à procuratore, modo ipse contrahere intendat, non verò à mittente: De quo *Sect.* 2. Plura apud Sanch. *citatum.*

CAPVT VI.

De impedimento cognationis Legalis.

33 *Quid, & quotuplex legalis cognatio?*

LEgalis cognatio est, *propinquitas quarumdam personarum ex adoptione proueniens.* Triplex communiter assignatur huius cognationis species. Prima est linea recta inter adoptantem & adoptatum, & descendentes adoptati. Secunda est transuersalis inter adoptatũ & filios carnales adoptati. Tertia est per modum cuiusdam legalis affinitatis ad naturalis affinitatis similitudinem, quæ est inter adoptatum & vxorem adoptanti: & è contra inter adoptatum & vxorem adoptatis. D. Tho. *in* 4. *dist.* 41. *art.* 1. Gutier. 1. 2. *cap.* 102. *n.* 4. Reginal. *l.* 31. *n.* 162. Filliuc *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 198.

34 *Adoptio perfecta, & imperfecta.*

Porro adoptio est, *legitima extranea persona in filium, vel nepotem assumptio.* Duplex est, alia *perfecta*, alia *imperfecta.* Perfecta dicitur adoptio, qua adoptatus, interueniente Principis auctoritate, transit in adoptantis potestatem & sit ipsius necessarius hæres, saltem in quarta bonorum, id est, in legitima. Imperfecta autem hoc à perfecta differt, quod per eam non transit adoptatus in adoptantis potestatem, nec illi tanquam necessarius hæres ex testamento succedit, sed tantum ab intestato Coninch *d.* 32. *n.* 42. Reginal. *l.* 31. *n.* 158. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 5. §. 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 63. *n.* 2.

35 *Adoptio imperfecta Matrimonium non dirimit.*

Cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta Matrimonium non dirimit. Quia cum Matrimonium sit res fauorabilis, iura illud dirimentia ob adoptionem restringi debent ad perfectam. Sanch. Sylui. Filliuc. Laym. apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 120.

36 *Plura requiruntur, vt aliquis adoptare possit.*

Vt aliquis possit adoptare, plura require. Primum, vt adoptans sit sui iuris & maior viginti quinque annis. Secundum, vt adoptans non sit fœmina. Tertium vt adoptans habeat potentiã naturalem ad generandum: qualem habent secti gladio, aut facti eunuchi per morbũ: hi enim sunt tantummodo impotentes ex accidenti, nõ ex defectu. Quartum vt adeo sit ætatis proiectæ, vt adoptatum excedat decem & octo annis & possit esse carnalis parens adoptati. His concurrentibus, quilibet potest, etiãsi sit Sacerdos, adoptare: & quilibet si præsens sit, adoptari potest. Sanch *l.* 7. *d.* 63. *n.* 3. Syluest. *v. Adoptio, n.* 2. Bonac. *hic q.* 3. *pun.* 5. §. 3. *n.* 3. ex Instit. *de adoptione.*

Inter quos legalis cognatio impediat

Legalis cognatio impedit, ac dirimit Matrimonium contractum inter adoptantem & adoptatum & descendẽtes adoptati vsque ad quartum gradũ. Et inter vxorem adoptantis & adoptatum: ac inter vxorẽ adoptati & adoptantẽ. Inter filios seu filias adoptantis & adoptatum, seu adoptatam. Ex quo patet, hoc impedimentũ non perpetuo durare. Nam si filij adoptantis emancipentur, vel si pater eorum moriatur, poterunt cum adoptata contrahere. *Cap. Per adoptionem* 30. *q.* 3. *Cap. Ita diligere* 30. *q.* 3. Nauar. *c.* 22. *n.* 45.

gnatio impediat, & dirimat Matrimonium.

Fillius adoptantis potest Matrimonium contrahere cum adoptati filia. Quia inter has personas nulla intercedit cognatio. Item quando plures adoptati sunt ab vno & eodem possunt adoptati inter se inire coniugia. Præterea potest adoptatus Matrimonium contrahere cum filia illegitima adoptantis, sicut adoptans potest cõtrahere cum filia adoptatæ filiæ. Verũ hoc impedimentum est iure Ecclesiastico inductum, vnde validum est Matrimonium contractum ab infideli in cognatione legali. Quia infideles non sunt legibus Ecclesiasticis subiecti. Reginald. *l.* 31. *c.* 162. & 163. Sà *v. Imped. Matrim. n.* 6. Nauar. *cap.* 22. *n.* 45. Sanch. *l.* 7. *d.* 63. *num.* 35. & 36.

37 *Filius adoptantis potest Matrimonium inire cũ filia adoptati &c.*

Cognatio legalis superueniens Matrimonio iam contracto, non impedit debiti petitionem. Quia nullo iure constat petitionem debiti eo in casu interdici. Sponsalibus autem de futuro superueniens, illa dirimit. Rosel. *v. Impedimentum, n.* 16. Sanch. *l.* 7. *d.* 63. *n.* 19. & 20.

38 *Cognatio legalis superueniens coniugio, nõ impedit debiti petitionem.*

CAPVT VII.

De Impedimento Criminis.

DVo sunt crimina, quæ Matrimonium iure impediunt, & dirimunt. Alterum est occisio coniugis alicuius, causa contrahendi cum eius coninge. Hæc facta vtroque machinante, perpetuò impedit, etiamsi alter infidelis esset, & ad eius conuersionem procurandam patrata fuisset. Facta verò adultero tantum machinante, non sufficit, nisi adulterium interueniat. Vnde vt hoc crimen homicidij inducat dirimens impedimentum hæc requiruntur. Vt Matrimonium, contra quod machinatio facta est, sit verum: Vt machinatio sortiatur effectum, morte scilicet alterius coniugis subsecuta: Vt homicidium sit vxoris, nam si vir occiditur, secundum aliquos non incurritur hoc impedimentum: scio tamen, receptius esse etiam viri morte incurri: Vt tam mortis machinatio quam adulterium interueniat, nisi vtérque cooperatus sit ad mortem; tunc enim (vt innui) adulterium non requiritur: Vt quando alter tantum machinatus est mortem, adulterium patratum sit vtrique notum: Vt homicidium coniugis eo fine factum sit, vt cum altero coniugium ineatur. *Cap. significasti, de eo, qui duxit. Cap. si quis, viuente* 31. *quæstion.* 1. Gutier. *de Matrimon. c.* 105. Coninch *d.* 32. *num.* 62. Nauar. *cap.* 22. *numer.* 46. Sanchez *l.* 7. *d.* 78. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 253. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 6. *à n.* 4. Annotarim in primis, eum, qui dedit occidẽdi mandatũ, sed postea reuocauit, cuius

39 *Occisio coniugis causa contrahendi cum eius coninge.*

reuoca

reuocatio mandatario innotuit ante coniugis occisionem, non esse huius impedimenti reum; sicut nec est reus ille, qui dedit consilium, quod nihil influxit, vel qui ratam habuit coniugis occisionem. Deinde impedimentum hoc non reddere machinantem inhabilem simpliciter ad quodcumque aliud Matrimonium, sed tantum respectu adulterantis, vel eius, qui simul in coniugis necem machinatus est ad ineundum inter se Matrimonium. Hentiq. *l.* 12. *c.* 14. Valent. *to.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *p.un.* 3. Sà *v. Imped. n.* 7. Coninch *d.* 31. *n.* 64. Sanch. *l.* 7. *d.* 78. *n.* 23.

40 *Adulterari simul cum alterius coniuge & contrahere Matrimonium de facto, vel de iure, vel dare fidem de contrahendo, nisi obstet impedimentum, ex communibus dictis.*

Alterum crimen est adulteri scienter cũ coniuge alterius, & contrahere Matrimonium de facto, vel dare fidem de contrahendo. Desiderãtur tamen aliquæ conditiones, ad hoc impedimẽtum incurrẽdum. Prima est, adulterium cum seminis intra vas effusione. Secunda vt cũ adulterio cõcurrat promissio etiã simplex, siue adulterij præcedat, siue subsequatur. Tertiã, vt promissio Matrimonij sit externa, quamuis ficta. Quarta vt adulterium patratum sit sciẽte vtroque, a adultero alterius Matrimonium. Quinta, vt promissio ab altero acceptata sit, & repromittat taciturnitas enim eius, cui fit promissio, absque alio acceptationis signo, nõ sufficit ad hoc impedimentũ incurrendũ. Sexta, vt Matrimonium priùs contractũ sit validum; nam si esset re vera irritum, adulterium illud æstimatum cum futuri Matrimonij promissione, haud præstaret impedimentũ *Cap. Relatum* 31. *q.* 1. *Cap. fin. de eo, qui duxit.* Nauar. *c.* 22. *nu.* 46. Tolet. *l.* 7. *c.* 10. Filliuc. *tr.* 10 *p.* 2. *n.* 256. Sanch. *l.* 7. *d.* 79. Coninch *d.* 31. *dub.* 5. Bonac. *hic q.* 3 *pun.* 6. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *pun.* 4. *c.* 10. *n.* 4.

41 *Vnius casus in quibus non vrget impedimentum dirimẽs quãdo quis occidit vxorem suam, vel alteriꝰ.*

Non oritur impedimentum dirimens, quando aliquis suam occidit coniugem, vel alterius, vt possit inire coniugiũ cum altera, quæ homicidij vel adulterij nõ fuit particeps. Nec quãdo duo in alterius coniugis necem conspirant, vel quando adulter occidit alterũ coniugẽ sine intentione Matrimonij contrahendi cũ adultero, sed ob aliũ finẽ, nempe vt liberiùs libidinẽ expleãt. Nec quãdo adulter occidit vxorẽ animo ducẽdi aliquã indeterminatã: vel ducẽdi aliquã determinatã, modo non habeat intentionẽ ducendi illã, cũ qua deliquit. Nec quãdo quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam: aut quãdo aliter impunè per leges, nisi forte per dolũ dederit causam adulterij, vt eam posset occidere, & ea obeunte, posset contrahere cũ alia cõplice talis machinationis, seu proprij adulterij. Nec orietur impedimentũ per ratihabitionẽ occisionis cõiugis sui perpetratæ ob finẽ contrahendi: in hoc enim casu ratihabitio non æquiparatur mãdato; ad quem sanè effectũ opus est præcedere prius per machinationẽ, quod non est in casu prædicto, in quo ratificatio subsequitur, & non præcedit occisionem. Sylvest. *v. Consensus, in fine.* Sanch. *l.* 7. *d.* 78. *n.* 15. 16. *& sequent.* Henriq. *l.* 12. *c.* 14. Rodrig. *to.* 1. *c.* 228. Sà *v. Matr. Impedim. n.* 7.

42 *Impedimentum criminis contrahitur solum à fidelibus, contra quos fidei iniuria committitur.*

Impedimentum criminis contrahitur solummodo à fidelibus. Quia inductum est ab Ecclesia, cui infideles subiecti non sunt. Et requiritur vt totum delictum contractum sit post Baptismum. Vnde si fidelis contraxit Matrimoniũ antè Baptismum, & post Baptismum commisit adulterium, hoc impedimentum non incurrit. Quia impedimentum criminis non incurritur ob vnum tantummodo delictum, sed propter vtrũque, id est, propter adulterium cum Matrimonio, vel ob cũ Matrimonij promissione, vel cum homicidio. Gutier. *de. Matr. c.* 105. *n.* 6. Bonac. *hic q.* 3. *pun.* 6. *n.* 9. & 21. Sanch. *l.* 7. *d.* 73. *n.* 49.

CAPVT VIII.

De Impedimento Disparitatis cultus.

43 *Matrimonium inter fidelem & infidelem irritum. Et inter Baptizatam & catechumenam perso- nam. Et inter fidelem & infidelẽ est irritum. Et inter Baptizatam & catechume- nam. Et inter fidelem & hæreticum est validũ, sed illici- tum.*

MAtrimonium inter dispares cultus, nempe inter fidelem & infidelem est iure Ecclesiastico irritum. Imo inter personam baptizatam & catechumenam. Quia catechumena Baptismo caret, qui est ianua Sacramentorũ: quamuis fidem teneat, & in gratia constituta esse valeat. Iure autem diuino, vel naturali non est inualidum, quamuis sit illicitum propter periculum prolis. Concil. Tolet. 3. *c.* 14. Reginal. *lib.* 31. *num.* 167. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *nu* 225. & 226. Gutier. *cap.* 104. Coninch *d.* 31. *nu.* 41. & 43.

44 *Matrimonium inter fidelem & hæreticum, vel apostatam, vel excommunicatam validum est, cum nullo iure irritetur. Quia inter hoc non est cultus disparitas, cum omnes sint baptizati. Ast graue committitur piaculum quando contrahitur cum hæretico, secluſa aliquorum locorum consuetudine, v. gr. in Germania, Gallia, Polonia. Quia in iis ex consuetudine recepta, & tolerata licent coniugia Catholicæ personæ cum hæretica, dummodo Catholica permittatur liberè, & absque peruersionis periculo in fide permanere. Quia ea coniugia ineuntur instar aliorum contractuum ciuilium ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, & Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Azor. to. 1. l. 8. c. 11. q. 5. Serar. in Opusc. dr Matr. num. 18. Bellar. de Matrim. l. 2. cap. 23. Reginal. l. 31. n. 169.*

45 *Ob eximiam causam propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, licitum erit licet, periculum peruersionis adsit.*

Matrimonium fidelis cum hæretico cum probabili peruersionis periculo licitum est ex eximia aliqua causa, verbi gratiã augmenti & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, qui sub aliquo hæretico Principe, & consiliariis hæreticis tenentur oppressi. Quia exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ quãuis peccatum sit: non tamen ex his peccatis est, quæ quauis circumstantia posita, vel detracta, suam retinent deformitatem: sed ex his, aut illis circumstantiis pendere videatur. Ponti. *de Matrim. in append. cap.* 6. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 269. Crediderim, hoc non esse amare periculum, sed illud ingens bonum diligere, ad quod sine eo periculo peruenire non potest. Itaque periculum non amans adit, sed prorsus inuitus. Confirmarim ex doctrina plurimorum Theologorum asserentium, non esse peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex aliqua vrgenti causa. D. Tho. 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. Caiet. *in sum. v. Periculum.* Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 8. *n.* 1. Armil. *v. Periculum.* Nauar. *c.* 3. *n.* 14. Suar. *t.* 4. *p.to.* 4. *d.* 32. Sà *v. Absolutio n.* 12. Vasq. *Opusc. de restit. c.* 3. §. 2. *dub.* 6. *n.* 23.

46 Si infidelis conuerti renuat, sed velit cohabitare

Si in fidelis conuerti nolit, licet velit cohabitare sine creatoris iniuria, potest dissolui Matrimonium.

bitare sine Creatoris iniuria, Matrimonium tamen illud potest dissolui. Quia prohibitum fideli ab Ecclesia habitare cum infideli propter peruersionis periculum, quod vt plurimũ accidere assolet. Ad dissoluendum autem Matrimonium in hoc casu, non requiritur sententia Iudicis, sed satis est sola admonitio fidelis facta infideli, an conuerti velit: nisi aliundè constaret obstinatio. Diana *part. 3. tract. 4. resol. 252.* Sanch. *l. 7. d. 74. n. 8. & 9.* Filliuc. *tr. 10 p. 2. num. 239.*

47 *Matrimoniũ hoc dissoluitur cũ fidelis ad alias nuptias transit non antea.*

Quandonam dissoluatur Matrimonium, non est certum apud Doctores. Rodriguez *to. 1. c. 229.* & Richard. *in 4. dist. 39. a.* dicunt, statim dissolui, non expectato transitu fidelis ad aliud Matrimonium, quando infidelis admonitus, recusat legitime habitare. Hostiensis *Cap. Gaudemus*, & Ioan. Andreas *nu. 15.* aiunt, dissolui quando elapsus est terminus ab Ecclesia constitutus ad determinandum, an infidelis velit, legitimè habitare. Ex receptiori tamen sententia affirmo, non dissolui prius Matrimonium, donec fidelis ad alias nuptias transeat, ita vt generatio vnius sit alterius corruptio. Quare si fidelis nunquam mutet statum, perseuerabit prius Matrimonij vinculum: & quotiescumque infidelis conuersus fuerit ad fidem tenebitur fidelis illum tanquã coniugem verum admittere. Sanch. *l. 7. d. 75. n. 2. 3. & 4.* Sà *v. Impedimen. Matri. nu. 8.* Coninch *dub. 26. num. 63.* Nauar. *c. 22. n. 49.* Valent. *to. 4. d. 10. q. 1. punct. 7.*

48 *Fideli licet, ad Religionẽ vel ordines transire & votũ simplex castitatis emittere.*

Licet fideli, ad Religionem, vel ordines trãsire, aut votum castitatis simplex emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licet habitare velit absque Creatoris contumelia, & sine pertractione aut inductione ad peccandũ. Sanum autem consilium esset existente probabili conuersionis spe, coniugem ad Religionem, aut Ordines non transire, aut votum castitatis emittere. Et quidem per professionem in Religione Matrimonium etiam prius consummatum dissoluitur; per Ordines autem, aut simplex castitatis votum non soluitur. Verum tamen est, fidelem conuersum, qui suscipit Sacros Ordines non esse alteri coniugi restituendum, qui conuertitur, postquam fidelis ordinibus est initiatus. Quia ille debet sibi imputare, quod tardè sit conuersus. D. Thom. *in 4. dist. 39. q. 1. a. 5. ad 4.* Filliuc. *tr. 10. part. 2. n. 244.* Henriq. *lib. 11. cap. 17. num. 8.* Bonac. *hic, q. 3. pun. 7. num. 9. & 10.* Sanch. *l. 7. d. 76.* Coninch *d. 26. num. 66.*

49 *Proles doli capax non est cogenda ad fidem quando alteruter parens solus fidelis est.*

Quando alteruter parens solus fidelis est, si proles sit doli capax, non est cogenda ad fidem, sed suæ libertati relinquenda. Si autem non sit capax doli, eius conditionem sequi debet, qui ad fidem conuertitur. Quia eo ipso, quo alteruter coniux est fidelis, ius habet Ecclesia compellendi ipsum, vt prolem minimè doli capacem Sacra diluat vnda. In dubio autem, an proles sit capax doli, in fauorem fidei est præsumendum. *Cap. Iudæi 28. q. 1.* Concil. Tolet. *4. c. 56.* D. Tho. *in 4. dist. 39. q. 1. a. 4. ad 4.* Sanch. *l. 7. d. 73. n. 16.* Sotus *in 4. dist. 39. qu. 1. a. 3. ad 2.* Sà *v. Matr. impedi. n. 8.*

CAPVT IX.

De Impedimento Violentiæ, vel Metus.

50 *Matrimoniũ per metum graue initum, est inualidum.*

METus seu Violentia est impedimentum dirimens Matrimonium, quod quidem per grauem metum cadentem in constantem virum initum iure Ecclesiastico est inualidũ, modo metus iniustè sit à causa libera ad hoc, id est ad extorquendum consensum incussus. Vnde per metum leuem non redditur Matrimonium inualidum. Quia in iure non habetur ratio leuis metus, nisi ille tollat omnino consensum: tunc enim irritum esset in conscientia, ad validitatem enim eius iure naturæ consensus requiritur. *Cap. Veniens 2. de desponſ. Cap. De eo qui dixit 2.* Nauar. *cap. 22. num. 50.* Tolet. *l. 7. c. 12.* Reginal. *l. 31. n. 76. & 78.*

51 *Solum iure Ecclesiastico huiusmodi consensũ est nullum.*

Solum Ecclesiastico iure est irritum Matrimonium metu extortum, non iure naturæ. Quia cæteri contractus celebrati cum metu graui non sunt iure inualidi: Ergo neque Matrimonium. Ideo Matrimonium per vim, & metum inter infideles celebratum validũ erit. Quia iuri Ecclesiastico non subsunt. Filliuc. *tr. 10. p. 2. n. 109.* Sanch. *l. 4. d. 14. n. 2. & 3.* Bonac. *hic, q. 3. pun. 8. n. 8. & 9.*

52 *Metus iustus nõnisi tam, iniustus irritat Matrimonium.*

Dupliciter potest incuti metus ab extrinseco, id est, ab homine. Primo *iustè*, Quando quis sub graui pœna cogitur à Iudice contrahere Matrimonium, & stare sponsalibus anteà celebratis, quæ ille recusabat adimplere iustè cogitur, & iure licito compelli potest, cum teneatur illud perficere: & ideo validum est Matrimonium cum tali metu contractum. Secundo *iniustè*. Quando quis minatur accusare furem de furto patrato, nisi talem fœminam ducat: minatur iniustè accusationẽ per ordinẽ ad extorquendum consensum: & consequenter Matrimonium cum huiusmodi minis seu metu initũ, erit inualidũ. Coninch *d. 28. n. 15.* Reginal. *l. 31. n. 79.* Bonac. *hic, q. 3. pun. 8. n. 10. & 11.* Rodrig. *part. 1. cap. 230.* Henriq. *lib. 11. capit. 9. num. 2.*

53 *Cum metus incutitur ob aliã causã, & non vt consensu extorqueatur, non vitat coniugium.*

Quando metus incutitur à causa libera, non tamen ad hunc finem, vt Matrimonium ineatur, sed ob aliam causam: Matrimonium cum eiusmodi metu celebratum, validum est. Quia licet Matrimonium celebratum per metum incussum ad alium finem, sit aliquo modo inuoluntarium: illud tamen inuoluntarium nõ censetur causa consensus; sed tantum occasio, & consequẽter insufficiẽs, ad reddendũ Matrimoniũ inualidũ. Vnde validũ est coniugiũ contractum à defloratore puellæ, quem pater vel frater puellæ volebat occidere, sed ipse defloratur sponte sua obtulit se ad celebrandũ Matrimoniũ, vt mortẽ euaderet. Similiter validũ est Matrimoniũ, quod obsessus contraxit cũ filia obsidentis, vt euitaret molestiam obsessionis, modo obsidens non obsederit ad hunc finem, vt obsessus eius duceret filiam. Præterea validum esset Matrimonium contractum inter filiam Medici & ægrotum, quẽ Medicus curare nolebat, nisi eius filiã duceret. Quia metus mortis

non est à Medico, sed à morbo incussus. Cordub. *in sum. quæstion.* 178. *punct.* 1. Sà *hic*, *num.* 9. Bonacin. *quæstion.* 1 *punct.* 8. *a numer.* 16. Reginald. *libr.* 31. *numer.* 79. Coninch *dub.* 28. *numer.* 9. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 2. Sanch. *l.* 4. *d.* 12.

54 *Quando quis cogitur metu mittit, & consummare contractum inualidus est.*

Inualidum est coniugium, quando contrahens mortis metu cogitur, non solùm contrahere, sed id per copulam consummare. Quia non potest esse validum Matrimonium, nisi validus sit consensus: sed consensus per metum grauem extortus est inualidus: ergo. Deinde de copula nihil operatur ad coniugij validitatem, nisi adsit consensus liber, & validus. Bonacin. *hic*, *quæstion.* 3. *punct.* 8. *numer.* 25. Sanchez *libr.* 4. *dub.* 12. *num.* 19. Gutier. *cap.* 26. *numer.* 11.

55 *Matrimonium per grauem metum initum, est nullum etiamsi iuramento firmatum.*

Coniugium celebratum cum metu cadente in constantem virum adiuncto iuramento, non est validum. Quia per iuramentum non suppletur defectus consensus requisiti ad matrimonium. Vnde hîc opus non est iuramenti relaxatione. Quia vbi nullum est vinculum, nulla est obligatio. Nec ideo illud Matrimonium resoluitur in sponsalia. Quia huiusmodi contractus iure positiuo est irritus: & sicut Matrimonium requirit consensum liberum, ita etiam sponsalia. Sà *verb. Impediment. numer.* 9. Reginald. *libr.* 31. *numer.* 87. Rodriguez *cap.* 131. *num.* 4. Gutier. *cap.* 76. *num* 9. Sanchez *l.* 4. *d.* 20. *num.* 15. Imo si quis iurasset, stare Matrimonio per metum celebrato, seu non contraenire: non tenetur implere. Quia nullus potest obligari ad peccatum; peccatum enim esset vti Matrimonio inualido, quale est per metum grauem celebratum. Reginald. *libro* 31. *numero* 88. Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 3. *Paragraph.* 5.

56 *De excommunicatione lata contra eos.*

Tulit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 9. excommunicationem contra dominos temporales, Magistratus, & alios cuiuscúmque gradus, qui subditos, vel alios quoscúmque directè, vel indirectè cogunt, ne Matrimonium liberè contrahant. In hac tamen Censura non comprehenduntur domini cogentes sua mancipia Matrimonium inire. Nec patres, qui prohibent filios Matrimonium contrahere. Quia Concilium non loquitur de prohibentibus, sed de cogentibus. Sanchez *lib.* 4. *dub.* 21. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 5. Nauar. *cap.* 27. *numer.* 150. Gutier. *cap.* 79. *num.* 11.

CAPVT X.

De Impedimento Ordinis.

57 *Quinam Ordines, & quanam iure dirimat matrimonium ante illum, & post illum contractum.*

SAcer Ordo validè, & sine graui metu susceptus iure Ecclesiastico Matrimonium subsequens dirimit. Definitur à Tridentino *sess.* 24. *can.* 9. Infero primò, Ordines minores, nec dirimere, nec impedire Matrimonium. Secundò, si Ordo Sacer sit inualidè susceptus propter aliquem defectum essentialem, Matrimonium validum esse: verbi gratiâ, si quis Ordinem susceperit ab eo, qui se finxit Episcopum, cum non esset. Tertiò, Sacrum Ordinem per metum grauem susceptum Matrimonium non dirimere, si metus fuit incussus à causa libera. Quia neque obstat constitutio Ecclesiæ, neque votum solemne Ordini Sacro annexum, cum illud sit inualidum. Quarto, votum non dirimere Matrimonium iure naturali, sed tantummodo impedire. Vnde si Pontifex dispensaret cum Sacerdote absque causa legitima, validum esset Matrimonium quamuis illicitum. Quia censeretur ablatum esse impedimentum dirimens ab Ecclesia inductum. Quinto, Matrimonium antea contractum non dirimi per Ordinis Sacri susceptionem. Et hæc est differentia inter maiores Ordines, & professionem, quod professio dissoluit Matrimonium non solùm sequens, sed etiam antecedens, modo non fuerit consummatum: Ordines verò maiores sequens solummodo dissoluunt. Gutier. *cap.* 94. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *numer.* 121. Coninch. *dub.* 20. *num.* 145. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 9. Sanchez *lib.* 7. *d.* 29. *num.* 5. & *d.* 28. *num.* 11. Sylui. *in Supplem. quæst.* 53. *art.* 3. *quæst.* 1.

58 *Nunquam permissum fuit in Ecclesia Latina Sacro Ordine præditos Matrimonium inire. Et quid in Græca circa hoc permittitur.*

Nunquam fuit in Ecclesia permissum siue Latina siue Græca Sacro Ordine præditos matrimonium inire. Quia à nascente Ecclesia id prohibitum fuit, vt constat ex Canone Apostolorum 17. Vnde si Græcus aliquis Sacerdos contraheret Matrimonium, inualidè contraheret. Permissum tamen est Græcis iam coniugatis, Sacros Ordines inire, & Matrimonio vti ante eorum celebrationem. Quia decretum Ecclesiæ præscribens esse annexum Ordinibus Sacris votum solemne castitatis non est acceptatum à Græcis, vnde minimè delinquunt vtendo coniugio ante Ordines inito. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 18. *numer.* 3. Azor. *part.* 1. *libr.* 13. *cap.* 13. ex *cap. cum olim*, *de Cleric. coniugat.*

59 *Qui Sacro Ordine initiatus contrahens Matrimonium, mortaliter peccat & incurrit irregularitatem.*

Sacro Ordine initiatus contrahens Matrimonium, mortaliter delinquit, incurritque irregularitatem, etiam ante consummatum coniugium. Sanch. *lib.* 7. *d.* 48. Couar. *p.* 2 *c.* 6. §. 3. *n.* 1. Nauar. *cap.* 27. *num.* 195. ex Clement. 1. *de consanguin.*

CAPVT XI.

De Impedimento Ligaminis.

60 *Habere plures vxores iure diuino prohibitum fuit, & Christi præscriptio, ne in lege Euangelica vtitum est.*

PEr impedimentum *Ligaminis* significatur vinculum prioris Matrimonij, quo durante, posterius est irritum. Et quidem plures habere vxores diuino iure in lege Euangelica prohibitum est. Permissum fuit antiquis patribus (quorum exemplo ad Israeliticum populum propagata fuit dispensatio) plures habere vxores. Quia contra primarium Matrimonij finem, qui est prolis generatio, & educatio, non erat. At iam nullis fidelibus, nec infidelibus licita est polygamia: & cum infideles Baptisma susceperint, cogendi

sunt ad primam vxorem legitimam redire, separandique ab aliis coniugiis primæ vxore superstite initis, tanquam ab omninò irritis. Tridentin. *sess.* 24. *can.* 2. D. Thom. *in* 4. *dist.* 33. *quæstion.* 1. *articul.* 1. Sanchez *lib.* 7. *d.* 80. *num.* 4. & 5. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 161. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 1. *punct.* 3.

61 *Nec Pontifex potest in polygamia dispẽsare.*

Summus Pontifex non potest in hac vxorum pluralitate dispensare. Quia & lege naturali, & Christi præscriptione ob veram Sacramenti significationem est interdicta. Nec vlla consuetudine effici potest licita hæc vxorum pluralitas. Quia consuetudo nequit prævalere aduersus ius naturale, & diuinum positiuum, sed solum contra humanum, Coninch *disp.* 26. *numer.* 20. Reginald. *libr.* 31. *numer.* 4. Gutier. *hic*, *cap.* 106.

62 *Polygamia fœminæ est contra ius naturale, viri autem præter.*

Polygamia mulieris contra ius naturale est. Quia vt mulier plures viros habeat repugnat omnibus Matrimonij finibus, nempè susceptioni, & educationi prolis; communis vitæ Societati, & familiæ administrationi, remedio concupiscentiæ: & Sacramento Christi, & Ecclesiæ. Viri verò polygamia est præter naturæ ius, nec admittit dispensationem humanam, sed tantùm diuinam. Quia licet opus esset generis humani propagatione, Deus vnicam costam ex Adamo traxit, eámque *ædificauit in mulierem* dicens: Erũt duo in carne vna, vt monogamiam esse iuris naturalis ostenderet. Vnde & Adamus coactus fuit esse monogamus, quia nec filiam potuit ducere, nec neptem, aut proneptem. Sotus *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 3. Bellar. *l. de Matrim. lib.* 1. *cap.* 10. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 80. Henriquez *libr.* 12. *capit.* 6. Hurtad. *hic*, *dub.* 9. *diffic.* 1.

63 *Plures nuptiæ, dissolutis prioribus, sunt licitæ.*

Binæ, quaternæ, & vlteriores nuptiæ, prioribus dissolutis, licitæ sunt, ac verum Sacramentum. Quia cum primæ nuptiæ morte coniugis vnius penitus dissoluantur, nullum possunt alteri coniugi impedimentum obiicere, ad aliarum celebrationem. Tamen denegatur hisce secundis nuptiis benedictio, quando saltem alteri coniugi in priori Matrimonio fuit impertita, ne repetita in vilipendium eat, vt habetur in *cap. Vir, de secundis nuptiis.* Scio, consuetudine esse introductum, vt semper benedictio etiam in nuptiis secundis conferatur, quando alter coniux benedictionem non susceperit, siue sit vir, siue fœmina. Quia non censetur iterari benedictio, cum impenditur per se ratione coniugis non benedicti: per accidens autem etiam alteri confertur, nec enim potest vni, & non alteri conferri. Sanchez *lib.* 7. *d.* 81. & 82. Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *in fine.* Henriq. *l.* 11. *c.* 2. *num.* 3. *litter. G.*

64 *Quanta certitudine opus sit de coniugis morte, vt alter possit ad secundas nuptias transire?*

Vt coniux superstes possit cum alio Matrimonium inire, requiritur certitudo moralis tanta de morte alterius coniugis, quanto iudicio prudentis sufficit ad credendum coniugem certo iam obiisse. Rodriguez *cap.* 232. Sanchez *libr.* 2. *dub.* 45. *numer.* 6. Vxor tamen, quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens priorem virum esse mortuum: tenetur à secundo recedere, postquam cognouit, priorem virum esse superstitem: alioquin se adulterij periculo exponit, & delinquit mortaliter petendo, vel reddendo debitum, post huiusmodi notitiam. Si autem non certo nouit, sed tantummodo dubitat, non potest existente dubio debitum petere, tenetur tamen alteri coniugi petenti reddere. Quia alter coniux ius petendi habet, nec tenetur coniugi dubitanti credere: nisi dubitans ita probet, vt alter credere teneatur. Sanchez *lib.* 2. *d.* 41. *num.* 12. Henriqu. *l.* 11. *c.* 15. *n.* 13. Gutier. *hic*, *cap.* 50. Nauar. *cap.* 22. *num.* 53.

Mortis prioris viri probatio non omnino præscribi potest, qualis esse debet; sed Iudicis prudentis arbitrio, attentis occurrentibus circumstantiis relinquitur. Illud verò est speciale in morte probanda, vt testes, non citata parte, sed ex mero iudicis officio possint examinari. Non sufficit vnus testis affirmans coniugis mortem, vt possit alter ad secundas transire nuptias Si tamen coniux distanti obierit in loco, ita vt non valeant facilè aliæ probationes haberi, satis erit nuncius. Longissima autem coniugis absentia non est mortis illius probatio. Neque habetur per solam famam, nisi fortè tanta adsint indicia, vt nullus sit de eius obitu amplius dubitandi locus. Gutier. *hic*, *cap.* 51. *numer.* 3. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 46. Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *quæst.* 13. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 214. 65 *Iudicis iudicio relinquitur, an probatio mortis coniugis sit sufficiens.*

CAPVT XII.

De Impedimento publicæ honestatis.

HONESTAS publica est propinquitas *ex sponsalibus validis, & certis prouenies, robur trahens* ab Ecclesiæ *constitutione propter honestatem eius.* Vnde colligo ex sponsalibus inualidis, & cum persona incerta non consurgere publicæ honestatis impedimentum. Porrò attento antiquo iure hoc impedimentum vsque ad quartum gradum perstebat: hodie verò per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. ad primum solummodo consanguinitatis gradum extenditur. Cum affinibus autem alterius sponsi non oritur. Quia ius hoc impedimentum præscribens cum solis consanguineis nuptias interdicit. Diuus Thomas *in* 4. *dist.* 41. *quæstion.* 1. *ad* 2. *quæst. iunc.* 4. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 126. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 220. Gutier. *cap.* 103. *num.* 5. 66 *Quid incertis proueniens, robur trahens nestus publica, quidem ad primum gradum sanguinitatis solummodo extenditur.*

Publicæ honestatis impedimentum non est iure naturæ inductum, vel diuino, sed iure Ecclesiastico. Vnde infidelis, qui tempore infidelitatis contraxit sponsalia cum Berta, potest valide Matrimonium inire cum eius matre, vel sorore non solum ante Baptismum, verum etiam post eum susceptum. Quia infidelis Ecclesiæ, à qua est hoc impedimentum, legibus non subiicitur. Sanch. *l.* 7. *d.* 68. *n.* 2. Bonac. *hic*, *qu.* 3 *punct.* 11. *num.* 6. 67 *Non iure naturæ, nec diuino, sed solum Ecclesiastico est hoc impedimentum inductum.*

Perpetuum hoc impedimentum est, itavt nec morte alterius sponsi extinguatur. Multò minus cessabit, quando sponsalia dissoluuntur mutuo contrahentium consensu. Quia Matrimonij 68 *Hoc impedimentum perpetuum*

est, nisi authentica sit Cardinalium quædam declaratio

monij impedimenta non pendent à contrahentium voluntate, sed ab Ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validis consurgat. Et quia nulla maior sponsalium dissolutio consurgere potest, qua ob alterius sponsi mortem: sed tali in casu etiam durat impedimentum: ergo Tolet. *lib.7.cap.13.num.2.* Sanch. *l.7.d.dub.68. numer.21.* Scio Pontium, *libr.7.capit.36.numer.9.* Gutierrez *cap.103.* Rebellum *part.2.lib.3. quæstion.14.numer.3.* & Sà *hic, numer.12.* contrarium asseruisse citantes Cardinalium declarationem sic præscribentem: *Si sponsalia dissoluuntur de consensu, Congregatio censuit esse inualida.* Vnde si de hac declaratione constet authenticè affirmatiuè, ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis nullum impedimentum oriri. Vnde qui contraxit sponsalia cum filia, & postea, & postmodum illis ex communi consensu solutis, cum matre, aut sorore vult contrahere, nulla egere Papæ dispensatione. Quia sponsalia, quæ mutuo consensu soluuntur, euanescunt immediatè, & ratione sui, & sponsis viuentibus, vnus desinit ad alterum pertinere: & è contra.

69 *Non oritur publica honestas ex sponsalibus conditionalibus ante conditionis euentum.*

Ex sponsalibus conditionalibus nulla oritur publica honestas ante conditionis euentum. Vnde valebit Matrimonium initum cum sorore eius sponsæ, conditione nondum existente. Quia cum conditio suspendat consensum vsque ad eius aduentum antequam impleatur sponsalia non sunt valida ex defectu consensus. Quod intelligo, quando conditio est de futuro; si enim conditio est de præsenti, aut de præterito, oritur statim impedimentum publicæ honestatis, si verè extent conditiones. Henriquez *lib.12.cap.10.mum.2.* Rodrig. *cap.233.num.3.* Sotus *in 4.dist.41.qu.1.art.2.* Sanch. *l.7.d.69.*

70 *Oritur autem ex Matrimonio rato, & ad quartum gradum extenditur.*

Sicut ex sponsalibus de futuro consurgit publica honestas matrimonium dirimens cum consanguineis in primo gradu; à fortiori consurget ex Matrimonio rato, quod fortius est vinculum, & maiorem importat coniunctionem. Hoc autem impedimentum honestatis ex Matrimonio rato vsque ad quartum gradum extenditur. Vnde vir mortua vxore ante consummatum Matrimonium, non potest ducere consanguineam vsque ad quartum gradum. Sic Pius V. in Motu proprio, *Ad Romanum spectat*, declarauit. Reginald. *libr. 31. numer. 128.* Filliuc. *tractat. 10. part. 2. numer. 223.* Sanchez *lib.7.dub.70.num.16.* Valent. *tom.4. d.10. qu.5.punct.5.*

71 *Ex Matrimonio rato irrito, modo non sit defectu consensus.*

Oritur hoc impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio rato irrito quacúmque ex causa, modo non sit ex defectu consensus. Quia à iure antiquo recedendum non est, nisi quatenus decernitur iure nouo: sed iure antiquo consurgebat hoc impedimentum ex Matrimonio inualido, modo non esset inualidum defectu consensus: ergo. Sic etiam habetur ex Sacrorum Cardinalium declaratione. Monuerim tamen, ex Matrimonio rato inualido non induci publicæ honestatis impedimentum dissoluens priora sponsalia valida. Quia publica honestas superueniens sponsalibus non dissoluit illa, sicut dirimunt cætera impedimenta sponsalibus superuenientia. Henriquez *lib.12. cap.10.mum.2.* Bonacin. *hic, quæst.3.pun.11.2.11. & 21.* Sanch. *lib.7.dub.70.mum.5.* Nauar. *cap.22. num.57.*

Ex Matrimonio autem rato conditionato, conditione de futuro suspendente consensum, ante conditionis impletionem non oritur. Quia ante eam neque habet vim Matrimonij absoluti neque sponsalium absolutorum. Iustitia autem publicæ honestatis non oritur nisi ex sponsalibus dicto modo absolutis, ac proinde nisi ex Matrimonio absoluto, etiam consuetudine desumpta ab exemplo sponsalium. Oritur verò ex Matrimonio conditionato post impletionem conditionis. Quia tunc habet veram Matrimonij perfecti rationem, vel quia habet rationem sponsalium, nonnulli opinantur, Doctores citati.

72 *Non oritur ex Matrimonio rato conditionato ante conditionis impletionem.*

CAPVT XIII.

De Impedimento Affinitatis.

Sic Affinitas definitur: *Propinquitas personarum proueniens ex carnali copula licita, vel illicita, omni carens parentela.* Eius gradus annumerantur sicut consanguinitatis gradus. Quia quoto gradu quis consanguineus est viri, vel fœminæ cognitæ, eodem est affinis fœminæ, & viro. Mensurantur autem gradus inter affines iuxta consanguinitatis gradus. Vnde linea affinitatis est duplex, sicut, & consanguinitatis: quædam est *recta* ascendentium, & descendentium: ascendentes sunt socer, vitricus, nouerca: descendentes sunt gener, nurus, priuignus, & priuigna. Alia verò est linea *transuersa*, nam alteri lineæ sunt affines in eodem gradu lineæ transuersæ. D. Thom. *in 4.dist.41.articul.2.quæstion.1.* Filliuc. *tractat. 10. part. 2. numer. 206.* Reginald. *libr. 31. numer.145.* Sanchez *libr.7.dub.64.* Nauar. *cap.22. num.42.*

73 *Quid sit affinitas quomodo mensurentur gradus, & de eius linea recta, & transuersa.*

Ad affinitatem contrahendam, requiritur copula perfecta, in qua virile semen intra vas fœminæ recipiatur: ex sola namque vasis fœminei penetratione, non emisso intra virili semine, non oritur affinitas. Quia tota ratio, ob quam ex copula oritur affinitas est, quod per eam vir, & fœmina vna caro efficiantur: at non efficiuntur vna caro nisi per copulam perfectam, ac sufficientem ad prolis generationem, qualis est illa sola, in qua virile semen intra vas fœmineum recipitur, siue fiat matrice fœminea semen attrahente, siue dæmonis ministerio, siue quacúmque arte, siue casu, siue sponte, siue vi absque vasis etiam penetratione. Quia id ad prolis generationem sufficit. *Cap. Fraternitas 36. quæstion.10.* Filliuc. *tractat. 10. part.2.numer.208.* Reginald. *libr.31. numer.147.* Gutier. *cap.87.num.15.* Nauar. *cap.22. nu.42.* Sà *hic, num.13.*

74 *Copula perfecta requiritur ad contrahendam affinitatem.*

Non contrahitur affinitas ex copula, in qua sola fœmina seminat. Quia ea sola non satis est ad prolis generatione. Nec ex quacúmque extra vas legitimum pollutione, neque

75 *Non contrahitur, seminante fœmi-*

na, si vir non seminet; secus seminante viro, licet fœmina non seminet.

que ex spado num congressu; quia semen prolificum non emittunt. Neque ex copula sodomitica; quia ex ea sequi generatio non potest. Neque ex copula habita cum muliere mortua. Non est autem necessum ad affinitatem contrahendam, vtrúmque coniugem semen emittere, sed sufficit, virum intra vas fœmineum seminare. Quia iuxta receptiorem sententiam, ea est copula perfecta, & sufficiens ad generationem, subindéque ad affinitatem ineundam. Bonacin. *hic, quæstion. 3. punct. 11. numer. 12.* Sanch. *lib. 7. dub 64. à numer.* 10. Rodriguez *part. 1. cap. 227. numer. 1.* Sylvest. *verb. Matrimonium, quæstion.* 15.

76 *Affinitas cõtracta ex copula licita, dirimit Matrimonium vsque ad quartum gradum.*

Affinitas contracta ex copula licita, seu coniugali saltem iure Ecclesiastico dirimit Matrimonium vsque ad quartum gradum: copula vero ex illicita dirimit tantummodo vsque ad secundum gradum inclusiuè. Vnde coniuges non possunt valide matrimonium inire cum consanguineis sui coniugis vsque ad quartum gradum inclusiue. Ille autem, qui fornicatus est cum aliqua potest matrimonium contrahere cum eius consanguinea in tertio, vel quarto gradu. Sic in Tridentino *sess. 24. cap. 4.* hæc affinitas est restricta. At in *cap. Non debet, de consanguin. & affin.* restricta est solùm vsque ad quartum. Vnde aliquibus videtur hoc impedimentum dirimere in tertio gradu eis in locis, vbi Concilium non est receptum. At ex receptiori sententia asseruerim, nec in quarto, nec in tertio gradibus dirimere. Quia in lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis, non requiritur promulgatio ita solemnis, seu in singulis Prouinciis, sed regulariter sufficit facta in Curia, vel in Concilio: nam promulgatio Romana, quæ ad onera non est sola sufficiens: ad tollenda onera sufficiens est. Zypæus *in consultat. canon. lib. 4. titul. de cognat. spirit. consult. 1.* & tanquam probabilem admittunt. Præpos. *1. 2. quæst. 95. d. 1. dub. 7.* Diana *p. 6. tract. 8. resol. 26.* Malder. *1. 2. q. 90. art. 4. dub. 2.*

77 *Quos effectus pariat affinitas matrimonio contracto superueniens.*

Affinitas, Matrimonio contracto superueniens, vt accidit, quando quis post coniugium initum copulam habet cum suæ vxoris consanguinea in primo, aut secundo gradu: duplicem parit effectum. Primus est, vt coniux, qui incestum commisit, non possit ab vxore debitum petere. Priuatur enim iure petendi, licet reddere teneatur alteri postulanti. Quia par non est, vt coniux innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis. Secundus effectus est, vt coniux nocens non possit alium coniugem ducere, mortuo illo, quem de præsenti habet. Ad hanc autem pœnam priuationis iuris petendi debiti non requiritur sententia Iudicis, sed ipso facto incurritur. *cap. 1. de eo, qui cognouit.* Gutierrez *cap. 87. nu. 2. & 6.* Sanch. *l. 7. d. 15.* Azor. *3. p. l. 3. cap. 20.* Reginald. *libr. 31. numer. 294.*

78 *De excommunicatione lata contra eos qui in prohibitis gradibus contrahunt.*

Denique in Iure pœna excommunicationis ipso facto incurrenda est constituta contra eos, qui scienter in gradibus affinitatis, & consanguinitatis ab Ecclesia prohibitis contrahere audent. *Clement. vnica, de consanguin.* Sylui. *in Supplem. qu. 55. art. 9.*

CAPVT XIV.

De Impedimento Impotentiæ.

79 *Vnde nam hæc impotentia consurgat*

IMPOTENTIA coëundi est impedimentum dirimens Matrimonium: impotentia inquam perpetua naturalis, aut accidentalis ad copulam naturalem perfectam. Illa autem dicitur impotentia perpetua coëundi, quæ nequit arte humana, aut sine probabili animæ, aut corporis periculo remoueri. Potest consurgere hæc impotentia ex viri frigiditate, aut ex fœminæ arctitudine tanquam ex causa intrinseca, & naturali. Ex causa vero accidentali extrinseca etiam consurgit hoc impedimentum: verbi gratiâ, si ex maleficio, quod vtrique sexui commune est, aut ex castratione, quæ viris est peculiaris. Præterea impotentia quædam est perpetua, quædam temporalis: verum impotentia perpetua quædam est absoluta respectu omnium, quædam verò respectiua respectu huius, vel illius. Diuus Thomas *in 4. dist. 34.* Nauar. *cap. 22. numer. 59.* Sanchez *lib. 7. dub. 92. numer. 1.* Filliuc. *tract. 10. part. 2. num. 61.* Henriquez *lib. 12. cap. 7.* Sylui. *in Supplement. quæstion. 58. articul. 1. quæstion. 1.* ex *cap. Fraternitatis, de frigid. & maleficiat.*

80 *Impotentia perpetua antecedens Matrimonium.*

Impotentia perpetua coëundi Matrimonium antecedens illud dirimit, non solùm iure Ecclesiastico, verum iure naturæ, ex quacúmque causa proueniat. Quia ad valorem Matrimonij requiritur, vt coniuges possint fieri vna caro; sed cum impotentia perpetua non possunt vna caro fieri: ergo. Impotentia verò temporalis matrimonium non dirimit, excepta impotentia ratione ætatis, quando nempe coniugium celebratum fuit inter impuberes nondum aptos ad generationem. Quia ius Ecclesiasticum *cap. Continebatur, & cap. Ex literis, de desponsi. impub.* Matrimonium impuberum irritat, quamuis impotentia eorum sit temporalis, quod in alia impotentia temporali minimè statuit. Impotentia autem perpetua Matrimonio superueniens siue rato, siue consummato illud non dirimit. Reginald. *libr. 31. numer. 99.* Coninch. *d. 31. num. 77.* Sanchez *l. 7. d. 92. nn. 2.* Bonacin. *hic, q. 3. pun. 13. num. 12.* Gutier. *cap. 112. num. 2.*

81 *Qualis impotentia ex parte fœminæ Matrimonium dirimat.*

Impotentia ex parte fœminæ vocatur *Arctitudo*, quæ si tanta sit, vt semen recipere intra vas non possit, irritat Matrimonium. Porrò hæc impotentia potest esse perpetua respectu vnius, quæ alterius respectu non erit: verbi gratiâ, quando fœmina est arcta vni, & non alteri, nec est vllum remedium, quo reddatur apta priori: & quidem respectu huius circa quem est impotentia perpetua, Matrimonium dirimit. Tunc autem perpetua censetur, quando nulla humana arte absque corporali periculo, vel absque peccato potest remoueri

ueri potest. Nomine autem *periculi corporalis*, non intelligo mortem, itavt impedimentum, quod absque morte tolli potest, non censeatur perpetuum, vt nonnulli Iurisperiti immeritò affirmant: sed intelligo periculum mortis, vt deducitur ex *cap. Fraternitatis*: Quia periculum mortis moraliter morti æquialet. Imò quod auferri non potest absque graui, & perpetuo morbo, censetur perpetuum. Quia moraliter æquialet morti physicæ non minus, imò magis quam periculum mortis: ad vitandum enim talem morbum, potest rationabiliter appeti mors ipsa. Filliuc. *tractat.* 10. *part.* 2. *numer.* 64. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 93. *numer.* 2. Ponti. *libr.* 7. *cap.* 61.

81 *Femina nimiū arcta debet patiincisionem, si id posse fieri sine graui mortis, aut morbi periculo iudicatur.*

Verùm quod possit dari impotentia respectu vnius, & non alterius ex eo probatur: quia contingere potest, quod vir ita sit debilis, mulier ita arcta, &c. vt fœmina nulla humana industria possit absque vitæ periculo ei viro proportionari, vt possit ab eo cognosci. Fœmina vero arcta, quæ Medicorum iudicio potest fieri apta proprio viro per incisionem, tenetur illam pati etiam cum graui dolore. Quia hoc videtur necessarium ad copulam, cuius potestatem, & ius transtulit in maritum. Non tenetur tamen incisionem pati cum grauissimo morbi incommodo. Profectò matrimonium cum hac impotentia celebratum validum est, cum perpetua non sit. Quia fœmina illa potest arte humana fieri apta per incisionem. quamuis ipsa nolit eam pati, aut non teneatur. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *n.* 8. Sanchez *l.* 7. *dub.* 93. *nu.* 32. Sà *hic, numer.* 14. Gutierrez *cap.* 112. *numer.* 31. Attamen *sectione.* 2. num fœmina pati incisionem teneatur, & an hoc impedimentum sit censendum perpetuum fusius per dubia discutiam.

83 *Impotentia accidētalis Matrimonio non obstat.*

Cum impotentia tantum est *accidentalis*, vt si ex sola senectute proueniat, Matrimonio non obstat. Quia senex semper retinet intrinsecam seminandi potentiam, quæ solùm per accidens impeditur: potest enim aliquando aliqua arte ad consummationem Matrimonij adiuuari. Filliuc. *tractat.* 10. *part.* 2. *num.* 74. Rodriguez *cap.* 234. *num.* 5. Henriquez *lib.* 12. *ca.* 7. *num.* 3. de quo alibi.

84 *Matrimonium cum spadone omnino est inualidum.*

Quādo testes absciſſi sūt, Matrimoniū irritatur, secus si ētum vnus. Hinc cōiugium contractū cum Eunucho perfecto inualidum est, vt declarauit Sixtus V. Idē assero de illis qui nō sūt Eunuchi perfecti, sed nihilominus habent testē vtrúmque adeò contusum, vt sint inepti ad verum semen emittendum. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 16. *numer.* 2. Sanchez *lib.* 7. *d.* 62. *num.* 17. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *numer.* 76. & 77. Reginald. *libr.* 31. *num.* 102.

85 *Infirmi in mortis periculo existētes apti sūt Matrimonio.*

Potrò infirmi, qui existunt in mortis periculo, quamuis iam coire non possint, habiles sunt ad matrimonium, vti vsus Ecclesiæ probat. Quia eorum impotentia non censetur perpetua: quamuis enim duret vsque ad mortem, id contingit per accidens ex subiecti defectu; nam si non moreretur, potentia tamen fieret expedita. Doctores communiter.

86 *Impotentia ex maleficio perpetua.*

Impotentia ex maleficio consurgens, si illud perpetuum sit, dirimit subsequens matrimonium. Censetur verò maleficium perpetuum, si vel non tolli possit, nisi alio maleficio, vel miraculo, puta, quia coniuges post experientiam triennalem non potuere copulam inire, præmissis precibus, & aliis pro amouendo maleficio remediis. Profectò maleficium aliquando absolutè impedit potentiam, & quoad omnes: aliquando autem respectu vnius; at rarò contingit circa omnes, & communiter est circa vnam, vel alteram personam: & tunc cum persona illa, ad quam est impotentia, si illa perpetua sit, Matrimonium dirimit. *Cap. final. de frigid.* Henriquez *lib.* 12. *cap.* 8. Sanchez *l.* 7. *d.* 94. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 3. *q.* 6. Reginald. *l.* 31. *nu.* 104.

tuo dirimit Matrimonium subsequens.

Coniuges, quibus constat impotentiam adesse perpetuam, non possunt debitum petere, vel reddere: nec delectari tangendo, & osculando. Quia hi actus sunt coniugales, qui non possunt, Matrimonio inualido, exerceri. Henriquez *libro* 12. *capite* 7. *numero* 7. Sà *hic, numero* 14. 87 *Coniuges quibus constat impotentia perpetuā adesse, debent à*

qualibet coniugali permittuntur coniuges simul cohabitare per triennium, vt Matrimonium consumment: quo tempore si nequeant consummare, facienda est 88 *separatio propter incontinentię periculum. Sed cluso autem periculo incontinentiæ, iura permittunt, vt vir tanquam sororem habeat, quam non potest vxorem habere. cap. Consultationi, cap. Laudabilem, de frigid.*

abstinere licentia. Quādo dubitant an impotentia sit perpetua, possunt

Triennium vero experientiæ ad consummandum, incipit à die copulæ attentatæ, quando impotentia prouenit ex frigiditate, vel maleficio; quando autem prouenit ex arctatione, 89 incipit, quando incipiunt remedia adhiberi. Gutierrez *cap.* 114. Coninch *d.* 31. *num.* 83. Sanchez *libr.* 7. *d.* 97. Non tamen erit opus, vt hoc triennium sit mathematicè cōtinuum, sed moderati modo accipi debet, provt vulgariter coniuges continuè habitare dici assolent. Si tamen notabilis, & tota simul interpolatio facta fuisset, suppleri debebit, tantumdem temporis superaddendo: nam de paruulis interpolationibus, etiamsi tota eorum collectio notabile temporis spatium conflaret, curandum non erit. Reginald. *lib.* 31. *num.* 107. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 110.

per triēniū inhabitare simul. Quoniam modo triennium hoc computandum.

Impotentia autem matrimonio superueniens illud non dirimit, siue ratum, siue consummatum fuerit. Et quidem quando est impotentia sola veri seminis effundēdi, verbi gratiā, quando vir vtróque testiculo orbatur, itavt coire nequeat, licet non sit capax veri seminis emittendi, licita est illi copula, & culpa vacat, siue petat, siue reddat. Quia hic vtitur iure suo actui coniugali vacans, quem matrimonium permittit, semen autem verum non emitti per accidens contingit, & sic obtinetur finis coniugij secundarius, nempè concupiscentiæ stimulos sedare. Nec est simile de copula extra vas. Quia illa coniugalis non est, nec iure Matrimonij procuratur, sicut illa, quæ intra vas habetur. Vnde quando vir post Matrimonium in eam incidit impotentiam, vt intra vas fœmineum seminare nequeat, vel quia fœmina ita arcta facta est, vt semen recipere non valeat, vel ob viri imbecillitatem, aliúmve morbum: haud licitus est coniugalis accessus cum huiusmodi periculo. Quia copula est coniugibus

90 *Impotentia Matrimonio superueniens, illud non dirimit.*

gibus permissa solum intra vas legitimum. Liciti tamen erunt hisce coniugibus tactus, oscula, & amplexus, si periculum pollutionis absit. Et dum probabilis seminandi intra vas spes subesset, licitum esset, ad id conari, quamuis per accidens, ac præter intentionem extra vas semen effunderetur. Quia coniux ille operam dat rei licitæ procurans copulam sibi possibilem, ac permissam, & præter intentionem externa illa profusio sequitur. Caietan 2.2. *quæst.* 154. *art.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. Henriquez *l.* 11. *cap.* 15. *num.* 4. *& cap* 10. *num.* 6. Rodriguez *cap.* 242. *num.* 9. Nauar. *cap.* 22. *num.* 60. Sanch. *l.* 9. *d.* 17. *num.* 20.

91 *Quid debeat circa matrimonium gerere hermaphroditus.*

Hermaphroditus, in quo sexus est æqualis, & neuter prævalet, potest sexum pro libito eligere, & secundum illum Matrimonium contrahere. Quando autem prævalet vnus sexus, potest Matrimonium inire iuxta sexum qui in illo prævalet; vnde si prævalet sexus virilis, potest contrahere cum fœmina: si prævalet fœmineus, poterit cum viro contrahere. Ad Medicos autem pertinet, vel ad matronas peritas, quinam prævaleat sexus, adiudicare. In dubio tamen iudicium ferendum est ex ipsius hermaphroditi assertione. Monuerim verò, hermaphroditum, in quo æqualis est sexus vtérque, facta semel sexus electione, & Matrimonio iuxta illum sexum contracto: non posse absque graui piaculo, mortuo coniuge mutare electionem, & iuxta alium sexum Matrimonium contrahere. Quia variaret electionem in re grauissima. At si contraheret, validum esset Matrimonium. Quia illius potentia naturalis per electionem, aut per iuramentum ante emissum non variandi electionem sexus, non auferetur. Parochus verò non debet assistere coniugio hermaphroditi, cuius sexus est æqualis, donec hermaphroditus coram Iudice Ecclesiastico protestatus sit cum iuramento, quem sexum sequi velit. Filliuc. *tractat.* 10. *part.* 2. *numer.* 90. *&* 91. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 106. Coninch *dub.* 31. *num.* 89. Bonacin. *hic, quæst.* 3. *punct.* 12. *numer.* 26. Henriquez *libr.* 14 *cap.* 8. *num.* 6. Maiol. *libr.* 3. *de Irregular. capit.* 27. *numero* 16. Gutierrez *capite* 119.

92 *Sterilitas matrimonij valori non obest.*

Sterilitas Matrimonij valori non obest. Quia etsi id Matrimonium finem primum non sortiatur, qui est generatio prolis: attamen secundum sortitur, qui est concupiscentiæ sedatio vera copula intercedente. D. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *qu. vnic. art.* 2. *ad* 3. & communiter Theologi. Item habilis est Matrimonio fœmina, quæ filios omnes mortuos pareret.

CAPVT XV.

De Impedimento Raptus.

93 *Quidnā ad verum raptum requiratur.*

DVo alia impedimenta addidit Tridentinum, nempe Coniugium sine Parocho, & testibus initum, & Raptum fœminæ quam velis ducere. De primo egimus *lib.* 25. iam de Raptu diximus. *Raptus* itaque *est pecatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendum.* Duo requiruntur ad raptum. Primò violentia ipsi personæ raptæ inflicta, vel iis, sub quorum cura est. Secundò requiritur abductio causâ libidinis, vel Matrimonij. Vnde raptum non patrabit, qui Virginem repertam in domo parentis, vel in alia, non educit de ea domo, sed ibi eam opprimit: aut trahit de vno cubiculo in aliud, vt inibi illam commodius violare possit. Idem dixerim, si in agro repertam inde trahat per aliquot passus, vt abutatur. Secus si inde deducat in aliquam domum, seu locum extra illum agrum. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 12. *nu.* 3. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 110. Rodriguez 1. *part. cap.* 231. *num.* 2. Gutier. *hic, cap.* 86. *nu.* 9. Molina *d.* 105. *num.* 3.

Abductio sponsæ per verba de futuro consentientis iure ciuili est raptus, si parentes saltem inuiti sint. At iure Canonico raptus non est, si abducatur ad perficiendum cum ea Matrimonium. Quod si ad actum turpem abducatur, extra coniugium, raptus erit iure Canonico. Si verò puella non consentiens abducatur ad finem consummandi Matrimonium, iure Canonico raptus non esset. Idem asseruerim de traductione sponsæ per verba de præsenti; quamuis si abducatur contra eius voluntatem, quæ spatio duorum mensium à iure concesso gaudere volebat, antequam Matrimonium consummaret, dixerim esse raptum. Quia cum sponsa iure suo vtatur, maritus illi violentiam infert ad eam opprimendam. *l.* 1. *cap. de raptu virg. L. Raptores, de Episcop. & Cleric. cap. Cum causa, de rapt.* 94 *Quidnā sit raptus iure Ciuili, quidnam iure Canonico?*

Iure Canonico tres pœnæ mulierum raptoribus sunt constitutæ. Prima est, vt raptor alienæ sponsæ publica pœnitentia mulctetur. Secunda, vt mareat sine coniugij spe: non est autem impedimentum dirimens, sed tantum impediens. Tertiò punitur pœna seruitutis; efficitur enim seruus mulieris raptæ, cum facultate tamen se ipsum redimendi, soluendo pretium competens. Quod si consenserit mulier in abductione à domo paterna, fit seruus parentis mulieris, cum facultate similiter se ipsum redimemdi. *Cap. Raptor* 27. *quæstion.* 2. *cap. De raptoribus* 36. *quæst.* 1. 95 *Tres pœnæ sunt constitutæ iure Canonico mulieris raptori.*

Iure autem nouo Concilj Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. tria pœnarum genera sunt contra raptorem constituta. Prima est, vt raptor, & omnes consilium, auxilium, & fauorem ferentes sint ipso iure excommunicati, perpetuo infames, & omnium dignitatum incapaces. At si raptor nubat raptæ in loco tuto constitutæ, & libere consentienti infamiam, & incapacitatem ad dignitates tolli, receptius videtur. Quia fortè quoad hanc pœnam, vel receptum non est, vel consuetudine abrogatum Concilium. Bonacin. *hic, quæstion.* 4. *punct.* 18. *numer.* 10. Sanchez *lib.* 3. *dub.* 13. Moli. *tom.* 1. *dub.* 96. Lessi. *libr.* 4. *cap.* 3. *numer.* 69. Filliuc. *tractat.* 10. *part.* 2. *numero* 118. 96 *Prima pœna imposita à Tridentino raptori, excommunicatio.*

Secunda pœna est, vt raptor siue Matrimonium contrahat, siue non cum rapta, ad decenter dotandam eam Iudicis arbitrio teneatur. Quoad alia verò damna tenetur iure naturæ etiam ante Iudicis sententiam. Coninch. *d.* 31. *num.* 48. 97 *Secunda pœna, dotādi fœminā obligatio.*

Tertia

98 *Tertia pars, Matrimonium irritum esse.*

Tertia est, inter raptorem, & raptam Matrimonium declarari irritum quandiù rapta manet in raptoris potestate, etiamsi ipsa libere consentiat. Idem dixerim de sponsalibus. Vbi tamen fuerit separata, & loco tuto reposita, poterit nubere raptori, si libeat. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 13. Layman. *libr.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 13. *num.* 4.

99 *Tridentinus decretum solum comprehendit raptum, qui fit causa contrahendi matrimonium.*

Monuerim tamen, decretum Tridentini solum comprehendere raptum, qui sit causa contrahendi Matrimonij: non item ad libidinem exercendam. Præterea in eo decreto solummodo eam raptus speciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus; vnde si illa consentiat, etiamsi rapiatur vim parentibus inferendo, validum erit Matrimonium. Filliuc. *tr.* 10. *part.* 2. *num.* 265. Approbat huius sententiæ probabilitatem Coninch. *d.* 31. *n.* 48.

CAPVT XVI.

De quatuor Impedimentis non dirimentibus. Interdicto scilicet, Catechismo, Sponsalibus, & Voto.

100 *De interdicto iuris, primo impedimento non dirimente.*

IMpedimenta non dirimentia matrimonium, sed solum impedientia, sunt quinque. Primùm est *Interdictum iuris*, tempus nempè feriatum, quale est Aduentus & Quadragesima, in quo prohibitæ sunt nuptiæ quoad benedictionem, & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi. At matrimonij contractus, traductio sponsæ in domum sponsi, & consummatio ipsa prohibita non sunt, si absque solemnitate fiant, nisi alicubi contraria consuetudo vigeret. Porrò etiam nomine Interdicti intelligitur prohibitio Episcopi, vel Vicarij, vel Iudicis, vel Parochi interdicentis alicui, ne matrimonium contrahat, donec aliqua causa, vel impedimentum examinetur. Vnde contrahens cum huiusmodi interdicto, vel prohibitione peccat mortaliter. Quia in re grauis contra superioris prohibitionem operatur. Reginald. *lib.* 31. *num.* 188. Nauar. *cap.* 22. *numer.* 68. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 7. Coninch *d.* 30. *numero* 23. Sylui. *in Supplement. quæstion.* 50. *articul.* 1.

101 *De Catechismo, secundo impedimento.*

Secundum impedimentum impediens est, *Catechismus*, imperfecta scilicet cognatio quædam spiritualis orta ex eo, quod quis puerum baptizandum teneat in Catechismo, Sacerdotis interrogationibus respondendo. Hæc impedit Matrimonium subsequens cum iisdem personis, cum quibus spiritualis cognatio impedire asserui. Profecto ex receptiori sententia asseruerim hoc Catechismi impedimentum per Tridentinum esse omnino sublatum. Quia Concilium omnino abstulit cognationem Baptismi, præterquam inter tenentes in ipso Baptismo: ergo censebitur sublata cognatio tenentium in Catechismo solo, quæ si primam originem attendamus, à Baptismo procedit. Ideóque iam vsu receptum, vt non petatur dispensatio super hoc impedimento. Quia vbi non est vinculum, haud est opus relaxatione. Gutier. *cap.* 84. *nu.* 6. Reginald. *lib.* 31. *numer.* 190. Coninch. *dub.* 30. *num.* 24. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 10. *num.* 11. & 12. Bonacin. *hic, qu.* 3. *punct.* 14. *num.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 260.

102 *De Sponsalibus impedimento tertio.*

Tertium impedimentum non dirimens sunt *Sponsalia*, prius celebrata cum alia persona. Omnis enim, qui post contracta sponsalia cum vna, sine iusta causa cum alia Matrimonium, aut Sponsalia contrahit peccat mortaliter. Quia omnis contractus obligat ex iustitia: sed hic est contractus, Facio, vt facias, est enim mutua, ac reciproca obligatio: ergo obligat ex iustitia sub mortali ob rei grauitatem. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 9. *quæst.* 4. Reginald. *lib.* 31. *num.* 187. Coninch. *d.* 30. *num.* 23. Sylui. *in Supplem. q.* 50. *articul.* 1.

103 *De Voto impedimento quarto.*

Quartum impedimentum est *Votum* simplex castitatis, vel ineundæ Religionis, vel Ordines Sacros suscipiendi, vel non nubendi. Quia huiusmodi votum non importat corporis traditionem, sed solam promissionem, atque adeo verum dominium manet apud vouentem; ea autem est promissionis natura, vt impediat licitam translationem dominij rei promissæ in alterum, vtpotè quæ est aduersus fidem præstitam; non tamen illam irritam reddat, quippè quæ facta est à vero domino. Idem quod de voto asserui, idem dixerim de iuramento facto de hisce rebus, vel de castitate seruanda. Quia huiusmodi vota, vel iuramenta ex diametro aduersantur statui matrimonij, ac proinde id impediunt, non autem dirimunt. Reginal. *l.* 31 *n.* 184. Tolet. *l.* 7. *c.* 18. *n.* 3. Sanch. *lib.* 7. *d.* 11. *n.* 6. Gutier. *cap.* 85. *num.* 1.

104 *Quid respondendum interroganti, an validè sit Matrimonium cum aliquo ex hisce impedimentis contractum?*

Si adstrictus voto castitatis, aut alio simili impediente, contractum matrimonij roget, an Matrimoniũ validum sit cum huiusmodi voto celebratum, præciso peccati periculo in interrogante: veritas aperienda est. Si vero periculum sit, vt interrogans audita rei veritate, contrahat iniquè matrimonium: respondendum est verbis ambiguis, vel æquiuocatione, ne detur occasio ruinæ vel scandali. Si vero interrogans eludi non possit cauta responsione, nec prudenter veritas celari valeat: potest aperiri, explicata tamen delicti, & sacrilegij grauitate, quod admittitur ab eo, qui cum voto huiusmodi audet nuptias inire. Gutier. *cap.* 85. *num.* 5. Sanch. *l.* 7. *d.* 11. *num.* 12. Coninch. *d.* 30. *num.* 32. Reginald. *lib.* 31. *num.* 186.

CAPVT XVII.

De quinto impedimento non dirimente, nempè Septuplice Crimine.

105 *Septem crimina impedientia.*

QVintum impedimentum non dirimens, sed tamen matrimonium impediens est *Crimen* septuplex, quod his versibus comprehenditur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem,
Accipiat. Prohibent hac coniugium sociandum. 156

De Incestu

Primum itaque crimen impediens Matri-

monium est *Incestus*, copula scilicet habita cum consanguineis coniugis vsque ad gradum prohibitum. Hic enim impedit cum quacúmque alia post incestum, probabiliter intra secundum gradum admissum, probabilius admissum intra quartum, vt olim. *Cap.* 1. & 2. & *Cap. Trósmissæ, de eo qui cognou consanguin.* Filliuc. *tract. at.* 10. *part.* 2. *cap.* 9 *quæst ion.* 6. Bonacin. *hic, quæst.* 3. *punct.* 14. *numer.* 11. Gutier. *cap.* 87. *num.* 7. Si copula habeatur cum consanguineis sponsi de futuro, etsi propriè incestus non fit, oritur tamen impedimentum cum quacúmque alia, dum complex delicti superstes est. Ex incestu autem cum propria consanguinea receptus est, impedimentum vllum non oriri. Quia iura videntur loqui tantummodo de incestu cum affine. Sanch. *l.* 7. *d.* 15. *num.* 16. Gutier. *cap.* 87. *num.* 10. & 20.

107 *De raptu alienæ sponsæ.* Secundum crimen est raptus alienæ sponsæ siue de præsenti, vt omnes censent, siue de futuro, vt est probabile. Impedit enim Matrimonium cum rapta, & cum quacumque alia. Ipsa etiam sponsa, quæ suum consensum præbuit raptori, impeditur, ne cum alio possit coniugium contrahere. *Cap. statutum* 27. *qu.* 2. Nauar. *c.* 22. *n.* 74. Henriq. *l.* 12. *c.* 2.

108 *De Vxoricidio.* Tertium crimen est *Vxoricidium*. Si enim fiat priuata authoritate etiam in vindictam adulterij commissi, impedit matrimonium cum quacumque alia. Hoc crimen non extenditur ad homicidium viri ab vxore patratum. Quia nullus textus loquitur de huiusmodi homicidio. *Cap. Admonere*, 33. *quæst.* 1. Tolet. *lib.* 7. *c.* 19. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 288. Sanch. *l.* 7. *d.* 16. *num.* 6.

109 *De susceptione proprij filij in Baptismo, &c. in matrimonij iniuriam.* Quartum crimen est *Susceptio proprij filij*, vel alterius coniugis in Baptismo, vel in Confirmatione, si fiat animo insidiandi Matrimonio, vt scilicet alter coniux debiti coniugalis iure priuetur ob impedimentum spiritualis affinitatis inde consurgens. Hic enim contrahit impedimentum, ne mortuo coniuge cum alio Matrimonium valeat inire. Canon *De eo*, 30. *q.* 1. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 289. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 10. *num.* 17.

110 *De Presbytericidio.* Quintum crimen est *Presbytericidium*, modo homicida fuerit de crimine in iudicio conuictus. Nauar. *cap.* 22. *num.* 74.

111 *De Pœnitentia solemni.* Sextum crimen est, (seu potius impedimentum quam crimẽ vocitauerim,) *Pœnitentia solemnis*. Quandiù enim quis publicam gerit pœnitentiam, impeditur, ne Matrimonium contrahat. Ast hodie solemnes pœnitentiæ in vsu non sunt. Canon *De iis*, 33. *qu.* 2. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 6.

112 *De coniugio cum Moniali, contracto.* Septimum crimen est, *Matrimonium scienter cum Moniali contractum*. Hoc enim in casu contrahens non solùm inualidè contrahit matrimonium cum Moniali : verùm etiam impeditur, ne possit cum alia contrahere. Canon *Si quis* 27. *q.* 1. Nauar. *c.* 22. *n.* 74.

113 *Mortaliter peccat, qui cum aliquo ex his impedimentis sine dispensatione cõtrahit Matrimonium.* Enim vero, præcisa consuetudine in contrarium, mortaliter peccat, qui cum aliquo ex his impedimentis sine dispensatione contrahit Matrimonium. Quia facit contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui. Vbi autem consuetudo viget, vt cum his impedimentis, nulla petita dispensatione, coniugium ineatur, prorsus culpa vacat. illud inire. Quia consuetudo vires habet ad Ecclesiasticam legem abrogandam. Verùm hæc consuetudo videtur iã legitimè præscripta, vt affectus aliquo ex his impedimẽtis, haud petita dispensatione, matrimonium ineat: excepto voto, sponsalibus, & Interdicto. Nauar. *c.* 22. *n.* 75. & 85. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 259. Coninch. *d.* 30. *n.* 35. Sanch. *l.* 7. *d.* 17.

114 *Confessarius debet monere eum, qui ex ignorantia.* Porrò Confessarius pœnitentem tenetur admonere, qui ex ignorantia vincibili, & culpabili lethaliter matrimonium inualide contraxit, quamuis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur. Quia si Confessor dissimularet, conferret Sacramentum indigno, cum pœnitens lethali sit crimine reus. Quando autem pœnitens inualide contraxit ex ignorantia inuincibili iuris, vel facti, & nullus speratur ex admonitione fructus, sed potius timetur scandalum, vel notabilis infamia: non tenetur, imo non potest Confessarius pœnitentem admonere. Quia nulli debemus laqueum iniicere : sed quando nullus speratur fructus iniicimus laqueum admonendo: qui enim non peccabat ratione ignorantiæ, posita admonitione delinquet. Si verò speretur profuturam admonitionem sine graui scandalo, vel detrimento : tenetur Confessarius admonere. Quia Confessarius ex officio tenetur instruere pœnitentes. Si immineat periculum damni communis, tenetur similiter Confessarius admonere : etiamsi nullus ex admonitione fructus speretur, vt accidit, quando populus scit huiusmodi impedimentum, & scandalo compungitur. Quia illa ignorantia est contra bonum commune ratione scandali: bonum autem commune priuato est præferendum. Aragon. 2. 2. *q.* 33. *a.* 6. Coninch. *de Pœnit. d.* 8. *n.* 136. Filliuc. *tr.* 7. *c.* 12. *q.* 4. Sanch. *lib.* 2. *d.* 38. Reginald. *l.* 2. *n.* 45. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 80.

115 *Vtrum Confessarius dignoscat.* Confessarius verò potest dignoscere, an aliquis laboret ignorantia inuincibili, prudenter capiens documentum, an pœnitens credat, se esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiam; caute autem id gerendum, ne ex interrogatis, aut ex interrogandi modo pœnitẽs in dubia fide constituatur, qui prius illæsam conscientiam habebat. Potest enim contingere, vt aliquando in mala fide fuerit, nunc autem sit in bona; sicut ignorantia, quæ in vno vincibilis est, potest in alio inuincibilis esse. Sanch. *l.* 2. *d.* 38. *n.* 3. Bonac. *hic, q.* 3. *pun.* 16. *n.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 4. Adrian. *quodlib.* 5. *a.* 2. Quando autem pœnitens dubius Confessarium, aliúmve interrogat de aliquo impedimento, tenentur hi veritatem aperire, quamuis credant, se nihil profuturos. Quia pœnitens non dicitur in eo casu laborare ignorantia inuincibili; sed potius vincibili, cum de impedimento dubitet; alioquin censeretur Confessarius, vel alius interrogatus approbare errorem, si veritatem non manifestarent. Suar. *de pœnit. d.* 32. *sect.* 4. *n.* 2. Vasq. *ibi, q.* 93. *art.* 3. *dub.* 9. *n.* 2. Henriq. *l.* 6. *c.* 27. *n.* 5.

116 *Quid quando credat Confessarius se, vt admonitio possit proficere?* Quando Confessarius vero credit admonitionem non statim profuturam, sed futurum, vt breui tempore prosit : tenetur admonere pœnitentem inuincibili ignorantia impedimenti laborantem. Melius tamen esset admonere eum post absolutionem, quam ante; ne disturbetur, & ad gratiam recipiendam obex apponatur. Similiter potest differri

differri admonitio ad opportunius tempus, si credatur pœnitentem ægre laturum admonitionem, illámque melius susceperturum, si alia temporis moneatur instantia. Gutier. *c.* 48. *n.* 4. Medina *C. de Confes. q.* 19. *dub.* 2. *dicto* 3. Sanch. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 16.

117 *Non potest absoluere ignorantem impedimentum cum inuincibiliter Matrimonij inualiditatem ignorat.*

Non potest Confessarius absoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum, quando coniux ita est actualiter affectus, vt nolit reddere debitum ob indignationem, vel ob aliam causam iniustam, si non speret fructum admonendo illum de Matrimonij inualiditate. Quia pœnitens est in statu peccati, cum credat, se iniuste debitum abnegare. Bonac. *hic, qu.* 3. *punct. vltim. num.* 5. Sylui. *in Supplem. q.* 55. *art.* 9.

CAPVT XVIII.

De Matrimonialibus Dispensationibus.

118 *Pontifex dispensare non potest in impedimento iure diuino naturali dirimente coniugium.*

IN nullo impedimento iure diuino naturali Matrimonium dirimente potest Summus Pontifex dispensare, excepto voto solemni Religiosorum. Quia si hæc facultas relicta in Ecclesia esset, multa ex surgerent fornicationum pericula: vt inter fratres, & sorores spe obtinendæ dispensationis ad contrahendum Matrimonium. Hoc autem colligitur ex Ecclesiæ vsu, quæ nullo in euentu hactenus dispensauit, vt Matrimonium parentum cum filiis, aut fratrum cum sororibus ineatur. Gutier. *cap.* 122. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 301. Nauar. *cap.* 22. *num.* 84. Sanch. *lib.* 8. *d.* 6. *num.* 10. Rodrig. *cap.* 236. *num.* 1.

119 *Solus ipse dispensat in canonicis impedimentis dirimentibus, & impedientibus.*

In omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis, tam dirimentibus, quam impedientibus solius est Pontificis Summi dispensatio. Quia omnia sunt iure communi inducta, in quo tanquam in lege Superioris nequeunt inferiores ordinariè dispensare. Vnde nec Legatus Pontificis dispensare potest, nisi specialiter hoc illi à Pontifice concedatur. Quia Legatus etiam à latere circa dispensationem ea solum potest in Prouincia sibi commissa, quæ potest sua Episcopus in Diœcesi. Bonacin. *hic, quæstion.* 3. *punct.* 15. *numer.* 2. Sanchez *lib.* 8. *dub.* 6. *numer.* 14. & 15. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 302.

120 *Episcopus aliquando dispensare potest in iis quæ iure naturæ non dirimunt, confluentibus conditionibus, quibusdam.*

Episcopus potest aliquando dispensare in impedimentis dirimentibus, quæ iure naturali non dirimunt; quando scilicet post contractum matrimonium impedimentum dirimens detegitur. Requiritur tamen, vt hæ circumstantiæ concurrant, nempè, vt Matrimonium sit bona fide contractum ab vtróque, vel ab altero ex contrahentibus: & vt impedimentum sit occultum. Matrimonium verò publicum: & vt coniuges non possint sine magno scandalo separari: & vt ad Summum Pontificem, vel ad eius Nuncium non pateat recursus propter paupertatem, aut propter locorum distantiam, aut ob alia legitima impedimenta. Hoc inquam hisce concurrentibus conditionibus, Episcopus potest. Quia licet regulariter non possit Episcopus in legibus Pontificis, aut Concilij dispensare; potest tamen in casu vrgentis necessitatis, quando ad Pontificem non patet aditus. Nec credibile est velle Papam reseruare sibi dispensationem in casu tantæ necessitatis. Vnde præsumitur concessa facultas Episcopo dispensandi pro conscientiæ foro. Gutier. *c.* 49. *nu.* 6. Valent. *tom.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *punct.* 5. Sà *verb. Episcopus, n.* 43. Sanchez *lib.* 2. *dub.* 40. *numer.* 3. & *c.* Bonacin. *hic, quæstion.* 3. *punct.* 15. *numer.* 4. Sylui. *in Supplem. quæstion.* 50. *articul.* 1. *quæst.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 17. Sanc. *in select. dub.* 43. *numer.* 8.

121 *Episcopus dispensare potest in impedimentis, quæ superueniunt Matrimonio, & debiti petitionem prohibent.*

Potest Episcopus dispensare in impedimentis quæ superueniunt Matrimonio, & debiti petitionem impediunt: verbi gratiâ, in cognatione spirituali, vel affinitate. Imo ex causa vrgentissima potest in dirimentibus dispensare per se, vel per alium delegatum, etiam antequam Matrimonium sit contractum: ex. gr. quando non est, accessus tutus ad Pontificem, vel ab eo denominatum, & omnibus mediis possibilibus tentatis, non potest aliter obuiari grauibus scandali, vel infamiæ incommodis. Quia impedimentum dirimens, de quo agitur, est iuris humani: Ergo sicut Episcopus in eo dispensare potest in casu necessitatis vrgentissimæ post Matrimonium contractum: ita priusquam contrahatur: præsumitur enim habere in vtróque casu tacitam Pontificis facultatem pro conscientiæ foro: & quamuis Episcopus in lege Pontificia non possit ordinariè dispensare: hoc tamen potest grauissima in necessitate. Sanch. *l.* 8. *d.* 11. Ponti. *l.* 8. *c.* 13. *nu.* 8. Vasq. *t.* 2. *d.* 178. *c.* 2. Salas *de leg. d* 20. *sect.* 3. *n.* 27. Reginal. *l.* 31. *n.* 205. Bonac. *q.* 3. *punct.* 15. *num.* 6. Barbos. *alleg.* 35. *n.* 5. Nauar. *cap.* 22. *n.* 85. Molfes. *in sum. to. l. tr.* 4. *c.* 12. *n.* 35. Caspens. *tr.* 26. *d.* 10. *sect.* 1. *n.* 5. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *resol.* 17.

122 *In impedimentis non dirimentibus Episcopus dispensare potest, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religoinis.*

In impedimentis autem non dirimentibus Episcopus dispensare potest, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religoinis. Quia quamuis inferior non possit in Superioris lege dispensare per se loquendo, consuetudine tamen iam receptum est, vt horum impedimentorum dispensatio non obtineatur à Pontifice, votum castitatis, ac Religionis si excepteris. Nauar. *c.* 22. *n.* 85. excepto Petr. Ledes. *q.* 55. *art.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 259. Sylui. *in Supplem. q.* 50. *a.* 1. *quæst.* 1. *voto castitatis & Religionis.*

Scio aliquos asseruisse Auctores, Mendicantes habere priuilegium à Leone X. ad dispensandum cum iis, qui scienter, aut ignoranter cõtraxére Matrimoniũ cũ impedimẽto affinitatis, modo id notorium non sit, nec in iudiciũ deductum. Ita Roffens. *l. de causa matrim. Regis Angliæ.* Veracr. *p.* 2. *spec. art.* 27. Verum asseruerim id priuilegium, aut non fuisse concessum, aut in vsu non esse. Sanch. *l.* 8. *d.* 6. *n.* 28. Rodrig. *tom.* 3. *qq. Regul. qu.* 1. *art.* 1.

123 *De priuilegio Mendicantium circa huiusmodi dispensationes.*

Profectò Gregorius XIII. aliud priuilegium indulsit nostræ Societatis Iesv Patribus 24. Augusti anno 1576. pro regionibus vltramarinis, vt in his locis, & Parochiis, vbi Concilij Tridentini decretum de Matrimoniis Clandestinis irritandis promulgatum est, & ab aliquibus non seruatum, qui induci non possunt, vt iterum seruata forma Concilij contrahant: possint ab eorum Confessariis absolui: & ipsi Cõfessarij possint cum talibus dispensare in foro conscientiæ, vti rursus secreto inter se contrahant, non seruata Concilij forma, & vt posteaquã sic cõtraxerint, proles ita ipso facto legitimæ censeantur.

124 *De priuilegio Societatis Iesv.*

tur. Idem concessit. 2. Septembris anno 1580. vt Confessarij Societatis possint dispensare cũ iis, qui contraxere cum impedimento criminis, nec putant esse illicitum dare fidem de Matrimonio contrahendo post mortem coniugis, altero coniuge superstite: imò putant esse iustissimum, vbi copula interuenit. Apend. *ad lit. Apost. pro Iesu Societat.* Ast quia hæ concessiones tantùm viuæ vocis oraculo factæ fuerunt, iam illis non licet vti; quia per Vrbani VIII. constitutionem sunt annullatæ.

125 *Iusta causa dispensandi in impedimẽtis dirimentibus.*

Iustæ causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus hæ sunt: Extinctio magnæ litis, & vt pax consanguineorum per matrimoniũ cõparetur: & ad hanc causam reducitur scandalorum inter cognatos euitatio: item quando dispensatio est quasi remedium necessarium magno alicui obuiando delicto. Quando fœmina plus iam viginti quatuor, aut quinque annorũ ætatem excedit. Quando nobilis cum sit, sine dote innubilis exteris exponitur. Quando ob loci angustiam, vel nimis propagatam fœminæ cognationem in loco insigni, quem inhabitat, nõ reperitur æquale Matrimonium præterquã cum consanguineis, vel affinibus. Conseruatio diuitiarum in eadem cognatione, quando amplissimæ sunt. Illustris familiæ cõseruatio in eodem sanguine. Excellentia meritorum siue dispensationem petẽtis, siue eius, cui petitur. Proles habita ex consanguinea, quando bona fide suscepta est; imò satis est, prolem bona fide alterius tantùm coniugis esse susceptam. Profectò quando causæ aliquæ singulæ non sufficiunt, multæ aggregatæ ad inuicem adiuuant. Quia singula, quæ non pro sunt, simul collecta iuuãt. Nauar. *c.* 22. *n. vlt.* Filliuc. *tr.* 10 *p.* 2, *n.* 315. Rodri. *c.* 236. *n.* 2. Graf. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 81. Sanch. *l.* 8. *d.* 19. Hẽriq. *l.* 12. *c.* 5. *n.* 9. Couar. 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 6. §. 9.

126 *Nonnulla Confessarius documenta exhibet.*

Verum quia aliquando à Sacra Pœnitentiaria conceditur aliquando facultas dispensandi cum aliquo in Matrimonij impedimẽtis; iubet, Confessariis nonnulla documenta exhibere, vt hasce dispẽsationes ritè exequi valeant. Primò, Confessarius debet diligenter inquirere, num res ita sit, sicut fuit exposita Summo Pontifici, & hoc à pœnitente ipso, cui fidem debet adhibere. Secundò, necessarium nõ est, vt pœnitẽs, cui credenda est dispensatio, præmittat confessionem. Tertiò, relinquitur prudentiæ Confessarij, vt iniungat pœnitentiam, quando pœnitentiæ non sunt à Sacra Pœnitentiaria taxatę. Quartò delictum debet esse occultum in ratione delicti; dicitur verò occultum, quando publica non laborat infamia, aut quando non est contentiosum ad forum deductum. Quintò, huiusmodi dispensatio solùmodo in foro conscientiæ prodest. Sextò pœnitens, qui obtinuit facultatem, vt possit à Confessario dispensari, potest vno Confessario dispensationem negante, aliũ Confessarium adire. Septimò, matrimonium nõ est validum, antequam Cõfessario virtute mãdati Pontificis, vel Pœnitentiariæ dispenset; aliud enim est mãdatũ, aliud dispẽsatio. Octauò, Matrimonium inualidum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrãdum est coram Parocho, & testibus illius impedimenti cõscijs, aut quando impedimentum probari potest in iudicio, secus dixerim, quando delictum est omninò occultum. Plura de hisce dispensationibus Matrimonialibus possem adducere: sed quia pleráque ad forum externum pertinent, ab his supersedeo. Legendi Sanch. *l.* 8. *d.* 35. Filliuc. *tr.* 10 *p.* 2. *c.* 10. Gutier. *à c.* 22. & *sect.* 24 plura circa hanc materiam Dubia require.

SECTIO SECVNDA.

De Impedimentis Matrimonij Dubia.

CAPVT XIX.

Circa Impedimenta Matrimonij in eommuni.

DVBIVM I.

An desideretur causa iusta vt Pontifex non solùm liciè, sed & validè possit impedimenta matrimonium dirimentia statuere?

127 *Nonnulla recolo.*

RECOLO ex *sect.* 1. fide Catholica tenendũ, posse Ecclesiã impedimenta matrimonium dirimẽtia statuere: ac matrimoniũ aduersus eam prohibitionem contractum esse irritum. Scio, Guillelmum Rubionẽ *in* 4. *dist.* 40. *q.* 2. *concl.* 3. hãc potestatem ad infideles etiã extendere; vnde possit Ecclesia infidelibus impedimenta matrimonium dirimentia statuere: ac proinde si intenderet inter ipsos irritare matrimonium in gradibus consanguinitatis, quos fidelibus prohibet, verè foret irritum. Quo tamen fundamento nitatur, prorsus ignoro. Quare reiecta ea sententia affero, Ecclesiam minimè eam habere potestatem. Quia cum infideles extra eius gremium existant, nulla in eos iurisdictione gaudet; vnde constitutionibus Pontificiis non arctantur, vt expressè fatetur Innocent. *cap Gaudemus, de diuort.* adducto Pauli testimonio 1. *Cor.* 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt?* Id tamen libenter concedo, posse Pontificem non tanquam Ecclesiasticum Principem, sed tanquam temporalem impedimenta dirimentia matrimonium infidelibus inhabitantibus Oppida suæ temporali iurisdictioni subdita, decernere: sicut potest Princeps infidelis suis subditis. Quia Pontifex verã habet iurisdictionem temporalem supremã in eos infideles, tanquam dominus eorum temporalis. Verùm vt Pontifex ritè, & rectè valeat impedi

impedimenta matrimonij indicere, causa iusta desideratur. Quia Pontificis potestas non est ad dissipandum, sed ad rectam Ecclesiæ administrationem, quæ causam iustam postulat, maximè ad interdicendum matrimonium iure naturali, & diuino concessum. Quæsierim verò, an si Pontifex absque causa iusta decernat impedimentum aliquod, teneat factum?

128 *Non desideratur causa iusta.* Non desideratur causa iusta, nam sine ea Pontifex reus est quidem culpæ: at renet factum, ita vt sit peccatum cum eo impedimento matrimonium inire, si solùm sit impediens: & sit irritum si impedimentum dirimens sit. Quia multa potest Pontifex delinquendo gerere, cum tamen factum teneat. Et quia cum olim potuerit dirimere matrimonium contractum intra septimum consanguinitatis gradum, vt constat *cap. Ad sedem. 35. qu. 5.* donec gradus restricti sunt, *cap. Non debet, de consang. & affin.* ita hodie poterit in vlterioribus gradibus matrimonium initum vltro dissoluere. Sic Veracr. *part. 1. spec. art. 46.* Vega. *tom. 2. sum. cap. 34. casu 128.* Villalob. *tractat. 11. diffic. 1.* dicens, sine fundamento ab aliquibus contrarium asseri. Ochag. *tr. 3. q. 36. n. 3.* affirmans, oppositum esse falsum.

129 *Causa iusta desideratur.* Ad valorem prohibitionis causa iusta desideratur. Vnde Pontifex, & prohibendo delinquet, & matrimonium contra talem prohibitionem initum erit validum, & licitum. Quia cum matrimonium sit vinculum iure naturali, & diuino inuentum, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes, & descendentes, non potest Pontifex ad libitum illud interdicere, sed sicut dispensatio in iis, quæ iure naturæ obligant facta absque causa est irrita: ita concedendum est de prohibitione matrimonij absque causa legitima. Ita Hosti. *sum. tit. de matri. contrac. contra interdict. Eccles. n. 3.* Sanch. *l. 7. d. 1. nu. 6.* Cornejo *d. 7. dub. 2* Coninch. *d. 30. dub. 1.* Diana *p. 8 tr. 1. resol. 61.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 1. n. 7.* Tanner. *tom. 4. d. 8. q. 4. dub. 1. n. 11* Basil. *l. 6. c. 3.* & alij.

129 *Auctoris placitum.* Fateor, Pontificem dispensando in iis, quæ sunt de iure humano absque causa, delinquere: at validam esse dispensationem affirmo. Secus autem est, dum interdicit matrimonium in gradibus iure naturæ concessis, non existente iusta causa. Et olim dum Ecclesia interdixit matrimonium vsque ad septimum consanguinitatis gradum, iustam interdicendi causam habuit: at post, successu temporis experientia docuit, expedire gradus restringere, vt dicitur *c. Non debet, de consang. & affin.* & ita ibi fuêre restricti. Posset autem Pontifex, etiam modo plures gradus prohibere, si adesse nouam causam interdicendi pluries indicaretur. Id autem non posse iustè, nec valide citra iustam causam probabilius reor.

DVBIVM II.

An Episcopus, & Concilia Nationalia, & Prouincialia possint, impedimenta inducere?

130 *Non possunt.* MInimè possunt. Quia eis nullo iure competit. Sic Suar. *tom. 5. d. 7. section. 4. num. 5.* Conin ch. *d. 30. dub. 1.*

Possunt quidem Quia Episcopus in sua Diœcesi, & Concilia sua in Natione, aut Prouincia possunt quidquid potest Pontifex tota in Ecclesia, nisi eis aliquid à Pontifice prohibeatur. Ita Sanch. *l. 1. d. 61. n. 3. & l. 7. d. 1. num. 9.* Luis. de Torres *sum. p. 1. c. 109. dub. 2.* Ochag. *tr. 3. q. 36. n. 4.* Basil. *l. 6. c. 1. n. 12.* Cornejo *d. 7. dub. 3.* Hurtad. *d. 12. diffic. 2.* Villalob. *tr. 14. diffic. 1. n. 2.* 131 *Possunt plerè.*

Si solum ius diuinum, & naturale attendamus, sicut integrum est Pontifici, in vniuersa Ecclesia impedimenta matrimonium dirimentia statuere: ita Episcopo in sua Diœcesi, nisi Pontifex id sibi reseruet. At id hodie non possunt, nec Episcopus, nec Concilia Nationalia, aut Prouincialia, quoniam hoc sibi Pontifex reseruauit. Fateor tamen, me apud Doctores non inuenisse textum id Pontifici reseruantem. Vnde ex generali Ecclesiæ consuetudine id reseruatum esse credo: sicut de dispensatione quinque votorum reseruatorum communiter Doctores tradidere. 132 *Cum hac opinor.*

DVBIVM III.

An Princeps sæcularis fidelis possit suis subditis impedimenta matrimonium dirimentia, statuere, ex natura suæ potestatis?

NOn potest. Quia cum matrimonium fidelium sit Sacramentum, est res spiritualis, & Sacra, ac proinde extra potestatis sæcularis limites. Et quia *c. Tuam, de ordi. cognit.* deciditur causas matrimonij ad solius Ecclesiæ forum pertinere. Sic D. Tho. Palud. Bonau. Richar. Maior, Sotus. Quand. & alij vsque ad viginti quatuor, quos citat Sanch. *l. 7. d. 3. n. 1.* Basil. *l. 6. c. 2. à n. 3.* Hurtad. *d. 12. diffic. 2. n. 7.* Ex quibus Basilius solùm concedit Principibus sæcularibus posse leges valide ferre circa accidentalia, ac accessoria matrimonio, dummodo hoc principale non impediatur. 133 *Non potest.*

Potest Princeps sæcularis fidelis ex genere, & natura suæ potestatis matrimonij impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa suis legibus indicere eo pacto, quo id summus Pontifex potest, nisi is sibi hanc potestatem reseruasset. Quia cum potestas Regia ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ tuendum, sit potissimum instituta, eius est, id quod ad hunc finem obtinendū desideratur, prouidere. Quale est, circa matrimonia ineunda sancire, illa impediendo, & irritando. Inde enim maximè pendent tranquillitas, ac recta Reipublicæ gubernatio. Quare egregiè D. Tho. *l. 4. contra Gentes, c. 78.* dixit, matrimonium in quantum contractum ciuilem in officium communitatis institutum legis ciuilis ordinationi subiacere. Ita Sanch. *l. 7. d. 3. n. 2.* citans tres Ledesmas, Victoriam, vtrúmque Sotum, Bellarm. Henriq. Angl. Coninch *d. 30. dub. 1.* Valent. *d. 10. q. 5. pun. 1.* Rebel. *l. 3. q. 1. n. 2.* Cornejo *d. 7. dub. 3.* Ochag. *tr. 3. q. 37. n. 2.* Moure *p. 3. c. 16. §. 1. nu. 3.* Villalob. *tr. 14. diffic. 1. num. 3.* 134 *Potest quidē.*

Hoc proculdubio asserendū cēsuerim. Nam si Princeps sæcularis potest, alios cōtractus ciuiles ob Reipublicæ bonū irritare, cur nō poterit etiā matrimonij contractū, cū id quādóq; idé bonū cōmune postulet? Nec obstat Principis sæcularis potestati, matrimoniū esse Sacramētū; quia eius 135 *Idem asseritur & explicatur.*

materia est contractus ciuilis, qua ratione perinde potest illud ex causa iusta irritare, ac si Sacramentum non esset redden o personas inhabiles ad contrahendum, & sic illegitimum & inualidum contractum. Potest nihilominus Ecclesia Principibus fidelibus huiusce potestatis vsum interdicere, sibique reseruare, qua id efficiente irritæ erunt leges Principis sæcularis contra eam reseruationem matrimonium dirimentes, vel impedientes. Quia potestas temporalis est subiecta spirituali in ordine ad spiritualem finem. Vnde non est integrum hodie sæculari Principi fideli, disponere aliquid circa fidelium matrimonia impedienda, aut dirimenda. Quoniam Pontifex hanc sibi potestatem reseruauit, & merito, cùm matrimonij contractus limites naturæ excedat, & ad esse supernaturale Sacramenti sit eleuatus: dedeceret enim, vt tanti Sacramenti dispositio, ad Principes sæculares pertineret. Porrò Princeps infidelis potest hodie leges suis subditis indicere, quibus quædam matrimonia ex iusta causa interdicat, ac dirimat, vt si ad Reipublicæ pacem videant expedire, ne infideles (verbi gratiâ) diuersæ sectæ matrimonio inter se colligentur. Quia cum sint veri Principes ex natura suæ potestatis id est eis integrum: nec constitutionibus Ecclesiasticis hanc sibi potestatem reseruantibus arctantur, *cap. Gaudemus, de diuort.* Cessatque in ipsorum matrimoniis reseruationis ratio, cum non sint Sacramenta.

CAPVT XX.

Error circa Impedimenta dirimentia in particulari, ac primum circa impedimentum erroris.

DVBIVM IV.

An error personæ concomitans matrimonij actum, id irritet?

136 *Nonnihil suppono.*

CERTVM est, errorem antecedentem matrimonij actum circa personam cum qua contrahitur, matrimonium dirimere. Quia ad contrahendum id, requiritur voluntas, seu consensus positiuus: sed hic nec datur, nec dari potest simul cum errore personæ, cum qua matrimonium contrahitur, ergo ex defectu huiusmodi consensus inualidum erit matrimonium. Quæsierim tamen, nùm error personæ concomitans matrimonij actum, id etiam irritum reddat?

137 *Non irritat.*

Non reddit irritum, quando contrahens cum Maria, existimans esse Catharinam ea voluntate affectus erat, vt cognitam Mariam æquè libenter, aut libentius duceret. Quia huiusmodi error non efficit inuoluntarium. Sic quidam quos, presso nomine, memorat Sanch. *citandus*, & alij, quos refert *l. 1. d. 65.*

138 *Irritat omninò.*

Irritum planè reddit. Quia vt legitimum sit matrimonium, necessarius est consensus, & voluntas positiua. Error autem concomitans, quamuis non efficit, actum esse inuoluntarium: efficit autem non esse voluntarium. Ita Sanch *lib. 7. dub. 18. num. 6.* citans tres Ledesmas, & alios. Vasq. *d. 10. cap. 4. num. 30.* Bonacin. *de matrim. qu. 3. punct. 2. a num. 2.* Coninch. *d. 31. n. 9.* Hurtad. *d. 13. diffic. 1.*, Candid. *tom. 2. disquis. 28. dub. 2.* Villalob. *tract. 14. diffic. 5. a n. 1.* Machad. *libr. 3. part. 1. tractat. 5. docum. 2. numer. 3. & 4.* Cornejo *d. 7. dub. 6.* Bauni. *de imped. matrimon. quæst. 3. assert. 2.* Trullench. *libr. 7. cap. 9. dub. 5. num. 4.*

139 *Eiusdem sacramenti.*

Censuerim, huiusmodi errore matrimonium irritari. Quia quamuis error concomitans matrimonij actum non sit causa, vt matrimonium fiat: sed ita coniungitur cum eo, vt adhuc errore non existente fieret matrimonium: adhuc tamen non valet cum tali initum errore; quia matrimonij contractus, & ratione suæ excellentiæ, & quòd indissolubilis omninò sit, requirit positiuum, ac expressum voluntarium, quod error præfatus non efficit.

DVBIVM V.

An error personæ dirimat iure naturali matrimonium?

140 *Non irritat iure naturæ.*

NOn irritat iure naturæ, sed solùm iure Ecclesiastico: (vnde integrum erit Pontifici statuere, vt huiusmodi error non dirimat matrimonium. Quia cætera Sacramenta non sunt irrita ex personæ errore, vt si quis baptizet, confirmet, vngat, absoluat, Sacris Ordinibus initiet Petrum existimans esse Antonium, valent hæc Sacramenta. Differentia ergo hæc inter matrimonium, & cætera Sacramenta, vt illud solùm sit irritum ex personæ errore, ex solo iure Ecclesiastico habetur. Sic Gloss. 29. *qu. 1. in sum. verb. Quod autem.*

141 *Irritat iure naturæ.*

Irritat naturæ iure. Quia error libertatem, ac consensum aufert. *l. Si per errorem, ff. de iurisdict. omn. iud.* & errantis nullus est consensus, nec voluntas, *l. Cum testamentum.* At matrimonium absque consensu est iure naturæ irritum. Ita Sanchez *lib. 7. d. 18. num. 12.* Basil. *lib. 4. cap. 20. numer. 7.* Cornejo, Villalob. Hurtad. & alij, quos sequitur Palaus *tom. 5. dub. 4. punct. 4. numer. 1.*

142 *Hoc certum puto.*

Hoc certum existimo, quod ex discrimine inter matrimonium, & reliqua Sacramenta confirmo. Matrimonium enim indiuiduas personarum contrahentium conditiones respicit, & iuxta illas determinatur consensus: cum hæ conditiones per se, & suapte natura conferant ad indiuiduam vitæ consuetudinem inter coniuges retinendam, in quo matrimonij essentia consistit. In cæteris autem Sacramentis non spectatur indiuiduę conditiones recipientium, vtpotè quæ nil conferunt ad Sacramenti finem, ac proindè per accidens se habent ad intentionem Ministri, vt applicantis tale Sacramentum. Ergo error in persona, cui cætera ministrantur Sacramenta, ipsorum valorem non tollit, quasi error circa accidentalia: secus verò in matrimonio, in quo error circa substantialia versatur.

DVBIVM

DVBIVM VI.

An error qualitatis, seu dolus circa illam antecedens, qui ineundo matrimonio causam præbet, aliàs non ineundo, illud dirimat?

143 Dirimit quidem. Quia cum voluntas sequatur apprehensionem intellectus tanquam ducem, eo ipso quod intellectus apprehendat hanc fœminam vt Virginem, vel vt nobilem: voluntas non consentit in tale coniugium, nisi sub huiusmodi qualitate cognitum. Ergo existente qualitatis errore, cessabit consensus, ac proinde matrimonium erit irritum. Sic Præpos. *cap. vltim. de coniug. leprosor.* Ioan. de Medi. *de resol. quæst. ion. 33. §. Quibus præmissis.* Fauet Basil. *libr. 4. capit. 21. numer. 7.* asserens hanc sententiam esse veram casu quo errans contrahat expressè, ac formaliter motus à qualitate, circa quam errat. Citat Sancium, sed male, vt patebit.

144 Minime dirimit. Quia licet omnis error sit causa inuoluntarij: at non omnis efficit inuoluntarium simpliciter, sed is solus, qui est circa qualitatem per se, & ex natura rei requisitam ad ipsius contractus essentiam: at dum qualitas se habet per accidens, solum inuoluntarium secundum quid consurgit. Nam cum nil sit volitum quin præcognitum, quando error est in apprehensione rei non necessariæ ad essentiã contractus, ipsiúsque finem, sed in accidenti quodam: efficit, vt contractus sit quoad essentiam voluntarius, ac proinde talis simpliciter: inuoluntarius verò secundum quid, & quantũ ad accidens illud in quo error diuersatur. Ità Sanch. *d. 7. d. 18. n. 18.* citans Valent. Molin. vtrũque Ledes. Sotum, & alios vsq; ad viginti quinque Doctores. Coninch *d. 31. n. 11.* Rebel. *l. 3. de matr. q. 2. n. 5.* Hurtad. *d. 13. diffic. 2.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. n. 33.* Bonac. *q. 3. pun. 2. n. 9.* Cornejo *d. 7. dub. 7.* Palaus *d. 4. pun. 4. nu. 3.* Laym. *l. 5. tr. 18. p. 4. cap. 2. numer. 2.* Bauni. *de impedim. quæstion. 3. assert. 3.*

145 Hæc sententiam. Hanc sententiam verissimam existimo. Quia contractus stricti iuris initi ex dolo dante illis causam, valent, eo quod causa, in qua erratur, sit extra ipsorum naturam. Cum igitur error qualitatis contingat circa accidentia matrimonio, illud non vitiabit.

CAPVT XXI.

Circa impedimentum Conditio. Conditionis, siue seruitutis.

DVBIVM VII.

An validum sit matrimonium initum cum seruo, cui pro tempore determinato fuit concessa libertas postmodum in pristinam redituro seruitutem?

146 Est validum. EST validum. Quia libertas pro quocumque tempore concessa, est perpetua. Libertas namque concedi non potest pro tempore determinato, sed semel pro quocumque tempore concessa, perpetua est *l. Libertas, 11. iunctal. Ideo, 34. ff. de manumiss. testamen.* ibi: *Libertas ad tempus dari non potest, itaque si ita scriptum fuerit: Stichus vsque ad annos decem liber esto, temporis adiectio supernacua est.* Glos. Superuacua quidem est, libertate suum effectum sortiente quia libertas semel data reuocari non potest. Sic Castro Pal. *dub. 4. punct. 5. numer. 5.*

147 Non est validum. Validum non est. Quia licet ei seruo concessa sit pro certo tempore libertas, verbi gratiâ, pro biennio, & eo libertatis tempore contrahat cum ignaro seruitutis futuræ, inualidè contrahet: nam re vera manet ille seruilis conditionis, & quidquid interim agit, agit vt seruus: vnde non potest ad Ordines promoueri, nec domicilium mutare nec libere sui corporis potestatem tradere. Ita supplem. Gabr. *in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 3. dub. 2.* Sotus *dist. 35. q. vnic. art. 2.* Ledes. *2. part. 4. quæst. 54. a. 1.* Manu. *tom. 1. sum. c. 223. nu. 3.* Vega *to. 2. sum. c. 34. casu 67.* & alij.

148 Auctoris resolutio. Profecto si illa libertas pro biennio concessa censenda sit perpetua, verum esse sententiam amicissimi Ferdinandi de Castro Pallao crediderim; quia iam vere liber est coniux. Si vero perpetua non sit, sed possit dari solummodo ad limitatum tempus, secundam sententiam vnice veram iudicarem. Itaque matrimonium liberi cum ancilla, cui data est libertas in tempus, minimè valet, ignorata per liberum ea seruili conditione; quia eo medio tempore seruus est per *l. statu liberum, ff. de statu libe.*

DVBIVM VIII.

An valeat matrimoninm liberi cum ancilla, quæ infra modicum tempus potitura est libertate?

149 Non valet. NOn valet. Quia matrimoninm huiusmodi verè est celebratum inter coniuges seruum, & liberum, ignorata seruitute, quod impedimentum dirimens statuit Ecclesia. Sic Angel. *verb. Matrimonium 3. imped. 4. num. 6.* Sylvest. *verb. Matrimonium 8. qu. 2. dicto 3.* Basil. *l. 7. c. 43. n.* Rebel. *l. 3. q. 3. n. 19.* Gutier. *de matrim. cap. 90. num. 6.* Palaus *d. 4. pun. 5. num. 4.* Leand. *tr. 9. d. 11. quæst. 3.*

150 Valet omnino. Valet omnino. Quia eo modico tempore deficiente, vt statu libera plenam acquirat li-

 bertatem,

bertatem, cessant rationes, quibus Ecclesia ducta id matrimonium irritauit: nempe quod is error valde bonis matrimonij aduertetur, bono Sacramenti, & individuæ cohabitationi; cum seruus debeat in domo domini habitare, ab eoque possit in partes remotas immitti: bono fidei, quia non potest ad libitum debitum reddere, sed cum ei vacauerit, satisfeceritque obsequiis, in quibus à domino occupatur: bono prolis, quia alere nequibit, cum omnia domino acquirat, nec erit in parentis potestate vt religiosè educetur. Cessant inquam hæ rationes: Ergo minimè huiusmodi coniugium dirimendum. Ita Sancius *lib.7 dub.19.num.4.* & viri Doctissimi, quos, se consuluisse asserit. Filliuc. *tract.10.part.2.num.37.* Ochagau. *tract.5. q.49. nu.5.* Coninch *dub.31.num.26.* Cornejo *disp.7. dub.* 8. Machad. *l.3.p.1. tr.11.docum.3.*

151 *Hanc sententiam probabiliorem esse reor.*

Hanc sententiam probabiliorem reor, cuius fundamentum planè verum existimo. Nullius enim momenti est præiudicium, quod obligari perfectè ac libere nequeat ad reddendum debitum, & cohabitandum, quin occupari à domino possit: cum breui duraturum sit impedimentum, nec potest iam ea serua per venditionem separari: atque ita non erit contra bonum Sacramenti, nec prolis. Quod si attendamus dedecus contrahendi cum re vera ancilla, idem sane sequitur ex matrimonio cum liberta: parum enim refert, paulo ante fuisse seruam & tunc esse liberam: aut tunc esse seruam, & citò futuram liberam; & tamen matrimonium cum liberta valet, ignorata conditione. Nec in hoc tempore ad libertatem assequendam reliquo (quod breuius spatio sex mensium futurum existimo) potest sequi prolis damnum quod seruituti subiiciatur, eo quod ancilla ducta in vxorem nondum verè sit libera. Quia legitimus, ac perfectus partus mense nascitur *l. Septimo, mense, 11. ff. de statu homin.* & optime probat Menoch. *lib.2.de arbitrar.centu.1.casu 89.n.35.*

DVBIVM IX.

An validum sit matrimonium liberi cum ancilla contractum si error aut ignorantia seruilis conditionis, crassissima, aut leuissima fuerit?

152 *Validum est.*

VAlidum est. Quia Ecclesia ideo irritauit hoc matrimonium vt resarciatur grauissima iniuria irrogata coniugi ignoranti, quæ cessat, ac leuissima est, vbi ignorantia est adeò crassa. Quæ quidem æquiparatur scientiæ adeò vt in materia pœnali, & odiosa, quando ius punit delictum scienter admissum, hæc ignorantia tàm crassa à pœna non eximat, vt probat Sancius *lib. 10.dub.32.num.39.* Sic Sotus *in 4.dist.35.quæst.vnic.art.2.post 2. concl.* Barth. à Ledes. *dub.31. de matrim concl. 1.* Ludou. Lop. *part.2. Instruct. de matrimon.cap.47.* Manu. *to.1. sum.c.213.nu.3.* Vega *tom.2.sum.c.34. casu 67.*

153 *Non est validum.*

Rebel. *l.3.q.3.n.15.* Villalob. *tr.14.diffic.6.nu.4.* Basil. *l.7.c.43.n.3.*

Non est validum. Quia vt matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo valeat, desideratur libera electio, & omnino voluntaria talis seruilis conditionis: vt sic liberè cedat contrahens iuri suo, quæ cessio est quædam iuris proprij condonatio. At hæc irritatur ex errore quantumuis fatuo. Vt si velim dare Petro, & errore leuissimo ductus dem Antonio non tenet donatio, quia donandi deficit voluntas. Ita Abbas. Alex. de Neuo, & Præpositi. quos refert, ac sequitur Sanch. *l.7.d.19.nu.20.* Trull. *l.7.c.9.dub.4.n.3* Sylui. *in sum.p.2.c.111. dub.2.* Ochagau. *tr.3.q.49.n.10.* Filliuc. *tr.10.p. 2.n.42.* Hurtad. *d.14.diffic.1.n.1.* Coninch *d.31. nu.26.* Cornejo *d.7.dub.8.* Leand. *tr.9.d.11.qu.5.*

156 *Secunda sententia mihi probabilior.*

Fateor, primam sententiam valde esse probabilem, secundam tamen probabiliorem puto. Quia licet ad culpam & pœnam illi correspondentè hæc ignorantia scientiæ æquiparetur, quia actus est indirectè, ac interpretatiuè volitus propter aduertendi obligationem: præceptum enim obligans ad aliquid, subinde adstringit ad diligentiam adhibendam ad aduertendum, ne violetur. At cum nullum præceptum sit cum persona liberæ conditionis, non est, quod culpæ adscribatur contrahenti ea inaduertentia, ac proinde indirectè volita censeatur.

DVBIVM X.

An validè contrahi cum ancilla seruus, qui putabat eam esse liberam?

157 *Non contrahit validè.*

NOn contrahit validè. Quia ius Ecclesiasticum irritat matrimonium, in quo est verus conditionis seruilis error: qualis in hoc casu inuenitur: Ergò coniugium erit nullum. Nam consensus serui non fertur in illam vt ancillam, sed vt liberam. Et quia posset esse seruus tam arrogans, vt nulla ratione ducere vellet ancillam: quin imo prudenter ageret, nè filij essent serui, & vt liberius posset vlui matrimonij vacare: & si à domino venderetur, posset illum vxor sequi. Sic Viuald. *Candelab. part.1.vbi de matrimon.nu.122.* asserens se forsan huic sententiæ adhæsurum nisi singularitatis vitio notaretur. Et nonnulli apud Glossam, *29.quæst.2.in sum.v.Secunda.*

158 *Valide contrahit.*

Valide contrahit. Quia hoc impedimentum est solo iure Ecclesiastico inductum. Ius autem Ecclesiasticum solum irritat matrimonium inter eos, quorum alter liber, alter vero seruus, ac liber inscius est seruitutis. Ita Sanchez *lib. 7.dub.19.numer.23.* citans sexaginta supra tres Doctores. Basil. *lib.7.cap.43.num.1.* Bonac *qu.3. punct.3.mim.1.* Trull. *lib.7.cap.9.dub.4.numer.5.* Cornejo, Filliuc. Candid. & Luisi. apud Leandr. *tr.9.d.11.q.7.*

159 *Hoc mihi certum.*

Certissimum mihi non omnem conditionis errorem efficere, vt matrimonium sit nullum: sed quando talis est error, vt fiat deterior errantis conditio, secus si in pari conditione erretur. Quia ratio, quæ induxit Ecclesiam, ad hoc impedimentum statuendum, ea est, vt resarciat iniuriam irreparabilem illatam libero ignoranti

Ignoranti conditionem alterius seruilem, & ob grauem contractus inæqualitatem. At vbi conditio alterius, in qua erratur, est par conditioni errantis, cessat ea iniuriæ grauitas, & inæqualitas contractus.

DVBIVM XI.

An contrahat valide matrimonium licet cum libera, si putabat, eam esse ancillam?

160 Non contrahit valide. VAlidè non contrahit. Quia in hoc casu res geritur contrà liberi coniugis intentionem. Sic aliqui citati, presso nomine, à Glossa 29. *quæst. in sum. verb. Secunda.* si enim quispiam contrahit cum aliquo quamuis digniori putans se cum alia contrahere, non est matrimonium: Ergo nec matrimonium validum erit, quando contrahit liber cum libera putans ancillam esse. Arguit ita Glos. *c. si quis ancillam, in fine.*

161 Valide contrahit. Contrahit valide. Quia liber errat, inueniens digniorem conditionem, quam ipse putabat. Ità D. Thom. *in 4. dist. 36. quæst. vnic. a. 1. ad 1.* & omnes Theologi cum illo. Sanch. *l. 7. d. 19. nu. 23.* citans innumeros.

162 Hic mihi inhabitatum. Inhabitatum mihi hunc errorem minime valori matrimonij obstare. Quia vbi conditio alterius, in qua erratur est dignior opinione, cessat illa iniuriæ grauitas ad quam resarciendam Ecclesia hoc impedimentum statuit.

DVBIVM XII.

An liber, qui ignoranter cum mancipio contraxit, possit, detecta seruitute, ab illo propria authoritate semoueri?

163 Non potest ante Ecclesiæ sententiam. SI in facie Ecclesiæ contractum fuit publicè contractum, bona fide cum serua: non licet antè Ecclesiæ sententiam à cohabitatione separari. Quia licet nota sit seruitus, at ignotum est, num liber habuerit conditionis seruilis ignorantiam, necessario requisitam, vt matrimonium sit irritum, quam liber probare tenetur. Sic Henriquez *libr. 11. cap. 5.* Richard. Angel. Sylvest. Armil. & Nauar. apud Sancium *citandum.*

164 Potest plane. Adeò certum est matrimonium liberi cum ancilla aut liberæ cum mancipio, ignorata seruitute nullum esse: vt liber coniux, detecta seruitute, propria authoritate secedere valeat, si scandalum absit. Quia cum matrimonium nullam vim habeat, nullo vinculo potest à recessu impediri. Ità Sanchez *lib. 7. dub. 19. nu. 7.* Basil. *lib. 7. cap. 3. num. 6.* Cornejo *disp. 7. dub. 8.* & alij, quos citat, & sequitur Palaus *dub. 4. pun. 5. num. 6.* Gutier. *cap. 90. num. 11.* Basil. *libr. 7. c. 43. n. 1.*

165 Quid circa quæstionem sentiat Auctor. Quid circa quæstionem sentiam, breuiter indicabo. Licita est, quoad thorum propria authoritate separatio. Quia hoc occultè, & absque scandalo geritur. At si matrimonium sit occultum (vt si iam testibus, nec libro Parochi probari valeat) potest etiam liber quoad habitationem propria authoritate recedere. Quia est certus, matrimonium fuisse nullum, & cessat separationis scandalum. Quod si prebationis defectus adfuerit, licite poterit coniux, qui timet scandalum excitandum, si propria authoritate recedat: in partes abire longinquas, inibique sine vllo scandalo cum alio matrimonium inire. Imo non solum liber, sed seruus potest recedere, etiam renuente libero: quia tam ex parte serui, quam liberi nullus fuit contractus; nisi forte ex tali contractu, & deceptione facta, damnum aliquod libero illatum sit, cui seruus satisfacere nequeat aliter, quam coniugium ratificando. Denique crediderim, nunquam non scandalum futurum si absque Ecclesiæ iudicio separatio fiat, quando matrimonium publice sit contractum, de eoque constet.

DVBIVM XIII.

An Petente coniuge libero matrimonij dissolutionem ratione seruitutis à se ignoratæ: incumbat ipsi illius ignorantiæ probatio?

INcumbit ipsi. Quia id colligitur ex *cap. fin. de coning. seruor.* ibi: *Mandamus, quatenus si* 166 Incumbit ipsi probatio. *constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla.* Henriquez *lib. 11. de matrimon. cap. 10. numer. 5.* hisce verbis colligit (vndenam nescio) alleganti ignorantiam seruitutis incumbere eam probare.

Non incumbit ipsi, sed coniugi seruilis conditionis incumbit onus probandi scientiam suæ conditionis in altero: & ignorantia liberi præsumitur, dum contrarium minime probatur. Quia in alieno facto non præsumitur scientia, sed ignorantia. *Regula præsumitur ignorantia, de reg. iur. in 6.* & *leg. Verius. ff. de probat.* Ita Hostiens. *eo cap. fin. numer. 3.* Ioan. Andr. *ibi, num. 3.* Anton. *numer. 6.* Abbas *numer. 6.* Cardin. *statim. in principio oppos. 1.* Alex. de Neuo *num. 5.* Præpos. *numer. 4.* Sanchez *lib. 6. dub. 19. num. 8.* 167 Non incumbit ipsi.

Idem assero, nisi tempore contracti matrimonij conditio coniugis seruilis esset communiter eo in loco nota, quod præsumatur scientia eorum, quæ communiter innotescunt. *cap. 1. de postulat. prælat. cap. Quod dictis. dub. 16.*

DVBIVM XIV.

An ignorantia seruitutis dirimat suaptè natura matrimonium?

QVæstioni do, num seruitus suaptè natura præstet impedimentū matrimonio ineūdo: sicut naturalis impotentia ad copulam coniugalem 168 Dirimit, quidem.

ingalem: ac proinde quamuis cognita sit, matrimonium dirimat? Dirimit quidem. Quia seruitus est contra matrimonij substantiam, nempè contra corporis traditionem, quam seruus liberè præstare nequit. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 2. *corpo.* Qui quidem comparat seruitutem cum naturali impotentia: sicut enim hæc impedit omnino matrimonij vsum; ita illa liberum.

169 *Non dirimit.* Seruitus non præstat naturale impedimentum matrimonio ineundo, ideóque validum est matrimonium seruorum inter se, & matrimonium liberi cum ancilla, & liberæ cum seruo, non ignorata seruitutis conditione. Quia seruitus cognita matrimonij substantiæ non aduersatur. Ita Sanchez *lib.* 7. *dub.* 19. *nu.* 13. Sylvest. *verb. Matrimonium* 8. *quæst.* 2. *dicto* 2. Angel. *v. Matrimonium*, 3. *impedim.* 4. *numer.* 15. Sotus *in* 4. *dist.* 35. *quæst. vni. a.* 1. & omnes.

170 *Hoc certissimum est.* Hoc certissimum proculdubio est. Vnde dum D. Thom citatus pro prima sententia, ait, seruitutis errorem aduersari substantiæ matrimonij, & comparat naturali impotentiæ: non intendit, omnimodam inter ea impedimenta statuere: sed vult, aliquo modo aduersari matrimonij substantiæ, & vsui illius libero: sicut naturalis impotentia simpliciter vsum tollit: indéque cõgruentem rationem desumit, vt iure optimo Ecclesia irritarit matrimonium cum conditionis errore initum.

DVBIVM XV.

An Ignorantia seruitutis dirimat iure naturali matrimonium?

171 *Iure naturali dirimit.* ESto seruitus cognita nullo iure obstet matrimonio ineundo: quæsierim, num error seruitutis ita obstet, vt iure naturali reddat irritum matrimonium initum cum libero sic errãti? Iure naturali dirimit. Quia cum duo includat matrimonij substantia, nempe personas, & mutuam corporum traditionem: eius substantiæ aduersatur error circa personas, & circa conditionem seruilem, quæ liberam corporis traditionem aufert. Equidem si quis equum vendat, cuius vsus ex alterius volũtate pẽdet, id tacendo: irrita est iure naturæ venditio: cum hæc eo intrinsecè tendat, vt dominium cum libera vsus rei venditæ potestate transeat in emptorem. At vsus corporis serui pendet magna ex parte ex domini voluntate: Ergo matrimonium per quod seruus libere sui corporis dominium tradit, tacito impedimento illo liberi vsus, est iure naturæ irritum. Sic Palac. *in* 4. *dist.* 3. *qu. vni.* Almain. *dist.* 36. *q. vni.* Angl. *p.* 1. *de matr. q.* 10. Sylvest. *v. Matrimonium*, 6. *qu.* 1. Ex parte Basil. *l.* 7. *cap.* 43. *num.* 2.

172 *Non dirimit iure naturali* Non iure naturali, sed solo Ecclesiastico iure dirimit. Quia seruitus non impedit absolutè, ac simpliciter matrimonij vsum liberum, sed certis temporibus ſolummodo, nempe quando iuste dominus seruum occupat. At hoc non aduersatur matrimonij substantiæ, quæ contenta est absoluta potestatis corporis traditione, & obligatione ad reddendum debitum quando legitimum impedimentum non obstiterit. Ità D. Tho. *in* 4. *dist.* 36. *q. vni. a.* 1. *ad* 3. Bonauen. *ibi*, Sanch. *l.* 7. *d.* 19. *nu.* 15. viginti supra vnum Doctores citans. Trull. *l.* 7. *c.* 9. *dub.* 4. *v.* 2. Bauni. *de imped. dub.* 4. *ducto* 4 Villalob. *tr.* 14. *diffic.* 6. *n.* 2. Hurtad. *d.* 14. *diffic.* 1. *n.* 2. & 3. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *un.* 41. Coninch *d.* 31. *n.* 26.

173 *Hoc probabilius reor.* Hanc sententiam longe probabiliorem duco. Nam si impedimentum traditionis potestatis plenæ corporis, quod in seruitute reperitur, essentiæ matrimonij obstaret: cum idem inueniatur in seruitute cognita, hæc quoque iure naturæ matrimonium dirimeret: quod est contra Ecclesiæ decretum. Nec obstat, si dixeris, conscium seruitutis, & adhuc volentem matrimonium inire, cedere iuri suo; quia cum requisita ad matrimonij valorem non possint ex contrahentium volũtate immutari, sed semper stabilia sint: non prodest in hoc suo iuri cedere sicut quia naturalis impotentia ad copulam est iuris naturalis impedimentum ad matrimonium nõ prodest eam cognitam fuisse ab altero contrahente, vt matrimonium subsistat.

DVBIVM XVI.

An liber, qui absque vrgente causa scienter ducit ancillam, peccet, & fiat irregularis?

174 *Nec peccat, nec fit irregularis.* NEc venialiter peccat. Quia id nullo iure prohibetur. Sic Angel. *v. Matrimonium.* 3. *imped.* 4. Sanch. *l.* 7. *d.* 19. *n.* 14. Nec fit irregularis. Quia esto infamis sit, id non est in iure expressum. Sic Henriquez *l.* 14. *de irregular. c.* 1. *n.* 5. vbi innuit, minime esse irregularem. Consonat Palaus *d.* 1. *punct.* 5. §. 1. *numer.* 9. Quia nullibi est prohibitum.

175 *Peccat & irregularis fit.* Peccat venialiter saltem. Quia suam liberam conditionem vi lipendit. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 35. *q. vni. a.* 1. Ochagau. *tr.* 3. *q.* 49. *n.* 6. Cornejo *d.* 7. *dub.* 8. Et fit irregularis. Quia id deciditur *cap. si quis viduam. & 2. d.* 34. quod desumptum est ex Canonibus Apostolorum *c.* 18. ibi: *Si quis viduã, aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, non potest esse Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio Sacro deseruiunt.* Ita Glos. *ibi, v. Ancillã.* Laurẽt. Hugo, Archidiac. & Dominic. ibi. Astens. *sum. p.* 2. *l.* 8. *tit.* 15. *a.* 2. *q.* 2. Nauar. *c.* 17. *n.* 196. D. Antonin. 2. *p. tit.* 28. *c.* 3. Sylvest. *v. Irregularitas q.* 16. Manu. *to.* 1 *sum. c.* 158. *n.* 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 19. *n.* 14.

176 *Auctoris ratio soluitur.* Profectò ex se non video vllam culpæ rationem, cum id nullo iure prohibeatur. At crediderim, liberum, qui absque vrgenti causa, seu valde commoda ancillam duxerit, venialiter delinquere. Quia prodigus est honoris proprij cum fiat infamis. Imo grauiter etiam delinquet, si graues circumstantiæ, aut scandalum ingens accedat. Verum nunquam non irregularis redderur eo quod vilis & infamis ducens ancillam proculdubio reputetur. Idque verum reor, quãuis ancilla Virgo sit; aliàs nil is textus decideret: ducens enim liberam non Virginem est, ob bigamiam contractam, irregularis.

DVBIVM

DVBIVM XVII.

An quando dominus non collocat ancillam in matrimonium cum libero seruitutis ignaro, sed conscius matrimonij tacet seruitutem; ancilla ex hoc donetur libertate?

177 *Quædam certa præmitto.*

CErtum est, si dominus personam conditionis cum persona libera in matrimonium collocet seruitutis ignara, nec eam detegat: eo ipso personam illam seruituti subiectam, siue masculus sit, siue fœmina, consequi libertatem. Quia id habetur expresse *Authent. Ad hoc C. de Latina lib 11.* Certum est, quando vtérque contrahens est seruus, vel si alter liber est conscius seruitutis, quamuis dominus consentiat, tradatque mancipium in matrimonium seruum non consequi libertatem. Quia fauor valoris matrimonij eam libertatem necessario petentis, in hoc euentu cessat: cum valeat matrimonium absque mancipij libertate; nullus enim in libero adfuit error. Quæstioni autem do, num quando dominus non collocat ancillam in matrimonium cum libero seruitutis ignaro, sed conscius matrimonij, tacet seruitutem, ancilla ex hoc libertate donetur?

178 *Non donatur ex hoc libertate.*

Non donatur ex hoc libertate. Quia tacens non censetur consentire in iis, quæ in ipsius præiudicium redundant. *Regula. Is qui tacet, 44. de reg. iur. in 6.* Et quia taciturnitas minimè potentis impedire, consensum non operatur. Sic Palud. *in 4. dist. 36. quæst. 2. articul. 1. concl. 2. numer. 8.* Supplem. Gabr. *ibi, qu. 1. a. 3. concl. 2.* Veracr. *p. 1. specu. a. 30.* Ludoui. Lop. *p. 2. Instr. de matr. cap. 47.*

179 *Ex hoc libertate donatur.*

Donatur plane ex hoc libertate ancilla. Quia expresse definitur *Auth. Ad hoc, & Auth. de nupti. collat. 4. §. si vero, decretum. & leg. Regia. 1. titul. 5. part. 4.* & ratio huius decisionis est, quod dominus tunc non aperiens conditionem seruilem sui mancipij est in culpa, dolo, grauis iniuriæ liberum contrahentem efficiendo. Quare dignus est, vt in illius fraudis pœnam & fauore matrimonij, vti illud sit validum mancipium libertatem assequatur. Ita Glos. *c. si quis ingenuus, v. Faciat. El 1. 29. quæs. 2.* Goffred. *sum. titul. de coniug. seruor. n. 1.* Henriq. *l. 11. c. 10. nu. 4.* Molina *to. 1. de Iust. tr. 2. d. 19.* Barth. à Ledes. *dub. 31. concl. 6.* Sotus *in 4. dist. 35. quæstion. vnic. art. 2.* Palac. *dist. 30. d. vni.* Ledes. *2. p. 4. q. 54. a. 4.* Couar. *3. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 1.* Sanch. *l. 7. d. 20. n. 5.*

180 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Nam textus xoc statuentes, non fundantur in voluntatis domini præsumptione, sed in vera voluntate puniendi taciturnitatem domini debentis in eo euentu seruitutem sui mancipij manifestare.

* *
*

DVBIVM XVIII.

An serui licite possint inuitis dominis, sine petita facultate, matrimonium inire?

SCio, negauisse D. Basilium *canone suo 40.* valide seruos posse, inuitis dominis, matrimonium inire; quia suo tempore non erat oppositū ita clare definitū. Equidem certum est valide id posse. Quia matrimonij contractus concessus est omnibus iure naturæ ad speciei conseruationem: seruitus verò iure positiuo Gentium est introducta. Quæsierim autem, an id non solum valide, sed & licitè haud petita à domino licentia, possint? 181 *Quid certū præmitto.*

Non possunt absque mortali matrimonium inire, venia à dominis non petita. Quia id exigit reuerentia eis à seruis debita. Sic Leand. *tract. 9. dub. 11. quæstion. 14.* Philip. à Cruce *sum. tract. 6. vbi de imped. 2.* Albiz *in manuscr. de matr. d. 8. dub. 3.* 182 *Licite non possunt.*

Possunt licitè contrahere serui, licentia à dominis minimè petita. Quia si nec naturali, nec positiuo iure mancipiis est prohibitum, inuitis dominis coniugium inire accidentarius videtur esse ille reuerentiæ herilis respectus. Ita Torreblan. *l. 2. practic. c. 15. nu. 59.* 183 *Possunt licite.*

Ego autem crediderim debere seruos prius à suis dominis veniam ad ineundum coniugiū postulare, eorumque procurare consensum, nisi iustè timeant, à dominis eorum impedienda coniugia. Nec tamen culpæ lethalis iudicarim reum esse mancipium id non gerens, si rubore occupatus, aut aliquali timore affectus prætiret. Præcipuè cum nefas sit domino matrimonium serui impedire, nec possit tuta conscientia punire eum, quod, se inuito, contraxerit. Quæsieris, an domino certiore facto, mancipium de matrimonio ineundo tractare, fas sit illud aliò vendendū immittere, quo se incolumen seruet, immunéque incommodi, quod ex coniugio illo exundat? Distinguendum esse cēseo si iam matrimonium cœptum sit, quia seruus fidem suam alicui alligauerat, de matrimonio cum ea contrahendo: nefas erit domino, eo medio vti. Quia per illa sponsalia, quæ quoddam sunt matrimonij initium, iam est cœptum ac veluti in fieri matrimonium. Nequit ergo Dominus ius huc alteri acquisitum, & à sua voluntate independens impedire. At vero si sponsalia inita nondum sunt poterit dominus sic venundare. Quia vsque tunc nulli tertio ius est acquisitum: ac proinde non est interdicendum domino ius suum diuendendi mancipium. 184 *Idem asserо & quæstiūculam occurrentem dissoluo.*

DVBIVM XIX.

An delinquat dominus, qui seruo coniugatos diuendunt in partibus adeo dissitis, vt vsus matrimonij impediatur, quando initum matrimonium sine domini voluntate fuit?

185 *Non delinquit.*

NOn delinquit. Quia integrum erat domino ante matrimonij contractum, seruum vbique

vbique locorum venundare: cui iuri nō potuit seruus, matrimonio inito, præiudicare, nec à domini potestate abstrahi: secus si conniuente domino, contraxerit; quia conniuens dominus coniugio, cessit iuri suo taliter diuendendi, vt vsui matrimonij impedimentum præstetur. Sic Scot. *in 4. dist. 36. quæs. 1.* Ledes. *2. p. 4. qu. 54. art. 4.* Angl. *de matr. quæs. 10. de imped. condit. art. 2.* Palac. *in 4. dist. 30. d. vni. dub. 5.* Supplem. Gabr. *q. 1. a. 3. dub. 3. concl. 3.* Celaia *q. 1. in solut. replica contra 1. argum.*

186 *Delinquit plane.* Lethaliter delinquit dominus, etiamsi seruus eo inuito contraxerit. Quia si dominus peccat lethaliter impediens vsum matrimonij seruorum, sine eius venia contrahere, multo magis delinquit eos diuendens adeo in dissitis plagis, vt perpetuo vsus coniugij impediatur. Ità Sanchez *lib. 7. dub. 12. num. 5.* citans Hostiens. Alexand. de Neuo, Abbat. Præpos. Tabien. & alios. Basil. *lib. 7. c. 42. n. 5.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. n. 53.* Ochag. *q. 49. n. 22.* Palaus *d. 4 pun. 5. §. 2. n. 5.*

187 *Quid tenendū sit, vberius expono.* Profecto in re tam graui, ac passim occurrente, quid probabilius tenendum sit, vberius exponam, si vxor libera sit siue à tempore matrimonij, siue post initum, libertatem fuerit consecuta, & commode valeat sequi virum: potest seruus vbicumque à domino venundari, quamuis ipso consentiente, coniugium fuerit initum. Quia non posse libere vendi, consurgit ex matrimonij vinculo, in quod vel dominus consensit, vel eo inuito ius habuit seruus, ne eius vsus impediatur. At quando vxor est libera, minime impeditur, quod teneatur virum sequi, propria voluntate, nedum ex causa necessaria venditionis factæ à domino, domicilium mutauit. Quod si cum possit commodè virum sequi, imo ad id teneatur nolit, ei adscribetur culpæ, & non domino, qui minimè impedit matrimonij vsum. Idem dixerim quando vxor esset ancilla, potest enim vbique vendi, viro existente libero, siuè tempore matrimonij talis fuerit, siue post manumissus, si commodè possit ancillam venditam alibi, sequi, quamuis consentiente domino eam duxerit. Quia adhuc matrimonij vsus non impeditur. Quando verò coniux vtérque seruituti subiectus est, seu si alter liber sit, non potest commodè alterum sequi, ac proinde ea obligatione immunis est: si consensu domini coniugium sit initum, tenetur dominus lege iustitiæ, non ita distrahere seruum, quin matrimonio vti valeat. Quia quamuis dicamus ius superesse domino, vbicumque seruum diuendendi, non obstante matrimonio: at illi cessit, dum matrimonio conniuit. Nisi seruus male moratus esset adeò, vt nequeat à domino absque proprio periculo, aut rerum suarum sustineri: nec in proprio Oppido, aut partibus vicinioribus emptor inueniatur: posset enim tūc seruum in partes remotas distrahere. Quia sicut Iudex posset in delicti pœnam seruum in triremes coniicere, non obstante matrimonij iure: ita domino integrum erit, quamuis non ea punitione iudiciaria, domestica tamen ac dominis vti permissa, qualis est, seruum alio diuendendum immittere. Porrò quamuis initum sit matrimonium ignorante, aut contradicente domino: tenetur dominus sub lethali piaculo seruum non distrahere in partes remotas, vbi facultas non sit vtenndi coniugio: & non compellitur vrgente necessitate, eo quod pretium iustum potest in eodem loco inuenire. Quia lex charitatis saltem constringit dominum, nè simili conditione vtatur in salutis spiritualis vtriusque coniugis grauissimum detrimentum, absque propria necessitate præponderante. Fateor tamen, multo mihi esse probabilius, id peccatum esse contra iustitiam. Quia eo ipso quod serui habent ius inuitis dominis matrimonium contrahēdi: habent subinde illo vtēdi, aliàs frustraneum ius illud esset. Denique si vtérque coniux seruus sit diuersi domini, ac diuersa loca inhabitantis, ità vt mutuo conuenire nequeant, obsequiis dominorum satisfaciendo: tunc vt vitetur fornicationis periculum, cogendus est alter dominus ab Ecclesia, vendere alteri volenti emere. At si neuter dominus emere velit cogendus erit alter vendere cuicumque extraneo in parte illa, in qua alter seruus adest. Si nullus autem emptor inueniatur, emat Ecclesia, argumento ex *c. Fraternitatem, d. 54.*

DVBIVM XX.

An mancipium matrimonio illigatum teneatur potius domino, quàm vxori satisfacere?

188 *Statum quæstionis expono.* QVæstio procedit, vbi ita alterum alteri obstat, vt simul stare nequeant. Alioquin certum est seruum per contractum matrimonij minime eximi à consuetis obsequiis domino præstandis, vt constat ex *cap. 1. de coniug. seru.* ibi: *Debita tamen, & consueta seruitia non minus debent propriis dominis exhiberi* Vbi Hostiens. *num. 9.* Ioan. Andr. *num. 4.* Anton. *num. 7.* Anchar. *nu. 5.* Alex. de Neuo *num. 12.* explicant, *Maximè consueta.* Quia etiam non consueta obsequia serui domino debent; quidquid enim seruus est, domini est. §. *Item nobis, instit. per quas personas* Tota ergo difficultas eo pertinet, quando non simul stant obsequium domini, ac reddere vxori debitum: vt si eodem tempore vxor debitum exigat, & dominus aliquod seruitium, quod tunc debito reddendo impedimentum præstet,

191 *Potius tenetur seruus domino satisfacere.* Igitur tenetur seruus potius domino, quam vxori satisfacere. Quia *capit. 1. de coniug. seru.* traditur, seruum teneri ad consueta domino obsequia præstanda, non minus, quam si coniugatus non esset. Cum ergo non sit minor obligatio ergà dominum, ac in ipso præponderet, prius sibi obligatum esse seruum, & eo affectum onere ad nuptias transisse (Res enim cum onere ad possessorem transit, *cap. Ex literis, de pignorib.*) ius domini præualet. Sic Gosfred. *sum. tit. de coniug. seruo num. 2. Innoc. cap. 1. num. vnic. de coniug. seru.* & ibi Hostiens. *nu. 10.* Lex Regia *2. titul. 5. part. 4.* Temperant omnes hi, nisi periculum fornicationi vxori immineat non reddito statim sibi debito.

192 *Potius tenetur satisfacere vxori.* Potius vxori, quam domino seruus tenetur satisfacere. Quia vinculum matrimonij strictius, fortiusque sua est ex natura quam seruitutis

seruitutis vinculum. Ità Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *nu.* 51. Basil. *lib.* 7. *cap.* 42. *n.* 4. Sanch. *lib.* 7. *dub.* 21. *num.* 15 Leand. *tract.* 9. *d.* 11. *q.* 17.

191 *Quid opinet, auctor.*

Scio, communiter hosce aliosque Doctores destinguere inter matrimonium initum à seruo, domino annuente, & cõtradicente, aut ignorante ipso, contractum: nullatenus tamen concesserim aliquid discriminis interesse. Quia si res attente perspiciatur, fundamentum, quo discrimẽ innititur, valde dubium est, nimirum ius domini in seruum antiquius esse iure vxoris in ipsum seruum acquisitum per matrimonium. Imò dixerim, antiquius esse ius vxoris, ac proinde id cæteris paribus, præponendum. Quod sic explico: Dupliciter ius hoc vxoris considerari potest, vno modo quoad possessionem actu apprehensam in corpus coniugis matrimonij initiatione: & hoc modo haud dubium, quin ius domini anterius sit: coniux enim seruituti erat addictus, cum per cõiugium sui corporis tradidit potestatem. Altero modo quoad suam primæuam originem, ex qua principium traxit viresque assumpsit: & hoc modo ius coniugis in seruum domini iuri præponitur. Quia proficiscitur, ac robur accipit ex iure naturali primæuo, quod habent serui ad potestatem sui corporis tradendam per matrimonium; quidem præfertur iuri Gentium, ac prius illo est, quo aliqui in seruitutem sunt addicti. Poterit ergò coniux eo iure vti, inuito domino: iusque domini, vbi cætera sunt paria, erit postponendum. Hoc autem prudenti moderamine, & non metaphysico rigore intellexerim, sed morali modo. Ius etenim potius coniugis, siue volente domino matrimonium sit initum, siue eo inuito, non aufert ius seruitutis, ea debita obsequia domino præstanda; vnde non erit in potestate alterius coniugis situm, ea passim, aut plus iusto impedire, crebra debiti petitione. Nam sicut viro liberum est, vxore deserta, aliquandiu abesse pro negotiorum expeditione: nec ius vxoris est obstaculo huic absentiæ: ità etiam domino licebit coniugem seruitute sibi subiectum in necessariis occupare, & cum aliquo proficiscitur, secum deferre, vt sibi ministret: & aliò causa alicuius negotij expediendi immittere.

prolem ex ea, necne. Ambigitur autem, num ancilla huiusmodi redigatur illico in libertatem ob ius Castellæ singulariter, an hoc ei ex iure communi ac naturali ei competat?

193 *Libertatem consequitur omni ex iure.*

Non solum ex Castellæ iure, sed etiam ex iure communi, ac naturali libertatem illico cõsequitur. *Authent. Ad hoc, c. de lati. liber.* Et *leg. Libertæ, 8. c. de operis libert.* Sic Glos. *c. si quis viduam, el 2. 24. verb. Ancillam.* Archidiac. *ibi.* Dominic. *fine.* Turrecr. *num. vnic.* Syluest. *verb. Seruitus, qu.* 4. Astens. *sum. part. 2. lib. 8. tit. 15. a. 2. qu. 2.*

194 *Non omni ex iure assequitur libertas.*

Solo iure Regni Castellæ libertatem assequitur. Quia nullus datur textus aliunde ei libertatem decernens. Non Authent. *Ad hoc*, quæ nec verbum dicit ad id conferens; sed solum quando dominus tradit ancillam libero ignoranti seruitutem. Non *l. Libertæ.* quæ solum, libertam ductam in vxorem non esse cogendam operas præstare. Cũ ergo nullus detur textus eã libertatem decernens, asserendum, iure communi attento eam ancillam minime effici liberam. Ità Palac. *in 4. dist. 30. d vni.* Henriq. *l. 11 c. 10. n. 4. lit. Z.* Sà *v. Matrimonium. de Impedim. dirim. n. 1.* Sanch. *l. 7. d. 20. n. 11.* alios citans Villalob. *tr. 14. diffic. 6. n. 2.* Ochagan. *tr. 3 qu. 49. nu. 17.* & alij Negant etiam Syluest. Archidiac. & alij esse liberum mancipium iure communi, sed asserunt, naturali iure liberari.

195 *Auctoris ratio solutio.*

Ego quidem probabilius affirmo liberum esse illico mancipium domino nubens omni iure nempè naturali, communi, & Regni Castellæ: cum nulla in oppositum extet iurium dispositio. Quia vinculum matrimonij tantum sit, vt per illud coniuges fiant vna caro, necessario ex vi naturali illius prouenit, vt communicet in bonis honoris, diuitiarum, aut sedis, vt habetur in *Authen. de Consul. § si autem, coll.* 4. Ergo cum hæc communicatio statui seruitutis repugnet iure naturali, necessario debet per matrimonium mancipij cum domino celebratum extingui. Accepi ex P. Vasquez *in 3. particul. d. 81. capit. 8. numer.* 41. Basil. *libr. 7. cap. 44. nu.* 4. Eligio Bas. *verb. Matrimonium, 8. nu. 11.* Palao, *disp. 4. pun. 5. § 3. num. 1.* & Trull. *lib. 7. cap. 9. dub 5. num. 2.*

DVBIVM XXI.

An mancipium contrahens cum domino, aut cum domina, statim consequatur communi ex iure ac naturali libertatem?

192 *Regni Castellæ ius circa hoc explico.*

SVppono, ancillam ductam à domino in vxorem ex iure Regni Castellæ fieri eo ipso liberam. *lib. 1. tit. 13. p. 4. fine*, ibi: *Tan gran fuerza ha el matrimonio, que luego que el padre è la madre son casados fijos legitimos. Esso mismo seria, si alguno hubiesse fijo de su sierua, è despues desso se casasse con ella. Cà tan gran fuerza hà el matrimonio, que luego, que es fecho, es la madre por ende libre, è los fijos legitimos.* Vbi duplicem vim lex tribuit matrimonio, alteram ligitimandi prolem antea conceptam: & ad hoc proles desideratur; alteram verò redigendi ancillam in liberam; & ad hoc nil confert, habitam esse

DVBIVM XXII.

An quando ancilla vel seruus ineunt matrimonium cum persona libera seruitutis illius ignara, domino tradente in matrimonium, vel sciente, ac tacente seruitutem sit validum huiusmodi matrimonium?

169 *Non est validum.*

VAlidum minime est. Quia *lex Regia 1. in fine tit. 5. p. 4.* ait, eos libertatem consequi, at matrimonium esse nullum. Ratio est, quia cũ ex matrimonio illo ab eis acquiritur libertas, prius est matrimonium iniri, quam serui acquirant libertatem: ac proinde vere initum esse inter personam liberam & personam seruituti subiectam cum conditionis seruilis errore. Ergo validum minime fuit matrimonium. Sic Couar. *4. decret. parte. 1. capit. 3. §. 7.* Greg. Lop. *l. 1. Castel. tit. 5. part. 4.* Hurtad *d. 14. diffic. 3. n. 7.* Palaus *d. 4. punct. 5. §. 3. num. 5.* Gutier. *de matr. c. 91. n. 16.*

197 *Validum est.* Validum est omnino matrimonium. Quia re vera tunc matrimonium id non fit absolutè in personam liberam ac seruilem: nam in facto esse matrimonij vtraque persona contrahens est libera. Et qui consenti in aliquid, consentit etiam in id, sine quo illud non potest perfic: sed dominus consentit in huiusmodi coniugium: ergo etiam in libertatem, sine qua illud est inualidum: Igitur non fit absolute inter personam liberam, & personam seruituti addictam. Ita Sanch. *l.7.d.20.n.14.* citans viginti supra octo Doctores. Filliuc. *tr. 10.p. 2.n.45.& 48.* Ochagau *tr.3.q.49.n.18.* Bonac. *q. 3.pun.3.n.3.* Coninch *d.31.n.24.& 25.* Rebel. *l.3.de matr.q.3.n.29.*

198 *Hoc mihi pro. habilius.* Cum his opinor. Quia in *Authent. de nuptiis, §.si vero decretum, vers. Hoc autem decernimus & vers. si vero.* dicitur & eos seruos consequi libertatem & matrimonium consistere. Nec obstat lex Regia pro prima sententia citata, solũ enim arguit conditores illius fuisse in ea opinione non tamen habet vim legis, quoad decisionem nullitatis matrimonij, bene tamen quoad libertatem seruo illi impertiendã. Quod prius sit fori Ecclesiastici, posterius autem sæcularis. Nec etiam obstat ratio illa. Quia cum statim eodem momento, quo perficitur matrimonium maneat coniux seruilis conditionis effectus liber, seruitus illa est nullius considerationis, nec obest matrimonij fini nec affert incommoda, ob quæ ius Ecclesiasticum irritauit matrimonium cum errore conditionis contractum.

CAPVT XXII.

Circa Voti solemnis Impedimentum.

DVBIVM XXIII.

An votum solemne castitatis in professione Religionis emissum dirimat matrimonium solo iure Ecclesiastico?

199 *Solo iure Ecclesiastico dirimit.* SOLO iure Ecclesiastico dirimit. Quia nulla adest ratio cogens affirmare, id impedimentum naturali iure esse inductum. Nam traditio rei vel personæ ex iustitia descendens est alterius rationis ab ea, quæ ex religione existit: nec hæ duæ traditiones suaptè natura repugnant: nec vna alteram expellit. Nam coniugatus potest de licentia alterius cõiugis valide profiteri: & sine licentia altero adulterãte: & tamẽ non dissoluitur prior traditio, cum vinculum matrimonij perseueret Ergò ex eo quod religionis professio consistat in traditione, non sumitur efficax ratio ad concludendum, traditionem postea factam per cõtractum matrimonij esse irritam. Sic Sanchez *lib. 7. dub. 26. numer. 2.* quadraginta suprà septem referens Doctores. Basil. *libr.7.cap.22. num. 4.* Ochaga. *tract.3.quæstion. 50. numer. 8.* Hurtad. *dub.15 diffic vnic. n.3.* citans Vasquez, Coninch. Bonac. *quæstion. 3.punct. 4. numer. 3.* & penes ipsum Reginal. Lessi. Rebel. Villalob. *tr.14.diffic.7.num.2.* Laym. *lib.5 tract.20.p.4.c.3, num.1.*

200 *Non dirimit solo iure Ecclesiastico.* Non solo Ecclesiastico, sed etiam iure diuino, & naturali votum solemne matrimonium dirimit. Quia clare colligitur ex *cap. si vis Sacro. 17.qu.1.* vbi dicitur, contrahentes post votum solemne separandos esse verbo Domini & authoritate Canonica: Ergo non solum iure Ecclesiastico, sed etiam verbo Domini, hoc est, iure diuino irritat matrimonium. Et quia huiusmodi votum iure naturali dissoluit matrimonium ratum non consummatum: Ergò à fortiori eodem iure diuino, ac naturali vim habebit irritandi matrimonium cum eo contractum. Ita D. Tho. *in addit.q.53.a.2.* & alibi. D. Bonau. *q.1.a.2.* Sotus *q.2.a.2.* Valent. *2.2.d.6.q. 9.pun.5.* Henriq. *l.12.nu.2.3.& 7.* Cornejo *d.7. dub.9.* Ioan. de la Cruz *q.4.de matr.art.3.dub.5.* Philip. de la Cruz. *sum tr.6.* Torrebl. *l.2.practic. c.23.sect.3.n 69.* Candid. *disquis.28.a.4.dub.2.* Machad. *l.3.p.1.tr.11.docum.4.n.3.*

101 *Primam sententiam vt probabiliorẽ tuetur, & confirmat.* Ego quidem primam sententiam tanquam firmiorem, ac probabiliorem defendo. Quia manente eadem prorsus voti solemnitate, video, posse Ecclesiam statuere, ne matrimonium subsequens dirimat. Cum enim solus quidam voti solemnis effectus impediatur, nil prorsus essentiæ, & solemnitatis, qua nunc gaudet, amittet. Porrò antiquitus professio non dirimebat subsequens matrimonium vt constat. Nam Cyprianus *Epist. 11.ad Pompon.* rogatus de virginibus quæ post castitatis votum nupserant, quid gerendum esset non eas separari præcepit, sed publicam agere pœnitentiam iussit. Et D. August. *lib.9.de bono viduit.c.9.10. & 11.* probat, falsam esse sententiam dicentium non esse vera coniugia virginum post votum castitatis nubentium. Et in Concilio Ancyrano *c.19.* (& refertur *c. Quotquot.27.quæst.1.*) & Elibertino *can.13.* (& refertur *c. Virgines.27.q. 1.*) & Chacledonense *can.15.* (& refertur *cap. si qua virgo, quæstion. 1.*) Virginibus Sacris quæ post votum continentiæ nubunt, pœna indicitur, nec tamen à nuptiis iubentur semoueri signum igitur est, eo tempore nondum legem Ecclesiasticam editam esse ea irritantem coniugia atque ita, attento iure naturali diuino valida fuisse. Equidem votum solemne non irritat matrimonium subsquens, qua ratione votum irritaret: sed qua ratione est solemne. Cum igitur solemnitas sit ex iure Ecclesiastico *c.vnico de voto in 6.* solo iure Ecclesiastico irritabit.

DVBIVM XXIV.

An votum Sacri Ordinis dirimat matrimonium subsequens solo iure Ecclesiastico?

201 *Non solo iure Ecclesiastico dirimit.* NOn solo iure Ecclesiastico, sed & iure diuino dirimit. Quia *c.vnico de voto in 6.* & quiparantur votum solemne Ordinis Sacri, & professionis. Hoc autem dirimit iure diuino: Ergo & illud. An nõ in Sacro Ordine est traditio sicut in professione? Cũ igitur votũ professionis dirimat

dirimat iure naturæ, eo quod in eo traditio reperiatur: eodem iure dirimet Ordo. Denique quia ordini est diuino annexa castitas muniis Sacerdotalibus conueniens, quibus coniugales curæ aduersantur. Sic Maior *in 4. dist. 24. qu. 2.* Celaia *dist. 37. q. 1.* Dicunt esse probabile Bassol. *dist. 37. qu. vni. art. 1.* & Nicol. de Nissa *ad 4. sent. tr. 6. p. 3. de matr. q. 7.*

203 *Dirimit solo iure Ecclesiastico.* Solo iure Ecclesiastico dirimitur matrimonium subsequens per Ordinem Sacrum; Ecclesia enim inhabiles reddidit initiatos Sacris ad matrimonium sicut consanguineos in secundo, & vlterioribus gradibus vsq; ad quartũ: sẽtentia hęc probatur eisdem prorsus rationibus, quibus Dubio præcedenti ostendi solo iure Ecclesiastico annexam esse continentiam professioni. Addiderim. Quia hoc votum non est per se & ex natura sua solemne, sed per accidens: (quod apprime probat Sanch. *l. 7. d. 27. n. 17.*) Non ergo dirimit matrimonium iure naturali diuino instar voti solemnis per se, quale est professionis votum. Ita Doctores, quos *n.* 199. retuli. Queis addo D. Thom. *in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. corpo.* Scotum *ibi. q. vni. §. Dico igitur.* D. Bonau. *a. 1. qu. 2. corpo.* Albert. Mag. *ibid. a. 1.* Durãd. *q. 1. n. 4.* Palud. *q. 1. a. 1. n. 8. & a. 3. n. 19.* Supplem. Gabriel *quæst. vni. a. 2. concl. 1.* Bellarm. *l. 1. Controu. c. 18.* Henriq *l. 11. c. 5. n. 9.* Valent. *1. 2. d. 6. q. 6. pun. 5.* Manuel. Vega, Petr. de Ledes. Palac. Metina, Gerson. Scot. Capreol. & alij plures, quos refert ac sequitur Sanch. *libr. 7. dub. 28. numer. 11.*

204 *Ita omnes.* Huic hæreo sententiæ tanquam communiori ac veriori. Nam cum votum illud tantum sit solemne per accidens, nullatenus habet, per se dirimere. Id ergo ei ex solo Ecclesiastico iure prouenit.

DVBIVM XXV.

An sacerdotes Græci vtentes matrimonio ante Ordines inito sint sacrilegio rei?

205 *Nonnulla suppono.* SVppono (ex veriori sententia) nunquam licuisse in Ecclesia siue Latina, siue Græca Sacro ordine præditis matrimonium inire: eam vero esse differentiam inter Græcos, & Latinos in Sacris Ordinibus constitutos: quod illis post coniugium ad Sacros Ordines accedere, & vti matrimonio antea contracto permittitur: quod Latinis est interdictum. Et Græcis quidem cõcedebatur vsus matrimonij ante ordinem initi præter id tempus, quo Altaris ministerio deseruire vel consuetudine vel lege debent. Lege Azorium *l. 13. instit. Moral. c. 13. q. 1.* Quæsieris vero, num Sacerdotes Græci vtentes matrimonio ante ordines inito delinquant?

206 *Delinquunt Græci.* Delinquunt. Quia id eis permissum est ob eorum duritiem, tanquam minus malum, instar permissionis lupanarũ: Probatur ex *Decreto* Nicolai I. ad consulta Bulgarorũ *c. 70.* & habetur *c. fin. d. 28.* vbi consultus à Bulgaris, num Presbyteri habentes vxores sustentandi essent? Sic respondet: *Licet ipsi valde sint reprehensibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui solem suum oririfacit super bonos & malos.* At Bulgari semper retinuere Græcorum morem. Sic quidam, quos presso nomine refert Azor. *l. 13. c. 12. qu. 1. Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II.

Minime delinquunt. Quia Concil. Lateran. sub Innoc III. *c. Vt clericorum, de vita, & honest. Cleric.* dicit. *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, grauius puniantur, cum legitimo matrimonio vti possint.* Vbi Glos. finalis asserit, id dici propter Græcos, qui in Sacris constituti vtũtur matrimonio anteà contracto. Ità D. Antonin. *3. part. tit. 1. c. 8 post 2. concl.* Rosel. *v. Impedimentum, imped. 11. n. penult.* Sylvest. *v. Matrimonium. 8. q. 12.* Azor. *citatus.* Sotus *in 4. dist. 38. q. 1. a. 2.* Ludou. Lop *p. 2. Instruct. de matr. c. 49.* Sanchez *l. 7. d. 28. n. 6.* plures citans. 207 *Non delinquunt.*

Certissimum est Græcos minime delinquere, dum matrimonio ante Sacros Ordines inito vtuntur. Quia cum lex de Sacerdotum cœlibatu sit Ecclesiastica, nec sit apud Græcos recepta, nisi modo prædicto, illos non obligabit: eo vel maxime quod sciente Pontifice id effectum sit. Quare textus contrarios intellexerim ducẽtibus vxores post Ordinem Sacrum. Hinc apparet, Dubium hoc omnino dissolui. 208 *Hoc omnino certum.*

DVBIVM XXVI.

An Sacer Ordo ante rationis vsum susceptus, obliget ad continendum: & dirimat matrimonium?

OBligat ad continendum, ac dirimit matrimonium. Quia votum susceptit ille characterem. Sic Palud. *in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. nu. 14.* Supplem. Gabr. *dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 8.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 8.* Ledes. *2. p. 4. q. 55. a. 4.* Ait esse probabile Richard. *in 1. dist. 2. § a. 4. q. 2. ad 3.* & Celaia *dist. 25. q. 3.* 209 *Dirimit plane.*

Nec ad continendum obligat, nec matrimonium dirimit. Quia ordo sacer non obligat ex natura rei ad castitatem, sed ratione voti ex Ecclesiæ constitutione adiuncti. Votum autem expressum, nedum tacitum quale ordini inest, irritum est, si non voluntariè fiat. At in eo, qui ante rationis vsum initiatur Sacris, quænam potest inesse voluntas? Ita Sanchez *lib. 7. dub. 30. numer. 3.* Hostiens. *sum. titul. de tempo. ordin. n. 11.* Sylvest. *v. Matrimonium, 8. qu. 12. dicto 2.* Nauar. *lib. 1. consil. titul. de iis, quæ vi, conf. 2. num. 4.* Rota *in noui. ss. m. part. 1. decis. 561. num. 6.* Palud. *in 4. dist. 25. quæs. 3. art. 1. nu. 10.* Richard. *dist. 37. art. 1. quæs. 1. corpo.* Almain. *dist. 25. q. vni.* Sotus *ibi q. 1. a. 2.* Palac. *dist. 25. dub. 1.* Henriq. *libr. 10. cap. 14. num. 3. & libr. 12. cap. 5. num. 9. liter. Q.* Azor. *libr. 13. cap. 24. quæstion. 9.* Manu. *tom. 2. sum. cap. 96. num. 4. concl. 4.* Barthol. à Ledes. *de ordi. dub. 14.* Vega *to. 2. sum. cap. 57. casu 7.* 210 *Non dirimit.*

Hoc mihi verius inferenti hinc, posse hunc libere, si ordine vti nolit, ad matrimonium transire. Quia sola castitas ordini annexa poterat impedire: at nulla ratione ad castitatem tenetur. 211 *Hoc mihi verius.*

DVBIVM XXVII.

An ordo susceptus post rationis vsum, sed ante pubertatem, irritet matrimonium, cum adeptus pubertatem non ratificat?

212 *Irritat quidē.* IRritat quidem. Quia libera voluntate ad Ordinē Sacrū est pro motus. Sic Sotus *l.7. de iust.q.2.a.5.* Vega *to.2.su.c.57.casu* 7. Glos *8. Pueri, v. Ad Sacros: & c.vnico v. Discretionis, de Cler.per salt.promoto.* Vbi Anton.*n.*4. Cardin.*n.* 2.*q.*1. Bonifac. *Clem.fin.nu.*26.*&* 27. Alex. Carrer.*l.*3.*de sponsc.*3.

213 *Non irritat* Non irritat nisi adeptus pubertatem ratificet. Quia votum solemne expressum in Religione approbata ante pubertatem emissum, nisi post eam ratificetur, non obligat *c.*1.*&* *c. Illud,* 20.*q.*1.*&* *c. Ad nostrum, de Regular.* Ergo nec votum solemne tacitum emissum in Sacri Ordinis susceptione. Ità Sanch.*l.*7.*d.*30.*n.*8. citās Innocent. Hostiens. Ioan. Andr. Abbat. Anchar. Henric. Hugon. Immol. Rebuf. & alios

214 *Cum his opinor.* Cum his opinor integrum esse huic matrimonium inire, si nolit in ordine perseuerare. Quia ad nullam continentiæ legem obligatur. Quæ si eris autem, quandiu possit resilire. Respondeo, quandocumque ante pubertatem resilire posse: vel statim ac pubertatem adeptus est, ita vt necesse sit ratificet, pubertatem adeptus.

DVBIVM XXVIII.

An Ordo Sacer per vim, vel metum assumptus, dirimit matrimonium postea initum?

215 *Matrimoniū dirimit.* IS Ordo obligat ad continentiam vnde matrimonium postea initum irritum est. Quia sic ordinatus characterem ordinis accipit, cui annexa est castitas. Cum ergo accessorium sequatur naturam principalis *Regula Accessorium.* 42.*de reg. iur. in* 6. ac principale valeat, valebit quoque accessoria ad castitatem obligatio: vnde matrimonium posteà initum, irritum erit. Certè metu baptizatus, compellitur seruare fidem, teliquasque Ecclesiæ leges, eo quod characterem recipiat, *C.de Iudæis, d.*45. quod est ex concil. Tolet. 4.*c.*57. At vt fides, & lex Christiana comitantur characterem Baptismi, ita castitas Ordinis characterem. Sic Supplement. sum. Pisanæ *v. Ordinatus* i. *num.*6. Tabie. *v. Ordo* 2.*fin.* Armilla. *v. Ordo, nu.*6. Rota *in nouiss.p.*1.*decis.*560.*à n.*7. Gaëta *repet.c. Ad limina* 30.*qu.*1.§.3.*qu.*19.*n.*96. Palud. *in* 4.*dist.* 38.*q.*3.*a.*4.*concl.*6.*n.*28. D. Antonin. 3.*p. tit.*14. *c.*16. Sotus *l.*7.*de iust. q.*2.*a.*5.*in solut. ad argu. vltimum.*

216 *Non dimit matrimonium.* Ordo is per vim vel metum assumptus nec obligat sic initiatum continentiam seruare, nec dirimit matrimonium postea contractum. Quia constitutio Ecclesiæ non obligat Clericos directè ad castitatem, sed ad castitatis votum emittendum. Quare qui votum illud castitatis in susceptione Ordinis Sacri tacitè emittit, ex solo voto ad eam tenetur: & solum obligat constitutio Ecclesiæ, quando hic initiatus votum non emisit. At hic cum in susceptione ordinis non habuerit voluntatem contrariam, vere votum annexum Ordini tacitè emisit instar aliorum Clericorum. Cum ergo ex voto non manserit obligatus, irritante illud eadem Ecclesia ratione metus, nulla ratione manebit obligatus: vnde matrimonium postea contractum minime dirimetur. Ità Sanchez *l.*7.*d.*29.*n.*5. Richat. *in* 4. *dist.*25.*a.*4.*q.*2. *ad* 3. Maior. *dist.*24.*q.*2.*in solut. ad* 5. Sotus *dist.* 25.*q.*1.*a.*2.*ad* 3. Henriq. *l.*10.*c.*14.*nu.*3.*& l.*12. *c.*5.*n.*9. *lit. Q.* Azor. *l.*13.*c.*14.*qu.*8. Petr. de Ledes. *de Sacr. Ordin. c.*6. *difficul.*3 *dicto* 2. Sà *sum. verb. Ordo, n.*14. Barth. à Ledes. *de Ordi. dub.*14. Vega *to.*2.*sum. c.*57.*casu* 6.

217 *Hæc sententia mihi probabilior.* Probabilior mihi sententia hæc. Quia ius id seruat in metu gestis, vt ea quæ facile reparari, & ad pristinum statum restitui ope Iudicis nequeunt, omnino cesset: ne destituatur remedio iniurioſum metum passus. Ob eam planè rationem matrimonium metu initum irritauit: quod semel contractum dissolui à Iudice nequeat. At cum cæteri contractus irritari facile possint à Iudice, eos metu initos non irritauit, sed à Iudice rescindendos reliquit. Cum ergo obligatio ad castitatem ordini Sacro annexa, vbi semel contracta fuerit ope Iudicis dissolui non possit, æquum est, vt Ecclesia eam obligationem irritarit. Colligo, posse hunc licitè matrimonium contrahere. Quia sola obligatio ad castitatem Ordini annexa posset obstaculo esse: at non tenetur continere, vt vidimus. Imò nec tenetur continere, quamuis metus non sit cadens in virum constantem, modo sit talis, vt præ timore illo initiatus esset: eóque secluso nullatenus initiādus. Hoc quidē probabile esse iudico, licet probabilius fateor esse oppositum nempe solummodo metum cadentem in constantem virum id operari.

CAPVT XXIII.

Circa Cognationis carnalis Impedimentum. *Cognatio. Carnalis*

DVBIVM XXXIX.

An consanguinitas in prim gradu lineare. Ecta dirimat iure naturali matrimonium?

218 *Nonnulla præmitto.* RECOLO ex *sect.* 1, triplicem esse cognationem, quæ matrimonium dirimit: *Naturalem* seu carnalem *spiritualem* & *Legalem*: triplicemque esse consanguinitatis lineas, *Rectam* descendentium à patre in filios nepotes, & lineam *Rectam* ascendentium à filiis in patrem, auum, &c. *Transuersalem*, quæ est collatio personarum quæ ab vno eodēque principio descendunt, vti sunt

sunt plures fratres, patrueli, &c. Ad memoriam exillo tractatu reuoca quanam ratione annumerandi sint gradus consanguinitatis in ordine ad matrimonium dirimendum. Quæsierim ergò, num consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat iure naturali matrimonium?

219 Non dirimit naturali iure

Non dirimit naturali iure. Quia matrimonium patris cum filia, seu matris cum filio non aduersatur substantiæ, aut fini intrinseco matrimonij. Nam possunt parentes, ac filij mutuam sibi corporum potestatem tradere, tanquam illorum veri domini ad indiuiduam vitam agendam, in quo consistit matrimonij substãtia. Nec fini primario aduersatur. Nam potest inde subsequi generatio prolis; & tantum abest vt rectæ eius educationi obsit, vt potius mirum in modum ei deseruiat. Nihil enim ita conducit bonæ prolis educationi, ac mutuus amor, mutuaque coniugum habitatio; quæ maxime seruantur inter parentes & filios inter se coniugatos. Nec etiam secundario fini repugnat: imo ad extinguendum libidinis ardorem, conducit. Quia ex conuictu maris & fœminæ quorúmcumque excitari assolet sæpius concupiscentiæ ardor, & non semel inter parentes & filios ob incautam, ac nimiam familiaritatem: qui vtique extinguetur, inito inter ipsos matrimonio. Certe nõ apud omnes nationes lumine naturali ductas nefas existimatũ est, parẽtes cũ liberis matrimonio colligari. Nã apud Persas hæc connubia admittebãtur, vt referunt Strabo. *l.* 15. Athẽæ *l.* 5. *c.* 14. Curtius *l.* 7. Tertul *in Apolo. c.* 9. Et de Parthis testatur Lucan. *l.* 4. Et de Medis, Æthyopibus, Indis, ac Scotis affirmat D. Hierony. *l.* 2. *in Iouinian.* Et de Hybernis Strabo *l.* 4. Et de Naura Regione refert Curtius *l.* 8. Et de Nomadum natione testatur D Chrysost. *in* 2. *Pauli ad Corinth. hom.* 8. Constat ergo, matrimonium inter parentes & filios non esse iure naturæ irritum. Porro in hanc sententiam inclinat Basil. *l.* 7. *c.* 31. *n.* 5 fatus: Nisi fortè quis dicat, matrimonium patris cum filia, matris cum filio diuina aliqua lege potius prohibitum, quam naturali: quæ quia consonat naturæ, naturalis dicatur; & traditione deriuata sit. Quod mihi aliquantulum arridet, cum non inueniam firmum aliquod argumentum, quod ostendat, hanc coniunctionẽ iure naturali nullam, cũ non opponatur ita clarè fini matrimonij, quod necessarium esset, vt iure naturali irritaret. Ita ille, in cuius sententiam valdè pronus ostenditur Caramuel *libr.* 2. *Theol. Mor. n.* 545.

220 Dirimit naturali iure.

Dirimit naturali iure. Quia ex natura rei illæ solum personæ sunt ad matrimonium habiles, inter quas possit esse æqualitas, & mutua subiectio ad actũ coniugij: at huiusmodi æqualitas, ac subiectio non possunt cohærere cum naturali potestate patris in filium: ergo. Ita D. Tho. *in addit. q.* 54. *a.* 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 51. *n.* 8. Cornejo *d.* 7. *d.* 12. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* Coninch *d.* 32. *dub.* 1. Hurtad. *d.* 14. *diffic.* 3. Meus Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 71. Trull. *cap.* 9. *dub.* 7. *n.* 7. Bauni. *de imped. Cogn. q.* 1. Palaus *to.* 5. *d.* 4. *pun.* 6. *n.* 8.

221 Hoc mihi, imo & omnibus indubitatum.

Hoc mihi, imo & omnibus indubitatum. Quia omnes gentes benè institutæ solo naturæ lumine edoctæ nuptias inter hos nefandas iudicarunt: & Persæ ea connubia permittentes notantur vti barbari. Vt à Tertul. *in Apolog. c.* 9. à D. Chrysost. *hom. de Pentec.* à Theodor. *l. de legibus.* & à D. August. *l.* 3. *qq. in Leuit. qu.* 61. Et Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. III. P. II.* D. Ambros. *Epist.* 66. ad Patern. dicit, connubium patris cum filia pugnare cum lege naturę in singulorum cordibus scripta. An non etiam bruta instinctu quodam naturali ducta concubitum cum parentibus refugiunt? Annon Gentes fratrum cum sororibus coniugia, nedum parentum cum filiis abhorrent? Profectò huiusmodi coniunctio aduersatur quodammodo ipsius matrimonij substantiæ; nam cum hoc sit quidam contractus, & coniugalis amicitia, desiderat duo extrema distincta, quorum vnum nõ sit alterius pars iuxta illud *Genes.* 2. *Et erunt duo in carne vna.* At filij sunt quædam parentũ pars: Non ergo possunt matrimonio iungi.

DVBIVM XXX.

An consanguinitas in primo gradu dirimat matrimonium in casu extremæ necessitatis?

DIrimit quidem, vnde in casu extremæ indigentiæ, v. gr. si soli filius & mater aut pater & filia in mundo superèssent, non liceret eis coniugium inire nisi ex speciali Dei dispensatione. Quia matrimonium illud super indebita cadit materia, & ad illud naturaliter inhabili. Quamuis autem necessitas quandoque ab obligatione legis aliquid prohibentis excuset: tamen non potest capacitatem, quam in se non habet, exhibere. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. Petr. de Ledes. *q.* 54. *a.* 3. *diffic.* 1. Coninch *d.* 32. *n.* 14. Hurtad. *d.* 17. *diffic.* 3. Sotus *l.* 2. *de inst. q.* 3. *a.* 8. *ad* 3. Baun. *tr* 11. *q.* 1. *de imped. cognat. assert.* 2. quamuis *q. sequenti* contrarium sentire videatur. Perez *de matr. d.* 33. *sect.* 3. *n.* 11. addens, nec Deum posse patri, vel matri cum filia, aut filio matrimonium inire,

222 Dirimit plane.

223 Minime dimit.

Non dirimit, sed hoc in casu licitum esset matrimonium. Quia malum ordinis inferioris cohonestari potest propter superioris ordinis bonũ: vt damnũ vitæ propter bonum rationis. Cum ergo malum priuatum irreuerentiæ paternæ consurgens ex huiusmodi coniugio sit inferioris ordinis respectu boni communis, ad quod spectat speciei conseruatio, poterit cohonestari, vt ei consulatur. Ità Valent. 4. *p. d.* 10. *q.* 5. *pun.* 3. Veracr *p.* 1. *spec. art.* 43. Sotus *in* 4. *dist.* 40. *quæstion. vnic. art.* 3. Palac. *ibi. dub. vnic.* Vega *tom.* 2. *sum. c.* 34. *casu* 125. Sanch. *lib.* 7. *d.* 51. *n.* 10. Pesant. *in addit. ad* 3. *p. q.* 54. *d.* 2. Candid. *discept.* 28. *art.* 5 *dub.* 4. Lublin. *v. Matrimonium. n.* 20. Laym. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Gutier. *c.* 96. *n.* 14. Palaus *d.* 4. *pun.* 6. *n.* 3. Trull. *l.* 7. *cap.* 9. *dub.* 7. *n.* 7. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 71. inferens, (apposite quidem) hoc in casu Pontificem præcipere patri & filiæ, vt cõiugium ineãt: eosque obedire teneri:

224 Hanc partem iudico veriorem.

Veriorem hanc partem existimo sciens D. Chrysostomum *hom.* 44. *in Gen.* & D. Ambrosium *l.* 1. *de Abrah. c.* 6. filias Loth à culpa excusare, dum cum patre concubuere: existimabant enim nullum superstitem esse alium virum, qui posset generationi deseruire. Cæterum licet prima sententia admodum sit probabilis, minime admiserim, quod mens Perez addidit, nec Deum posse talem concedere facultatem. quod quidem nullo solido posse fundamine affirmari iudico.

DVBIVM XXXI.

An prohibitio & irritatio matrimonij inter ascendentes, & descendentes iure naturæ inducta, protrahatur ad quemcumque gradum in infinitum?

225 *Protrahitur ad quemcũque gradum in infinitum.*

PRotrahitur quidem. Quia natura respuit matrimonium inter parentes ac liberos ratione reuerentiæ illis ab his debitæ. At maior reuerentia ac subiectio debetur ascendentibus remotioribus & eo maior, quo ascendens remotior est. Et quamuis hominum ingratitudine, seu potius ascendentium remotiorum morte, amicitia inter ascendentes ac descendentes remotiores euanescat: non tamen ob id tollitur naturale reuerentiæ, & subiectionis debitum. Repugnat igitur naturæ inter hos socialis matrimonij æqualitas. Et quia iure ciuili statutum est, prohibitionẽ hanc nullis finibus contineri, sed in infinitum protrahi. *Instit. de nuptiis §. Ergo non omnes l. Nuptiæ, 53. l. Et nihil. 54. ff. de ritu nupti.* Vbi & ad ascendentes illegitimos extenditur. Sic Vasquez, Toledo, Petr. de Soto, Bellarm. & alij vsque ad quinquaginta tres Doctores, quos citat Sanch. *l. 7. d. 51. n. 12.* Coninch *d. 31. dub. 1.* Rebel. *l. 3. q. 5. n. 13.* Reginal. *l. 31. n. 119.* Villalob. *tr. 14. diffic. 8. n.* Torrebl. *l. 2. practic. c. 15. sect. 8. n. 72.* Hurtad. *d. 17. diff. 4.* Inferentes Adamum hodie resurgentem nullam vxorem ducere posse: vt qui est vniuersi humali generis parens.

226 *Non protrahitur ad gradum quemcumque.*

Non protenditur in infinitum. Quia cum consanguinitatis ratio sit participatio eiusdem sanguinis communicata à virtute generante stipitis, & hæc eo debilior reddatur, quo in plures generationes protenditur: nequit in infinitum extendi, sed tandem extinguetur, ac deficiet: Ergo impossibile est, in quacumque linea consanguinitatem in infinitum protrahi: ac subinde dicendum necessario erit, impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea certis finibus, attento iure naturæ contineri. Ità D. Tho. 2. 2. *q. 154. a. 9. ad 3.* Caiet. *ibi*, Sanchez *l. 7. d. 51. n. 13.* Barth. à Ledes. *dub. 37. concl. 4.* Sà *de Imped. dirim. nu. 4.* Vega *tom. 2. sum. 2. c. 34. casu 164 & 127.* Petr. de Ledes. *q. 54. a. 3. diffic. 2. concl. vni.* & alij.

227 *Hoc mihi probabilius.*

Probabilius hoc mihi. Nam quoad ius humanum spectem, ius canonicum *cap. Non debet, de consang. & affini.* omnes consanguinitatis gradus matrimonio obstantes intra quartum gradum concluſit, nec distinxit an linea esset recta ascendentium, an potius collateralium transuersa. Nec refert, ius Ciuile statuisse, impedimentum hoc in recta linea in infinitum protrahi. Quia solius iuris Canonici est, inter fideles matrimonij impedimenta decernere; nec qum confert ius Ciuilis prohibitio, nisi expresse iure Canonico approbetur. At hæc prohibitio non est iure Canonico approbata, quin reprobata potius *c. Non debet.*

DVBIVM XXXII.

An dato, quod prohibitio matrimonij in linea recta ascendentium & descendentium certis finibus contineatur, iure naturali attento. extendatur ad alios gradus præter primum?

228 *Extenditur ad alios gradus præter primum.*

EXtenditur ad alios gradus præter primum. Quia ad quartum gradum protrahitur iuxta *c. Non debet, de consang. & affin.* quod gradus consanguinitatis, in quibus interdicitur matrimonium, ad quartum restrinxit. Sic Gosfred. *sum. tit. de consang. n. 7.* Monald. *sum. vbi de matr. de imped. consang.* Rosella *v. Impedimentum, imped. 5. num. 6.* Angelus *v. Matrimonium. 3. impedim. 6. in addit. as n. 1.* Palac. *in 4. dist. 40. d. vni.* ait esse probabile, non certum. Alij docent, non excedere prohibitionem hanc vigesimum gradum. Sic Couar *4. decret. p. 1. c. 6. §. 6.* Alij asserunt protendi vsque ad septimum gradum, ita tamen, vt vltra quartum sit integrum Pontifici dispensare. Sic Ludou. Lopez *p. 2. Instr. de matr. c. 49.* Alij affirmant, in secundo gradu esse irritum iure naturæ & probabile videri, etiam in quarto gradu, at non vlterius. Sic Henriq *l. 12. c. 9. n. 3.* Alij existimant protrahi iuris naturalis prohibitionem in linea recta vsque ad secundum gradum; vt inter parẽtes & filias: auos & nepotes sit matrimonij irritum: nec vlterius progredi. Quia nepotes reuerentiã quandã exhibere debent auis sicut parẽtibus: in vlterioribus autẽ gradibus nõ est tãta propinquitas. Sic Sotus *in 4. dist. 40. q. vni. a. 3.* Valent. *4. p. d. 10. q. 5 pun. 3.* Angl. *p. 1. q. 13. a. 3. dub. 2.*

229 *Non extenditur ad alios gradus præter primum.*

In solo primo gradu ascendẽtiũ & descendẽtiũ rectę lineę ita est interdictũ matrimonium iure naturæ, vt irritũ sit, eo attẽto; vt inter filios parẽtes ac liberos. Quia auus, & cæteri ascẽdentes nõ sũt principiũ nepotũ per se, sed per accidens: ad rationẽ enim filij, vt filius est, solũ desideratur, vt à parẽtibus originẽ trahat: ac per accidẽs est, vt suus pater aliũ patrẽ habuerit; filij enim Adami carẽtes auo, ita veri filij fuere, ac illũ habentes. Ac proinde reuerẽtia debita auis à nepotibus nõ est debita necessario, & per se, sed per accidens, vt potè quæ in sola ratione principij, & causæ per accidẽs fũdatur. Nõ igitur ea reuerẽtia, ac superioritas per accidẽs ita impedimentũ præstabit de iure naturę matrimonio inter eos, vt illud eodem iure irriter. Ità D. Tho. 2. 2. *q. 154. a. 9. ad 3.* Sãch. *l. 7. d. 51. n. 19.* & penes ipsũ vterq; Ledes. Sa. Vega, Llamas & alij vsq; ad quatuordecim Doctores. Filliuc. *tr. 10. p. 2. c. 1. n. 180.* Bonac. *q. 3. punct. 5. §. 1. n. 7.* Candid. Machad. Cornejo, & alij, quos sequitur Leand. *tr. 9. d. 11. q. 7.* Basil. *l. 7. c. 31. n. 4.* Ochag. *tr. 3. qu 55. n. 3.* Palaus *d. 4. pun. 6. n. 9.* Trull. *dub. 7. nu. 7* Bauni. *q. 2. fine.*

230 *Hũ hæret.*

His hæreo. Quia auus respectu nepotis non habet rationẽ genitoris, sed solã rationẽ causę quasi applicãtis genitorẽ ut causa applicãs aliã causã suo effectui, non est per se, sed per accidens causa illius effectus. Quare loquendo de reuerentia naturali, nõ est verũ, maiorem exhiberi auo. Quia reuerẽtia naturalis respectu aui est

est per accidens: at respectu patris per se est. Fateor, verũ esse de reuerẽtia politica: auũ enim vt primum dominum, & primum in gubernando principium reueremur.

DVBIVM XXXIII.

An gradus omnes consanguinitatis in linea transuersa prohibiti Leuit. 18. *dirimant nunc iure naturali matrimonium?*

131 *Nonnulla praemitt.*

PRæmitto, contineri *Leuit.* 18. quosdam consanguinitatis, & affinitatis gradus, in quibus matrimonium erat interdictum. Consanguinitatis duplex gradus in linea recta nempè parentum cum filiis, auorum cum nepotibus, & auiarum cum eisdem. In linea etiam transuersa primus gradus, vt Fratrum cum Sororibus, siue ex vno, siue ex vtroque parente. Et partim secundus in linea inæquali, vt neporis cum amita, aut matertera, id est, *De sobrino con tia hermana de padre, o madre.* Non tamen erat prohibitum coniugium cum patruo, vel auunculo, id est, *Con tio hermano de padre, o madre.* Affinitatis similiter erant prohibiti alij gradus, vt primus lineæ rectæ ascendentium, nempe soceri cum nuru, vitrici cum priuigna: & è contra priuigni cum nouerca, socrus cum genero; & quidam secundus, vt vitrici cum filia priuignæ. In transuersa autem linea erat prohibitum coniugium in quodam duplici gradu, vt cum vxore Fratris, & cum Sorore vxoris, vxore viuente; & cum vxore patrui. Deinde suppono, in lege Euangelica nullum esse præceptum iuris diuini positiui, demptis fidei, & Sacramentorum præceptis: alia autem præcepta diuina esse simul iuris, naturalis: in quo distat à veteri lege, quæ multa alia præcipiebat. Lege Henriquez *lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 5. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 24. Sotum *in* 4. *dist.* 40. *qu. vnic. art.* 4. His præmissis, duplex est agitanda quæstio. Prior an omnes præfati gradus *Leuit.* 18. interdicti sint de iure naturali, ac proinde nunc in lege Euangelica obligent. Posterior, esto non omnes illi sint legis naturæ, an saltem iure naturæ vetitum sit matrimonium in aliquo consanguinitatis gradu lineæ transuersæ. Moneo autem, circa primam, gradus illos non obligare in lege Euangelica ex eo, quod in veteri interdicta fuerint: imo esse hæreticum, asserere, ideo interdictos esse nunc eos gradus, quod in Leuitico prohibiti sint. Quia de fide est, legem veterem cessasse. Nec posse etiam dici, ex mero iure diuino nunc obligare: tùm quia nullus est locus in nouo Testamento, in quo ea prohibitio contineatur: tum etiam quia nullum est hodie ius merè diuinum, præter fidei, & Sacramentorum præcepta. Quare Doctores contendentes eam prohibitionem nunc vigere, necessariò tenentur dicere non fuisse iuris diuini peculiariter Hebræis tradiri: sed pertinuisse ad prohibitionem moralem iuris naturalis diuini, vt fuêre præcepta Decalogi illis tradita. Pergo ad quæstionem.

132 *Omnes illi gradus nunc coniugia dirimunt.*

Omnes gradus *Leuit.* 18. expressi obligant in noua lege, ac proinde in illis fuit prohibitum iure ipso naturæ matrimonium. Vnde erit prohibitus iure naturæ primus gradus consanguinitatis in linea transuersa æquali, vt inter Fratres, & Sorores: & secundus in eadem linea transuersa inæquali, vt inter nepotem, & amitam, vel materteam. Quia Deus ipse *Leuit.* 18. tradens ea præcepta, videtur manifestè declarare, prohibitionem eorum graduum non pertinuisse ad præcepta iudicialia, aut cæremonialia illius peculiaris legis, quæ morte Christi Domini erant peritura: sed ad præcepta moralia iuris naturalis, quæ ad omnes homines, vniuersáque ad tempora pertinent. Nam postquam tradidit ea præcepta, subdidit: *Ne pollnamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo.* Ergo manifestè declarat, prohibitionem illam iuris naturalis fuisse: aliàs gentes soli iuri naturali subiectæ, minimè sceleris arguerentur, quòd in gradibus ibi prohibitis contraxerint. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *qu. vnic. art.* 3. *ad* 3. D. Bonauent. *ibi. art.* 2. *qu.* 4. Richard. *dist.* 40. *art. vnic. quæst.* 5. Paludan. *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 5. *concl.* 2. *num.* 27. Rosel. *ver. Impedimentum, impedim.* 5. *num.* 5. Angel. *verb. Matrimonium,* 3. *impedim.* 18. *numer.* 2. Sylvest. *verb. Papa, quæstion.* 17. Tabie. *verb. Dispensatio. quæst.* 4. *num.* 5. & alij.

133 *Non omnes illi gradus nunc dirimunt matrimonium.*

Non omnes illi gradus consanguinitatis, vel affinitatis *Leuit.* 18. prohibiti sunt de iure naturali irritanti matrimonium in eis initum: atque adeò non obligant omnes illi in lege Euãgelica. Quia præcepta illa certos gradus in coniugiis prohibentia erant secundum quid moralia, in quantum decentiam aliquam naturalem præ se ferebat, abstinere ab illis matrimoniis, re vera erant simpliciter iudicialia: quippè ad iustitiam, & Reipublicæ stabiliendam pacem tendebant. Si enim matrimonium consanguineorum interdicebatur, necessariò inter extraneos erat ineundum, per quorum coniunctionem pax dilatatur. Et quia *Leuit.* 18. interdicitur matrimonium nepotis cum amita, vel materteræ: cum tamen non vetetur neptis cum patruo, vel auunculo coniunctio: & tamẽ sunt in eodem secundo gradu lineæ transuersę inæqualis: Ergo signum est, eam prohibitionon esse iuris naturæ, sed ad cæremoniam peculiarem illius Hebrææ gentis pertinere. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 40. *q. vni. a* 2. Caiet. *c.* 18. *Leuit.* & 2. 2. *qu.* 154. *art.* 9. Duard. Abul. Sotus, Couar. Gabri. Ledesm. 2. Veracruz, & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib.* 7. *dub.* 52. *num.* 6. & omnes moderni.

134 *Iudicio sentẽtiam primam iam non posse sustineri.*

Hæc sententia adeò est vera, vt prima iam sustineri non possit. Quia id expresse definit Innocent. III. *cap. Gaudemus, de diuort.* Vbi ait, matrimonia infidelium in secundo, tertio, & aliis gradibus contracta, non esse dissoluenda, cum ad fidem veniunt, ex eo quod illi non tenerentur, legibus Canonicis obedire: Ergo cõsanguinitas in his gradibus Canonicum solummodo est impedimentum, non naturale. Id ipsum definitur in Concilio I. Agathen. *c.* 61. & in Aurelianen. IV. *c.* 27. & in aliis, vt annotat Basil. *l.* 7. *c.* 32. & Sancius *citat.* Vnde Valent. 4. *p. d.* 10. *q.* 5. *pun.* 3. nostræ hærens sententiæ adiicit, omnes orthodoxos iam in hoc conuenire:

& nullo modo esse tolerandum contrarium errorem, quem olim Catholici Doctores scripsere.

DVBIVM XXXIV.

An Matrimonium contractum in primo gradu, lineæ transuersæ, nempè inter Fratrem, ac Sororem iure naturali irritum?

235 *Est iure naturæ irritum.*

SEcundam quæstionem dubio proximo propositam iam euoluo. Esto omnes gradus in linea transuersa consanguinitatis prohibiti *Leuit.* 18. non sint de iure naturæ, num sit saltem aliquis gradus in ea linea, qui ita iure naturæ interdicat matrimonium, vt illud irritet? Primus gradus lineæ transuersæ, vt inter Fratres, & Sorores est interdictum iure naturæ matrimonium. Quia Innocent. III. *cap. Gaudemus, de diuort.* decernit, infideles conuersos ad fidem non separandos esse à coniugio tempore infidelitatis inito in secundo, & alij vlterioribus consanguinitatis gradibus: quod legibus Ecclesiæ arctati non fuerint. Ergo à contrario sensu, quando sunt coniuncti in primo gradu, censet Pontifex, esse separandos, quod gradus iure naturali matrimonium irritet. Et quia Abrahamus *Gen.* 20. propterea suasit Saræ, vt dissimulans, se vxorem ipsius esse, diceret se esse sororem: quasi compertum genti illi barbaræ supponens, eam, quæ soror esset, non posse fratris vxorem existere. Quapropter vbi primum Abimelech dignouit, Saram vxorem esse Abrahæ, sine dubitatione intellexit, non esse veram sororem: & ideo conquestus est, quod ipsum decepisset, dicens ipsius esse sororem. Et quia inter Fratres, & Sorores est quidam naturalis pudor, & quædam naturalis reuerentia, cui valde actus coniugalis turpitudinem alterius detegens aduersatur. Et quia nunquam Ecclesia in hoc gradu dispensauit, cum non semel id fuerit à Pontifice postulatum. Sic Sanchez *lib. 7. dub. 52. num.* 11. cicans Sotum, Henriquez, Valent. vtrumque Ledesm. Tolet. & alios vsque ad vndecim Doctores. Ioan. de Cruce *quæstion. 4. de matrimon. articul. 4 concl. 3.* Vasquez 1. 2. *dub.* 112. Rebel. *libr. 3. quæstion. 5. num.* 13. Bonacin. *quæstion. 3. punct. 5. num.* 12. Gutierrez *cap. 98. num.* 20. Villalob. *tract. at.* 14. *diffic. 8. num. 6.* & alij asserentes non solùm esse illicitum hoc matrimonium (in quo omnes conueniunt,) sed & irritum naturali iure, ideóque à Pontifice indispensabile.

236 *Non est irritum iure naturæ.*

In nullo gradu lineæ transuersæ consanguinitatis est ita iure naturæ interdictum matrimonium, vt eodem iure attento irritum sit: vnde attento solo iure naturæ, validum est matrimonium inter Fratrem, & Sororem. Quia Abrahamus vir Sanctissimus duxit Saram, de qua tamè ipse *Gen.* 20. ait: *Vere soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ.* Vnde vere sororem eius fuisse testantur D. Hieron. *qq. Hebr. in Gen.* Clem. Alex. *l. 2. Strom.* Caiet. *ad Geneseos locum.* Sotus *l. 2. de iust. qu. 3. art. 8. ad* 4. Et quia 2. *Reg.* 13. cum Thamar Filia Dauid à Fratre suo Amon opprimeretur, sic profatur: *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere stultitiam hanc: quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Non ergo inusitatum erat, aut nefas existimatum inter Fratres, & Sorores coniugio colligatos. An non mundi initio fratres suas ducebant vxores? Ita quidem, nec de diuina dispensatione constat. Ita Basil. *lib. 7. cap. 32. à num. 3. vsque ad* 14. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art. 9. ad* 3. Caiet. *ibi.* Scot. *in* 4. *dist.* 40. *qu. vnic. art.* 2. Durand. *qu. vnic. num.* 9. Coninch. *dub.* 31. *num.* 19. Hurtad. *dub.* 17. *diffic.* 5. Cornejo *d. 7. dub.* 13. & *vltim.* & alij viginti sex Doctores apud Sancium *citatum*, & me citato, Diana *part.* 8. *tract. at.* 1. *resolut.* 70.

Probabiliorem hanc reor esse sententiam. Quia cum Frater, ac Soror non sint directè vna caro, vt sunt pater, & filius: nec inter ipsos repugnet æqualitas, nec sit mutua reuerentia debita, quia neuter est superior: non video vnde matrimonium inter eos initum coniugij substantiæ aduersari: ac proinde nulla tenus erit iure naturæ irritum. Profectò quod iuri naturali contrarium est, omnes gentes detestantur, nullóque tempore licitum esse reperitur: at coniugia fratrum mundi initio licita fuisse quis ambigat? Infero, posse Pontificem in fratrum coniugio dispensare, quod si non gessit vnquam prudentissimæ voluntatis, non absolutæ potestatis indicamentum. 237 *Hoc mihi est probabilius.*

CAPVT XXIV.

Circa Cognationem Spiritualem. *Cognatio Spiritualis*

DVBIVM XXXV.

An per Sacramentum Pœnitentiæ contrahatur, aliquod cognationis spiritualis vinculum, ratione cuius sit specialis luxuriæ circumstantia necessario confitenda, ac confessionis filiam accessisse?

CErtum est, Spiritualem Cognationem, ex qua matrimonium dirimitur, solùm ex Sacramentis Baptismi, ac Confirmationis ortum habere. Sic deciditur *cap. final. de cognat. spirit.* Quia cognatio spiritualis solùm contrahitur ex spirituali generatione, sicut cognatio carnalis ex generatione carnali. At generatio spiritualis est duplex vna per Baptismum, in quia regeneratur homo quasi fouendus intra Ecclesiæ vterum: & altera per Confirmationem, per quam iam baptizatur roboratur, ex quasi extra Ecclesiæ vterum spiritualiter exponitur. Quæsierim igitur, num ex Sacramento Pœnitentiæ nascatur saltem cognatio quædam spiritualis, inter Confessarium, ac fœminam pœnitentem, quæ licet non inducat effectum 238 *Nonnulla præmitto.*

fectum impeditiuum matrimonij inducat peccatum incestus, ratione cuius sit necessario aperienda in confessione circumstantia accessus ad confessionis filiam.

239 Contrahitur vinculum. Est necessario aperienda. Quia quædam ex Sacramento Pœnitentię cognatio contrahitur *cap. Omnis, 30. q. 1.* quod est ex Symmacho Papa ibi: *Omnes, quos in pœnitentia accepimus, ita filij nostri sunt, vt in Baptismate suscepti*, & addit: *Quapropter hoc scelus si quis perpetrauerit, non solum dignitatis honorem amittat: verum etiam vsque ad exitum vitæ suæ, iugi pœnitentiæ se subdat.* Quo ex textu Paludan. *in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 1. concl. 2. num. 7.* & Supplement. Gabriel. *quæstion 1. articul. 2. concl. 1.* colligunt, oriri ex Sacramenta Pœnitentiæ cognationem spiritualem: non tamen ad effectum impediendi matrimonium. Si ergo est specialis prohibitio iure humano (in textu allegato, & *cap. final. de cognat. spirit. in 6.*) ob specialem Sacramenti reuerentiam, in quo contrahitur quædam familiaritas, & Confessario aperitur, ipsique est debita quædam reuerentia, & subiectio: peccatum fornicationis admissum contra hanc specialem prohibitionem in Sacramenti reuerentiam institutam, habebit iure Ecclesiastico specificam sacrilegij malitiam necessario fatendam. Sic Tabie. *verb. Circumstantia, fine.* Armil. *ibi, num. 12.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instruct. cap. 55.* Henriquez *lib. 12. cap. 11. num. 1.* Barth. à Ledesm. *de confess. dub. 10.* docens esse, speciale peccatum, quod ad incestum, vel sacrilegium reducitur: & quamuis ea circumstantia non mutaret speciem, esse aperiendam. Manu. *tom. 1. sum. cap. 209. num. 1.* Vega. *tom. 1. sum. cap. 55. casu 19.* ait notabiliter aggrauare, ac proinde detegendam esse, & multi viri Doctissimi Neotherici, quos presso nomine memorat, & sequitur Sanchez *libr. 7. dub. 55. numer. 3.*

240 Non contrahitur. Non est necessariò aperienda ea circumstantia. Quia ex Pœnitentiæ Sacramento nulla spiritualis cognatio contrahitur, vt constat ex *cap. final. in fine, de cognat. spirit. in 6.* vbi postquam decisum est, cognationem hanc oriri ex Baptismo, & Confirmatione, sic dicitur: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissoluat.* Ergo non est, cur accessisse ad confessionis filiam sit circumstantia necessario fatenda. Nec enim in toto iure Canonico decisum reperitur, cognationem aliquam, aut vinculum aliquod speciale ex confessione oriri, vnde specialis hæc luxuriei circumstantia oriatur. Et quia hoc peccatum non est incestus, nec enim est accessus ad cognatam: nec Sacrilegium, nam Sacramento non infertur iniuria, cum illud non sumatur, vt medium ad hoc peccatum, atque Sacramentum iam transierit. Nec potest dici, esse circumstantiam notabiliter aggrauãtem, (quamuis hæc necessariò deberet aperiri) nam sublata dicta cognatione, non est, cur notabiliter aggrauet. Ita Basil. *libr. 7. cap. 38. num. 7.* Sà *verb. Confessio, num. 25.* Trullench. *lib. 7. cap. 6. dub. 8. num. 3.* Leand. *tract. 9. d. 12. q. 14.* Petr. de Ledes. *de matrim. q. 56. art. 2. dub. vltim.*

241 Hanc sententiam elligo, & confirmo. His adhæreo existimans circumstantiam hanc minimè esse necessario in confessione aperiendam non solum quia speciem haud mutare sentio, sed & quia nec notabiliter aggrauare puto. Verùm secluſa cognatione spirituali, quæ iure Ecclesiastico oritur ex Baptismo, ac Confirmatione, non esset specialis circumstantia, fornicari baptizantem, vel confirmantem, vel susceptorem, cum à se baptizata, confirmata, vel susceptа in his Sacramentis: ergo cum talis cognatio non nascatur ex confessione, similiter non erit specialis circumstantia. Dic mihi, si Sacerdos incitet, ad alia peccata simul patranda, illum, cuius confessionem aliquando audiuit, vt ad simul vindicandam iniuriam, furandum, dicet ne aliquis, consurgere circumstantiam necessariò fatendam, ex eo quod eius confessionem audierit? Et quamuis olim iure Ecclesiastico inducta fuerit huiusmodi cognatio, iam prorsus est abolita, vel contraria consuetudine, vel constitutione Bonifacij VIII. relata *in cap. final. de cognat. spirit. in 6.*

DVBIVM XXXVI.

An infidelis baptizans filium fidelis, contrahat spiritualem cognationem cum baptizato, ac eius parentibus?

242 Nõnulla suppono. REColo *sectione 1.* hoc cognationis impedimentum contrahi inter baptizantem, vel confirmantem, & baptizatum, seu confirmatum, & eorum patrinos: inter parẽtes baptizati, vel cõfirmati, & eius patrinos: & inter parẽtes, & baptizantẽ, ac confirmantẽ. *Trid. sess. 24 c. 5.* Quæsierim autem, num infidelis eluens fidelis filium huiusmodi cognationem cum baptizato, ac eius parentibus contrahat?

243 Cognationem contrahit. Contrahit quidem. Quia puer baptizatus ab infideli recipit verè ab eo esse spirituale. Ergo manet verè spiritualis filius illius, ac subinde vera cognatio contrahetur. Sic Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 4. litter. T.* Angl. *verb. Baptismus 8. num. 1.* & *verb. Matrimonium 3. imped. 7. num. 10.* Sotus *in 4. dist. 4. qu. vnic. ar. 5.* Bellarm. & Comitol. apud Bauni. *tract. 12. de cognat. spir. quæstion. 4.*

244 Non contrahit cognationem. Minimè contrahit; nec enim infidelis capax est huiusmodi cognationis. Quia sicut non habens vitam carnalem non potest carnaliter esse cognatus, ita carens spirituali vita non potest cognatus spiritualiter esse. Ita Sanch. *lib. 7. dub. 60. num. 7.* triginta supra septem Doctores secutus. Basil. *lib. 7. cap. 40. num. 2.* Coninch. *dub. 32. num. 25.* Hurtad. *disp. 18. diff. c. 2. nu. 6.* Ochag. *tractat. 3. quæstion. 57. numer. 3.* Bauni. *citatus*, & alij.

245 Huic sententiæ. Huic sententiæ velut verissimæ adhæreo. Quia sicut ad carnalem cognationem inter aliquos, desideratur processio vtriúsque ab eodem stipite secundum carnalem propagationem: ita ad spiritualem exigitur processio vtriúsque ab eodem stipite, nempe Christo Domino secundum spiritualem regenerationem, mediante visibili Baptismi Sacramento. Certè cum cognatio hæc sit ex mero Ecclesiæ instituto, nequit ab infidelibus contrahi, vtpotè qui Ecclesiæ legibus minimè subduntur.

DVBIVM

DVBIVM XXXVII.

An fidelis baptizans filium infidelis, contrahat cum patre infideli cognationem?

246 *Contrahit quidem.* QVæsierim, num infidelis capax sit passiuæ cognationis: ita vt si fidelis baptizet, vel teneat in Baptismo infidelis filium: contrahat fidelis ex parte sua cognationem cum parentibus illius pueri infidelibus, quamuis parentes infideles eam non contrahant, sed terminent illam cognationem actiuam à fideli contractam? Fidelis ex parte sua contrahit cognationem cum parentibus infidelibus illius pueri, quamuis illi non contrahant: ac proinde infideles sunt capaces cognationis spiritualis passiuæ. Vnde non potest consistere matrimonium inter parentes illos postea baptizatos cum fideli, qui eorum filium diluerat, vel susceperat. Quia quamuis infidelis ex parte sua sit cognationis spiritualis expers: at fidelis capax est illius, ac legi Ecclesiasticę subditur statuenti, vt quicúmque baptizans, vel suscipiens illam contrahat: ergo ex parte sua contrahet tanquam vere baptizans, verúsque susceptor. Sic D. Anton. 3. *part. tit.* 11. *cap.* 13. §. 14. Viuald. *Candelab. part.* 1. *vbi de matrim. num.* 163. Veracr. *part.* 1. *spec. art.* 56. *concl.* 6. Matien. *l.* 5. *recopil. tit.* 1. *gloss.* 1. *num.* 169. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 11. *num.* 3. Angel. *verb. Matrimonium*, 3. *numer.* 11. Sylvest. *verb. Matrimonium*, 8. *quæstion.* 7. *dicto* 12.

247 *Non contrahit.* Fidelis baptizans, aut suscipiens filium infidelium non contrahit ex parte sua spiritualem cognationem cum parentibus infidelibus: nec hi capaces sunt huiusmodi passiuę cognationis: vnde potest consistere matrimonium inter eos postea dilutos cum fideli illo. Quia cum cognatio spiritualis sit quædam relatio, non potest ab vno contrahi quin ab vtróque contrahatur: quippe relatio duo extrema necessariò requirit. Cum igitur infidelis incapax sit cuiuscúmque spiritualis cognationis, nequibit fidelis eam cum infideli contrahere. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *a.* 3. Basil. *l.* 7. *c.* 40. *num.* 2. 3. & 4. Cornejo *d.* 7. *dub.* 16. Sotus, Palac. Barth. & Petr. de Ledes. Vega, Gallego, & alij, quos citat, ac sequitur Sanch. *l.* 6. *d.* 60. *num.* 14.

248 *Hæc pars mihi longè est probabilior.* Hæc pars longè est probabilior. Quia nec matrimonium, nec cognatio carnalis, nec legalis potest nisi inter duo extrema habilia consistere. Vnde colligo eam spiritualem cognationem non conualescere, seu de nouo oriri cum parentibus illis infidelibus, licet postea baptizentur. Quia quod à principio fuit irritum nequit conualescere, *Regu. Non firmatur. de regul. iur. in* 6. & *Regu. Quod ab initio. ff. de regul. iuris.* Potest igitur matrimonium consistere inter fidelem sic baptizantem, vel suscipientem, ac parentes illius infideles, si postea diluantur. Quia nulla inter illos spiritualis fuerit suborta cognatio.

CAPVT XXV.

Circa Cognationem Legalem. Cognatio Legalis.

DVBIVM XXXVIII.

An adoptio imperfecta dirimat matrimonium?

249 *Nonnulla suppono.* RECOLO duplicem esse adoptionem *Perfectam*, & *Imperfectam*. Perfecta est, per quam adoptatus transit perfectè in adoptantis potestatem, & dicitur *Abrogatio*, seu *Adrogatio*. Imperfecta autem, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis; & hæc, communi nomine retento, dicitur *simplex adoptio* Ambigitur autem, nùm vtraque adoptio matrimonium dirimat?

250 *Imperfecta adoptio non dirimit.* Solùm adoptio perfecta dirimit: imperfecta verò impedit quidem, sed non dirimit matrimonium. Quia cognatio hæc introducta est à iure positiuo, ad impediendam fornicationem, quæ facilè esse potest inter personas in eadem domo commorantes: sed per adoptionem imperfectam non traducitur adoptatus in domum, nec in adoptantis potestatem: Ergo ea matrimonio non obstat. Sic Henriq. *l.* 12. *c.* 12. *n.* 3. Petr. de Ledes. *q.* 57. *a.* 2. Sylvest. *v. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dicto* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. Viguer. *l. institut. c.* 16. §. 7. *vers.* 9. *imped.* 9. Sanch. *l.* 7. *d.* 63. *n.* 9. Bonac. *q.* 1. *pun.* 5. §. 3. *num.* 2. citans Reginal. & Coninch. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *nu.* 199. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 7. *n.* 3. Tanner. *in* 3 *p. d.* 8. *quæst.* 4. *dub.* 4. *numer.* 74. Diana *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 120.

251 *Imperfecta adoptio dirimit.* Etiam ex adoptione imperfecta oritur legalis cognatio matrimonium impediens, ac dirimens. Quia omnes textus, in quibus hæc cognatio statuitur de adoptione indistincte loquuntur. Et quia licet sic imperfectè adoptatus non transeat in adoptantis potestatem: acquiruntur tamen ei quædam iura ex adoptione, quæ per emancipationem dissoluuntur. *leg. pen. §. pen. de adopt.* Ita Scot. Tolet. Lopez, Richar. Paludan. Petr. de Soto, & alij vsque ad triginta supra septem Doctores, quos Sanch. *citat. n.* 8. refert. Basil. *l.* 7. *c.* 41. *n.* 2. Leand. *tr.* 9. *d.* 12. *qu.* 23. Hurtad. *d.* 19. *diffic.* 2. Villalob. *tr.* 14. *diffic.* 10. *n.* 7. Luis. de Torres *sum. p.* 2. *c.* 117. *n.* 2. Rebel. *l.* 3. *q.* 7. *n.* 15. Gutier. *c.* 102. *n.* 5.

252 *Primam eligit partem.* Primam eligo partem. Quia cum matrimonium sit res valde fauorabilis, iura illud prohibentia potius debent restringi, vel saltem coarctari ad propriam, & perfectam verborum significationem: At simplex adoptio cum sit imperfecta, non dicitur absolute talis: imo iuxta D. Th. *in* 4. *dist.* 42. *a.* 1. *ad* 1. potius dicenda dispositio quædam ad perfectam adoptionem.

DVBIVM

DVBIVM XXXIX.

An cognatio legalis in linea transuersa dirimat matrimonium?

253 Nihilo minus. RVeoco ad memoriam, tres esse Legalis cognationis species. Prima est in linea recta ascendentium, & descendentium, nempè patris adoptantis, & filij adoptati, ac descendentium eius vsque ad quartum gradum. Secunda est in linea transuersa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Tertia species est *quasi legalis affinitatis*, inter adoptantem, & vxorem adoptati: & inter adoptatum, ac adoptantis vxorem. Equidem de prima specie ascendentium in linea recta nullus dubitat, quin subsequens matrimonium dirimat inter abrogantem scilicet, ac personas abrogatas ob textus id clare asserentes. De tertia specie, nimirum de affinitate legali aliqui (quos presso nomine refert Hostiens. *cap. vnici. num. 3. de cognat. legal.*) asseruere non obstare matrimonio contrahendo; quia ius Canonicum, à quo solo possunt coniugij impedimenta dimanare, eius cognationis non meminerint. Sed iure optimo hanc sententiam reprobat Hostiens. & alij. Nam reliqui Doctores tanquam rem exploratam statuunt, eam cognationem dirimere coniugium. Igitur de secunda legali cognatione nimirum in linea transuersa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis quæsierim, num matrimonium dirimat?

254 Non dirimit sed impedit solum. Non dirimit, sed solum impedit. Quia frustranea esset separatio inter eos fratres, naturalem scilicet filium patris adoptantis, & filium adoptiuum: cum statim possint matrimonio colligari, soluta adoptione per emancipationem. Sic Speculator *titul. de cognat. legal. §. vnic. num. 1.* Ioan. Andre. *ibi, 1. addit.* Præposit. *c. vnic. in fine, de cognat. legal.* Gaeta *repetit. cap. Ad limina, 30. quæstion. 1. Paragraph. 4. num. 405.*

255 Non solùm impedit, sed & dirimit. Non solùm impedit, sed & matrimonium. Quia *cap. vnic. de cognat. legal.* dicitur, nuptias consistere non posse inter filium legitimum, & sororem adoptiuam: at verbum, *Non posse consistere*, Sonat esse dissoluendas, vel non posse permanere. Adde, verbum *Potest*, præposita negatione, tollere potentiam, & reddere actum nullum, vt probat Sanchez *libr. 6. d. 38. num. 20.* Ita ipse *lib. 7. dub. 63. nu. 15.* Nauar. *sum. cap. 22. num. 44.* Durand. *in 4. dist. 42. quæstion. 2. num. 7.* Paludan. *ibi, qu. 1. art. 2. concl. 6. num. 24. & concl. 7. num. 29.* Supplement. Gabriel. *quæst. 1. art. 2. concl. 6.* Sotus *quæst. 2. art. 2.* Petr. de Soto *lect. 11. de matrimon. §. de cognat. legal.* Valent. *part. 4. dub. 10. 9. 5. punct. 3.* Tolet. *libr. 7. sum. cap. 4. num. 7. & 8.* Henriquez *libr. 12. cap. 12. num. 3.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de imped. n. 6.* Rebel. *lib. 3. qu. 7. num. 4.*

256 Hoc certum omnino, cum differentia qualam. Mihi non dubium, cognationem legalem secundum tres assignatas species matrimonium dirimere cum hac tamen differentia, quod prima, & tertia dirimant in perpetuum, etiamsi adoptio legitime cesset: at vero secunda (de qua quæstio) in perpetuum non dirimat, sed quamdiù durat adoptio: quod constat ex *cap. 1. 30. quæstion. 3.* & ex *cap. vnic. de cognat. legal.* Porrò adoptio hæc extinguitur, vel morte ciuili, vel naturali, vel emancipatione, vel si adoptatus contrahat incestuosas nuptias, vel si fiat Patricius, aut Episcopatu potiatur.

DVBIVM XL.

An duo ab eodem adoptati, possint inter se valide coniugium inire?

257 Minimè possunt. NOn possunt. Quia in eadem domo commorari debent cum parente adoptante: vnde adest fornicationis periculum cuius vitationem huius prohibitionis fuisse, constat. Deinde quia *cap. vnic. de cognat. legal.* dicitur. *Si qua per adoptionem mihi soror esse coperit, quamdiù durat adoptio, nuptiæ inter me, & ipsam consistere non possunt.* At soror adoptiua est fratris adoptiui soror: ergo. Sic Angel *verb. Matrimonium, imped. 3.* Petr. de Ledesm. *quæst. 57. artic. 3.* Barthol. à Ledesm. *dub. 47. de matrimon.* Ochagau. *tractat. 3. quæstion 58.* Merat. *tom. 3. d. 9. de matr. sect. 10. num. 3.* Ludou. de S. Iuan. *qu. 6. de matr. art. 11. dub. 5.*

258 Possunt omninò. Possunt omninò. Quia nulla inter illos cognatio oritur, cum nullo iure sit statuta. Nam Caput vnicum *de cognat. legali*, pro prima parte citatum, loquitur de vera filia patris adoptantis, quæ incipit esse soror adoptiui filij sui legitimi patris. Nec hæc impedimenta ex sola rationis similitudine sunt inducenda. Ita Sanchez *lib 7. dub. 63. num. 28.* citans viginti tres Doctores. Basil. *lib. 7. cap. 41. num. 2.* Diana *part. 4. tractat. 4. resolut. 121.* Cornejo *d. 7. dub. 19.* Bonacin. *quæst. 3. pun. 5. §. 3. num. 7.* Hurtad. *dub. 19. diffic. 3.* Leander *tractat. 9. dub. 12. quæstion. 26.* & alij.

259 Hoc probabilius reor. Hoc pobabilius reor. Quia si inter filios spirituales eiusdem patris spiritualis, qui magis iuncti sunt inter se, quam legales, potest consistere matrimonium: à fortiori quidem inter legales.

DVBIVM XLI.

An adoptatus possit inire coniugium cum filia illegitima adoptantis?

260 Minimè potest. MInimè potest. Quia sicut filius illegitimus nequit contrahere cum consanguineis patris, ita nec cum filiis eius adoptiuis. Et quia *cap. Ita diligere, 30. quæstion. 3.* dicit, inter filium naturalem, & adoptatum non posse esse matrimonium. Sic Abbas *cap. vnic. de cognat. legal.* Cardin. *ibi, num. 2.* Angel. *verb. Matrimonium 3. impedim. 8. num. 4.* Gregor. Lopez *lib. 7. verb. Los fijos, titul. 7. par. 4.* Et ait esse probabile Petr. de Ledesm. *citandus*, Bonacin. *quæstion. 3. punct. 5. §. 3. numer. 8.* citans Perez, Sà, & Coninch. Diana *part. 4. tractat. 4. resolut. 121.*

Potest

261 *Potest quid?* Potest omninò. Quia nulla inter eos cognatio abest: cum enim cognatio orta inter filios legitimos, & adoptiuos cesset soluta patria potestate: à fortiori non contrahetur, vbi carnalis filius est talis, vt in patriam potestatem non transeat: quales sunt illegitimi. *Institut. de nuptiis, §. vltim.* Ita Nauar. *sum. cap. 22.* vtérque Ledesm, Henriquez, & alij vsque ad triginta supra vnum Doctores, quos citat, ac sequitur Sanch. *l. 7. d. 63. num. 30.* Perez, Coninch, & Sà, quos refert, ac imitatur Bonacin. *qu. 2. punct. 5. §. 3. num. 8.* Cornejo, & Ludou. de S. Iuan. apud Leandrum *tr. 9. d. 12. q. 27.* Qui hanc partem probabilem esse fatetur.

262 *Hanc partem multo probabiliorem reor.* Ego autem hanc partem multo probabiliorem esse putarim. Quia filius illegitimus est cõiunctus vinculo naturalis consanguinitatis cum patre, & sic cum eius consanguineis. At cum adoptiuus nullum est vinculum naturale, sed solùm ciuile: & cum hoc solummodo duret inter fratres, quamdiù durat patria potestas, non contrahitur inter illos, qui in patriam potestatem minimè transeunt. Porrò textus pro parte prima adductus nomine filij naturalis intelligit carnalem, vt distinguitur à spirituali filio: & quamuis filius illegitimus sit verè carnalis: at ratio adducta nos cogit, vt eum textum de filio carnali legitimo intelligamus.

DVBIVM XLII.

An cognatio legalis impediens, ac dirimens matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, eiúsque descendentes protrahatur in infinitum?

263 *In infinitum protrahitur.* IN infinitum protrahitur: vnde adoptans, nec cum adoptato, nec cum aliquo eius descendente poterit vnquam coniugio colligari. Quia *Institut. de nuptiis, §. Ergo non omnes*, postquam textus decidit, in linea consanguinitatis ascendentium, & descendentium prohiberi matrimonium in infinitum, hæc adiicit: *Et hæc adeò vera sunt, vt quamuis per adoptionem parentum liberorúmve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio iungi.* Quare cum hoc impedimentum cognationis legalis sit iure ciuili inductum, & id ius ciuile sit approbatum indistinctè quoad hoc impedimentum à iure Canonico, *6. Ita diligere, 30. qu. 3.* dicendum est, hoc impedimentum extendi ad omnes descendentes in quocúmque gradu vsque in infinitum. Sic D. Tho. *in 4. dist. 42. q. 2. a. 3.* Paludan. *ibi, q. 2. a. 1. concl. 6. num. 24.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 13.* Sylvest. *verb. Matrimonium, 8. q. 8. dicto 2.* Tabie. *verb. Impedimentum, impedim. 6. q. 1. num. 2.* Veracr. *part. 1. spec. art. 60. concl. 1.* Barthol. à Ledesm. *dub. 47. concl. 2.* Vgolin. *de Sacramen. vbi de matrim. c. 19. num. 3.* Gregor. Lopez *lib. 7. verb. Nunca. & l. 8. fin. tit. 7. p. 4.*

264 *Non protrahitur in infinitum.* Non protrahitur in infinitum, sed solùm dirimit cognatio hæc matrimonium inter adoptãtem, & adoptatum, ac adoptati descendentes vsque ad quartam generationem. Quia cum sit restricta consanguinitas ad quartum gradum, vt in iis gradibus solùm obstet matrimonio per *cap. Non debet, de cõsanguin.* à fortiori vsque ad eundem gradum videtur cognatio legalis esse restricta. Ità Sotus *in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 2. concl. 2.* Nauar. *sum. cap. 22. num. 45.* Sà *ver. Matrimonium, de impedim. dirim. num. 6.* Toler. *lib. 7. sum. cap. 4. num. 7.* Valent. *4. p. d. 10. quæst. 5. punct. 3.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 1. l. 2. cap. 11.* Petr. de Ledesm. *de matrim. qu. 57. art. 3.* Basil. *libr. 7. cap. 41. numer. 3.* Ludouic. de S. Iuan. *quæst. 6. art. 11. dub. 3.* Leand. *tract. 9. dub. 12. quæstion. 27.*

Ego quidem cum Sancio *l. 7. d. 63. num. 34.* existimo textum illum, qui decidit cognationem legalem inter adoptantem, & adoptati descendentes protrahi in infinitum, intelligendum esse de ascendentibus adoptantibus, & descendentibus adoptatis: & non de aliis. Quare non poterit adoptans contrahere matrimonium cum filiis suis adoptiuis, neque cum filiis, ac nepotibus eius filij adoptiui, aliisve eius descendentibus, qui in eius filij, dum adoptiuus fuit, potestate erant constituti: at poterit contrahere cum filiis, vel quibuscúmque descendentibus filij adoptiui, qui extra eius potestatem aderant tẽpore adoptionis. Quia adoptata aliqua persona, censentur adoptati filij, & descendentes omnes solùm, qui in adoptati potestate erant tempore adoptionis. Vt expresè deciditur, *leg si paterfamilias. 15. in principio, ff. de adopti.* Cum ergo illi descendentes in quouis gradu, qui tunc erant sub adoptati potestate, sint etiam verè adoptati, iure optimo inter illos, & adoptantem coniugium interdicitur. Si autem erant extra adoptati potestatem, non censeantur adoptati, nulla ratione prohibetur matrimonium adoptantis cum illis: vtpotè inter quos nulla cognatio legalis intercedit. Sequor D. Thomam *in 4. dist. 42. quæstion. 2. articul. 3. ad 4.* D. Antonin. *3. p. titul. 1. cap. 13.* Sylvest. *verb. Matrimonium, 8. quæstion. 8 dicto 2.* 265 *Auctoru. resoluio.*

CAPVT XXVI.

Circa Impedimentum Criminis.

DVBIVM XLIII.

An si coniux coniugem interimit, non animo contrahendi coniugium cum altero, sed ex odio, vel vt liberius libidini inseruiat: Homicidium hoc dirimat subsequens matrimonium?

266 *Nouum & rarum.* AD memoriam reuoco ex *sectione. 1.* duo esse crimina, quæ matrimonium dirimunt, ad quæ reducuntur tria, vel quatuor, quæ aliqui referunt: nempè Homicidium, & Adulterium. Quæ quidem dirimunt coniugia non iure naturæ, sed Ecclesiæ, quod inductum fuit hoc impedimentum, ad consulendum coniugum incolumitati, & mutuo amori. *cap. 1. de conuer. infidel. cap. si quis viuente, 31. quæstion. 1.*

&

& c.1.2.3.4.5.& 6 de eo,qui duxit in matrim.& ex *Trid. sess.* 24. Nonnullæ conditiones requiruntur, quas quæstionibus sequentibus adducam ad trutinam. Quęsierim in primis,num necessarium sit,illam coniugis interfectionem vestiri fine ineundi alterius matrimonij, vt sit dirimens matrimonium:an sufficiat factum fuisse huiusmodi homicidium ex odio, vel vt liberius homicida coniux libidini inseruiat?

267 *Homicidium ex odio dirimit matrimonium.* Non est necessarium,fieri homicidium eo fine,vt cum altero coniugium ineatur,sed sufficit geri ex odio, aut liberius veneri indulgendi causa. Quia nullo in textu expresse huiusmodi conditio reperitur. Sic Caiet.*sum.v. Matrimonium.c.*1.*impedim.*5. Scot.*in* 4. *dist.*35. *qu. vnic.* Petr.Soto *lect.*11.*de matr.in imped. crimi.casu* 2. Armil.*ver. Matrimonium n.*30. Angl.*p.*1.*vbi de matr.q.*9 *a.*3.*dub.*1. *concl.*1. Ouand.*in* 4.*dist.*35. *d.vnic.* Pedraza *sum.prac.*6. *vers.*14. & nonnulli ex Iurisperitis.

268 *Non dirimit.* Necessarium est, homicidium geri fine ineundi cũ altero matrimonij, nec sufficit ex alio fine patrari. Quia finis, ac ratio inducendi huius impedimenti,fuit, ne coniux coniugem interimeret, vt eo matrimonio soluto, aliud iniret cum persona, cuius captus est dilectione. Quæ ratio nunquam habet locum,quoties coniugis interfectio eo non tendit, vt aliud matrimonium cum ea persona ineatur. Ita D.Thom. *in* 4.*dist.*37.*q.*2.*ar.*2.*corpo.* D.Bonau.*ibi,a.*3 *q.*2. Durand.*q.*2.*n.*6. Richard.*a.*2.*q.*2. Henriq.*lib.*12. *cap.*14.*num.*2. Sanch.*l.*7.*d.*78.*num.*13. Basil.*l.*7. *cap.*45.*nu.*4.& 5. Coninch.*d.*31.*dub.*5. Hurtad. *dub.*23.*diffic.*1. Filliuc.*tract.*10 *part.*2. *nu.*253. & alij.

269 *Hoc mihi verius.* Cum his opinor. Nam etsi ea conditio non reperiatur expressa in iure colligitur tamen ex illis verbis,*cap.si quis viuente,* 31.*q.*1. ibi: *Occidisse notetur.* Verbum enim *Notetur* denotat malitiosam procurationem mortis coniugis, ac nota,infamiâque dignam,qualis est,quando eo dirigitur,vt matrimonium cum adulteranti ineatur.Et quia,vt vidimus,ex fine huius impedimenti colligitur.

DVBIVM XLIV.

An hoc impedimentum incurratur ab vxore virum interimente ex intentione aliud coniugium ineundi?

270 *Non incurritur ab vxore necante virum.* NOn incurritur ab vxore interimente ea intentione virum. Quia textus hoc impedimentum decernentes de vxoris interfectione loquuntur,non de nece viri ab vxore patrata. *c.*2.*c.Super hoc,*& *c.Significasti,de eo, qui duxit.* Sic Victor.*sum.vbi de matr.n.*292. Ledesm. 2.*p.*4. *q.*62.*art.*2. Cenedo *sum.vbi de matr. c.*5. *in comment.nu.*38.& dicit esse probabile Henriq.*l.*12. *cap.*4.*num.*2.

271 *Incurritur ab vxore.* Incurritur ab vxore interficiente ea intentione virum. Quia *cap. si quis viuente,* 31.*qu.*1. est casus hic:quidam cum coniugata adulterium admisit,& postea vir illius coniugatæ obiit: & deciditur posse ab adultero vxorem illam duci: additur verò hæc limitatio: *Nisi forte adulter, aut mulier virum,qui mortuus fuerat,occidisse notetur.* Ita Sanchez *libr.*7.*dub.*8.*numer.*8. citans quadraginta supra quatuor Doctores. Filliuc. *tract.*10.*part.*2 *num* 253. Coninch.*d.*31.*num.*55. Villalob *tract.*14 *diffic.*11.*num.*2. Hurtad.*d.*23. *diffic.*1.*num.*1. Torrebl. Moure, Palaus, Trull.& Candid.quos citat, & sequitur Leand. *tract.*9. *d.*1. *q.*3.

Mihi certum est,incurri hoc impedimentum dirimens coniugium, siue vir vxorem interficiat, siue vxor virum interimat ad contrahendum cum adulteranti. Quia *cap.*1.*de conuers.infidel.* vbi idem impedimentum dirimens statuitur,sermo est de vxore, quæ medio infidelis cuiusdam ministerio virum interfecit:Ergo nil refert ad hoc impedimentum dirimens incurrendum siue vir vxorem: siue vxor virum enecet, gratia migrandi ad aliud coniugium. 272 *Hoc mihi longe probabilius.*

DVBIVM XLV.

An ad incurrendum hoc impedimentum, sufficiat, sola occisio coniugis animo contrahendi cum altero,licet non adsit adulterium?

SVfficit sola ea occisio, nec requiritur adesse adulterium. Quia cum ratio impediméti sit, ne ob matrimonij spem detur ansa coniugis interficiendi,rationi consonat,ex sola coniugis interfectione absque adulterio, impedimentum hoc consurgere. Sic Innocent. *cap. Super hoc, n. vnic.de eo,qui duxit.* Astens.2.*p.sum.l.*8.*tit.*20.*a.* 2. D.Antonin.3.*p.titul.*1.*cap.*5. Veracr. *part.* 1. *spec.art.*33.*concl.*4.& 6. Philiarch. *de Offic.Sacerd.tom.*1.*p.*2.*l.*2.*c.*5.*impedi.*4. Machad. *l.*3.*p.*1. *tr.*11.*docum.*11. *num.*4. 273 *Non requiritur adulterium.*

Non sufficit sola ea occisio,sed requiritur necessariò adulterium. Quia Canones hoc impedimentum statuentes,loquuntur ferè semper de adulteris:at etsi expresse adulterium non postulent,ex contextu colligitur,id desiderari. Ita Monald. *sum.tract. de matrim.vbi de imped. crimin.* Ioan.de Friburgo *sum.l.*4.*titul.*9 *qu.*2. Dicit esse probabile Bassol.*in* 4.*dist.*34.*q.vni.a.*2. Ochaga. *tr.*3.*q.*61. 274 *Adulterium requiritur.*

Media mihi ineunda est via. Si vtérque colligari matrimonio volens cooperatus sit ad necem alteri coniugi inferendam, vt cum superstite contrahat: non desideratur adulterium: secùs si alter absque alterius consilio coniugem interimat. Constat prior pars ex *cap.* 1. *de conuers. infidel.* vbi quidam Sarraceni suggestione vxorum fidelium viros earum peremere, nec de adulterio cum illis admisso fit aliqua mentio: & tamen iis Sarracenis postmodum baptizatis interdicitur matrimonium cum illis mulieribus, & ab eo inito iubentur separari, constat posterior, quia vbi solius alterius machinatio interuenit textus de adulterio admisso loquuntur, vt constat ex *cap. Significasti, de eo qui duxit*, & ex *cap. Si quis viuente* 31. *quæstion.* 1. Et cum sit res pœnalis, ac matrimonium dirimens extendi minimè debet, sed valide restringi. Mecum Sancius *l.*7.*d.*78.*num.*9 citans quinquaginta supra quatuor Doctores. Hurtad.*d.*23. *diffic.*1.*n.*5. Coninch *d.*34.*n.*52. Trul.*l.*7.*c.*9.*dub.* 275 *Mediam teneo viam.*

10.n.3.Laym.l.5.tr.10.p.4.c.10.num.2. Pal. d.4. punct.12. num.3.

DVBIVM XLVI.

An vt impedimentum hoc dirimens sit, necessum sit, vt machinatio mortis inferendæ coniugi alteri, suum sortiatur effectum?

276 *Necessarium non est.*

NEcessum non est. Quia *cap. Super hoc*, & *cap. significasti, de eo, qui duxit*, de sola mortis machinatione mentionem faciunt. Sic aliqui apud Gloss. *cap. Super hoc, verb. Machinata.*

278 *Est necessarium.*

Est necessum, vt machinatio necis sortiatur effectum. Quia *cap. Si quis viuente, 31. qu. 1.* vbi hoc impedimentum statuitur, manifestè petitur actus consummatus, ibi: *Occidisse notetur.* Ita Sanch. *lib. 7. dub. 78. num. 7.* dicens esse omnium Theologorum sententiam. Basil. *lib 7. cap. 45. num. 4.* Bonacin. *qu. 3, punc. 6. num. 5. & 6.* Hurtad. *d. 23. diffic. 1.* Cornejo *disp. 7. dub. 21.* Gutierr. *de matrim. cap. 105.* Torrebl. *l. 2. pract. cap. 15. sect. 11. à num. 4.* Diana *part. 9 tract. 7. resolut. 23.* Perez *d. 33 sect. 1. num. 7.*

279 *Hoc mihi certissimum.*

Hoc certissimum esse reor. Quia quamuis textus pro parte prima allegati de sola mortis machinatione memoriam gerant: at verba cum effectu sunt accipienda, *cap. Relatum, de Clerico non resid.* Vnde quod Sancius *citatus, numer. 5.* tradit, nempe sufficere mandatum, vel consilium de coniuge occidendo, intellexerim, quando id mandatum, vel consilium cooperata sunt aliquid ad necem, si enim nullius effectus ad illam fuêre, eo quod interficiens erat iam omninò ad eam inferendam determinatus, nec consilio animosior est factus: vel fuit consilium, aut mandatum ita reuocatum, vt nullum prorsus effectum habuerit, ita vt excuset à restitutione, & irregularitate mandantem, vèl consulentem: non erit huic impedimento locus, cum petat effectum mortis ex actione coniugis, vel adulteri subsequi. Monuerim, deceptum fuisse Palacios *in 4. dist. 35. dub. vnic.* asserentem impedimentum hoc reddere simpliciter quempiam inhabilem ad quodcúmque aliud matrimonium. Id enim longè à veritate abest, qui enim coniugem perimit, vt cum adulteranti matrimonium ineat, solius adulterantis respectu sit inhabilis: quare ad quodcúmque aliud coniugium valide migrare potest. (*Valide* inquam, non licite, cum incurrat impedimentum impediens matrimonium cum quacúmque alia persona.) Quia textus hoc impedimentum dirimens decernentes, solummodo irritant coniugium inter machinantes mortem, & adulteros, vt constat ex *cap. 1. cap. Super hoc, cap. Significasti, cap. 1. de conuers. infid. & c. Si quis viuente, 31. quæst. 1.*

DVBIVM XLVII.

An vt crimen Adulterij sit impedimentum dirimens, sufficiat conatus ad copulam adulterinam cum promissione matrimonij?

CErtum est, vt adulterium dirimat matrimonium, necessarium esse, vt adsit simul promissio contrahendi cum adultero post coniugis obitum, matrimonium. Expressè id habetur *cap. veniens, cap. fin. de eo, qui duxit. & cap. Relatum, 31. quæstion. 1.* Quæsierim autem, num ad incurrendum hoc Criminis impedimentum sufficiat conatus ad adulterium cum futuri coniugij promissione? 278 *Nihil supponitur.*

Conatus hic cum coniugij futuri promissione sufficit. Quia ratio huius impedimenti statuendi fuit, ne ansa daretur apparandæ necis coniugis alterius: sed huiusmodi conatus ad adulterinam copulam iuncta promissioni coniugij ansam exhibet ad necis apparationem: ergo sufficit. Sic Hostiens. *ad cap. fin. n. 1.* 279 *Conatus hic sufficit.*

Minimè sufficit conatus ille ad copulam adulterinam. Quia textus *n. 278.* citati adulterinam copulam exposcunt, quæ delictum consummatum importat: & maxime in his pœnalibus, & matrimonium diriméntibus impedimétis, quæ valde sunt restringenda. Ita Gloss. *c. fin. v. Cognouit, de eo, qui duxit.* Ioan. Andr. *ibi, nu. 4.* Anton. *n. 4.* Abbas *fine*, Cardin. *fine*, Anchar. *n 4.* Præposit. *statim in principio*, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 7. dub. 79. numer. 2.* Basil *lib. 7. cap. 45. num. 2.* ex D. Thom. Gutier. *de matrim. cap. 105.* Palaus *d. 4. punct. 12. n. 8.* Trull. *l. 7. c. 6. dub. 10. concl. 4.* citans Filliuc. Bonac. & Hurtad. 280 *Non sufficit*

Certum mihi, non sufficere conatum ad copulam, ipsa minimè secuta, cum ea, cui futuri matrimonij fides est data, vel qua cum de facto est initum, ob rationem à secundæ sententiæ Doctoribus traditam. Imò eadem ductus censeo, non sufficere vasis fœminei penetrationem, virili semine non intromisso. Quia id non est adulterium consummatum, sed incœptum, & conatus ad perficiendum. Vnde sufficeret, quacúmque arte semen intra vas absque illius penetratione receptum. Quia id satis est ad copulæ consummationem: nec fœminæ semen exigatur. Sufficit verò, siue fidei dationem siue matrimonium de facto initum præcedat, siue sequatur adulterium à coniuge illo admissum. Quia in vtróque casu incurritur hoc dirimens impedimentum. *cap. fin. de eo, qui duxit.* 281 *Hoc mihi certum.*

DVBIVM XLVIII.

An vt adulterium sub futura coniugij promissione sit dirimens illud, requiratur, vt vtérque adulterans cognoscat, copulam, quam gerit, esse adulterinam, id est, sciat, superstitem esse alterius coniugem?

281 *Non requiritur.*

NOn requiritur, vt agnoscat alterius coniugium. Quia noscés solummodo propriùm

coniu

coniugium se adulterum esse cognoscit: imo in hoc casu vtrque vere peccato adulterij delinquit. Quod si fides futuri matrimonij accedat, accidentarium est agnoscere, vel non agnoscere alterius coniugium. Sic Hurtad. *dub.* 25. *diffic.* 2.

283 *Requiritur innouò.* Requiritur omninò. Quia huiusmodi impedimentum est institutum ob iniuriam irrogatam ab vtroque adultero eidem matrimonio aduersus illud patrando adulterium, data futurarum nuptiarum fide. At in hoc casu ignorans alterius coniugium non infert iniuriam eidem matrimonio, sed soli proprio. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *qu. vnic.* & Theologi cum eo. Canonistæ *in cap.* 1. *& in cap. Veniens de eo qui duxit.* Quos sequitur Sanchez *libr.* 7. *dub.* 79. *numer.* 31. Trullench. *libr.* 7. *cap.* 9. *dub.* 10. *concluſ.* 2. & 3. Bonacin. Candid. Cornejo, & Basil. quos memorar, ac sequitur Leand. *tract.* 9. *d.* 14. *q.* 10.

284 *Item agere.* Existimo, Gasparis Hurtado venia, requiri, vt vterque adulter norit alterius coniugium: altero enim illud ignorante: non est locus huic impedimento. Quia non est adulterium formaliter respectu vtriusque, vt habetur expresè *cap.* 1. *de eo, qui duxit, & cap. Veniens, eodem titul.* & docent vniuersi Theologi cum D. Thom. & omnes Iurisperiti cum Glossa *cap. Super hoc, verb. Copulauit.*

DVBIVM XLIX.

An promissio matrimonij ore tenus facta, adulterio adiuncta inducat dirimens impedimentum?

285 *Non inducit impedimentum.* NOn inducit impedimentum. Quia ficte re baptizans, seu ficte proferens hæresim, excusantur ab irregularitate contra rebaptizantes, & ab excommunicatione contra hæreticos impositis: nam pœnæ Ecclesiasticæ delictis absolutè, ac simpliciter impositæ, intelliguntur de delictis perfectis, & consummatis in propria specie. Cum ergo impedimentum hoc matrimonij sit pœna Ecclesiastica adulterij cum promissione matrimonij: accipiendum est de perfecta, ac consummata promissione in sua specie, qualis non est ficta, & ore tenus. Sic Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 3. Sà *de impedim. dirim. n.* 7. Rodrig. *p.* 1. *sum. c.* 227. *num.* 7. Bonac. *q.* 3. *punct.* 6. *num.* 8. Candid. *disquis.* 28. *art.* 5. *dub.* 10. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resolut.* 196. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *num.* 4. Hurtad. *d.* 23. *diffic.* 2. Basæus *v. Matrimonium*, 7. *num.* 40.

286 *Impedimentum inducit.* Inducit impedimentum. Quia textus præscribentes illud nituntur ea ratione, ne scilicet spe matrimonij futuri arripiatur ansa captandæ necis coniugis. Quæ æque militat vbi promissio est ficta, cum alteri contrahenti ea fictio prorsus sit ignota. Ita Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *num.* 265. Palaus *d.* 4. *pun.* 12. *n.* 11. Gutier. *de matr. cap.* 105. *n.* 18. Barth. à Ledes. *dub.* 58. *concl.* 5. Vega. *tom.* 2. *sum. cap* 34. *casu* 124. Graff. *p.* 1. *decis. l.* 2. *c.* 85. *n.* 8. Sanch. *lib.* 7. *d.* 79. *n.* 10. plures citans.

287 *Hæc probabilius existimo.* Hoc probabilius mihi videnti simile in contrarium adductum minimè obstare. Quia id habet verum, nisi ex illius pœnæ fine opposita Ecclesiæ intentio coniiciatur: vt contingit in casu rebaptizationis; finis enim illius pœnæ est in hæreticorum rebaptizantium odium. At ficte rebaptizans, nec id animo hæretico efficit, nec proprie conuenit cum hæreticis in ea actione, vt à sua intentione procedit. Et simile contingit in ficto hæresis prolatore: cum neque re vera neget fidem, nec vere hæreticus existat. At in nostro casu ex fine Ecclesiæ inducentis hoc impedimentum colligitur, eius mentem fuisse hãc fictam promissionem comprehendere. Cæterùm tunc existimarem veram priorem sententiam, quando ex modo promissionis adulter colligeret ficte, ac ioco sibi fieri. Tunc enim ea non præstaret ansam futuri coniugij sperandi, ac subindè nec machinandi necem coniugi: nec similis promissio tanquam ficta ac iocosa, acceptatur quod ad hoc impedimentum desiderari proprio dubio ostendam.

DVBIVM L.

An vt fides data coniugij futuri sufficiens sit ad hoc impedimentum inducendum, necessarium sit, esse iuramento firmatam?

288 *Est necessarium.* NEcessarium est, vt promissio illa non sit simplex, & nuda: sed fide, aut iuramento vallata. Quia id deciditur *cap.* 1. *de eo, qui duxit,* ibi: *Cui fidem dederat,* & *cap. Significasti,* ibi: *Sibi fidem dederit,* & *cap. final. eodem titul.* ibi: *Si quis, vxore viuente, fide data promisit.* Vbi manifestè omnes textus fidei dationem petunt. Verùm *Caput final.* non contentum est sola promissione, sed addidit, *Fide data, promisit*; quod verbum superfluum esset, si sola simplex promissio sufficeret. At τὸ *Fide data,* idem esse ſcor, ac *Iuramento expresso.* Quia *cap. Ad aures, de his, quæ vi,* iuramentum, & fides pro eodem vsurpantur, ibi: *Nisi forte iuramento, vel fide interposita sit confirmata.* Vbi Innocent. *fine,* Hostiens. *num.* 2. & alij affirmant, fidem interpositam esse iuramentum, & eam solam differentiam constituunt, quod *iuramentum* ibi appelletur, quando re sacra attacta præstatur: *fides* verò *interposita,* quando per Deum, vel fidem propriam absque rei sacræ contactu iuratur. Vnde Concilium antiquissimum Triburiense, vnde desumptum est *cap. Relatum* 31. *quæstion.* 1. vbi hoc impedimentum decernitur, iuramentum apposuit, ibi, *Viuente viro suo, iuramentum dedisse.* Vbi Glossa *ve b. Viuente,* ait: *Et ita viuente viro, fidem dedit.* Ergo pro eodem vsurpare videtur fidem dare, ac iurare. Sic Nicolaus de Orbel. *in* 4. *dist.* 35. *quæstion. vnic. Paragraph.* 1. Tabien. *verb. Impedimentum, septimo, quæstione tertia, numero quarto.* Veracruz, Gaëta, & alij penes Sancium *citandum.* Quos nouissimè sequitur Bauni. *tract.* 12. *de Imped. qu.* 2. *assert.* 2.

289 *Necessarium non est.* Necessarium non est, promissionem illam esse iuramento firmatam, sed sufficit simplex promissio ad hoc impedimentum inducendũ. Quia qualitercúnque promittatur matrimonium, militat eadem ratio, qua Ecclesia ducta, hoc impedimentum indixit, nimirum periculum interficiendi coniugis spe ineundi coniugij. Et quia secundum communem loquendi vsum, dicitur dare fidẽ, qui sponder, seu promittit: & ita spon-

salia quibuscúmque verbis contrahentes, dicuntur, vere dedisse matrimonij fidem. Ita Sotus *in 4. dist. 37. q. vni. a. 4.* Palud. *d. 34. q. 1. art. 2.* Henriq. *l. 12. c. 14. nu. 3.* Vega. *to. 2. c. 54. casu 71.* Sanch. *l. 7. d. 79. num. 29.* plures citans Basil. *l. 7. c. 45. n. 2.* Torreblan. *l. 2. practic. c. 15. sect. 11. n. 15.* Veracr. *p. 1. spec. a. 34. post 9. concl. dub. 1.* Ludou. Lop. *p. 1. Instr. de matr. c. 54.* Angel. *v. Matrimonium 3 imped. 9. n. 1.*

290 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia verius censeo fidei propriæ interpositionem non esse iuramentum, vt docent, aliis citatis, Caiet. *2. 2. q. 89. a. 6.* Sylu. *v. Iuramentum 1. q. 6.* Armil. *v. Iurare. n. 3.* &c. alij. Et quia simplex promissio satis est ad sponsalia constituenda. Profecto Pontifices non innituntur fidei datione, sed quia inter adulteros solent verba multiplicari, fidésque interponi, ac iuramenta emitti: ideo sic hoc impedimentum proposuére. Quare etsi ex rigore verborum textuum videatur non esse sufficiens simplex, ac nuda promissio, ad hoc impedimentum inducendum: at attenta eorum ratione videtur sufficiens: eo vel maxime quod sic explicuerit consuetudo, & communis omnium fere Doctorum sententia.

DVBIVM LI.

An vt præfata promissio hoc inducat impedimentum, necessariò debeat esse mutua?

291 *Debet esse necessariò mutua promissio.* NEcessariò debet esse mutua promissio: si enim solus alter adulter promittat, altero non repromittente, hoc impedimentum minime oritur. Quia impedimentum hoc est in pœnam vtriúsque contracturi matrimonium: vtrúmque enim afficit impediens valorem coniugij cum altero: vnde rationi consonum est, vt vterque quò eam pœnam incurrat, reus sit delicti illius promissionis, ex qua simul cum adulterio consurgit impedimentum hoc: ne ob vnius delictum alter puniatur. At cessat delictum in eo, qui audita promissione, minime repromittit. Sic Henriq. *l. 12 cap. 14. n. 5.* Vgol. *de Sacram. vbi de matrim. c. 19. nu. 8.* Bellarm. *l. 1. de matr. c. 22.* Bassol. *in 4. dist. 34. q. vni. art. 2.* Nicolaus de Nissa *ad 4. sentent. tr. 6. p. 3. de matrimon. qu. 6. concl. 3.* Sylvest. *verb. Matrimonium, 8. q. 9. dicto 4.*

292 *Non debet esse necessariò promissio mutua.* Non debet necessariò esse mutua promissio, sed sufficit alterum adulterum promisisse, vt hoc impedimentum ortum habeat. Quia *cap. significasti, de eo qui duxit*, dicitur: *Nisi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuisset machinatus, vel ea viuente, fidem illi dederit de matrimonio contrahendo.* Particula *Alter* de vnius promissione verificatur. Et quia ratio inducendi huius impedimenti, nempe ne spe futuri matrimonij coniux interficiatur, locum habet, altero solùm promittente. Ita Sotus *in 4. dist. 37. qu. vnic. art. 4.* Angl. *part. 1. vbi de matrim. qu. 9. art. 3. dub. 2.* Ludou. Lop. *part. 2. Instr. cap. 54.* & alij. Fauent Palud. *in 4. dist. 34. q. 1. a. 3. num. 17. casu 2.* & Almain. *dist. 35. qu vnic* dum asserunt incurri impedimentum hoc, si adulter promittat adulteræ, vel è contra.

293 *Auctoris sententia.* Ego autem existimo, non esse sufficientem ad hoc impedimentum promissionem alterutrius, nisi ab altero sit acceptata. Quia non esset promissio, nec fidei datio, quæ textus expostulant, sed mera pollicitatio, deficiente alterius acceptatione. Et quia *cap. 1. & cap. Veniens & cap. Significasti*, æquiparantur machinatio mortis coniugis, & matrimonij promissio ad effectum inducendi huius impedimenti, accedente adulterio. At illa effectu carens non producit impedimentum hoc: ergo, neque hæc nisi sit acceptata. Sic Doctores primæ sententiæ, & Sà *sum. verb. Matrimonium vbi de impedim. n. 7.* Porro quando adest promissio alterius adulteri acceptata ab altero, necessaria non est alterius repromissio, vt hoc impedimentum incurratur: vt probat secundæ sententiæ fundamentum.

DVBIVM LII.

An vt promissio futuri matrimonij iuncta adulterio sit dirimens impedimentum, sufficiat taciturnitas eius, cui fit promissio?

SVfficit planè, nec enim necessarium est, vt sit mutua promissio, sed satis videtur, si vnus promittat, alter vero taceat. Quia illa taciturnitas cum mutuo, ac cœco amore inter adulteros videtur esse virtualis quædam promissionis acceptatio, & vehemens insurgit occasio machinandi mortem alteri coniugi. Sic Sylvest. *verb. Matrimonium, 8 q. 9.* Basil. *l. 7. c. 45. num. 2.* Coninch. *d. 31. n. 62.* Rebel. *l. 3. q. 8.* Hurtad. *d. 25. diffic. 2.* Et colligitur ex *cap. Relatum, & cap. Significasti.* 294 *Sufficit taciturnitas.*

Minimè sufficit. Quia vt promissio illa futuri coniugij sit impedimentum dirimens, necessum est, vt sit acceptata ab altero, cui facta fuit: sed taciturnitas non est sufficiens acceptatio promissionis liberaliter factæ, quando hæc est nociua acceptanti: ergo. Ita Sanchez *libr. 7. d. 79. num. 25.* Bonacin. *qu. 3 punct. 6. n. 9.* citans Gutier. Candid. *disquis. 28. articul. 6. dub. 12.* Cornejo *disp. 7. dub. 22.* Leander *tractat. 9. dub. 14. quæst. 14.* 295 *Non sufficit.*

Hoc teneo, & expono. Nunquam hîc sufficit taciturnitas eius, cui promittitur. Quia ea promissio etiam liberaliter facta est nociua acceptanti: cum per eam incurrat delictum, & impedimentum dirimens. Quare licet in aliis euentibus, in quibus id damnum non sequitur, taciturnitas sit sufficiens acceptatio promissionis liberaliter factæ: secus in hoc propter expressam rationem. Quod si obiicias, adulteram ignorare hoc damnum, ac proinde censeri acceptare tacendo: respondeo, hanc ignorantiam vtpote quæ iuris est, non præsumi, *Regu. Ignorantia, de regulis iuris, in 6.* ac proinde cum illa taciturnitas sit ex sola iuris præsumptione consensus, non reputabitur in hoc casu, nisi aliud consensus signum adsit. 296 *Hoc teneo, & explico.*

CAPVT

CAPVT XXVII.

Cultus disparitas. *Circa Impedimentum disparis cultus.*

DVBIVM LIII.

An matrimonium fidelis cum infideli sit vetitum iure naturæ aut diuino?

197 Nouella ad memoriam reuoc. RECOLO, matrimonium inter dispares cultu, nempe inter baptizatum, & non baptizatum, imo inter baptizatum, & cathecumenum nullum esse. Quia quamuis fidem teneat. Baptismo, qui est ianua Sacramentorum, caret. Addiderim etiam esse nullum inter catholicum virum, & fœminam ficte sacra aqua dilutam. Quia in re, & coram Deo disparis cultus est. Quidquid in contrarium asserant non bene Archidiac. *in cap. Non oportet, n.* 28. *qu.* 1. & Bellarmera, *num.* 3. Quæsierim autem, an matrimonium fidelis cum infideli prohibitum sit iure naturali, aut diuino, an solùm Ecclesiastico?

298 Non est vetitum iure naturæ, aut diuino. Non est vetitum solummodo iure Ecclesiastico. Quia pluribus è locis constat, prohibitum esse Ecclesiastico iure, & non constat ex vllo firmiter, ac manifestè prohibitum iure naturali, aut diuino generatim fuisse. Sic Torreblan. *lib.* 2. *practic. cap.* 15. *sect.* 3. *à num.* 74.

299 Vetitum est iure naturæ, aut diuino positiuo. Vetitum est iure naturali, ac diuino, secluso quolibet iure Ecclesiastico, nullo modo licet. Quia huiusmodi coniugium fini ipsius admodum aduersatur. Nam cum finis matrimonij non sola prolis generatio sit, sed etiam legitima eius educatio, proléque apud vtrúmque parentem educari debeat: vbi parentes religione sunt dispares, nequibit proles rectè educari. Addo ius diuinum naturale dictare, peccandi periculum totis viribus esse cauendum. At præsentaneum valde periculum peruersionis coniugi fideli imminet ob mutuum amorem, & arctissimam necessitudinem, qua coniuges deuinciuntur, si alter sit infidelis. Verum prohibitum etiam est, iure diuino positiuo *Exo.* 34. *Deut.* 7. & 1. *Reg.* 11. In lege autem noua extat diuinum de eo præceptum. 2. *Corinth.* 6. *Nolite*, (ait ex Pauli ore Deus) *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate: aut quæ societas lucis ad tenebras: aut quæ pars fidelis cum infideli.* Quem locum D. Hierony. *l.* 1. *ad Iouin.* de coniugio fidelis cum infideli intelligit. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 71. *n.* 5. Basil. *l.* 7. *c.* 46. *nu.* 1. & omnes communiter.

300 Primam sententiam improbabilem esse existimo. Primam sententiam improbabilem omninò esse reor: falsò enim fundamento nititur. Cum & ius naturale vociferetur delinquendi periculum ex eiusmodi matrimonio imminentia, quod quidem Salomonis viri mira sanctitate, ac sapientia præditi testatur; ob coniugium enim cum fœminis idololatris ad earum idola colenda fuit adductus. Profectò proles etiam in magnum lapsus in infidelitatem discrimen adducitur. Et impedientur vniuersa Christianæ religionis officia, quæ fidelis coniux præstare tenetur. Quid hoc ipsi naturæ repugnantius? Quod autem diuino præcepto positiuo id fuerit prohibitum, patet ex locis indicatis. *Deut.* 7. Deus interdixit matrimonia Hebræorum cum Gentilibus hac ratione apposita: *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis.*

DVBIVM LIV.

An matrimonium fidelis cum infideli prohibitum iure diuino, & naturali, sit eodem iure irritum?

302 Est iure diuino naturali. ITa id matrimonium iure diuino, & naturali prohibitum est, vt etiam sit eodem iure irritum. Quia aliàs Ecclesia non posset irritare matrimonium cum infidelibus, vtpotè quæ in eos potestate caret. Et quia cum Christus Dominus instituerit in noua lege, matrimonium esse Sacramentum, & tale nequeat esse, fideli contrahente cum infideli, eo quod hic sit Sacramenti incapax: videtur eo ipso, id matrimonium irritum reddidisse. Et quia matrimonium obligat ad cohabitandum, ac reddendum debitum, ad quod adstringere nequit matrimonium fidelis cum infideli: nam fidelis, nec tenetur cohabitare, nec debitum reddere: Ergo id matrimonium iure ipso naturæ est irritum. Sic Catharin. *libro quinto, contra Caietanum, cap. de matrimon.* Viguer. *lib. institut. capite* 16. *Paragraph.* 7. *versicul.* 9. *impedim.* 10. Paul. Grilland. *de pœn. omnifariam coitus, quæstion.* 12. *numer.* 4. vbi ait, Pontificem non posse in hoc coniugio dispensare. Citari assolet pro hac sententia Arbore. *libr.* 11. *Theosoph. capit.* 16. At id minime inuenire potui. Dicit esse probabilem hanc sententiam Petrus de Ledesm. *citandus.*

303 Non est irritum iure naturali, aut diuino positiuo. Non est huiusmodi matrimonium irritum aliquo iure naturali diuino, aut diuino positiuo: sed solo iure Ecclesiastico. Non esse irritum iure diuino naturali probatur, quia coniunctio fidelis cum infideli non aduersatur omninò fini matrimonij: potest enim inde procreari soboles, & in cultu Christiano educari, quamuis rectæ, ac facili eius finis consecutioni obstet. Non esse autem irritum iure diuino positiuo inde ostenditur, quod in lege noua nullum ius diuinum positiuum sit præterquam fidei, & Sacramentorum, vt doctissimus Sancius ostendit *libr.* 7. *dub.* 52. *numer.* 2. Cum ergo præceptum hoc non pertineat ad fidem, aut Sacramenta suscipienda, sed ad contractum naturalem, à Christo Domino eleuatum ad Sacramenti rationem, ritè celebrandum, si diuinum naturale non est, (vt vidimus,) nec diuinum positiuum erit. Ita Sanch. *lib.* 7. *dub.* 71. *num.* 7. citans plusquam triginta Theologos, ac duodecim Canonistas. Trullench. *l.* 7. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 3. Bauni. *tr.* 12. Basil. *l.* 7. *cap.* 47. *à num.* 2. Coninch. *d.* 32. *dub.* 3. Hurtad. *d.* 24. *diffic.* 1. Palaus *d.* 4. *punct.* 11. *nu.* 2. apte inferens, ex Papæ dispensatione posse fidelem cum infideli matrimonium inire.

Præpositi. *in 3.p.q.7.de imped.dub.17. num. 156.* Luis. à Torres *sum.c.122. dub.1. & 2.* Machad. *l.3.p.1.tr.11.docum.12.n.3.* Bonac. *q.3.pun.7.n.2.* Candid. *disquis.28.art.7.dub.2.*

303 *Hanc sententiam tõgè veriorem esse vaor.*

Longè veriorem hanc putarim esse sententiam, quam vberius confirmo. Certè non esse hoc coniugium diuino iure naturali irritum apertè monstratur, quia in lege naturali aliquot eiusmodi matrimonia inita fuêre. Tale fuit matrimonium Iacob cum filiabus Laban. Ethnici. *Gen.* 29. Ioseph cum Ægyptia Phutipharis filia. *Gen.* 41. Mosis cum filia Iethro Æthyopissa. Tale fuit in lege scripta Esther cum Assuero *Est.*2. Salomonis cum Pharaonis filia. *3.Reg.*3. Et in lege gratiæ ea matrimonia frequentissima fuisse tempore, testes sunt D. Hieronym. *l.1.in Iouini.* D. Augustt. *leg. de fide, & operib. c.*19. nec irritabantur, quamuis ea non vacare culpa existimaretur. Et D. Monica pagano nupsit, Auctore Augustt. *lib.9.Confess. cap.* 9. Profectò irritum iure diuino positiuo non esse: patet, quia Christus Dominus in matrimonio nil immutauit, quod ad ius naturæ pertineret, sed tantùm id, quod contractus quidam naturalis erat, ad esse Sacramenti eleuauit: quod habet commune Theologorum axioma. Ex dictis infero, solum esse irritum iure Ecclesiastico. Quia si est irritum ex omnium mente, & non iure naturali, aut diuino positiuo: restat solo iure Ecclesiastico esse irritum.

DVBIVM LV.

An validum sit fidelis cum hæretico coniugium?

304 *Non est matrimonium validum.*

MAtrimonium personæ fidelis cum hæretica, vel apostata est irritum. Quia id expresè habetur *canon.*72. Sextę Synodi generalis, ibi: *Non licere orthodoxum cum hæretica coniungi, nec orthodoxam cum hæretico: sed etsi quid eiusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Nec potest dici hæreticum pro infideli vsurpari. Quia valde impropria esset locutio: & quia in illius Canonis principio sermo habetur de hæretici cum Catholica matrimonio: in fine verò de fidelis cum infideli coniugio. Sic Gloss. *cap.final.verb.Contra substantiam, de condit. apposit.* Hostiens. *cap.2.num.1. de coniug. seruorum.* Anchar. *ibi.num.1.* Lex Regia. *15.titul.1.part.4.* Carreri. *de hæretic.num.157.* Simanch. *de cathol. institut.40. num.* 46. Rojas *singul.* 128. *numer. vnic.*

305 *Validum est, licet minimè licitum.*

Illud matrimonium illicitum quidem est, sed non irritum. Quia cum matrimonium sit Sacramentum, quoad Sacramenti necessitatem solum petit paritatem Baptismi suscepti ab vno, & altero contrahente, quamuis in fidei professione adsit disparitas. Et quia *cap. Decreuit, de hæretic. in 6.* videtur supponi, id matrimonium valere, dùm ibi decernitur, vxores, quæ scienter hæreticis nupsêre, in pœnam delicti dote esse priuandas, & tamen non iubentur separari. Ita Sanchez *lib.7.dub.72.num.2.* citans ex Theologis triginta, & septem, ex Iurisperitis quadraginta supra vnum. Basil. *lib.7.cap.47. num.10. & 11.* Diana *part.8.tractat.5.resolut.74.* Cornejo *d.7.dub.24.* Villalob. *tractat.13. diff.12.numer.3.* Candid. *disquis.28. artic.7. dub.2* Coninch *disp.31.dub.3.* Hurtad. *d.24. disp.2.* Nauar. *lib.4.consil. de sponsal. consil.5.* Palaus, Trusslench. Torres, Machado, quos refert, ac sequitur Leander *tractat. 9. dub. 15. quæstion. 5.*

Proculdubio tenenda hæc sententia est. Quia vel nullum est Ecclesiasticum ius eiusmodi matrimonium irritans, vel si existit, iam contraria consuetudine frit abrogatum. Vnde Canon ille pro opposita sententia citatus, vel non fuit à Sancta Synodo perfectus, sed à quibusdam Episcopis, Concilio iam dissoluto: vel esto quod fuerit, crediderim, iam contraria consuetudine fuisse abrogatum.

306 *Hoc mihi certum.*

DVBIVM LVI.

An tempore primitiuæ Ecclesiæ tenebatur, coniux ad fidem conuersus cohabitare cum infideli coniuge, seclusò animæ periculo?

307 *Tenebatur ex præcepto.*

TEnebatur ex præcepto primis illis Ecclesiæ temporibus lato. Quia Paulus *1.Cor.7.* profatur: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si quæ mulier virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum.* Ergo illis temporibus tenebatur coniux ad fidem conuersus cum non tenente coniuge habitare. Sic D. Ambros. Hierony. Theodoret. Seuerian. Abulens. Turrian. & alij, quos citat, & sequitur Basil. *l.7.c.48.n.6.* Gagnei. Isidor. Clarus Sà, & Veracr. apud Sancium *vbi infra.*

308 *Non tenebatur.*

Minimè tenebatur. Quia adulterium, & infidelitas pari gradu currunt, nam vtrúmque contra bonum prolis est. Sicut ergo vir innocens potest cum adultera habitare, quando in adulterio obstinata non est, sed spes emendæ superest, ad id tamen non tenetur: Ita ad fidem conuersus potest habitare cum infideli, cuius conuersio speratur, ad id vero minimè est obligatus: Ita D. Tho. *in 4 dist.39.q.vni.a.3.* D. Bonau. *ibi.a.2.q.1.* Lombard. Sedul. Beda, Durand. & alij vsque ad viginti septem Doctores Theologi, quos citat, ac sequitur Sanch. *l.7.d.73.n.7.* Nauar. *c.22.sum.n.49.* & alij vsque ad 16. ex Iurisperitis apud ipsum Sancium. Candid. *disquis.28. a.7.dub.12.*

309 *Hoc mihi probabilius.*

Cũ his sentio, existimãs ex eodẽ Paulo testimonio hãc cõclusionem apertè confirmari. Ait enim Apostolus: *Dico ego, nõ Dominus.* Nã si Dominus id nõ præcipit, nõ fieri debet necessariò ex ipsa cõiugij lege, quę diuina est. Nec credẽdũ, Paulũ onus tã graue imponere voluisse infideli, qui ad fidẽ cõuertitur, cũ Christus Dominus id nõ imposuerit: noluit enim Christus, vt fidelis obstrictus esset ad conuiuendũ infideli in cõsuetudine vitæ tam arcta, ac familiari, ac est cõiugalis. Certè per Baptismũ, qui est regeneratio quædã spiritualis moritur quispiam vitæ priori, ac proinde liber manet à seruitute in illa cõtracta, quãuis in aliquo casu possit illa vti. Sicut professus quod vitæ priori mortuus sit, nõ

emissa,

emissa quamuis possit si velit ea implere. Nec obstat, seruum infidelem non eximi à seruitute per conuersionem ad fidem. Quia hæc seruitus fidei Christianæ non repugnat humilitari, at esse alligatum coniugem fidelem infideli, Christianam dedecet religionem Concludo igitur Pauli testimonium illud consilium non præceptum continere.

DVBIVM LVII.

An licitum sit nunc fideli cum infideli coniuge nolente ad fidem conuerti, cohabitare?

310 *Hodie est licitum.*

HOdie licitum est fideli cum coniuge nolente ad fidem conuerti cohabitare, quãdo infidelis absque Dei contumelia, & attractione ad peccatum habitationem eligit. Quia extat decretum Concilij Toletani. IV. *c.* 62. *relatum cap. Iudæi.* 28. *quæst.* 1. vbi decernitur, vt vxores Iudæorum separentur ab ipsis, nisi ab Episcopo admoniti fidem susciperè Iudæ voluerint, vel cohabitare sine Creatoris contumelia, nec adsit periculum peruertendi vxorem. Vt Glossa explicat *ibi, verb. Iudæi.* Sic ipsa & Monald. *sum. vbi de matrimon. titul. de dispari cultu.* Abul. 1. *Reg.* 8. *quæstion.* 81. Veracr. *part.* 1. *specu. art.* 32. *concl.* 3. Nauar. *sum. cap.* 22. *num.* 49.

311 *Hodie non est licitum.*

Hodie non est licitum fideli cum infideli cohabitare etiamsi nulla interueniat Dei iniuria. Quia Ecclesiæ consuetudine receptum est, ac præceptum inductum, ne coniux ad fidem conuersus permittatur, cum infideli cuiuscumque secte habitare. Quod successu temporis experientia docuerit, non modicum peruersionis periculum imminere coniugi fideli ex infidelis consortio. Ità latum in Concil. Toletano allegato, cuius verba id aperte ostendunt, quidquid in contrarium Glossa collegerit. D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 3. Durand. Richar. Gabri. Sotus, Comitol. quos citat, ac sequitur Sancius *lib.* 7. *dub.* 73. *nu.* 12. Bonac. *quæstion.* 3. *de impedimen. part.* 7. *numer.* 6. Candid. quem sequitur Leand. *tract.* 9. *d.* 15. *quæst.* 11.

312 *Tria tempora distinguenda esse tempore Iudæo.*

Verius existimo, tria tempora esse distinguenda. Primum est ab Apostolorum tempore & sexcentis postmodum annis, quo spatio frequens erat conuersio Iudæorum, & aliorum infidelium: atque ideò eo tempore permittebatur iuxta D. Pauli consilium 1. *Cor.* 7. coniugis ad fidem conuersi cum infideli cohabitatio ob spem eius conuersionis, quando volebat absque Dei contumelia, nec pertrahens fidelem ad peccatum, cohabitare. Secundum sæculum est secutum, quo rarissime Hebræi ad fidẽ reducebãtur, erantq; in sua perfidia peruicaces: quo tẽpore edita est Synodi Toletani constitutio, qua decretum est, ne vxores fideles habitare cum Iudæis fidem admittere renuentibus permitterentur. At de reliquis infidelibus nil ibi est præscriptum, quod non ita obstinati in sua perfidia essent, vt merito eorum conuersio esset desperanda. Tertium tandem successit sæculum, quo Ecclesiæ consuetudine (vt fert secundæ sententiæ fundamentum) receptum est, ac præceptum inductum, ne coniux ad fidem conuersus cum infideli cuiuscumque secte cohabitare permittatur ob rationem inibi indicatam. Nec hic Ecclesiasticus mos Pauli consilio aduersatur. Nam præcepta humana, nedum consilia, possunt necessitate id suadente, successit temporum variari, vt habetur *C. Non debet, de consan. & affin.* Quare hodie non licet alterutri coniugi ad fidem conuersi in consortio coniugis infidelis permanere.

DVBIVM LVIII.

An cum spes subest conuersionis infidelis ex persistente fidelis consortio: liceat, nunc fideli, cum infideli cohabitare?

313 *Non licet.*

NOn licet, quacumque spe cõuersionis infidelis coniugis affulgente. Quia lex non respicit, quæ raro accidunt *l. Nam ad ea. ff. de legib.* At generatim hoc in sæculo experientia docet peruersionis imminere periculum. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vni. art.* 3. *in solut. ad* 3. Barth. à Ledes. *dub.* 45. Ludou. Lopez *pa.* 2. *Instruct. vbi de matr. capit.* 5. *post.* 3. *notab.* Vega *tom.* 2. *sum. cap.* 34. *casu* 143. Sanch. *lib.* 7. *d.* 73. *num.* 13.

314 *Licet quidẽ.*

Licet quidem. Quia in hoc casu ratio cessat legis illius, aut consuetudinis vim legis habentis, quæ interdicit huiusmodi consortium infideli coniuge. Ità Palac. *in* 4. *dist.* 39. *d. vni.* Petr. de Ledes. *de matr. q.* 59. *a.* 3. Basil. *l.* 7. *c.* 48. *n.* 12. Cornel. *ad* 1. *Cor.* 7. *n.* 174. & 175. & Sancius in speciali aliquo casu profitetur id licere ex Episcopi dispensatione.

315 *Veriorem puto primam partem, sed in aliquo casu admitto secundam.*

Profecto quamuis in casu rarissimo possit hæc sustineri sententia, at casus est ita rarus, vt existimem absolutè, veriorem esse primam sententiam. Fateor tamen cum Sancio & Soto *citatis* posse ex Episcopi dispensatione eam cohabitationem admitti in iis infidelium Insulis, vbi crebrior est eorum conuersio. Scio meũ Cornelium ideo secundæ sententiæ mordicùs hæsisse, quia nimis ei durum videtur, & scandalo obnoxium, si in India, Iaponia China, vbi iam primum inducitur fides sub Regibus infidelibus Christiani dimittere vxores, quas in infidelitate duxere: aut si vxores cogerentur deserere marito præsertim nobiles ac Principes nolentes ad Christi Domini fidem conuerti, qui inde caperent occasionem Christicolas eliminandi. Certè iudicarim debere dispensare Episcopum: quod si non adsit qui dispensare valeat, crediderim primum sæculum, de quo Dubio proximo loquebar, recurrisse, licereque coniugi fideli cum infideli cohabitare: quia omnino legis seu consuetudinis Ecclesiasticæ tertij huius sæculi ratio saluatur.

DVBIVM LIX.

An cum est spes conuersionis infidelis coniugis ex fidelis consortio: fidelis ex præcepto teneatur cum infideli coniuge inhabitare?

316 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem. Quia vbi spes est conuersionis instat fraternæ charitatis præceptum vt conuersus non recedat ab infideli coniuge. Sic Veracr. *p. 2. spec. a. 32. concl. 4.* Angles *part. 1. vbi de matrimon. quæs. 12. art. 2.* Petr. de Ledes. *de matrimon. quæs. 59. art. 3. notab. 3.* Basil. *lib. 7. cap. 48. num. 8.* Addit Veracruz apud Indos noui orbis hoc esse in præcepto.

317 *Non tenetur.* Minime tenetur. Quia vel tempore Apostolorum tantum fuit consilium habitare fidelem cum infideli, quando spes aliqua conuersionis infidelis aderat. Nam ea spe deficiente, præceptum erat, fidelem recedere. Ergo strictiori iure nunc non erit sub præcepto, cum infideli in hoc casu fidelem cohabitare. Ità Sanchez *lib. 7. dub. 73. num. 14.* Fauent Doctores ab ipso allegat *num. 7.* asserentes fuisse tantum consilium Apostolorum tempore huiusmodi fidelis cum infideli, data conuersionis spe cohabitatio.

318 *Idem asserо.* Idem assero, probabiliorem hanc partem esse iudicans. Nec enim obstat præceptum correctionis fraternæ obligans ad consulendum spirituali proximi saluti. Quia cum Christus Dominus concesserit in fauorem fidei priuilegium, vt coniux fidelis possit ab infideli recedere: non est ab eo priuilegio hic casus rarus excipiendus. Nec præceptum correctionis fraternæ cum tanto coniugis fidelis obligat detrimento, vt cogatur cum diuersæ religionis coniuge habitare, cedereque priuilegio suæ libertatis in fauorem veræ religionis assumptæ sibi concesso.

DVBIVM LX.

An si infidelis coniux cohabitare cum fideli renuit vel cum Dei contumelia, & per tractione ad mortale crimen liceat conuerso coniugi, id matrimonium dissoluere, & ad aliud transire?

319 *Non licet.* QVæsieris an quando infidelis aut omninò renuit cohabitare: aut non vult sine Saluatoris contumelia, aut sine pertractione fidelis ad lethale piaculum: integrum sit fideli id matrimonium dissoluere, ad aliudque transire? Minime licet. Quia Christus Dominus *Mat. 16.* profatur: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Vbi indistincte id de quocumque matrimonio valide asseruit, quale est infidelium. Et quia D. Paulus *Rom. 7.* sola coniugis alterius morte posse dissolui matrimonium consummatum censuit. Nec 1. *Cor. 7.* dixit nolente habitare legitime infideli, dissolui matrimonium: sed fas esse fideli discedere, nec subiectum esse seruituti. Quod satis verificatur, concesso tunc diuortio absque vinculi dissolutione. Sicut verificatur testimonium Christi Domini dicentis *Mat. 19.* posse coniugem fornicationis causa dimitti. Sic Arbore. *l. 6. Theos. cap. 10. in fine.*

Licet omnino. Quid Sic definiuit Innocentius III. *c. Quando. de diuor. Si alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi: & canonem, in quo dicitur: Contumelia Creatoris, soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* Idémque definiuit *c. Gaudemus.* Ita Sanch. *l. 7. d. 74. nu. 4.* Basil. *l. 7. cap. 48. num. 13.* Lublin. *verb. Matrimonium. num. 22.* Coninch *disp. 26. dub. 5* Candidus, quem citat, ac sequitur Leand. *tr. 8. 9. dub. 16. quæst. 13.* 320 *Licet omnino.*

Sententia hæc est certissima, de qua absque errore manifesto in fide dubitari non potest. Profecto, si infideli discedente, aut nolente legitime habitare, fidelis ita alligatus esset, eo cõiugio, vt non posset, ad aliud transire, seruituti subiectus esset propter infidelis malitiam contrà Apostoli testimonium. Vnde posse dissolui matrimonium iis euentibus, non est ex iure antiquo Pontificio: matrimonium enim consummatum non potest Pontificio iure dissolui, quãis in fidelitate sit initum, saltem lege generali. Sed dissoluitur ex Christi Domini priuilegio id in fidei fauorem concedentis. Quod priuilegium D. Paulus explicuit 1. *Cor. 7.* verbis allegatis, ita scilicet intellectis ab Ecclesia. 321 *Existima sententiam seruitũ vinculum non posse perpetuam sustinere.*

DVBIVM LXI.

An si Infidelis coniux à conuerso discedit, aut non vult habitare cum ipso absque Dei iniuria, vel pertractione ad peccatum statim matrimonium dissoluatur?

322 *Statim dissoluitur.* DIfficultas eo pertinet, num eo ipso, quo altero coniuge ad fidem conuerso, alter nõ conuertitur, nec vult sine Creatoris iniuria aut sine pertractione ad peccatum cum iam fideli cohabitare: dissoluatur matrimonium: an potius tunc quando fidelis ad alias nuptias transit: statim dissoluitur, non expectato transitu fidelis ad aliud matrimonium. Quia sic deciditur *c. fin. 28. q 2.* quod est desumptum ex D. Ambrosio *1. Cor. 7.* ibi: *Contumelia Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* Et quia posterius matrimonium iniri non potest, priori permanente: ergo prius matrimonium dissoluitur, antequam secundum ineatur. Sic Richard. *in 4. dist. 39. a. 2. q. 2.* Altisiodor *l. 4. sum. cap. 230.* Dicunt esse probabile Barth. à Ledes. & Vega *citandi.* D. Antonin. & Scot. quos pro hac parte citat Basil. *l. 7. c. 48. n. 16.*

Non dissoluitur prius matrimonium, donec fidelis ad alias nuptias transeat, vt generatio vnius sit alterius corruptio. Vnde si fidelis 323 *Non dissoluitur statim.*

nunquam

nunquam mutet statum, prius matrimonij vinculũ persistet: & quotiescúmque infidelis fuerit ad fidem conuersus, fidelis tenebitur, illum tanquam verum coniugem admittere. Quia *c. Gaudemus, de diuort.* dicitur: *Quod si conuersum ad fidem & illa conuersa sequatur, antequam propter causas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur.* Si ergo compellitur recipere, non erit solutum prius matrimonium. Nã si solutum erat, non potest compelli ad recipiendum eum, qui verus coniux non est. Ità D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 5. ad 2.* Ibi D. Bonau. Durand. Palud. & alij. Valent. *to. 4. d. 10. quæst. 1. punct. 7.* Petr. de Ledesm. *qu. 59. a. 5. dub vnic. concl. 5.* Barth. à Ledesm. *dub. 56. concl. 3.* Vega *tom. 1. sum. cap. 13. casu 15.* Sà *verb. Matrimonium, de impedimen. num. 8.* Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 4.* Sanchez *lib. 7. dub. 75 num. 4.* Cominch *dub. 16. numer. 62.* Rebel. *libr. 3. quæst. 10. sect. 2.* Luis. de Tortes *sum. capit. 122. dub. 10. & 11.*

324 *Hanc partem longè veriorem esse reor.*

Hanc partem longè veriorem esse reor. Quia si solutum esset illico prius matrimonium, fidelis & infidelis illi coëuntes rei fornicationis essent: & si infidelis statim aliud matrimonium iniret, antequam fidelis transiret ad aliud, esset validum: quod nullus admittet. Nec valet, si dicas, solutum esse prius matrimonium ex parte solius fidelis, qui relinquitur. Quia matrimonij vinculum nequit claudicare: & ità ex parte vtriusque, vel neuti solutum esse debet.

DVBIVM LXII.

An vt possit fidelis conuersus matrimonium, ad alias nuptias transiens dissoluere: necessarium sit vt infidelis moneatur, num velit ad fidem conuerti, vel habitare cum fideli sine Dei contumelia, aut sine pertractione ad peccatum?

325 *Nonnulla suppono.*

CErtum est, nullam Iudicis sententiam desiderari, vt infideli renuente conuerti (seu iuxta aliam opinionem, habitare sine Dei contumelia vel pertractione ad peccatum) possit fidelis matrimonium dissoluere, ad aliudque transire. Quod constat ex *c. Quanto de diuort. & ex c. fin. 28. quæst. 2.* vbi habetur, contumeliam Saluatoris soluere ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, & huic liberum esse, ad alias nuptias migrare. Non ergo Iudicis sententia desideratur. Quæsierim verò, num necessarium sit, vt infidelis coniux moneatur, velit ne ad fidem conuerti, sine Dei contumelia, aut sine pertractione ad peccatum, cohabitare?

326 *Non est necessarium infidelem coniugem requiri, seu moneri.*

Non est necessarium. Quia facultas hæc matrimonium dissoluendi ex solo Christi priuilegio habetur, sicut ex eodem priuilegio matrimonium ratum dissoluitur per professionẽ. Sicut ergo in hoc casu dissolutio matrimonij non indiget coniugis admonitione, ita nec in illo; adiicio D. Paulum priuilegium hoc Christi Domini manifestãtem 1. *Cor. 7.* nullam admonitionem petiisse, sed absolutam à seruitute matrimonij libertatem dixit fideli in illis euentibus competere. Sic Panormit. *cap. Quanto, de diuort.* Richard. Palud. & Gabri. apud Basil. *l. 7. cap. 48. nũ. 21.* qui quidem sine fundamento vllo citat pro hac parte Thomam Sancium, qui oppositam sententiam pro viribus defendit. Viden' autem doctissimum circa hoc virum errasse, vix posse doctum citare Doctores, quos quos ipse non accurate perlegerit. Sæpe enim multa Doctoribus tribuuntur, quæ in illorum mentem nunquam aduenerint.

327 *Necessarium est.*

Necessarium est, monere infidelem. Quia non potest fidelis coniux matrimonium dissoluere, & ad aliud transire, nisi infideli renuente conuerti, aut iuxta aliam sententiam (de quo supra) renuente legitimam cohabitationem. Ergo vt valide id geri possit, necessarium est, constare de voluntate infidelis conuerti, vel renuentis legitime cohabitare: ac proinde, vt hæc voluntas constet, necessum est eum moneri, aut interrogari. Ità Thom. Sancius *lib. 7. dub. 74. num. 12.* Concil. Toletan. IV *capit. 62.* relatum *cap. Iudæi 28. quæst. 1.* D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 5. ad 4.* Henriquez *lib. 11. c. 8. numer. 5.* Manu. *tom. 1. cap. 230.* Sà *verb. Matrimonium, de impedim. num. 8.* Petr. de Ledesm. *quæst. 59. art. 4.* Nauar. *libr. 3. consil. de conuers. infidel. cons. 1. aliàs 2.* Basil. *citat. num. 20.* Bonac. *q. 3. de impedi. pun. 7. n. 8.* Candid. *disquisit. 28. art. 7. dub. 16.* & alij ex Theologis, & Iurisperitis apud Sanchez.

328 *Hoc mihi certissimum.*

Hoc mihi certum admodum. Nam qui statuit aliquid, videtur illa statuere, sine quibus id commode fieri nequit *l. penult. ff. de vsufructu,* & *l. Quicumque §. si ei, quem, ff. de constit. actio.* At non potest commode sciri voluntas coniugis non conuersi ad fidem, nisi interrogetur, seu moneatur, Ergo statuens matrimonium nõ posse dissolui sine præfata voluntate infidelis renuentis conuersionem, vel cohabitationem legitimam, consequenter statuit monitionem desiderari, vt hæc voluntas dignoscatur. Hoc autem moderor, nisi aliunde moraliter constet infidelis obstinatio non desiderabitur: cum eiusmodi monitio solum petatur, vt de infidelis pertinacia constet.

DVBIVM LXIII.

An quando infidelis coniux adeo distans commoratur, vt commode requiri, aut moneri nequeat, possit fidelis matrimonium dissoluere ad aliudque transire, illo minime admonito?

329 *Non potest.*

NOn potest. Quia sicut vt coniux valeat ad alias transire nuptias opus est certitudine haberi de prioris coniugis obitu: & dum ea non habetur, quantumcumque sit impossibile, diligentias ad eam habendam præmitti, non est licitus transitus: sic in casu nostro opus est haberi de voluntate coniugis infidelis certitudinem, & dum ille moneri non potest matrimonium dissolui nequibit. In vtroque enim casu idem est effectus, scilicet prioris matrimonij dissolutio. Sic Barthol. à Ledesm. *dub. 56. concl. 6.* Vega *tom. 2. capit. 14.*

casu

casu 149. Basil. *libr.* 7. *cap.* 48. *nu.* 22.

330 *Potest omnino.* Potest omnino. Quia vt res modo se habent, est moraliter certum, fore vt infidelis nolit conuerti, & relinquere suos, vt legitime cohabitet. Atque requisitio est moraliter impossibilis. Constat id ex motu proprio Pij V. pro Indis nouæ Hispaniæ concesso, vbi Pontifici propositum fuit, multos ad fidem conuersos matrimonium aliud iniisse, relicto coniuge infideli, qui an adhuc superstes sit, eos latet, nec eum inuenire possent. Et definit Pontifex, eos in matrimonio post conuersionem inito persistere debere. Cuius rationem reddit Vasquez 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *dub.* 66. *cap.* 5. *num.* 26. quia iure præsumebatur fore, vt coniuges illi, qui ab Indis recens conuersis inueniri non poterant, nollent conuerti, aut legitime habitare. Ità Sanch. *lib.* 7. *dub.* 74. *num.* 14. Petr. de Ledes. *qu.* 59. *a.* 4. *ad* 4. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 5. Candidus quem citat, & sequitur Leand. *tract.* 9. *dub.* 15. *quæst.* 18. & probabile ait Veracr. *part.* 1. *spec. art.* 29.

331 *Hoc probabilius sequor.* Hos sequor probabilius, primæ sententiæ fundamentum ducens infirmum: Diuersa enim est ratio. Non enim mors prioris coniugis præsumitur, & ideo necessariò eius certitudo est præmittenda. At vt res modo se habent, iure præsumitur, ac moraliter certa est infidelis adeò distantis obstinatio. Moneo insuper sufficere facto ipso infidelis voluntatem constare, vt non sit necessaria monitio. Quia voluntas tam factis, quam verbis declaratur. *leg. Paulus ff. rem ratam haberi.* Quare si infidelis ad aliud matrimonium transeat, quamuis eo inito, non dissoluatur prius (vt mox dicemus) at non erit necessaria monitio. Quia non potest clarius eius voluntas explicari, qua renuit fidelis consortium.

DVBIVM LXIV.

An desideretur Ecclesiæ authoritate præfigi terminum infideli post admonitionem, (vt conuertatur, aut decernat legitimè cohabitare cum coniuge conuerso) quo possit prius dissolui coniugium?

332 *Desideratur.* DEsideratur. Quia quod quis repente fortasse repugnat, post vtilitatis considerationem sæpè amplectitur. Ergo non satis poterit de infidelis coniugis pertinacia constare, nisi ei terminus huiusmodi præfigatur. Sic Hostiens. *ad Cap. Gaudemus num.* 13. *verb. Compelletur, de diuor.* Ioan. Andr. *ibi, num.* 15. Anton. *numer.* 10. Anchar. *num.* 26. Archidiac. *cap. fin.* 28. *qu.* 2. *n.* 2. Bellarmer. *ibi, numer.* 2. Henric. *cap. Quanto, num.* 3.

333 *Non desideratur.* Non desideratur, sed satis erit, qualitercumque constet de infidelitatis voluntate, vel de legitimæ habitationis renitentia. Quia cũ hoc matrimonium solo iure diuino dissoluatur, haud necessarium est aliquo Iudicis ministerio. Ità Abbas *cap. Gaudemus, num.* 15. Præpos. *num.* 14. Abul. 1. *Reg.* 7. *quæstion.* 21. Angel. *verb. Matrimonium.* 3. *impedimen.* 10. *numer.* 3. Veracr. *p.* 2. *spec. art.* 33. *concl.* 3. Sanch. *l.* 7. *dub.* 74. *numer.* 17.

334 Quamuis id fieri fateor fore vtilissimum, verius tamen existimo, non esse necessariũ. Quod quidem idem Hostiens. *cap. Quanto num.* 3. & ibi Anton. *num.* 9. *de diuort.* me authore, fatentur. Tantum enim dicunt, rutum esse, vt Iudex eum terminum præfigat. Non sunt tamen negandæ inducię ad conuersionem infideli, si ipse citrà fraudem eas postulet. Quia tunc non declarat contradictionem, sed tempus deliberandi petit. Monuerim denique, sanum consilium esse, testes adhiberi, dum infidelis monetur, & renuit conuerti, aut legitimè cohabitare: vt hoc testentur, si forte lis postmodum de valore matrimonij post initi à fideli intentetur. Sic monet Abul. 1. *Reg.* 8 *qu.* 105. Veracr. *p.* 2. *spec. art.* 29. *Hoc varius puto, & nolim bins colligo.*

DVBIVM LXV.

An si ante matrimonium à fideli conuerso contractum, infidelis coniux ad alias nuptias transeat: hæ irritæ sint?

335 *Non erunt irritæ.* NOn erunt irritæ. Quia matrimonium dissoluitur quando coniux transit ad fidem, & constat alterum coniugem nolle conuerti, nec legitimè cohabitare. Sed in hoc casu iam de conuersione vnius & de pertinacia alterius constat: Ergo matrimonium iam est dissolutum; si ergo potest vnus ad alias transire nuptias, nã ex parte ipsius dissolutum est matrimonium prius, cur non poterit & alter æque primum, cum non possit matrimonium claudicari hinc dissolutum, illinc non dissolutum? Sic Palacc. *in* 4. *dist.* 39. *dub. vnic. ad finem.*

336 *Irritæ sunt.* Irritæ prorsus erunt, vndè si post initas huiusmodi nuptias ad fidem conuertatur, ab eis est separandus, coniungique prius conuerso reddẽdus. Quia priuilegium hoc dissoluẽdi matrimonium prius per alias nuptias sequentes, non est concessum à Christo Domino coniugi infideli, sed fideli conuerso in fidei fauorem, vt habetur *c. Quanto, de diuort. & c fin.* 28. *qu.* 2. Ità Sanch. *l.* 7. *dub.* 75. *num.* 6. Candid. *dis.* 28. *art.* 7. *dub.* 13. Petr. de Ledes. *qu.* 59. *art.* 5. Leand. *tract.* 9. *dub.* 15 *quæstion.* 19. Henriq. *libr.* 11. *capit.* 8. *numer.* 5. Basil. *lib.* 7. *capit.* 48. *num.* 25. Veracr. *part.* 2. *spec. art.* 34. Sotus *in* 4. *dist.* 39. *quæstion. vnic. art.* 4. & alij.

337 *Hoc milouantum.* Hoc certum mihi. Quia quãuis matrimonium claudicare nequeat quoad vinculũ, & eo dissoluto, sed parte vnius coniugis, ex parte alterius etiam dissoluatur: at claudicare potest quoad effectum, & obligationem; vt altero coniuge solo adultero, claudicat matrimonium quoad obligationem cohabitandi: cum soli innocenti diuertere liceat.

DVBIVM LXVI.

An matrimonium consummatum infidelis dissoluatur fideli coniuge in Religione approbata professo?

338 *Quid certum præmitto.* CErtum est, licere fideli coniugi transire ad Religionem, vel Ordines, aut votum simplex

plex castitatis emittere quotiens infidelis admonitus conuerti renuit, licet habitare velit absque Saluatoris contumelia, & sine pertractione ad peccatum. Quia siue teneamus posse tunc dissolui matrimonium, quando infidelis renuit conuerti, volens præfato modo cohabitare: siue contrarium; vtraque tamen sententia fatetur, licitum esse tunc diuortium, sicut ergo coniugi legitime diuortium facienti ob adulterium integrum est, hæc efficere, quãuis matrimonij vinculum perseueret: ita celebrato diuortio in hoc casu id licebit, quamuis sustineatur matrimonij vinculum non dirimi. Didici ex D. Tho. *in 4. dist. 39. quæs. vnic. art. 5. ad 4.* Difficultas autem est an eo casu, quo dissolutur matrimonium consummatum infidelis ob eius obdurationem, per transitum fidelis ad aliud matrimonium: dissoluatur quoque professente fideli in Religione approbata?

339 *Non dissoluitur.* Non dissoluitur. Quia nullibi habetur id fidelis professione dirimi: Imo Innoc. III. *c. Gaudemus, de diuort.* absolute decidit compellendũ fidelem admittere infidelem conuersum antequam ille aliam legitimam ducat vxorem. Et quia primlegium Christi Domini concessum fideli ad dissoluendum prius matrimonium posteriori inito, fuit, ne fidelis vitam cœlibem ducere cogatur. Cum ergo huic necessitati manendi in cœlibatu solum occurratur ad aliud coniugium transeundo, per eum solum transitum priores nuptiæ dissoluentur. Sic Abul. 1. *Reg. 8. q. 68. & 73.*

340 *Dissoluitur plane.* Dissoluitur prius matrimonium consummatum per professionem illam sicut per subsequens coniugium dissolueretur. Quia licet nec in iure, nec diuinis literis hoc decisum reperiatur, at commune Theologorum placitum hoc à simili deducit. Nam si ea vis concessa est professioni Religionis à Christo Domino, vt dissoluat vinculum matrimonij rati prioris inter fideles initi: quid non dissoluat matrimonium tempore infidelitatis consummati, quod ratum non est, *cap. Quanto de diuortio?* Ita Henriquez *libr. 11. capit. 8. numer. 5.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de impedimen. numer. 8.* D. Bonauent. *in 4. dist. 39. art. 2. quæstion 2.* Petr. Ledesm. *quæstion. 59. art. 5. dub. vnic. concl. 6.* Angl. Vega Cenedo, & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *lib. 7. dub. 76. numer. 9.* Bonac. *quæstion. 3. de impedimen. punct. 7. numer. 7.* Candid. *disquisit. 28. articul. 7. dub. 18.*

341 *Hic certissimum non.* Omnino teneo, dissolui prius matrimonium consummatum per professionem illam, sicut per subsequens coniugium dissolueretur. Quia magis indissolubile est matrimonium ratum fidelium, quam consummatum infidelium. Illud enim vltra contractum naturalem habet esse verum Sacramentum, nec per subsequentes nuptias dirimi potest: hoc autem non est Sacramentum, ac potest per subsequens matrimonium dissolui.

DVBIVM LXVII.

An fideli coniugi liceat ad Religionem, vel Sacrum Ordinem transire, nulla infidelis monitione præmissa?

342 *Licet quidem.* LIcet quidem. Quia cum transitus ad Religionem perfectio sit status, quam noui matrimonij contractio vberiori debet priuilegio frui. Vnde licet debeat fidelis coniux nuptias nouas minime inire, donec infidelis moneatur: videtur posse ingredi haud eo monito Religionem. Sic Abul. *ad 1. Reg. 8. quæs. 93. in fol. ad 4.*

343 *Minime licet.* Minime licet. Quia ante cognitam infidelis coniugis voluntatem, qua Baptismum renuat, aut cohabitationem legitimam non eligat, non est fidelis absolutus ab obligatione reddẽdi debiti, ac cohabitandi: vnde nequit diuortium celebrare. Ità Sotus *in 4. dist. 39. quæs. vnic. art. 5. dub. 3.* Sanchez *libr. 7. dub. 76. num. 3.* D. Thom. *ibi, quæs. vnic. art. 5. ad 4.* Rosel *verb. Impedimentum, impedimen. 9. num. 11.* Supplem. Pisanæ *impedimen. 9. num. 8.* Angel. *verb. Matrimonium. 3. impedimen. 2. num. 61.* Syluest. *verb. Matrimonium, 8. quæstion. 10. dicto 8.* Petr. de Ledesm. *quæstion. 59. articul. 5. dub. vnic. concl. 6.*

344 *Idem affirmo.* Certè monitio hæc in casibus, quibus prærequiritur ad matrimonium, desideratur etiam ad transitum ad Religionem, vel ad Ordines, vel etiam vt fidelis emittat castitatis votum obligans ad non reddendum Quare ipse Abulensis prioris sententiæ Auctor, melius eodem *eap. 8. quæs. 63.* in vtroque casu esse necessario præmittendam monitionem, cum nulla ratio discriminis appareat. Vnde iam dubium dissoluitur.

DVBIVM LXVIII.

An quando fidelis conuersus, infideli monito, ad alias nuptias transit, infidelis possit licite aliud matrimonium inire?

345 *Id licere non potest.* LIcite id non potest. Quia in pœnam peccati dimissionis cõiugis fidelis, est ei aliud coniugum interdictum: quamuis non ex vi prioris matrimonij quod iam penitus est dissolutum. Et si requiseris, quo pacto Ecclesia carens iurisdictione ergà infideles, potuerit illis hanc pœnam imponere? respondeo cum Soto, & Barth. à Ledel. *citandis*, prohibitionem hanc nõ ab Ecclesia promanare, sed ab ipso iure naturali diuino, quod coniugem infidelem obligabat, ex lege matrimonij, vt fidelem coniugem sequeretur. Sic D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. vnic. articul. 5. ad 3.* Sotus *ibi, quæstion. vnic. articul. 4.* Barthol. à Ledesm. *dub. 56. post 4. concl.* Vega *tom. 1, capit. 23. casu 15. & tom. 2. cap. 14. casu 146.* Altisiodor. *lib. 4. sum. tr. 9. cap. 6. quæs. 1.* Angl. *p. 1. vbi de matr. q. 12. a. 2. dub. 6.*

Licitè

346 *Id licite potest.* Licite id proculdubio potest. Quia nullo iure interdicitur infideli ad aliud matrimonium trasitus, dissoluto semel fidelis matrimonio. Nō enim humano Ecclesiastico, cū Ecclesia in infideles iurisdictione careat: ius vero sæculare nullibi reperitur. Nec ius diuinū naturale id infidelibus prohibet; quia & si peccarit violās ius diuinum naturale legis prioris matrimonij, qua astringebatur sequi priorem coniugem ad fidem conuersum: at priori illo matrimonio penitus dissoluto, nulla lex diuina naturalis prioris matrimonij, quod iam nihil est, supereſt, qua hic infidelis ab alio matrimonio arceatur. Nec aliud ius diuinum reperitur, nec ia à contrariæ sententiæ patronis adducitur. Ità Sanchez *lib.7. dub.27.numer.6.* Henriquez *lib.11.cap.8 num.5.* Durand. *in 4. dist.39.quæſt.2.numer.25.* Ledesm. *2. part.1. quæstion.61. articul. 5.* Bonac. *quæſt. 1. de imped.pun.7.n.7.* Luis. de Torres, Onand. Cerola, Viguer. & Candid. quos refert, ac sequitur Leand. *tr.9.d.15.qu.20.*

347 *Cum hu opinor.* Quando coniux conuersus prius dissoluit matrimonium, non solum valide, sed & licitè potest infidelis alias nuptias inire. Quia mortuo coniuge ad fidem conuerso, nullus negaret, licere infideli, ad aliud matrimonium migrare, non obstante peccato, quod in legem prioris matrimonij admisit, similiter ergo id licebit, postquam fidelis ad alias nuptias, vel ad professionem transiit. Quia æque in his casibus prius matrimonium dissoluitur, ac coniugis obitu.

CAPVT XXVIII.

Ordo. *Circa Impedimentum Ordinis.*

Carminum ordine hic de Impedimento bis agendum erat, sed quia latè de vi, ac metu *lib. 25. cap. 16.* vbi De matrimonio coacto disseruimus, ad impedimentum Ordinis procedamus.

DVBIVM LXIX.

An Ordo Sacer dirimat matrimonium iure naturali diuino.

348 *Iure naturali diuino dirimit.* IVRE naturali diuino dirimit. Quia in Ordine Sacro est traditio sicut in professione: cum igitur votum professionis dirimat iure naturæ, eo quod in illo traditio reperiatur, eodē iure dirimet ordo. Sic Maior. *in 4. dist.24.q.2.* Celaia. *dist.37.q.1.* Torrebl. *l.2. practic.c.15.sect.1.n.26.* citans Vualdens. *to. 2. de Sacram.cap.128* Et dicunt esse probabilem hanc sententiam Basol. *in 4. dist.37.quæſt.vnic.art.1.* & Nicol. de Nysa *ad 4. sent. tract.6.part.3. de matrimon.quæſt.7.* Alij existimant, Ordinem Sacrum vt Ordo Sacer est non habere ex natura sua, & iure naturali diuino dirimere contractum matrimonij subsequentem, quod non habeat eo iure annexam sibi continentiam: at ratione voti solemnis annexit id efficere iure naturali, & diuino. Quia licet per accidens, & ex statuo solo Ecclesiæ annexum sit id votum solemne Ordini Sacro: at supposita annexione, habebit iure naturæ dirimere matrimonium, qui est voti solemnis effectus. Sic Richar. *in 4. dist.37.* Rayner. *pert.2. sum. titul. de matrimon. capit. 23.* Petr. de Soto *lect. 5. de matrimon.* Valent. *part.4. dub.10. quæstion.5. pun.3.*

349 *Non dirimit iure naturali diuino.* Non dirimit iure naturali diuino, sed solum iure Ecclesiastico: Ecclesia enim inhabiles reddidit ad matrimonium Sacris initiatos, sicut consanguineos in secundo & vlterioribus gradibus vsque ad quartum. Quia hoc votum non est per se, & ex natura sua solemne, sed per accidens: non ergo dirimet matrimonium iure naturali diuino instar voti solemnis per se, quale est professionis votum. Ita D. Thom. *in 4. dist. 37. quæſt.1. art.1.* D. Bonau. *art.1. quæſt. 2.* Sanchez *lib.7. dub.27. numer.9 & dub.28. num.11.* citans quadraginta plus Doctores. Basil. *libr. 7. cap. 24. numer. 7. & capit. 27. numer. 7.* Valq. *dub. 249. cap. 2.* Cornejo *disp.7. dub.28.* Torres *sum. part.2. capit 13. dub.1.* Villalob *tract.14. diffic.13.n.2.* Hurtad. *dub 16. diffic.1.* Machad. *l.3. part.1. tr.11. docu. 4.n.5.* Oshag. *tr. 3 q.51.n.14.*

350 *Idem asserit, & confirmat.* Asserо cum his, Ordinem Sacrum solum iure Ecclesiæ, quo Sacris Ordinibus annexum est votum continentiæ, impedire, ac dirimere matrimonium. Quia licet sit aliqualis traditio in ordine Sacro, non tamen est totalis, sed ad cultum Dei, & diuinum officium: cui traditioni non repugnat iure diuino matrimonium, cum tale præceptum nullibi reperiatur; nec iure naturali, cum sit alioquin licitus matrimonij vsus & permissus Græcis, quando matrimonium est ante ordines initum, *cap. Cum olim, de Cler. coniug.* & D Gregor *lib.1. Epist.42.* subdiaconis Siciliæ concessit, posse vti matrimonio ante ordines contracto. Profectò si iure naturæ ordo Sacer cum matrimonio repugnaret, essentque incompatibilia: dirimeret vtique Ordo Sacer matrimonium rtaum præcedens, instar solemnis professionis. Cuius contrarium definitum est in *extrauag. Antiquæ, Ioan.XXII. de voto.*

DVBIVM LXX.

An qui recipiens Ordines minores, credebat illis annexum esse solemne continentiæ votum, perinde ac Sacris teneatur voto simplici continentiæ: vnde teneatur matrimonium non inire?

351 *Tenetur non inire coniugiū* TEnetur quidē matrimonium non inire, at si ineat erit validum. Quia cum in animo habuerit facto ipso castitatem vouere, ligabitur vtique voto: at non solemni, quamuis id intenderit. Nam in nullius potestate situm est, votum solemnizare, nisi in Religionis professione, aut vera Ordinis Sacri susceptione. *cap. vnic. de voto in*

in 6. Sic Ioan. Andr. *c. Ioannes de Cleri. coniug. n.* 17. Anton. *ibi n.* 13. Anchar. *n.* 8. *q.* 2. Cardin. *n.* 6. *q.* 1. Imola, *num.* 14. Gaëta *repetit. cap. Ad limina* 30. *q.* 1. §. 4 *q.* 193. *n.* 463.

352 *Non tenetur matrimonium inire.* Non tenetur, matrimonium non inire, nullo enim voto adstringitur. Quia professus in Religione, quam putabat approbatam, cum non esset, tenetur voto simplici: at recipiens inualide Ordinem Sacrum nullo voto tenetur: cum tamen hic quoque facto ipso intenderit solemniter vouere. Nam promotus ad ordinem Sacrum non facit per se, ac principaliter votum castitatis, sed in consequentiam Ordinis Sacri, cui Ecclesia illud annexuit: ac per consequens vbi principale, nimirum ordo non tenuit, cum nulla sit voti annexio, nulla consurget obligatio. Sic ergo in casu præsenti initiatus ordinibus minoribus non intendebat per se, ac principaliter votum castitatis emittere, sed quatenus existimabat, ordinibus minoribus esse annexum. & in eorum consequentiam: Cum igitur nulla sit annexio, nulla consequentia: nullo voto ligatus manebit. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 31. *nu.* 5. Bonac. quem refert, & sequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 17 *q.* 4. & alij communiter.

353 *Ita iudico.* Quamuis videam, viros grauissimos primæ hærere sententiæ, illis fidem minime habeo, sed credo, hunc nullo voto esse adstrictum & posse illicite matrimonium inire. Nam si qui inualide recipit Ordinem Sacrum, voto minime ligatur, & potest contrahere coniugium: à fortiori qui Ordines minores eo errore recipit, inire poterit.

DVBIVM LXXI.

An Ordo Sacer per metum grauem susceptus, dirimat matrimonium?

354 *Dirimit plane.* Dirimit planè. Quia sic ordinatus characterem ordinis recipit, cui annexa est castitas: Cum igitur accessorium naturam principalis sequatur, *Regula Accessorium. 42. de reg. iur. in* 6. ac principale valeat, valebit quoque accessoria ad castitatem obligatio. Sic Sylvest. *v. Ordo* 4. *q.* 1. *dict.* 2. Tabie. *v. Ordo* 2. *fin.* Armil. *v. Ordo, n.* 14. Palud. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 3. *a.* 4. *concl.* 6. *n* 28. D. Antonin. 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 5. *in solut. ad argu. vlt.* Basil. *l.* 7. *c.* 29. *nu.* 3. & alij multi.

355 *Non dirimit.* Non dirimit, nec sic initiatus vllo iure cogitur, continentiam seruare, quando metus fuit in verum constantem cadens. Quia ordo Sacer non obligat ex natura rei ad castitatem, sed ratione voti ex Ecclesiæ constitutione adiuncti (vt supra vidimus.) Votum autem expressum, nedum tacitum, quale ordini inest, irritum est, si ob metum viri constantis emittatur. *c. Perlatum,* & *cap. Cum dilectus, de his, quæ vi.* Ità Richard. *in* 4. *dist.* 25. *a.* 4. *qu.* 2. *ad* 3. Maior. *dist.* 14. *q.* 2. *in solut. ad* 5. Sotus *dist.* 25. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 3. Henriq. *l.* 10. *c.* 14. *n.* 2. & *l.* 12. *c.* 5. *nu.* 9 *liter. Q.* Azor. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 8. Vinald. *Candelab. p.* 1. *vbi de Sacram. Ordi. nu.* 26. Petr. de Ledes. *de Ordi. c.* 6. *diffic.* 3. *dicto* 2. Manu. *to.* 1. *sum c.* 224. *n.* 5. & *to.* 2. *c.* 96. *nu.* 4. *concl.* 4. Barth. à Ledes. *de Ordi. dub.* Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. III. P. II.* 14. Vega *to.* 2. *sum. c.* 57. *casu* 6. Leand. *tr.* 9. *d.* 17. *q.* 5. Sanch. *l.* 7. *d.* 29. *n.* 5. plures citans.

Hanc partem probabiliorem iudico. Quia licet Ecclesiæ constitutio Sacro Ordine initiatum ad castitatem adstringat, quando sponte illum suscipiens, noluit vouere, vel à voto ratione ignorantiæ excusaretur: At id procedit, quod sponte sua ordines susceperit, ac priuilegiis vti elegerit Clericalibus. Quippe rationi consentaneum est, vt onera quoque annexa subeat: vt qui sentit commodum, patiatur & onus, *Regulæ Qui sentit, 55. de reg. iuris in* 6. Quæ quidem ratio, in suscipiēte coacte ordines deficit: cum non sponte ad ordines ascenderit, nec subinde habuerit priuilegiis Clericalibus fruēdi affectum. 355 *Hanc partem probabiliorem existimo.*

DVBIVM LXXII.

An scienter ordinatus, sed ignorans prorsus votum esse Ordini annexum: teneatur continere ex voto, non ex sola Ecclesiæ consuetudine?

Certum mihi est, (quidquid in contrarium arguat Basilius *l.* 7. *c.* 29. *nu.* 14. haud bene citans Gabrielem Vazq.) ita initiatum teneri omnino continere, nec posse valide matrimonium inire. Nam potuit Ecclesia iustissimam de Clericorum cœlibatu legem indicere, eaque ligare quoscumque in posterum promouendos, siue scierint, siue ignorarint præfatam legem. Sicut quantumuis ignorēt, tenētur Officium Canonicum recitare, & alias status obseruare leges. Eo vel maxime quod lex semel legitime promulgata omnes ligat quantumuis ignorantes: quamuis hi à culpa transgressionis legis excusentur: Hoc autem intelligendum est, quando quispiam nouit se ad Sacrum Ordinē promoueri at continentiæ votum ignorauit. Nam si penitus ignorauit se Ordinem Sacrum recipere, non cogetur in foro conscientiæ continentiā seruare. Quia nō suscepit Sacrū Ordinē voluntariè: eo quod fuerit initiatus ignorans prorsus, quid in eo firet. At in foro externo cogetur: ea enim ignorātia haud probabilis iudicabitur. Difficultas autem est, num scienter ordinatus ignorans prorsus votum annexum ordini, teneatur continere ex voto, an ex sola Ecclesiæ constitutione? 357 *Certa quadē suppono.*

Tenetur non ex voto, sed ex sola constitutione Ecclesiæ. Quia votum est lex priuata, quam quispiam sponte sua sibi imponit. At ignorans prorsus votum, caret vouendi voluntate, ac per consequens imponendi sibi huiusmodi legem. Sic Vincent. & Goffred. *cap. Cum olim, de Cler. coniug.* Quos refert dicens, eorum opinionem esse verissimam Abbas *ibi, n.* 4. Rosel. *v. Impedimentum, impedimen. n. n. vltim.* Monald. *sum. vbi de Voto. §. Qualiter possit votum redimi.* Sylvest. *verb. Matrimonium.* 8. *quæs.* 12. *dicto* 2. quando ignorantia fuit inuincibilis, secus si fuit talis, vt non excusarit. Nauar. *sum. Hisp. capit.* 25. *numer.* 108. 358 *Tenetur non ex voto, sed ex sola constitutione.* 359 *Tenetur non ex sola Ecclesiæ constitutione, sed etiam ex voto.*

Tenetur non ex sola constitutione Ecclesiæ, sed etiam ex voto. Quia eo ipso, quod sciens, & volens est Sacris Ordinibus initiatus, licet ignorarit, votum annecti, votum tacite emisit.

Qui enim vnum sciens & prudens efficit, & vult: facit, & vult subinde ei annexa. Vt scienter suscipiens Prætoris munus, voluntariè quo que suscipit onera officio annexa, licet, ea ignorarit. Ita Cardin. *c. Cum olim in fine. Immola ibi n.* 7. Azor. *l.* 13. *cap.* 14. *q.* 10. Sanch. *l.* 7. *d.* 27. *num.* 12.

360 *Hæc sententia mihi probabilior.* Etsi sententia prima admodum sit probabilis, fateor, mihi plus arridere secundam. Quia ascendens ad ordinem Sacrum semper noscit, se alium statum eligere, & Clericorum militiæ adscribi, & accedit saltem virtuali intentione gerendi, quod vult Ecclesia, atque adeo consequenter vouendi, vt Ecclesia præscribit: licet ipse ignoret, quid Ecclesia velit, ac præcipiat.

DVBIVM LXXIII.

An possit vir ad Ordine, minores, sine vxoris licentia promoueri?

361 *Quædam supp.* SVppono, minime posse virum absque expressa, ac spotanea vxoris licentia postcōsummatum matrimonium, nec ante Ordinem Sacrū suscipere. Quia id expresse de matrimonio distinctè definitur *c. Coniugatus de conuers. coniugat. & Extrau. Antiqua Ioan. XXII. de voto.* Ratio est, nam Ordo Sacer non dirimit matrimonium ratum etiam non consummatum, sicut dirimit Religionis status. Etgo præiudicium fieret fœminæ, absque eius licentia Ordine assumpto, statúque mutato. Imo nec id ei licet animo statim post susceptum ordinem ad Religionem transeundi. Quæsierim autem, num saltem possit vir sine huiusmodi licentia, ad minores ordines promoueri?

362 *Potest planè.* Potest quidem. Quia *c. 2. de Cleri. coniug.* Solū interdicitur, ne coniugatus ad Sacros Ordines promoueatur. Et *c. Coniugatus de conu. coniug.* sermo est de Ordinibus Sacris. Nullatenus ergo interdicitur ipsi ad Ordines minores promotio. Quod enim de vno negatur, de alio concessum intelligitur, *cap. Qualis dub.* 25. Adde, Ordinibus minoribus haud esse annexam continentiam, quæ sola promotioni viri ad Sacros Ordines videtur obstare. Sic Innocent. *cap. Coniugatus, statim in principio.* Hostiens. *ibi, numer.* 1. Hentic. *numer.* 6. & Sanchez *citandus* hoc esse probabile fatetur.

363 *Minime potest.* Non potest vir nec ad primam tonsuram sine vxoris licentia promoueri. Quia *cap. fin. de tempore Ordinat. in* 6. dicitur. *Nullus Episcopus, vel quiuis alius Clericalem præsumat conferre tonsuram coniugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoueri, prout est Sacris canonibus definitum.* vbi Glos. *verb. Definitum* ait, Dic vt notatur *cap. Coniugatus, de conuers. coniug.* Vbi petitur licentia vxoris cum voto castitatis ipsius manentis in sæculo. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 38. *n.* 6. Dominic. *ad c. fin. nu.* 6. Ioan. Andr. *num.* 3. Anton. *n.* 3. Abbas *n.* 2. Cardin. *q.* 1. Anchar. *nu.* 3. Imola *n.* 1. Azor. *l.* 13. *c.* 13. *quæs.* 7. Basil. *lib.* 9. *cap.* 13. *n.* 3. Leand. *tr.* 9. *d.* 17. *quæs.* 10.

364 *Hæc sententia longè est verior.* Hoc quidem longe probabilius esse existimo. Quia textus pro prima parte citati, solam promotionem ad Sacros Ordines interdixere. At *c. fin. de temp. ordin. in* 6. prohibuit quoque ad minores Ordines ac primam Tonsuram promotionem. Nec argumentum à contrario sensu ex aliis testibus deductum alicuius est momenti: cū id argumentum nil probet, quādo inde alterius iuris correctio resultat vt latè probat Euerard. *in suis topic. loco à contrario sensu.*

DVBIVM LXXIV.

An vir ad ordines promotus, quando spontanea vxoris (non expressa licentia) dissimulatio interfuit, possit ab ea ad ius coniugy reuocari?

365 *Suppono nulla.* SVppono, posse vxorem quadrupliciter se habere. Primò, spontaneam concedendo licentiam. Secundò, nullam licentiam concedendo, quia aut promotionis viri ignara fuit aut illius conscia contradixit. Tertiò concedendo licentiam, metu tamen vel dolo extortam. Quartò, sciendo promotionem viri, & nec contradicendo, sed tacendo, ac dissimulando. Et quidem quando contradixit, vel ignara fuit, nemo dubitat integrum ei esse virum ad coniugale reuocare consortium. Quod eius vir absque vxoris facultate expressa ad summum eueheretur Pontificatum, posset ab ipsa reuocari, vt ei teneretur debitum reddere. Quia cum hoc sit ius institiæ prius, haud potuit lædi per Pontificatum quamtumuis bona fide assumptum, eo quo vxor mortua esse putaretur. Idem dixerim, quando vxoris licentia metu viri constantis, aut dolo graui extorta, vir ad Ordines est promotus. Quia vt vxor iure suo repetendi priuetur, licētia spontanea desideratur. Quæsierim verò circa quartum modum se habendi, vtrum possit repetere virum Sacris initiatum, quando spontanea vxoris dissimulatio interfuit, quæ conscia promotionis viri, ac potens commodè reclamare: nec consensum nec dissensum præstitit, sed dissimulando tacuit?

366 *Minime potest.* Minime potest, sed censetur continentiam ipsa vouere. Quia tacens cum commodè reclamando esset, videtur consensum præstare, & ad ea gerenda se adstringere, quæ ius facienda præscribit. Sic Glos. *cap. Quia sunt, verb. Fuisse. dub.* 28. Archidiac., *ibi, numer. vltim.* Dominic. *ad finem.* Turrecr. *numer.* 4. Hostiens. *sum. titul. de voto. numer.* 18. Palud. *in* 4. *dist.* 37. *quæstion.* 1. *articul.* 1. *numer.* 9. D. Antonin. 3. *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8. Et probabile esse Henriquez affirmat.

367 *Potest omnino.* Potest omnino. Quia ad rem tam arduam iura non contenta sunt vxoris dissimulatione, nō. quæ varias interpretationes patitur. Ità Sanchez *lib.* 7. *d.* 38. *numer.* 15. Sylvest. *v. Diuortium, qu.* 17. *dicto* 4. Armil. *ibi, num.* 3. Anton. Cucus *l.* 4. *institut. titul.* 12. *numer.* 194. Azor. *lib.* 13. *c.* 14. *quæs.* 12.

368 *Hoc verius.* Verius existimo, nullum ex ea vxoris dissimulatione præiudicium ingenerari, sed ius suum virum repetendi illæsum manere. Nam dissimulatio illa haud est signum licentiæ apertum, vt expresse definitum est *cap. Consulnit. de conuers. coniugat.* quando

quando vir profitetur, dissimulante vxore.

DVBIVM LXXV.

An qui absque expressa, & spontanea vxoris licentia ad Ordines fuit promotus, & ab ipsa reuocatus: Quando consummatum non est matrimonium, teneatur Religionem inire, vt votum Sacro Ordini annexum valeat implere?

369 Tenetur Religionem inire.

DVplici in casu potest quæstio hæc agitari. Prior est, quando promotio ad Ordines facta est nondum consummato matrimonio. Posterior quando consummato; & hic in priori procedit. Tenetur certè ille ingredi Religionem: vt vel sic possit votum Ordini Sacro annexum adimplere. Quia multo strictius obligat votum castitatis Ordini Sacro annexum, eo vel maxime, quod Ordo susceptus sit, & per consequens votum castitatis illi annexum emissum sit post iam initum matrimonium. Sic Hostiens. *sum. titul. de conuers. coniug. numer. 6.* Archidiac. *cap. Desponsatam, num. 4. 27. quæs. 2.* Bellemera *ibi, num. 4.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 8.* Petr. de Ledes. *q. 53. a. 4. dub. 2. concl. vnic.* Astens. *part. 2. sum. lib. 8. titul. 11. art. 2. quæs. 2.*

370 Non tenetur.

Non tenetur Religionem ingredi. Quia id fortiter probat textus *in extrauag. Antiquæ* Ioannis XXII. *de voto*, ibi: *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus.* Sentit igitur textus, id non esse præceptum, sed consilium. Ità Glos. *ad extrau.* Ludou. Lopez *1. part. Instruct. cap. 50.* Dicit esse probabile Petr. de Ledes. *m. citat.* Tenet Henriquez *l. 12. c. 5. nu. 10.* asserens, hunc hortandum esse ad Religionis ingressum. Sanch. *lib. 7. d. 38. num. 18.*

371 Veriorem hãc partem existimat.

Hoc verius puto, adiiciens, nec teneri Religionem ingredi, quamuis animo ingrediendi fuerit initiatus, dummodo id non vouerit. Id tamen certum est, [hunc] initiatum Ordine Sacro ante matrimonij consummationem, monitumque, vt Religionem ineat, ac renuentem, restituendum esse vxori petenti, ac cogendum consummare. Quia id expresè deciditur Extrau. *Antiquæ*; non enim potuit in vxoris præiudicium Sacro Ordine insigniri. Verum in posteriori casu, nimirum quando matrimonio iam consummato, est vir Sacro initiatus ordine, ac ab vxore reuocatus, dicendum est, eum redire teneri. Quia non potuit per ordinem superuenientem iuri exigendi ab vxore acquisito præiudicare.

DVBIVM LXXVI.

An possit vir sola vxoris licentia ad ordinem Sacrum promoueri, si ipsa in sæculo castitatem voueat, siue iuuenis, siue senex sit?

372 Sufficit castitatẽ in sæculo vouere, etiãsi sit iuuenis.

SVfficit, vt vxor siue iuuenis, siue senex sit, votum castitatis in sæculo emittat, nec necessarium est, ingredi in Religionem. Quia videtur expresè id decidi in *c. Coniugatis, de conuer. coniug* ibi: *Nullus coniugatorum est ad Sacros Ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam professente fuerit absolutus.* Vbi nulla mentio facta est ingressus vxoris iuuenis, Religionem in sed solius voti castitatis; cum tamen quando necessarius est præfatus ingressus iura id expresserint. Vt *c. Cum sis, c. da Apostolica, c. Vxoratus de conuers. coniug.* id ad viri professionẽ expressere. Porro coniugati possunt in sæculo manere communi voto continentiæ ab ipsis emisso, in quo euentu carent petendi, ac reddendi facultate. Cur ergo non poterunt in sæculo vitam traducere vxore voto castitatis illigata, viro autem ad Ordines Sacros promoto, atque is communi placito effectis? Sic Hostiens. *sum. tit. de conuers. coniug. n. 5.* Henric. *c. Coniugatus n. 5. & 8.* Brunet. *de sponsal. concl. 30. n. 6.* Turrecr *cap. Episcopus. n. vni. d. 77.* Sà *v. Diuortium, n. 4.* Maiol. *l. 1. de Irregular. c. 34. n. 2.* Franc. Marc. *decis. 734. n. 2.* Torreblan. *l. 2. practic. c. 15. sect. 2. n. 71.* citans haud bene Thomam Sanch. pro se, cum ille solummodo asserat hanc sententiam valdè esse probabilem.

373 Non sufficit, si iuuenis sit.

Si vxor sit iuuenis, non satis est voto castitatis in sæculo eam illigari, sed necessarium est Religionem inire. Quia in vxore iuuene id expresè petitur ad viri professionem *c. Vxoratus, c. Cum sis. c. Ac Apostolicam, de conuers. coniug.* Ergo idem ob eandem rationem ad Sacrum à viro ineundum Ordinem disiderabitur, cum rarò iuuentus non sit de incontinentia suspecta præcipuè post coniugij vsum. Ità Ioan. Andre. *ad c. Coniugatus, in fine.* Anchat. *ibi.* Cardin. *quæstion. 4. & c. Ex parte el. 1. nu. vnic. oppositi. vnic.*

374 Vtor distinctione.

Ego autem cum meo Sancio *l. 7. d. 39. n. 6.* citante D. Tho. Iulud. Sotum, Valent. Azor. Petr. de Ledes. & alios, sic distrinxerim. Si vxor est senex nõ suspecta de incontinentia, sufficit continentiæ votum in sæculo: secus si iuuenis sit, tunc enim ingressus ipsis in Religionem desideratur. Sicut distinguunt textus *c. Vxoratus cap. Cum sis, cap. Ad Apostolicam de conuers. coniug.* vt vir Religionem ingrediatur. Quare idem prorsus in vxore siue vt ordines ascendat requiri affirmo. Et certe ex consuetudine recepta non admittitur vir ad Sacros Ordines, nisi vxor, quæ iuuenis est, Religionem profiteatur: & quæ senex est, continentiam voueat.

DVBIVM LXXVII.

An vir ad ordines promotus sola spontanea vxoris licentia absque aliis iure requisitis, possit ab ea, vel saltem ex Iudicis officio ad coniugale consortium reuocari?

375 *Potest quidē.* POtest quidem. Quia cum præscripta à iure ad legitimam viri promotionem non fuerint seruata, licentia ab vxore promotioni præstita iuri ipsius ad reuocandum non obstabit. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *a.* 4. Barth. à Ledesm. *de Ordi. dub.* 14

376 *Non potest.* Non potest. Quia vxor consentiens viri promotioni, censetur se ad castitatem obligare, ac proinde non superest ei ius reuocandi: cum ius non habeat ad cohabitationem, vel vt sibi debitum reddatur, eo quod communi consensu se se castitatem adstrinxerint, ac vir statum mutauerit. Ita D. Tho. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 2. Richar. *ibi, a.* 2. *q.* 1. Palud. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 9. *& dist.* 32. *q.* 2. *a.* 2. *n.* 19. Veract. *p.* 1. *spec. art.* 37. *concl.* 5. Azor. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 1. Manu. *to.* 1. *sum. cap.* 224. *n.* 3. Viguer. *l. Institut. c.* 16. §. 7. Sylvest. *verb. Matrimonium.* 8. *q.* 12. *dicto* 3.

377 *Vtor distinctione.* Mihi vero hæc distinctio placet: si vxor consensum præstitit non ignara iuris statuentis, quid ipsa debeat efficere, vt vir legitime ad ordines promoueatur: nullatenus poterit reuocari vir solo consensu ad ordines promotus: secus si id ius ignorabit. Quia quando ius ignorat non censetur votum continentię emittere, ne, ad illam se obligare: ac proinde ius concedit reuocationem, quando vxor incontinentiæ periculum patitur *c.* 1. *de conuers. coniug.* vbi statuitur, virum de vxoris licentia professum ad ipsam reuocandum eo quod nullo illa castitatis se voto illigarit. At quando vxor iuris huiusce conscia fuit, eo ipso quod licentiam præstitit, censetur vouere castitatem. Porro hæc reuocatio viri ad vxorem, quæ ei iuris ignara licentiam concessit, non fit iure actionis competentis vxori: quia actione priuatur per licentiam, quam sponte concessit: sed ex officio Iudicis, qui, ne vxoris continentia periclitetur potest virum, non seruata forma à iure præscripta, ad ordines promotum ad vxorem reuocare. Didici ex Tho. Sancio *l.* 7. *d.* 39. *n.* 12. & aliis ab eo *ibi citatis.*

DVBIVM LXXVIII.

An vxor, quæ voto castitatis emisso, licentiam concessit viro Ordinem Sacrum assumendi: reddatur inhabilis post viri obitum matrimonio iungendo?

378 *In habilis non redditur.* INhabilis non redditur. Quia cum id votum simplex sit, impedit quidem, sed non dirimit matrimonium. Sic aliqui antiquiores apud Glos. *c. si se ad finem, d.* 28. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 5. *a.* 5. *in solut. ad* 2. Basil. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 10. Leand. *tr.* 9. *d.* 17. *q.* 14.

379 Redditur inhabilis. Quia *c. Quia sunt, d.* 28. (quod est D. Gregorij *l.* 2. *Epist.* 39. est casus huiusmodi: Vxor conscia promotionis viri ad ordines, mortuo viro iam facto Diacono, ad alias nuptias transiit: & ait Gregor: *si in coniugio* Diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit, ij qui male sociati sunt, disiungantur. Vbi Glos. *v. Fuisse*, ait: *Et ipsum ordinatum, vxore sciente.* Idem colligitur ex *c. si se d.* 28. & ex *c. si qua vidua, d.* 28. & ex *c. Seriatim. d.* 32. Ità Azor. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 11. Vasq. *to.* 3. *d.* 244. *c. vlt. nu.* 140. Ioan. Andre. Turrecr. Hostiens. D. Bonau. Palud. & alij, quos citat, ac sequitur Sanchez *l.* 7. *d.* 40 *n.* 2. *Inhabilis redditur.*

Cum his opinor. Scio tamen discrepare Doctores in huius ratione reddenda. Quidam enim id euenire dicūt, quod vir & vxor actiones communicent, *c. Martinus, de spir. cognat.* vnde ex solemni voto tacite emisso à viro in Sacri Ordinis susceptione redundat per actionum communicationem, vt vxorum votum simplex, solemne efficiatur. Sic D. Bonau. *in* 4. *dist.* 37. *in exposit. lit.* Palud. *dist.* 38. *q.* 2. *a.* 5. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 8. Certe hanc rationem optime reprobat Sanch. *l.* 7. *d.* 32. *nu.* 8. Verum legitima ratio, cum hoc matrimonium sit irritum non est votum simplex vxoris effici solemne per actionum communicationem. Sed quia Ecclesiastica constitutio ob reuerentiam ordinis à viro assumpti ex licētia vxoris castitatem vouentis reddit eam ad subsequens coniugium inhabilem. 380 *Hoc tenet, & exponit.*

CAPVT XXIX.

Circa Impedimentum Ligaminis. *Ligamen.*

DVBIVM LXXIX.

An Polygamia: seu vsus plurium vxorum simul, sit irrita iure diuino in lege Euangelica?

381 *Non est irrita.* NOn est irrita lege diuina in Euangelio. Quia nulla diuina prohibitio circa vxorū pluralitatem inuenitur. Sic Caiet. *ad Marc.* 10. *n.* 11. fatus: *Hic apparet planus litera sensus, quem ideo exactè explicauerim, vt intelligatur, verum esse, quod Theologi dicunt, scilicet, legem de vnitate vxoris nullibi in Canonicis libris esse scriptam.* Idem replicat ad 1. *Timoth.* 3. explicans illa verba: *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.*

382 *Irrita est.* Irrita est iure diuino Christi Domini. Quia Trident. *sess.* 24. *de matrimon. canon.* 2. Sic definit: *si quis dixerit, licere Christianis, plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit.* Eandem veritatem olim præscripsit Innocentius III. *cap. Gaudemus de diuort.* Et esse prohibitum ita vt posterius matrimonium priori subsistente sit irritum, decidere Syricius Papa *Epist.* 1. & Innocent. I. *Epist.* 9. & Alex

Alexander III. *c. Licet de sponsa duorum.* & Innocentius II. *c. fin. eodem tit.* Probat autem Pontifex hanc veritatem *c. Gaudemus* ex testimonio Christi *Mat. 19. Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Vbi Seruator noster volens restituere matrimonium ad eam rectitudinem, & decorem, quæ in prima sui institutione à Deo habuit, sustulit omnino polygamiam quasi primæuæ institutioni matrimonij aduersã. Cum enim interdicat, dimissa vxore propter fornicationem ad alias nuptias transire: à fortiori is transitus, vxore retenta interdictus censebitur. Quod ideo mechari dicatur posteriorem ducens, priore dimissa, quia ob adulterium non desinit prior esse vera vxor. Cum ergo vxor retenta potiori iure gaudeat vxorio, retinet enim ius ad thorum & cohabitationem, quo dimissa ob adulterium caret: multo magis ea retenta, illicitum erit, aliam ducere. Ità Bellarm. *libr. 1. de matr. c. 11.* Sanch. *l. 7. d. 8. n. 1.* Basil. *l. 7. c. 49. nu. 1. & 3.* Hurt. *d. 9. diffic. 1.* Bonac. *q. 3. de impedim. pun. 10. nu. 1.* Villalob. *tr. 14. diffic. 15. n. 1.* Trull. *l. 7. c. 9. dub. 14. n. 2.*

383 *Hoc certissimum.*

Hoc profecto dubium dissoluitur, quia Caietani sententia non sine errore potest sustineri. Hinc autem aperte hæresis Lutheri, & Anabaptistarum confutatur impiè defendentium vxorum pluralitatem. Quam & spurcissimus Mahumetus in nefanda sua lege suis sectatoribus concessit.

DVBIVM LXXX.

An pluralitas vxorum simul sit prohibita iure diuino antiquo positiuo?

384 *Prohibita nõ fuit iure diuino antiquo.*

DIfficultas eo pertinet, an prohibitio hæc ita sit peculiaris legis Euangelicæ, vt ante illam nulla extiterit lex diuina coniugum pluralitatem interdicens? De pluralitate virorum respectu vnius vxoris inferius agendum. In Præsenti vero de pluribus vxoribus respectu vnius viri quæstio procedit. Et quidem iure antiquo diuino positiuo prohibita nõ est. Quia illicita non fuit antiquis patribus vxorum pluralitas cum nec contra naturam id efficerent, eo quod non libidinis explendæ causa id efficerent, sed prolis multiplicandæ affectu: neque contra legem, nam eo tempore prohibita non erat. Sic D. August. *l. de bono coning. c. vlt.* & *lib. 22. contra Faust.* excusat Iacob, qui quatuor duxit vxores rationes consuetudinis. Et Iosephus *l. 17. Antiq. c. 1.* asserit, Iudæis more maiorum licuisse plures vxores habere. At consuetudo nõ potest aduersus ius diuinum prævalere, sed solummodo aduersus ius humanum. *c. fin. de consuetud.* Atque D. Thom. *in 4. dist. 33. qu. 1. a. 1.* fatetur, consuetudinem posse ab hac vxorum pluralitate excusare.

385 *Fuit prohibita.*

Prohibita est iure antiquo diuino positiuo. Quia id constat ex illo *Gen. 2. Et erunt duo in carne vna.* Ad quæ verba Tridentinum *sess. 24. in principio*, profatur: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniũgi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit: Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Et ex illis verbis: *Pro. Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. *pter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Ex quibus verbis hanc veritatem probant Nicolaus I. *cap. 5.* & Innocens III. *c. Gaudemus*, hisce verbis: *Verum absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cum ab initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa, & scriptura diuina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, non dixit: adhærebit vxoribus, sed vxori.* Ità Sanch. *d. 80. n. 1.* Basil. *l. 7. c. 49. n. 1. & 3.* Bellarm. *l. 1. de matr. c. 11.* Hurtad. *d. 9. diffic. 1.* Bonac. *q. 3. de imped. pun. 10. a nu. 3.* & omnes communiter.

386 *Hoc vnicè verum.*

Hoc omnino certum nec probabile vllo modo contrarium obiicitur Licet enim D. Augustinus id asserere videatur, eius testimonia intelligenda sunt diuina dispensatione supposita, quæ consuetudinem illam licitam reddebat, efficiebatque non esse contra legem. Ideo Doctor non dixit: *Quia mos erat, peccatum non erat:* sed *Quando mos erat*; quasi mos non sit causa, sed diuina dispensatio morem excusans. Et quamuis mox subdat: *Nunc quia mos non est, crimen est*, intelligo iuxta præmissa, quia non est diuina dispensatione mos approbatus sicut olim.

DVBIVM LXXXI.

An vxorum pluralitas sit prohibita, ac irrita iure naturali?

387 *Non est prohibita naturali iure.*

NOn est prohibita. Quia Gregorius III. *Epist. 4. ad Bonif.* & refertur *c. Quod proposuisti. 32. quæstion. 7.* vxorem secundam ducere concessit cuidam ob primæ ægritudinem. Quam dispensationem nequiisset concedere, si hoc iuri naturæ aduersaretur. Et quia creditu difficillimum est, plurimas gentes lumine ac ratione naturali penitus esse destitutas, apud quas vxorum pluralitas permittebatur. An non, vt gentes prætermittam, viri sanctissimi in veteri lege plures simul vxores habuere? Certe Abrahamus Saram, & Agar, *Gen. 6.* Iacobus Liam, & Rachel, Balam & Zelpham. *Gen. 29. & 30.* Helcana Annam, & Phenennam, *1. Reg. 1.* Moses Mariam, & Æthyopissam, *Num. 12.* Nec de dispensattone diuina constat. Cæterũ si licet vxori in totum iuri suo cedere, consensum præstans, vt vir profiteatur: cur non licebit, attento solo iure naturæ, sibi in parte præiudicare, consentiens, vt aliæ simul vxores potestatem corporis viri sui habeant, legitimo cum eis matrimonio inito? Sic Durand. *in 4. dist. 33. qu. 1. num. 9. & 10.* Caiet. *ad c. 16. Gen.* Abul. *1. Reg. 8. qu. 25.* Veracr. *p. 2. sec. a. 15. concl. 1. & 2.* Medina *l. 4. de Sacror. homin. contin.* Palac. *in 4. dist. 33. d. 1.*

388 *Prohibita est*

Prohibita iure naturæ est, adeo, vt pugnet cum coniugij veritate ita vt nullatenus possit verum coniugium cum secunda vxore iniri. Quia matrimonium consistere nequit absque mutua corporum traditione: at omnino repugnat, rem vni traditam alteri tradi. Et quia contra primum naturæ principium est, vt vir erga vxorem id faciat, quod ergà se ab vxore fieri, merito recusat. Cum ergo meritò

renuat, vxorem suam alio viro nubere, contra prima naturæ principia erit, vt ipse possit vxorem aliam simul habere. Verum id, quod in prima sui institutione matrimonium sortitum est, natura dictante, videtur ita esse de iure naturæ, vt absque illo coniugij essentia consistere nequeat. At in prima sui institutione tantum licebat vxoris vnitas. Ità Aureol. *apud Capreol. in 4. dist. 33. quæst. 1. a. 2.* Victor. *relect. de de matr. priori parte partis 1. num. 1.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cent. 5. casu 420. à nu. 46.* Petr. de Ledes. *quæst. 65. art. 1. concl. 2.*

389 *Mediam sententiam inter duas extremas eligo, & nonnulla corollaria deduco.*

Mediam sententiam ego inter duas extremas elegerim. Polygamia vnius viri cum pluribus vxoribus non est omnino contra ius naturæ, atque adeò non est contra prima ac vniuersalia eius principia: sed aliquo modo aduersatur iuri naturæ, quatenus est contra conclusiones à primis principiis deriuatas: eo quod non repugnet matrimonij naturæ, nec primario eius fini: sed non satis cum matrimonio congrua, si omnes illius fines spectemus: atque proinde matrimonium illud cum alia vxore licitum priore superstite, est, attento ipso naturæ iure, nullum. Prior pars patet, quia Deus non posset dispensare circa vxorum pluralitatem, cuius contrarium inferius ostendam. Posterior vero inde suadetur, quod vxorum pluralitas aduersetur secundario matrimonij fini, nimirum tanquillæ habitationi coniugum, domesticæque gubernationi, qui finis est secundarius vt testatur Philosophus *libr. 8. Eth. cap. 9.* vxor enim non subditur viro vt famula, sed vt socia in domestica gubernatione principatum tenens, vt fusius probant D. Chrys. *hom. 20. in Epist. ad Ephe.* & D. Thom. *1. part. quæst. 92. art. 3.* At omnis principatus vt pax seruetur suapte natura singularitatem amat. Et ideo non est simile de subiectione qua plures serui vni domino subduntur. Hæc didici ex Tho. Sancio. *l. 7. d. 80. n. 8.* qui alia eruditissime de more congerit. Hinc colligo inprimis, nullatenus posse Pontificem in hac vxorum pluralitate dispensare. Quia tum naturali lege, tum lege Christi Domini ob veram Sacramenti significationem est interdicta. Deinde nulla consuetudine effici posse licitam huiusmodi vxorum pluralitatem. Quia consuetudo nequit aduersus ius naturale & diuinum præualere, sed solum contra humanum. Præterea posse Demm in hac vxorum pluralitate dispensare. Quia nulla repugnantia inuenitur, nec est contra prima iuris naturæ principia. Vnde certum est veteres patres pluribus coniunctos vxoribus culpæ immunes fuisse, eo quod Deus cum illis dispensarit. Quod asserit Innocent. III. *c. Gaudemus, de diuort.* Demum ne Gregorius III. ignorantiæ, aut criminis arguatur, certum est, vt Bellarm. *libro 1. de matrimon. capit. 11. & libr. 4. de Pontif. cap. 12.* affirmat) priorem non fuisse vxorem legitimam ob impedimentum perpetuum, idque solummodo Pontificem declarasse.

DVBIVM LXXXII.

An Deus possit vt vna vxor plures habeat maritos, dispensare?

MInime potest. Quia id est contra prima iuris naturæ principia. Sic Bellarm. *l. 1. de matr. c. 11.* & communiter tradunt Doctores in id non cadere dispensationem. 390 *Minime potest.*

Potest plane. Quia Deus vt supremus Dominus corporum omnium potest concedere vxori facultatem, vt valide & absque iniustitia in maritum etiam tradat aliis sui corporis dominium: & ab eis recipiat dominium corporũ ipsorum: & vt reliqua necessaria ad complementum vinculi efficiat. Ità Hurtad. *d. 9. diffic. 1.* Trull. *l. 7. c. 9. dub. 14. n. 4.* Petr. de Ledes. *q. 65. a. 2. dub. 2. concl. 2.* Coninch *d. 26. nu. 19.* Sanch *l. 7. d. 80. n. 15.* 391 *Potest omnino.*

Ego quidem non videovllam repugnantiam, nec hoc ita intrinsecè malum esse, quin Deus valeat dispensare. 392 *Cum his verbis.*

DVBIVM LXXXIII.

An licita sit nunc infidelibus polygamia?

LIcita est. Quia sola lege positiua Christi Domini ipsos ante Baptismum minime obligãte, interdicitur. Sic Abul. *ad c. 19. Matth. q. 35.* asserens posse sustineri, infideles nunc nõ peccare plures vxores accipiendo. Et ad *c. Gaudemus de diuor.* pro secunda sententia afferendũ respondet, cogi infideles dimittere posteriorem vxorem, quando ad fidem veniunt, non quod peccauerint accipiendo: sed quia delinquerent retinendo, cum iam legi Christianæ sint subiecti. Fauet Veracr. *p. 2. spec. a. 17. concl. 5.* dicens esse valde probabile, infideles non delinquere plures nunc ducendo vxores. 393 *Licita est nunc.*

Licita non est nunc fidelibus polygamia, & dum baptisma suscipiunt, cogendi sunt ad primam vxorem legitimam redire, separandique ab aliis coniugiis ea superstite initis, tanquam ab omnino irritis. Quia expresse id decidit Innocentius III. *c. Gaudemus, de diuort.* Nam lege naturali, qua omnes etiam infideles adstringuntur, id matrimonium erat irritum: & ex sola Dei dispensatione valebat: cassata ergo per Christum Dominum dispensatione, iam matrimonium illud manebit in terminis iuris naturæ irritum. Ità Sanch. *d. 7. d. 80. nu. 14.* Sotus *in 4. dist. 33. q. 1. a. 2.* Valent. *p. 4. d. 10. q. 1. pun. 3.* Bellarm. *l. 1. de matr. c. 11.* Henriq. *l. 11. c. 2. n. 3. lit. M. & l. 12. c. 6. n. 2.* Ledes. *2. p. 4. quæst. 67. a. 2.* Petr. de Ledes. *q. 65. a. 2. dub. 3. concl. 5.* Veracr. *p. 2. spec. a. 18. conclus. 2.* Bonac *q. 3. pun. 10. n. 3.* Trull. *l. 7. c. 9. dub. 14. n. 6.* Bauni. *q. 13. dicto 5.* 394 *Nunc non est licita.*

Hoc certissimum esse reor, quare toleranda non est Abulensis sententia, cuius euasio ad *c. Gaudemus* ex eo manifeste confunditur, quod Baptismus coniugia non soluat. Verũ Veracr. assertio est contra expressam Innocentij III. decisionem. Quare merito Henriquez id erroneum appeller, & Petr. de Ledes. temerarium, ac errori proximum. 395 *Hoc certissimum.*

DVBIVM

DVBIVM LXXXIV.

An antiquitus fuerit licita Gentilibus vxorum pluralitas?

396 Licita fuit. LIcita fuit. Quia Dei dispensatio fuit ad populum Gentilium extensa, eorum speciatim, qui iuxta Hebræos commorabantur. Sic D. Augustin *lib. 22. contra Faust. cap. 47.* & dicunt esse probabile Bellarm. *lib. 1. de matrimon. cap. 11. propos. 6.* Ledesm. *2. part. 4. qu. 67. artic. 2.* Valent *p. 4. d. 10. qu. 1. punct. 3.* Sanch. *l. 7. d. 80. num. 13.*

397 Non fuit licita. Non fuit licita. Quia Dei dispensatio minime extensa fuit ad Gentilium populum: quod in eo ratio dispensationis non militaret, nempe fidelis populi multiplicatio. Ita Sotus *in 4. dist. 33. qu. 1. art. 2.* Angl. *part. 1. de matrim. qu. 7. art. 1. diffic. 3.* Henriquez *libr. 12. de matrimon. cap. 6. num. 2.* & *lib. 11. cap. 2. num. 3.* Barthol. à Ledesm. *dub. 72. conclus. 6.* Sanchez *citatus.*

398 Hanc partem probabiliorem iudico. Partem primam satis probabilem esse reor, nempe Dei dispensationem Hebræo populo impensam extensam fuisse ad Gentilium populum, vnde ei licita antiquitus fuit vxorum pluralitas. At probabilius crediderim, extensam non fuisse; vnde nisi ignorantia excusarentur, rei erant Gentiles polygamia vtentes. Verum iam in lege Euangelica eiusmodi dispensatio cassata fuit, à Christo Domino: quare nullis Gentilibus licita est hodie vxorum pluralitas. Idem dixerim de Iudæis. Quia cum eorum facultas, aut dispensatio per Euangelium prorsus cessarit, relicti proculdubio ipsi sunt turi mero naturæ, vt iam illorum connubia cum pluribus vxoribus nullatenus valida existant.

DVBIVM LXXXV.

An vidua incurrat pœnas iure ciuili statutas ei, si intra annum luctus ad secundas transeunti nuptias, si consummatum prius matrimonium non fuit?

399 Nonulla suppono. IN primis suppono, annum hunc luctus esse primum post viri obitum, numerarique à die mortis eiusdem, *leg. Genero, Digest. de iis, qui notantur infamia.* Deinde suppono sex pœnas indictas iure ciuili esse viduæ intra annum luctus nubenti. Prima est, vt efficiatur infamis. Secunda, vt posteriori viro non possit dare in dotem, nec in vltima voluntate relinquere vltra tertiam suorum bonorum portionem. Tertia, vt sit expers cuiuscúmque hæreditatis, legati, fideicommissi, donationis causa mortis. Quarta, priuatur omnibus relictis à viro priori in vltima eius voluntate: & priuatur non tantùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum. Quinta, non potest succedere ab intestato suis consanguineis vltra tertium gradum. Constant cuncta hæc ex *l. 1. C. de secund. nupti.* Sexta, tenetur dare medietatem bonorum prioris matrimonij filiis. *leg. Si qua mulier, 4. Cod. ad Senat. Consult.* Nec excusatur ab his pœnis vidua minoris ætatis ratione. Quia *lex 1. Cod. de secund. nupti.* generaliter loquitur, nec in malis moribus minori subuenitur. Porrò non incurrit has pœnas fœmina, cuius prius matrimonium contigit fuisse nullum. Quia nulla offensa priori legitimo matrimonio illata est: nec legitimum coniugium secundum dignum est pœna. Quæsierim autem, an incurrantur, si matrimonium primum non fuit consummatum?

400 Vidua pœnas incurrit. Incurruntur quidē. Quia non sola turbatio, sanguinis, hoc est, incertitudo vtro ex matrimonio proles nascatur, est harum causa pœnarum, sed etiam despecta defuncti coniugis reuerentia, qui tam velociter dehonestatus est. Sic Ripa *Rubr. Cod. de secund. nupti. numer. 16. & 17.*

401 Non incurrit. Minimè incurruntur. Quia *libr. 1. Cod. de secund. nupti.* Supponit, matrimonium prius fuisse consummatum, ibi: *Nuptiarum festinatione.* Inferiùs, *Iis etiam admittendis, quæ prior maritus.* At in odiosis, & pœnalibus, nomine *Nuptiarum*, ac *Mariti*, ac *Matrimonij*, solùm matrimonium consum natum, & vir; qui consummauit comprehenduntur, vt probat Sanchez *libr. 1. dub. 1. num 3.* Ita ipse Sanchez *lib. 7. disp. 81. numer. 19.* Garronis *ea l. 1. num. 8. notab. 3.* Decius *ibi, nu. 4.* Couar. 4. *ecret al part. 1. cap. 3. 8. 9. numer. 6.* Ludouic. Lopez *part 2. Instruct. de matrimon. capit. 4.*

402 Cum his opinor. Cum his opinor, illémque asserendum censeo, si posterius coniugium intra luctus annum initum post illum consummetur. Quia nuptiarum festinatio, quæ his pœnis subiicitur deficit. Non enim dici possunt nuptiæ illæ initæ intra annum, cùm eo tempore consummatæ, nondum sint: nec plenè est iniuria priori viro irrogata, nec incertitudo, vtro ex matrimonio sit proles, subsequi potest. Monuerim demum, hasce pœnas fœminæ secundo nubenti intra annum luctus statutas non afficere viduum intra annum secundam vxorem ducentem. Quia maior honestas in fœminis, quam in viris exigitur, nec si vxores lugere compelluntur *leg. Vxores, Digest. de iis, qui notantur infamia.*

DVBIVM LXXXVI.

An omnes hæ pœnæ fœminæ secundo nubenti intra annum luctus à iure Ciuili inflictæ correctæ sint à Iure Canonico?

403 Nulla pœna est correcta. NVlla pœna est à Canonico iure correcta. Quia vbi non est quæstio de peccato, quod lex ciuilis foueat, non est iuris Canonici leges ciuiles corrigere: at nulla adest culpa in iis pœnis statuendis: imo iustissima ratione arcentur fœminæ à tam celeri ad alias nuptias transitu, ac certitudini prolis consulitur. Sic Gloss. *l. Decreto, verb. Contrahere. Cod. ex quibus causis infamia irrogetur.* Paul. *ibi, in fine.* Iacob. Curti. *l. 3 coniectural. cap. 9.* Alij vero affirmant, solam in-

famiæ pœnam correctam esse. Quia ius Canonicum *cap. penultim. & cap. final. de secund. nupti.* solùm decidit, huiusmodi fœminas non incurrere infamiam lege statutam. Sic Cynus *l. 1. fine. Cod. de secund. nupt.* Oldradus, Offredus, Iacob. de Aretino, quos refert, ac sequitur Baldus *ibi, numero septimo*, Lucas de Penna *leg. Mulieres, Codice de incolis, libr. 10. colum. 6.*

404 *Omnes pœnæ correctæ sunt.*

Omnes pœnæ à iure Canonico sunt correctus solius infamiæ memoriam gesserit, at ratione, quam reddit, omnes pœnas amplectitur, ibi: *Non debet legalis infamia sustinere iacturam, quæ licet post viri obitum infra tempus luctus scilicet vnius anni spatium nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo vtitur facultate.* Cur ergo hæc ratio æque militet in omnibus aliis pœnis, censetur ius Canonicum omnes illas abolere: non enim æquitas Canonica patitur, vt mulier rem licitam gerens, ac iure suo vtens, puniatur. Ita Paludan. *in 4. dist. 42. q. 3. art. 1. concl. 6. num. 10.* Ludouic Lopez *part. 2. Instruct. cap. 41.* Sanchez *libr. 7. dub. 81. numer. 24.* citans omnes fere Iuristas.

405 *Hoc mihi certum.*

Certe sententia hæc decisa est in hoc Regno *libr. 3. titul. 1. lib. 5. nouæ Recopil.* Vnde iam fœmina potest impune ad secundas nuptias transire quocúmque tempore. Consulere enim Ecclesia voluit matrimonij libertati, ac iuri ad illud transeundi, ad sedandas carnis illecebras, incontinentiámque vitandam.

CAPVT XXX.

Honestas. *Circa Impedimentum Publicæ honestatis.*

DVBIVM LXXXVII.

An Publicæ honestatis impedimentum oriatur ex sponsalibus fictè celebratis?

406 *Nonnulla recito.*

RECOLO, hoc impedimentum *iustitiæ publicæ honestatis*, appellari, eo quod iustum sit propter publicam decentiam, morúmque honestatem, vt matrimonium impediatur inter aliquas personas, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia de futuro, & ob matrimonium ratum non consummatum. Porrò hoc impedimentum ex sponsalibus ortum, solùm dirimit matrimonium in primo gradu. Nam licet iure antiquo dirimeret vsque ad quartum gradum, nunc iure nouo Tridentini *sess. 24. cap. 3.* dirimit solummodo in gradu primo consanguinitatis, ortum scilicet ex validis sponsalibus. Vnde si quis nunc post sponsalia celebrata cum Maria, matrimonium contraheret cum eius sorore, vel matre, vel filia, inualide contraheret: non vero si coniugium cum consanguineis ipsius vltra primum gradum iniret. Quæsierim autem, num impedimentum ex sponsalibus fictè celebratis, hoc est, ore tenus sine interno consensu, oriatur?

407 *Non oritur.*

Minimè oritur. Quia attenta sola ratione naturali ex sponsalibus irritis id impedimentum non oritur: sed ideo tantum oriebatur, quia id decisum erat *cap. vni. de sponsal. in 6.* At id quoad hoc est omninò correctum per Tridentinum *sess. 24. cap. 3.* vbi decernitur, sponsalia, quę quacúmque ratione valida non sunt, hoc impedimentum minimè inducere. Sic Nauar. *sum. Lat. cap. 22. num. 57.* Veracruz *in append. ad spec. vbi de impediment. public. honestat. fol. 80.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. num. 2.* Petr. de Ledesm. *qu. 51. art. 4.* Coninch. *disp. 32. dub. 5.* Perez *dub. 32. section. 2.* Palaus *d. 4. punct. 10. numer. 7.* Villalob. *tract. 14. diffic. 16. numer. 2.* Diana *part. 9. tract. 6. resolut. 52.* Hurtad. *dub. 21. diffic. 1.* & alij.

408 *Oritur plan.*

Oritur planè. Quia Tridentinum non omninò corrigit textum *cap. vni. de sponsal. in 6.* quoad hoc, sed tantum quoad sponsalia habentia consensum, & alia ratione irrita: hæc enim iuxta illud Caput inducebant hoc impedimentum: at iuxta Tridentinum non inducunt. At quoad sponsalia irrita defectu consensus dictum *Caput vnicum* manet illæsum; quia nec iuxta Tridentinum inducunt hoc impedimentum. Porrò non obstante ea decisione, intelligendus est *cap. vnic.* textus, quando defectus consensus est externus, qualis est in furioso, infante, & ioco apparenti, & manifesto præbente consensum. Igitur impedimentum hoc oritur ex sponsalibus absque interno consensu initis quoties huiusmodi defectus consensus exterius non constat. Quia tunc vere sponsalia illa sunt valida: excepto enim matrimonio, omnes contractus signis tantùm externis celebrati, valido celebrantur effectu. Ita Sanchez *libr. 7. dub. 68. numer. 14.* Basil. *libr. 7. cap. 36. numer. 10.* Layman. *libr. 5. tractat. 10. cap. 9. numer. 4.* Vega. *tom. 2. sum. cap. 34. casu 13.* D. Antonin. & Couar. apud Petr. de Ledesm. *vbi suprà*, Barthol. à Ledesm. *dubio 23.* Henriquez *libro 12. capite 10. numero 2.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 234. numer. 3.*

409 *Hoc probabilius reor.*

Ego quidem probabilius reor, hoc impedimentum ex talibus sponsalibus oriri. Quia est institutum ob publicam honestatem, & ad scandalum vitandum. At quando sponsalia in exterioribus sunt omninò valida, & solus consensus internus ad eorum valorem desideratur, tantum scandalum, tanta inhonestas adesset, ac si verò vero animo contracta fuissent. Cum defectus ille interni consensus vniuersos lateat. Ergo ex ratione, qua inducta est Ecclesia ad hoc impedimentum statuendum, expressa in ipsomet iure *cap. Iuuenis, de sponsal.* manifestè constat, mentem eius fuisse, vt defectus consensus, ob quem sunt irrita, sit externus, ne inducant huiusmodi impedimentum.

DVBIVM

DVBIVM LXXXVIII.

An Publicæ honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus validis cesset, cum mutuo contrahentium consensu sponsalia dissoluuntur?

410 *Non cessat.* NOn cessat. Quia hoc impedimentum perpetuum adeò, vt nec morte alterius sponsi extinguatur. Et hoc est, quod *cap. Sponsam, de sponsal.* & *cap. Si quis vxorem*, decidunt asserentia, nullum ex consanguineis alterius sponsi, posse sponsam ducere: non enim potest esse sensus, vt extendatur ad omnes consanguinitatis gradus: sed sensus est, nullum ex consanguineis intra gradum prohibitum posse in perpetuum id matrimonium inire. At si ex mutuo contrahentium consensu sponsalibus dissolutis, hoc cessaret impedimentum, perpetuum non esset. Et quidem nulla maior dissolutio sponsalium potest accidere, quam alterius sponsi obitu, at tunc durat impedimentum. Ergò à fortiori post dissolutionem communi ex consensu sponsalium perdurabit. Sic Sanchez *l. 7. dub. 68. num. 11.* taxans immerito Emmanuelem de Sà Doctissimum, qui *verb. Matrimonium, de impediment. num. 12.* contrarium asseruit. Sotus *in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2.* Candid. *disquis. 28. art. 11. dub. 2.* Perez *de matrimon. dub. 32. sect. 2. numer. 2.* Layman. *libr. 5. tractat. 10. part. 4. cap. 9. num. 3.* Bonacin. *quæst. 3. de impediment. punct. 11. num. 7.*

411 *Cessat omnino.* Cessat omninò. Quia sponsalia mutuo consensu dissoluta sunt nulla, & inualida omninò, vt declarauit Cardinalium Congregatio apud Farinac. *ad cap. 3. Tridentin. citat.* Si ergo impedimentum hoc ex veris sponsalibus debeat ortum habere, cum iam sponsalia nulla sint, nullum aderit impedimentum. Ita Basil. *l. 7. cap. 36. num. 9.* Rebel. *part. 2. libr. 3. quæst. 14. num. 3.* Sà *citat.* Gutier. *de matrimon. cap. 103. n. 11.* Cornejo *disp. 7. dub. 30. quæsito 5.* Leander *tract. 9. dub. 19. quæst. 4.*

412 *Huius sententiæ.* Valde miror sapientissimum meum Thomam Sanchum illam Cardinalium declarationem non legisse. Probabiliorem itaque secundam sententiam existimo, contrarium asseruit, si morte alterius sponsi sponsalia dissoluerentur. Quia eo in casu sponsalia illa perpetua censerentur, nam qui obiit, iudicatur in eadem voluntate decessisse.

DVBIVM LXXXIX.

An si contractis sponsalibus cum Maria sub conditione sponsalia absoluta cum eius sorore ineantur: oriatur publicæ honestatis impedimentum?

413 *Nonnulla certa suppono.* CErtum est, ex sponsalibus incertis nullum impedimentum oriri: vt si quis det fidem de ducenda quandam ex Antonij filiabus nulla ex illis assignata *cap. vnic. de sponsal.* & Trident. *sess. 24. cap. 3.* decidit, ex sponsalibus iritis hoc non oriri impedimentum. Idem dixerim de sponsalibus conditionalibus: quare valebit matrimonium initum cum sorore eius sponsæ, conditione nondum extante. *cap vnic. in fine.* Quia cum conditio consensum suspendat vsque ad eius impletionem, antequam impleatur, sponsalia non sunt valida ex defectu consensus. Quæsierim verò, nùm si quis post sponsalia conditionata cum Maria ante conditionis euentum contrahat secunda sponsalia absoluta cum eius sorore, ex posterioribus his impedimentum publicæ honestatis oriatur?

414 *Oritur impedimentum ex posterioribus sponsalibus.* Ex posterioribus sponsalibus publicæ honestatis impedimentum oritur, vnde non potest iam prior soror duci. Quia posteriora sponsalia valida fuêre, priora vero inualida, pendente enim conditione, non aderat consensus. Constat ex *cap. vnic.* Sic Gloss. *ad id, verb. Præsenti, de sponsal. in 6.* Tabien. *verb. Impedimentum, impedim. 11. num. vnic.*

415 *Minimè oritur impedimentum.* Ex posterioribus sponsalibus publicæ honestatis impedimentum non inducitur. Quia sunt irrita per Tridentinum *sess. 24. c. 3.* vtpote quæ sunt contra priorem promissionem. Ita Sanch. *libr. 7. dub 69. num. 3.* Basil. *lib 7. cap. 36. dub. 69. num. 3.* Basil. *lib. 7. capit. 36. num. 7.* Bonacin. *quæstion. 3. punct. 11. numer. 5.* Candid. quem refert, & sequitur Leander *tractat. 9. dub. 19. quæst. 6.*

416 *Certum est, non oriri huiusmodi impedimentum.* Certum est, hodie post Tridentinum huiusmodi impedimentum ex posterioribus sponsalibus non oriri omninò irrita fuêre. Nam tenebatur qui sub conditione fidem Mariæ dedit expectare eius euentum: vnde contra iustitiam eo non expectato resilit. At cum pendente conditione non posset licite aliud matrimonium inire, promissio de eo ineundo non fuit valida, tanquam promissio de peccato admittendo: subindéque impedimentum non pariet. Id autem intelligo quando est conditio de futuro, non de præsenti, aut præterito. Et quando conditio de futuro est contingens, non quando est necessaria. Etsi sit possibilis, & honesta.

DVBIVM XC.

An ex matrimonio rato nondum consummato oriatur potius affinitatis, quam publicæ honestatis impedimentum?

417 *Oritur affinitas non publica honestatis impedimentum.* POtiùs oritur affinitatis, quam publicæ honestatis impedimentum. Quia per contractum matrimonij de præsenti adstringuntur coniuges multo arctiori vinculo, quam per contractum sponsalium de futuro: Ergo vir cum consanguineis vxoris, & è contra multo perfectiori vinculo, & maiori propinquitate coniunguntur. Cum ergo ex sponsalibus oriatur publica honestas, nec sit aliqua propinquitas media inter affinitatem, & publicam honestatem, dicendum est, ex matrimonio rato affinitatem, non publicam honestatem oriri. Sic D. Thom. *in 4. dist. 41. qu. vnic. artic. 1. quæstiunc. 4. ad 2.* Sotus *articul. 2.* Petr. de Soto *de matrimon.*

Ledesm.

Ledesm 2.p.4.qu.57.art.3. Veracruz *in append. ad spec. dub. penultim. conclus.* Viguer. *Instit. cap.* 16.§.7.*vers.* 9. Bellarm. *libr.* 1. *de matrim. cap.* 24. Henriquez *lib.* 12.*cap.* 10.*num.* 1. Ludou. Lopez *part.* 2. *Instruct. vbi de matrimon. capite* 50.

418 *Oritur publica honestatis impedimentu non affinitas.*

Potius oritur publicę honestatis impedimentum, quam affinitatis. Quia affinitas nequit nisi ex copula carnali consurgere. Habetur *in cap. Si quis*, 3.27.*qu.* 2. & *in cap. Qui de sponsatam.* & *in cap. Ad audiendam, de sponsal.* & *in cap. Duo, de sponsal. impuber.* Sic Nauar. *l.* 4. *consil. de sponsal. consil.* 11.*num.* 2. Couar. 4. *Decretal. part.* 2.*cap.* 6. §. 2.*num.* 1. Villalob. *tractat.* 14. *diffic.* 16. *num.* 6. Basil. *lib.* 7.*cap.* 15.*num.* 1. & 2. Bonacin. *qu.* 3. *de impediment. punct.* 1. *num* 9. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 64. *numer.* 25. Candid. *disquisit.* 8. *articul.* 11. *dub.* 4. Toletan. *libro* 7. *capite* 228. *numero* 1. & *cap.* 234. Barthol. à Ledesm. *dub.* 39. & alij.

419 *Auctoris placitum.*

Quamuis possit dici oriri affinitatem impropriè, & large, seu quoddam affinitatis initium: eo quod potestas corporum tradita per matrimonium est initium actus coniugalis, vnde affinitas oritur; at verè, & in rigore non oritur huiusmodi affinitas. Vnde censuerim, impedimentum, quod oritur ex matrimonio rato, esse verè, ac propriæ publicæ honestatis, & non affinitatis. Quia (vt fert secundæ sententiæ fundamentum) affinitas oritur ex eo quod vir, & vxor efficiuntur vna caro per copulam perfectam, ac consummatam: quod quidem in matrimonio rato minimè reperitur.

DVBIVM XCI.

An impedimentum publicæ honestatis consurgens ex matrimonio rato restrictum per Tridentinum ad primum gradum, sicut consurgens ex sponsalibus?

420 *Restrictum est.*

REstrictum est. Quia Tridentinum contrarium non asseruit, cum de impedimento publicæ honestatis loquitur *sess.* 24. *cap.* 3. ibi: *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Ergo idem videtur de impedimento eodem ex matrimonio rato sentire. Sponsalium enim nomine etiã matrimonium ratum in iure intelligitur. Sic Ouand. *in* 4. *dist.* 41. *quæst. vnic.* Ludouic. Lopez *part.* 2. *Instruct. de matrimon. cap.* 50. Et Bonacin. *qu.* 3. *punct.* 11. *num.* 9. ac Bauni. *tract.* 12. *de impedim. vbi de impedim. cognat. qu.* 2. §. *de imped. affinit.* asserunt, Toletum hanc sententiam amplecti *lib.* 7. *cap.* 10. Ast ego requirens, contrariam Cardinalem tenere proculdubio annotaui; & Victorellus eius Scholiastes idem asseruit. Aptius possem Villalobos citare, qui immemor suæ alibi sententiæ expresè, huic parti videtur morem gerere *tractat.* 14. *diffic.* 17. *num.* 4.

421 *Non est restrictum.*

Minime est à Tridentino restrictum, quamuis ex matrimonio rato irrito exoriatur, sed durat vsque ad quartum gradum. Quia restrictio graduum facta à Tridentino intelligenda est de sponsalibus de futuro, non autem de matrimonio rato non consummato: Ergo impedimentum dirimens, quod oritur ex huiusmodi matrimonio debet vsque ad quartum gradum extendi. Antecedens, probatur, quia Concilium solum expressit impedimentum, quod ex sponsalibus contrahitur, & illud ad primum gradum restrinxit. At nomine sponsaliorum in iure semper intelliguntur sponsalia de futuro, non matrimonium ratum. Ergo de huiusmodi sponsalibus tantum est hoc decretum intelligendum. Ita Veracr. *append. ad spec. de imped. affin. in fine.* Barthol. à Ledesm. *dub.* 43. Sà *verb. Matrimonium, de impediment. num.* 12. Manuel. *tom.* 1. *sum cap.* 134. Petr. de Ledesm. *qu.* 54. *articul.* 1. Sanchez *libr.* 7. *dub.* 70. *num.* 16. Candid. *di quisit.* 18. *art.* 11. *dubit.* 4 Hurtad. *d.* 21. *diffic.* 2. Basil. *libro* 7. *capite* 35. *numero* 3. & 4. Leander *tractat.* 9. *dub.* 19. *quæstion.* 11. & alij communiter.

Falsam omninò primam esse sententiam, & fundamentum leue innuit; & Pij V. declaratio ostendit aperte. Anno enim 1538. Pontifex quodam in Breui, quod incipit, *Ad Romanum* profatur: *Idcirco motu proprio, authoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & definimus, Decretum Concilij huiusmodi omninò intelligendum esse, & procedere de sponsalibus de futuro duntaxat: non autem in matrimonio sic, vt præfertur, contracto: sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri, ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus, & statuimus.* Ast ante Tridentinum impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus etiam irritis durabat vsque ad quartum gradum, ne dum ea matrimonio rato. Ergo in eisdem gradibus hodie perdurat. Profecto Doctores primæ sententiæ motum proprij Pij non viderunt, nec ad eorum notitiam accessit Sacri Senatus Cardinalium declaratio, à Farinacio expressa *ad cap.* 3. *Tridentin.* Ideo primam sententiam falsam omninò iudicarim. 422 *Falsam esse primam partem, vna vnicè secutà.*

DVBIVM XCII.

An Impedimentum publicæ honestatis consurgat, ex matrimonio rato, quocumque ex causa inualido?

NOn consurgit. Quia per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3 hoc impedimentum correctum est non tantum in sponsalibus, sed etiam in matrimonio rato. Nam cum sit correctum in sponsalibus irritis, & hoc impedimentum non inuenitur expresè decisum, oriri ex matrimonio rato nullo, sed id deducitur per quandam consequentiam, eo quod id decisum sit in sponsalibus irritis: eo ipso quod Tridentinum id correxit in sponsalibus nullis, videtur quoque in matrimonio rato irrito id correctum fuisse: accessorium enim naturam sequitur principalis, *Regula Accessorium, de regulis iuris, in* 6. Sic Nauar. *sum. Lat. cap.* 22. *num.* 58. *corol.* 2. Couarr. 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 6. §. 2. *num.* 2. Ludou. Lopez *part.* 2. *Instruct. vbi de matrim. cap.* 50. Sà *de Impedim.* 423 *Non consurgit.*

*pedim.num.*12.& alij, quos citat, & sequitur Texada *tom.*2.*libr.*4.*tractat.*2.*Paragraph.*7.*controuers.*21.

424 *Consurgit ipsum.*

Consurgit omninò. Quia id impedimentum consurgere minime correctum est à Tridentino, sed adhuc stat, & ideò oritur ex matrimonio rato irrito quacúmque ex causa, præterquam defectu consensus, hoc impedimentum. Nam sic peculiariter declarauit Pius V. *in motu proprio, qui incipit, Ad Romanum spectat*, edito, (vt dubio proximo dixi) anno 1568. vbi Pontifex præmittit, multos dubitasse, an decretum Tridentini *sess.*24.*cap.*3. quo cauetur, impedimentum publicæ honestatis, vbi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, vbi verò valida fuerint, non excedere primum gradum intelligatur de sponsalibus de futuro tantum, vel etiam de matrimonio de præsenti non consummato: & asserit, solummodo de sponsalibus esse intelligendum, vt vidimus. Ita Henriquez *lib.*12.*cap.*10.*num.*2. Valent. *part.*4.*d.*10. *qu.*5.*punct.*3. Sanchez *lib.*7.*dub.*70.*num.*5. Basil. *lib.*7.*cap.*35.*num.*5. Cornejo *disp.*7. *dub.*30. Palaus *d.*4.*punct.*10. Diana *part.*9.*tractat.*6. *resolut.* 59.

425 *Iam horum ipsum.*

Certissimum iam est, oriri hoc impedimentum ex matrimonio rato irrito quacúmque ex causa, modo non sit irritum ex consensus defectu. Quia non est recedendum ab antiquo iure, nisi quatenus aliter in nouo decernitur: At iure antiquo *c.*1.*Sponsam, de sponsal.* & *cap. Accessit, de sponsa. impub.* impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato inualido quacúmque ex causa consurgebat, modo non esset ex defectu consensus inualidum; (vt si metus interuenisset, error personæ, vel animus internus,) & iure nouo non est aliter decretum, vt ex decreto Pij V. & Cardinalium declaratione *apud Farinac. ad cap.*3.*Tridentin.* constat. Ergo ex matrimonio rato inualido publicæ honestatis impedimentum hodie consurgit.

DVBIVM XCIII.

An ex matrimonio rato conditionato oriatur publicæ honestatis impedimentum?

426 *Oritur quidē.*

ORitur quidem. Quia id matrimonium statim impleta conditione efficitur validum absque nouo consensu: vnde ex eo oritur publicæ honestatis impedimentum, tanquam ex sponsalibus validis absolutis, quamuis conditio impleta minime sit. Nam tale matrimonium cum sit contractus perfectior sponsalibus, includit eminenter ante conditionis euentum sponsalium absolutorum vim. Sic Iurisperiti, quos memorat, ac sequitur Petr. de Ledesm. *quæstion.* 55. *articul.* 4. *dub. penultim.*

427 *Non oritur.*

Non oritur impedimentum. Quia nulla ratione habet vim contractus alicuius absoluti, sed solùm sponsalium sub conditione initorum, aut matrimonij conditionati: ac proinde ante conditionis euentum nullus adest perfectus consensus. Non ergo orietur impedimentum. Quippe ob hanc rationem deciditur *cap. vnico, de sponsal. in* 6. non oriri impedimentum ex sponsalibus conditionalibus, ante conditionis euentum. Ita Henriquez *lib.*12. *cap.*10.*n.*2. Sanchez *lib.*7.*dub.*70.*num.*21. Basil. *lib* 7.*c.*35. Bonacin. *quæst.*3. *de impedim.punct.*11.*num.*16. Leand. *tract.*9.*dub.*19.*quæst.*14. Hurtad. *dub.*21. *diffic.*2.

428 *Hoc verius existimo.*

Certius hoc reor adiiciens, post euentum conditionis, si teneamus matrimonium non perfici absque nouo consensu, sed eum contractum vim sponsalium absolutorum habere, (vt sustinet valde probabilis sententia) dixerim, ante nouum consensum perficientem matrimonium oriri publicæ honestatis impedimentum sicut ex sponsalibus absolutis, nimirum vsque ad primum gradum. At si teneamus, statim euenienti conditione perfici absque nouo consensu matrimonium absolutum, (quod probabilius duco) asseruerim, oriri impedimentum hoc vsque ad quartum gradum, sicut ex matrimonio.

CAPVT XXXI.

Circa Affinitatis Impedimentum. *Si sis Affines.*

DVBIVM XCIV.

An vt affinitas contrahatur, sufficiat, vt solus vir in copula seminet?

429 *Nonnulla certa suppono.*

NOnnulla ex *sectione.*1. ad memoriam reuocare operæ pretium duco. Primò, non solum ex matrimoniali copula, verum etiam ex illicita oriri affinitatem: quidquid in contrarium dicant Tancred. & Vincent. quos refert Archidiac. *cap. vltim.n.*6. *de sponsal. in* 6. & alij. Quia sic definitur in *cap. Non debet de consanguin. & affinit.* & in Tridentin. *sess.*24. *cap.* 4. Deinde, vt affinitas contrahatur, non sufficere copulam absque seminis viri in vas fœmineum intromissione (quidquid Metina *lib.*5. *de sacror. homin. continent. cap.*76. refragetur.) Quia affinitas ex eo solum oritur quod semen viri, & sanguis menstruus fœminæ, vel eius semen intra matricem commisceantur, vt habetur in *cap. Lex diuina*, 27. *quæstion.*2. Ex hac enim commixtione vir, & fœmina fiunt vna caro, & vnus sanguis; & consequenter consanguinei vnius fiunt alterius affines. Quæsierim, nùm vt affinitas contrahatur, sufficiat, vt solus vir in copula seminet, an etiam necessarium sit, fœminam seminare?

430 *Non sufficit seminare virum.*

Non sufficit seminare virum, sed necessarium est, vt fœmina etiam seminet. Quia copula, in qua solus vir seminat, non est ad generationem sufficiens: cum iuxta communem Medicorum sententiam vtrúmque semen ad generationem

rationem desideretur. Sic D. Thom. *in 4. dist. 41. qu. vnic. art. 1. quæstiunc. 3.* vbi ait, ex carnali copula, in qua est seminum commixtio, oriri affinitatem. Durand. *ibi, qu. 1. art. 7.* D. Bonauentur. *art. vnic. q. 1.* Viguer. *l. Institut. c. p. 16. §. 7. vers. 9. impedim. 6* Hurtad. *disp. 20. diffic. 1. num. 5.* Diana *part. 4. tractat. 2. resolut. 53. & part. 3. in addit. 2. resolut. 21.* Didac. de Narbon. *de ætate ad omnes, anno 14 qu. 5. num. 4.* Qui tamen non bene pro hac parte citat Thomam Sanchez. Hic autem *lib. 7. dub. 64. num. 20.* ex Iurisperitis citat plurimos.

431 *Sufficit virum seminare.*

Sufficit virum seminare, nec fœminæ semen desideratur: sed sufficit ad affinitatem contrahendam, si vir intra pudoris claustra semen emittat. Quia ea est copula perfecta, & sufficiens ad generationem, subindéque ad affinitatem. Ita Sanchez *citatus, num. 21.* Petr. de Ledesm. *quæst. 55. art. 3. dub. 2. ad 4.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 128. numer. 1.* Vega. *tom. 2 sum. cap. 31. casu 171. concl. 5.* Basil. *lib. 7. cap. 33. nu. 2* Lublin. *verb. Affinitas, num 1.* Torreblanc. *libr. 2. practic. cap. 15. section 9. num. 77. 78 & 79.* Rebel. *qu. 15. num. 2.* Et id ipsum existimo tenuisse Dianam *part. 3 tractat. 5. resolut. 19.* citantem Florenum, ac Finellum. Trullench. *lib. 7. cap. 9. dub. 16. num. 4* Leander *tractat. 9. dub. 20. qu. 4.* Cornejo *disp. 7. dub. 32.* & viginti sex Doctores à Thoma Sancio citati.

432 *Hoc verius existimo.*

Profectò cum verius sit semen fœmineũ minime ad generationem desiderari, verius esse puto, nec ad affinitatem contrahendam requiri. Nam in matrice, in quam virile semen immittitur fœminæ menstruus sanguis est paratus, ex cuius cum virilis seminis commixtione vir, & fœmina vna fiunt caro, & huiusmodi copula perfecta est, & ad generationem sufficiens.

DVBIVM XCV.

An contrahatur affinitas ex copula, in qua sola fœmina semivat?

433 *Sufficit quidem.*

SVfficit, imo licèt non ipsa seminaret. Quia ex solo matrimonio rato consurgit affinitas. Quia per matrimonij contractum de præsenti adstringuntur coniuges multo arctiori vinculo, quam per contractum sponsalium de futuro: ergo vir cum consanguineis vxoris, & vxor cum consanguineis viri multo perfectiori vinculo, ac maiori propinquitate coniungentur. Ergo adhuc efficacius adstringentur ex copula, in qua sola fœmina seminarit. Sic Michaël de Medina citatus à Leandro *tractat. 9. disput. 20. quæstion. 5.* Sotus *in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2.* Petr. de Soto *lect. 10. de matrimon.* Bellarm. *libr. 1. de matrim. capite 24.* Henriquez *libro 12. capite 10. numero 1.* & alij apud Sanchez *libr. 7. dub. 64. num. 24.*

434 *Non sufficit.*

Minimè sufficit. Quia præfata copula, nec ad generationem est sufficiens, nec ibi datur commixtio sanguinum, è qua vir, & fœmina vna caro fiunt. Ita Sanch. *citat. n. 10.* citans pro hac parte quinquaginta supra quinque Doctores. Quibus addo Basilium, Bonac. Hurtad. Candidum, & Cornejo citatos à Leandro *vbi supr.*

435 *Hoc certum mihi.*

Hoc mihi certum, quia ex communi sententia, ad affinitatem contrahendam, requiritur copula, quæ ad generationem sufficiat.

DVBIVM XCVI.

An ex spadonis congressu oriatur affinitas?

436 *Oritur plane.*

ORitur quidem. Quia spadones semen emittunt, è quo cum fœmina fiunt vna caro. Sic Ioan. de Friburgo *sum. Confess. lib. 4. titul. 16. qu. 13.* citans Hugonem, addens, oppositum esse tutius. Ergo tutum hoc esse opinatur.

437 *Non oritur.*

Minime oritur. Quia non emittunt verum semen, è quo subsequi possit generatio. Ita Petr. de Ledesm. *qu. 55. art. 3.* Ledesm. *2. qu. 57. art. 3.* Basil. *lib. 7. cap. 33. num. 2.* Bonacin. *qu. 3. punct. 12. n. 14.* Hurtad. *d. 20. diff. 1. n. 3.* Candid. *disquis. 28. a. 12. dub. 8.* Lublin. *v. Affinitas, n. 1. & verb. Matrimonium, n. 27.* Trull. *l. 7. c. 9. dub. 16. n. 4.* Sanch. *lib. 7. d. 64. n. 11.*

438 *Hoc mihi in dubitatum.*

Absque dubio ex congressu spadonum consummantium intra vas legitimum haud affinitas oritur. Quia ad hanc requiritur emissio seminis è quo subsequi generatio valeat.

DVBIVM XCVII.

An vt affinitas contrahatur, sufficiat si virile semen, quocúmque modo, etiam dæmonis arte, intra vas fœmineum recipiatur?

439 *Sufficit plane.*

QVando semen intra vas fœmineum recipitur quacúmque arte siue humana, siue diabolica, siue cum violatione claustri, siue absq; illa, siue sponte, siue casu: affinitas oritur. Quia inde potest sequi generatio, quod sufficit ad affinitatem contrahendam. Sic Sanch. *lib. 7. d. 64. n. 15.* Candid. *disq. 28. a. 12. dub. 7.* Petr. de Ledesm. *q. 55. a. 3. dub. 2. ad 4.* Manu. *to. 1. c. 228. n. 3.* Filliuc. *tr. 10. p. 2. n. 209.* Gutier. *de matr. c. 54. nu. 23.* Lublin. *v. Affinitas, num. 1.* Viginti plus Doctores à Sancio citati, Torres, Cornejo, Rebel. Trull. Bonacin. & Hurtad. apud Leandrum *tract. 9. d. 10. quæst. 7.*

440 *Non sufficit.*

Non sufficit semen virile intra vas fœmineũ recipi, nisi adsit vera copula cum aliquali penetratione. Quia quãuis possit ex semine virili aliter deciso siue arte humana siue diabolica, siue casu in fœminæ matricẽ generatio sequi, (quod multi abnegant,) adhuc tamen id ad contrahendam affinitatem non sufficit: vltra hoc enim requiritur generationem fieri per naturalem cooperationem, copulámque carnalem, ac adhæsionem viri ad fœminam. Ita Basil. *l. 7. c. 33. n. 1.* Albiz *in manuscript. de matr. d. 17. dub. 1.* Diana *3. p. tr. 5 res. 19.* Torrebl. *l. 5. pract. c. 2. a n. 34.* Leand. *vbi supr.*

441 *Auctoris resolutio.*

Profectò si ex copula habita alio modo quam connaturali haud posset generatio sequi, vt multis probare contendit Torrebl. citatus, à prima sententia proculdubio recederem, qui mordicus defendo, non contrahi affinitatem, nisi ex copula sufficienti ad generationm. At cum fere sit certum

quacúmque arte in vas fœmineum recepto posse generationem sequi, à secunda sententia omninò recedo, iudicans materialissimam esse in casu nostro illam viri ad fœminam adhæsionem, cum ex commixtione seminis virili cum semine, aut cum sanguine fœmineo fiant vir, & fœmina vna caro.

DVBIVM XCVIII.

An copula Sodomitica impediat matrimonium?

442 Certum negat. SCio, ex copula Sodomitica minime affinitatem oriri. Quia ex ea haud potest generatio sequi. Quæsierim tamen, nùm etsi non ratione affinitatis contractæ cum consanguineis eius, quocum copula Sodomitica est habita, (nulla enim est orta) impeditur tamen matrimonium propter criminis enormitatem?

443 Impedit. Quia id colligitur ex *cap. Extraordinaria*, à contrario sensu. Ibi enim dicitur, pollutionem nisi in naturalibus admissam matrimonium non impedire. Ergo impediet, si est in vase contra naturam, ne possit contrahi ab alterutro Sodomita cum alterius consanguineis. Sic dicit forte esse Gloss. *ad hoc caput, verb Sapius, 35. qu. 3.* Et quidam id docent absque dubitationis illa nota *Forte*, teste Archidiac. *ibi, nu. 1.* & Bellamera *num. 1.* nec ipsi probant Lambertin. *de iurepatronat. lib. 2. part. 1. quæst. 9. art. 18. num. 9.*

444 Non impedit. Non impeditur. Quia criminis enormitas nil prorsus conducit ad impedimentum matrimonij statuendum, nisi ea pœna in iure sit expressa. At hæc nullibi expressa inuenitur: ergo. Ita Sanchez *lib. 7. d. 64. n. 14.* Petr. de Ledesm. *q. 55. art. 3. dub. 1.* Leand. *tract. 9. d. 20. qu. 9.* & omnes communiter.

445 Cum his sentio. Ego quidem prorsus iudico, nullum oriri ex huiusmodi enormitate impedimentum, cum nullo in textu expressum inuenerim, & existimem eo *cap. Extraordinaria*, decisum esse contrarium. Nam ibi expressè præscribitur in eo solo euentu pollutionem impedimento esse matrimonio contrahendo cum consanguineis alterius, quando in vase naturali semen recipitur. Secùs ergo erit, quando in vase præpostero, & contra naturam. Itaque si duo viri nefando se congressu polluerint, alterum posse alterius filiam ducere, vti certum statuo.

DVBIVM XCIX.

An affinitas ex fornicatione orta impediat matrimonium in gradu tertio, & quarto?

446 Certum sup. pos. CErtum est, affinitatem ortam ex fornicatione ad secundum gradum esse restrictam, nec dirimere matrimonium in tertio, aut in quarto. Tridentin. *sess. 24. cap. 4.* Vnde caute lege Aureolum *in 4. dist. 41. art. vnic.* docentem affinitatem ex fornicatione dirimere eodem gradu, eodémque modo, quo consanguinitas. Quæsierim autem, an affinitas hæc licet non dirimat, impediat tamen subsequens matrimonium in vlterioribus vltra secundum gradibus?

447 Impedit licet non dirimat. Impedit. Quia Tridentini decretum *sess. 24. cap. 4* non videtur omninò eam affinitatem restringere, sed limitare, quatenus matrimonium dirimebat. Vnde à iure veteri statuenti eam impedire, ac dirimere recedendum non est, nisi quatenus ius nouum corrigit. *l. Præcipimus Cod. de appellat.* Sic viri periti, quos presso nomine memorat Sanch. *l. 7. d. 67. n. 4.* Nauar. *sum. Lat. antiqua c. 22. n. 43.* hac ratione conuictus, hanc partem tuetur.

448 Minime impedit. Non impedit. Quia Pius V. in motu proprio edito anno 1566. incipiente, *Ad Romanum Pontificem*, fatur: *Declaramus, & authoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in vlterioribus gradibus huiusmodi, (id est circa secundum) liberè, & licitè matrimonium contrahi possit.* Quod decretum merito vtitur verbo *Declaramus*, quasi non sit nouum ius, sed decreti Tridentini declaratio, quasi re vera ipsum voluerit auferre præfatum impedimentum, licet verbis limitatis vti videtur, ibi: *Matrimonium postea contractum non dirimere.* Ita Sanchez *citatus.* Petr. de Ledesm. *quæstion. 55. art. 1. dub. vltim.* Cornejo *d. 7. dub. 31. qu. 4.* & alij communiter Imò & Nauar. Summæ noua editione, viso Pij V. decreto, sententiam mutauit.

449 Auctoris resoluit. Existimo probabilem fuisse satis primam sententiam ante Pij V. declarationem, post eam autem haud posse sustineri. Imo vel ante proprium motum Pontificis probabiliorem secundam iudicarim. Satis enim Concilium illis verbis: *Matrimonium postea contractum non dirimere*, suam exprimit pro nostra sententia mentem. Quia omne impedimentum dirimens ex eo solum habet impedire, quod dirimat, (cum impedimentum dirimens, eminenter sit impediens,) at proinde cum tollitur impedimentum quatenus est dirimens, tollitur etiam quatenus impedit. Quare nec affinitas ex fornicatione dirimit, aut impedit sponsalia subsequentia, aut præcedentia vltra secundum gradum. Quia eadem sola ratione qua impedit matrimonium, impedit sponsalia: si ergo illud non impedit vltra secundum gradum, nec etiam hæc impediet.

DVBIVM C.

An Accessus ad consanguineam in tertio, aut quarto gradu eius, quacum quis fornicatus fuerat sit incestus?

450 Incestus est. INcestus est. Quia Tridentinum *sess. 24. cap. 4.* non prorsus abstulit affinitatem ex fornicatione consurgentem, sed in quantum ineundo matrimonio obsteret: nec voluit fauere fornicantibus. At limitata causa limitatum producit effectum. *leg. Age cum Geminiano, Cod. de transaction.* maximè cum id decretum sit correctorium. Remanet ergo affinitas in eo tertio, ac quarto gradu ex priori fornicatione producta, ad eum effectum, vt accessus personæ sic affinis, sit incestus. Profectò etsi expediat matrimonij impedimenta restringi, at non licet licentiam admittendi delicta ampliari. Quæ vti-

que ampliarentur, si iam vltra secundum gradum illius affinitatis non esset punibilis incestus. Petr. de Ledesm. *qu.* 55. *art.* 3. *dub.* 5. probabilem esse dicit, *in sum. Sacrament. vbi de Sacram. pœnit. cap.* 19. contrariam sententiam tantùm appellat probabilem valde, quasi hanc quoque probabilem esse docer. Et Azeuedo *l.* 2. *recopil. tit.* 20. *l.* 7. *n.* 42. quæstione hac vtrimque disputata, anceps manet, & doctæ cogitationi relinquit. Comitol. *l.* 1. *respons. moral. q.* 138. *num.* 2. Angles *in* 4. *p.* 1. *de matr. q* 3. *de imped. affin. a.* 1. *ante difficult.* 1. & alij.

452 *Non est incestus.* Non est incestus. Quia nullibi reperitur specialis prohibitio accessus ad affines: sed tantùm est incestus, & specialiter prohibitus, eo quod inter illos interdicitur matrimonium ob reuerentiam affinibus debitam: quę etiam ratio inuenitur in copula illicita: & ita tota prohibitio copulæ permanet à matrimonij prohibitione, estque illi accessoria. Ergo cessante matrimonij prohibitione, cessat tanquam accessoria prohibitio copulæ specifica: ac proinde accessus ille non erit incestus, sed simplex fornicatio. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 67. *n.* 8. Petr. de Ledes. *citat.* Nauar *l.* 3. *consil. de consen. conf* 3. *n.* 23. Laym. *tr.* 10. *p.* 4. *c* 5. *n.* 3. Hurtad. *d.* 20. *diffic.* 5. *n.* 17. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 209. *n.* 1. Sà *v. Luxuria, n.* 2. Veracruz *append. ad spec vbi de imped. affin. ad finem.* Metina, Salzedo, Gutier. Ceruantes, Alcozer, & alij apud Sancium *vbi sup.*

452 *Hoc longe probabilius.* Longe hoc probabilius mihi. Quia iure communi impediebatur matrimoniũ vsquead septimum consanguinitatis, & affinitatis gradum: & postea restricta est consanguinitas ad quartum gradum *c. Non debet, de consang. & affin.* & omnes fatentur iam accessum ad consanguineos vltra quartum gradum, vel ad affines, non esse incestum: cum tamen textus eo *c. Non debet*, nihil dicat de incestu, sed tantum non prohiberi deinceps matrimonium vltra quartum gradum, ibi: *Prohibitio quoque copulæ coniugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat.* Ergo vt accessus ad affines ex copula fornicaria non sit incestus vltra secundum gradum, satis est, vt vltra eum sit iam sublata ea affinitas ad effectum impediendi matrimonium.

DVBIVM CI.

An affinitas ex fornicatione orta dirimat, in omni gradu lineæ rectæ iure naturali matrimonium?

453 *Dirimit quidem.* Dirimit in primo gradu lineæ rectæ, vnde interdictum est matrimonium iure naturæ inter filiam, & eum, qui cum eius matre est fornicatus. Quia ipsa natura repugnat primum gradum tanta indecentia violari in affinitate, sicuti in consanguinitate repugnat. Sic Celaia *in* 4. *dist.* 40. *q. vni. post* 4. *argum. dub.* 1. D. Anton. *p.* 3. *tit.* 1. *c.* 11. §. 1.

454 *Non dirimit.* Non dirimit in primo gradu naturali ex iure. Quia ea affinitas ex solo iure Ecclesiastico consurgit; vt probat Sancius *l.* 7. *d.* 65. *n.* 9. Ergo ex solo Ecclesiastico iure primo in gradu lineę rectæ dirimit. Ita Sanch. *d.* 66. *n.* 3. Petr. de Ledes. *q.* 55. *a.* 6. *circa primum statum affinit. diffic.* 2. *concl.* 3. Omnes communiter apud Rebel. *l.* 3. *de matr. q.* 15. Laym. *l.* 5. *tr.* 10 *part.* 4. *c.* 5. *n.* 6. Palaus *d.* 4 *pun.* 8. *n.* 10. Leand. *tr.* 9. *d.* 20. *q.* 18.

Mihi certissimum est, eam affinitatem ex solo Ecclesiastico iure consurrexisse. Siergo stando in iure naturæ ea affinitas non erat, quomodo poterat, eo iure attento, obstare matrimonio? Quare Celaia, & D. Antoninus minimè sunt audiendi. 455 *Hoc mihi certum.*

DVBIVM CII.

An affinitas ex matrimonio orta dirimat, iure naturæ matrimonium aliquo in gradu lineæ rectæ, inter ascendentes, ac descendentes?

IN recta linea dirimit affinitas matrimonium iure naturæ in quocúmque gradu in infinitum. Quia eadem reuerentia debetur affinibus, ac consanguineis, & eodem modo ab vtrisque est abstinendum. Sic Syluest. *verb. Matrimonium*, 8 *quæst.* 15 *dicto* 6. Petr. de Soto *lect.* 10 *de matrim.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 12. & Greg. Lop. *l.* 5. *in fine, tit.* 6. *p.* 4. Alij asserunt, in primo affinitatis gradu lineę rectæ prohibitum, ac irritum esse iure naturæ matrimonium: vt inter priuignum, & nouercam, vel priuignam, & victricum: socerum, & nurum, socrum, & generum. Quia eodem modo abstinendum est ab affinibus, sicut à consanguineis, *c.* 1. *de consang.* & *c. Æqualiter*, & *cap. de propinquis*, 35. *q.* 3. At in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ fatentur omnes iure naturæ irritari matrimonium: ergo & in primo affinitatis gradu lineæ rectæ iure naturæ irritabitur. Sic Nauar. *l.* 4. *consil. tit. de sponsal. cons.* 14. *nu.* 8. Couarruu. 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. Vasq. 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *d.* 112. *n.* 7. Bellarm. *l.* 1. *de matr. cap.* 28. *notab.* 2. Valent. *p.* 4. *d.* 10 *q.* 5. *pun.* 3. Coninch. *d.* 32. *dub.* 4. *num.* 53. & alij. 456 *Dirimit in omnibus gradibus, aut saltem in primo.*

Affinitas orta ex matrimonio in nullo gradu lineæ rectæ minimè irritat iure naturæ matrimonium. Vnde secluso iure Ecclesiastico, in quocúmque gradu est validum. Quia matrimonium in nullo gradu affinitatis lineæ rectæ initum opponitur primario, aut secundario ipsius matrimonij fini: cum possit ordinari ad sobolis propagationem concupiscentiæ remedium, & mutuum coniugum obsequium in rebus domesticis. Nec violatur in eo matrimonio debitus coniunctionis ordo, licet ineatur in primo gradu lineæ rectæ, vt inter priuignum, & nouercam, vel victricum, & priuignam: qualis violatio contingit in matrimonio inter parentes, & filios. Quia relatio naturalis superioritatis ex qua oritur naturalis reuerentia debita superiori, solum fundatur inter eas personas, quę dant, & accipiunt esse naturale per naturalem generationem: quales sunt parentes, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ. Ita D. Thom. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 9. Alens. 2. *part. qu.* 169. *memb.* 2. & 3. Caietan. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 9. Supplem. Gabr. *in* 4. *dist.* 41. *qu. vnic. art.* 3. Henriq. *lib.* 12. *c.* 1. *n.* 1. Sà *verb. Matrimonium*, *vbi de impedim. num.* 4. Basil. *l.* 7. *cap.* 34. *n.* 5. Candid. *disquisit.* 28. *art.* 12. *dub.* 4. *dicto* 10. Rebel. *l.* 3. *de matrim. qu.* 15. *num.* 10. Bonacin. *qu.* 3. *punct.* 12. *num.* 7. citans Gutier. Hurtad. 457 *In nullo gradu dirimit.*

Hurtad. *d.* 20. *diffic.* 4. Trullench. *l.* 7. *c.* 9. *dub.* 16. *numer.* 15.

458 *Primi seculi omnes longe prohibitorem.*

Profectò, vt probabiliorem admodum secundam sententiam esse affirmem, sufficit mihi scire, huiusmodi matrimonium haud esse apud omnes nationes interdictum. Nam Valerius Max. *l.* 5. *cap.* 7. & Plutarchus in *vita Demetrij* referunt, Seleuchum suo filio Antiocho tradidisse in matrimonium Stratonicem propriam vxorem: ac id factum ipse Valerium laudibus effert, & 3. *Reg.* 2. Adonias Filius Dauid petiit Abisac Sunamitidem in vxorem: & illa erat Dauidis vxor, vt constat ex 2. *Reg. vlt.* signum ergo est, id matrimonium non esse iure naturæ interdictum.

DVBIVM CIII.

An affinitas ex matrimonio orta dirimat, naturali iure coniugium in primo lineæ transuersæ gradu?

459 *Dirimit in primo gradu.*

IN primo gradu dirimit. Vt si quis ducat vxorem fratris: vel si fœmina nubat suæ sororis viro. Quia inter Fratrem, & Sororem est iure naturæ irritum matrimonium. At vxor fratris reputatur, ac soror, vtpotè quæ per matrimonium effecta est in vna caro cum fratre. Et quia Ioannes Baptista *Mar.* 6. grauiter increpauit Herodem, quod vxorem fratris sui duxisset. Et D. Chrysost. *hom.* 41. *in Mat.* Philippum tunc iam obiisse. At Herodes Gentilis lege Mosis non adstringebatur, sed sola naturali. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 1. *a.* 5. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11. & 14. Et Auctores existimantes, omnes gradus *Leuit.* 18. prohibitos obligare nunc, eo quod lege quoque naturali sint interdicti, quos refert Sanch. *l.* 7. *d.* 52. *n.* 5.

460 *Non dirimit in secundo gradu.*

Nullus gradus affinitatis in linea transuersa adeò est prohibitum iure naturæ, vt eo attento, irritet matrimonium: quamuis aliquam præ se ferat naturalem iudecentiam, nisi causa aliqua iusta cohonestetur. Quia Innocentius III. *c. fin. de diuort.* cum infidelibus recens conuersis dispensauit propter eorum infirmitatem, vt matrimoniis initis cum relictis fratrum vterentur. Et Alexander VI. dispensauit in eodem gradu cum Lusitaniæ Rege. Et Iulius II. cum Henrico VIII. & Catherina Regibus Angliæ. Et postea Clemens VII. consultis totius Orbis illustribus Vniuersitatibus, & maturissimo inito consilio authoritate Pontificia decreuit fuisse legitimam dispensationem. Quod decretum refert ad verbum Castro *l.* 1. *de lege pœn. c.* 12. & multi viri doctissimi in huius veritatis confirmationem varios tractatus edidére. Certe arctius est vinculum inter consanguineos in secundo gradu lineæ transuersæ, quam inter affines in primo gradu eiusdem lineæ: illi enim ab intrinseco per eiusdem sanguinis participationem coniuncti sunt: hi verò quasi ab extrinseco. At inter illos non est irritum iure naturæ matrimonium, sed solo Ecclesiastico, vt constat ex *c. Gaudemus, de diuort.* Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 66. *nu.* 11. multos citans Doctores. Basil. *l.* 7. *c.* 34. *n.* 3. Hurtad. *d.* 20. *diffic.* 3. Bonac. *q.* 3. *de impedim. pun.* 12. *n.* 7. Valerus *in differ. verbor. dispens. differ.* 6. *n.* 1. 2. 3. & 4. & alij apud ipsum Caiet. *tom.* 3. *Opusc. Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. *tr.* 13. *de coniug. cum relicta fratris ad Reg. Angl.*

Certe vt hoc vnice verum existimem, ac primam partem, vt falsam omninò repellam mihi sufficit Iacobum virum Sanctissimum Liam, & Rachelem sorores duxisse. *Gen.* 29. Et Iudam eidem mulieri duos fratres in vitos dedisse. *Gen.* 38. Et *Deuter.* 27. iubere legem veterem, vt frater duceret fratris sine liberis obeuntis vxorem. Verùm quamuis hæc sacra monumenta non extarent, me omninò conuincerent tractatus tot doctissimorum virorum in fauorem matrimonij Henrici VIII. cum Catherina editi: qui ob id irritum esse contendebat, quod Pontifex non potuisset in lege naturæ dispensare: cum ea prius fratri suo nupsisset.

461 *Hoc mihi vnice certum.*

CAPVT XXXII.

Circa impotentiæ impedimentum. *Si forte coire nequibis.*

DVBIVM CIV.

An validum sit matrimonium initum inter impotentes, cognita impotentia naturali perpetua coëundi, dummodo ad caste viuendum, & sine ordine ad copulam celebretur?

462 *Nonnulla ex sect. 1. recolo.*

RECOLO ex *section.* 1. impotentiam esse duplicem, alteram ad copulam, seu ad vasis penetrationem, emissionémque veri seminis intra vas: alteram ad solam generationem, ob seminis infœcunditatem. Certe quælibet impotentia ex hisce potest esse perpetua, & temporalis. Vel absoluta in se sine respectu ad has, vel illas personas: & respectiua, id est, cum respectu vnius, aut alterius personæ, non omnium. Alia est naturalis, quæ prouenit ex defectu alicuius naturaliter requisiti: & alia artificialis, quę potest ex dæmonis arte prouenire. Equidem illa impotentia censeri debet perpetua, cuius impedimentum nequit auferri humana industria, absque miraculo, aut absque aliquo præter naturali medio: aut absque vitæ periculo: aut absque peccato. Quia quod fieri nequit nisi aliquo ex his mediis, id nec ius, nec ratio fieri posse dictat, sed respuit. Illa vero impotentia censetur temporalis, cuius defectum, aut impedimentum humana industria, absque miraculo, absque periculo corporali, absque peccato valet auferri. Cæterùm certum est impotentiam perpetuam ad copulam matrimonium dirimere: secus vero temporalem, quamuis sit naturalis, & absoluta. His præmissis, quæsierim, an quando contrahentes non latet impotentia alterius, vel vtriúsque, possint valido matrimonio colligari, solummodo ad fraternam gerendum societatem?

463 *Validum est.*

Possunt valido colligari coniugio. Quia ideo impotentia ignorata dirimit matrimonium, quòd cum sit contra præcipuum matrimonij finem, tollit virtualiter consensum.

Quæ ratio prorsus ceſſat, vbi impotentia fuit præcognita. Et quia quamuis filiorum procreatio ſit præcipitus matrimonij finis: at non eſt ita neceſſarius, quin abſque illo poſſit eſſe validum. Poteſt enim contrahi propter ſolam ſocietatem, & animorum coniunctionem, eritque validum matrimonium, ſicut fuit inter D. Ioſephum, ac Deiparam. Vnde conſtat, non deſiderari conſenſum in carnalem commixtionem ad coniugij veritatem. Quod ſi dicas, actum non requiri bene tamen poteſtatem. Contrà, quia cum poteſtas, non ſit propter ſe, ſed propter actum, fruſtra eſſet. Si ergo actus non eſt neceſſarius, neque erit neceſſaria poteſtas. Sic Magiſt. *in 4. diſt. 34. cap. 1.* D. Thom. *in 4. diſt. 36. qu. vnic. art. 2. ad 4.* D. Antonin. *p. 3. tit. 1. cap. 22. §. 3.* Veracr. *p. 1. ſpec. art. 38.* Petr. de Soto *lect. 5. de matrim. cap. 8.* Medina *libr. 5. de contin. cap. 74.* & alij, quos refert Sanch. *citandus*, & refert, ac ſequitur Baſil. *lib. 6. cap. 56. 57. 58. & 59.*

464 *Non eſt validum.* Minime poſſunt, valide coniugium inire. Quia ea coniunctio repugnat corporum mutuæ traditioni ad vſum coniugalem, in quo matrimonij conſiſtit eſſentia. Cum enim vſus is ſit impoſſibilis, non poteſt dari ad illum obligatio. At vbi contractus eſſentia non poteſt reperiri, nequeunt contrahentes cedentes iuri ſuo, efficere, vt is contractus valeat. Nemo enim poteſt ad impoſſibile obligari, etiam altero obligationem admittente. Ita Sanch. *lib. 7. d. 97. num. 2.* Abul. *3. Reg. 2. quæſt. 26.* Baſſol. *in 4. diſt. 34. qu. vnic. art. 2.* Palac. *ibi, d. 1. concl. 2.* Ledeſm. *2. p. 4. qu. 60. art. 1.* Veracr. *p. 1. ſpec. art. 38. concl. 7.* Valent. *4. p. d. 10 q. 5. pun. 3.* Henriq. *l. 11. c. 10.* Tolet. *l. 7. c. 12. n vlt.* Sà *v. Matrimonium, vbi de imped. impot. n. 14.* Vaſq. *3. p. d. 125. cap. 7.* Hurtad. *d. 22. diſſic. 4.* Torres *in ſum. p. 2. cap. 118. dub. 4. & 7.*

465 *Idem exiſtimo, & plura adii io.* Exiſtimo, huiuſmodi matrimonium nullo modo valere. Quia Sixtus V. in motu proprio circa Eunuchorum matrimonia edito, expreſſis verbis decernit, matrimonia cum iis ſcienter contracta eſſe irrita: eo quod impotentes ſint. Fateor quidem, non deſiderari ad matrimonij valorem, coniuges habere animum vacandi copulæ coniugali ad ſobolem procreandam: at neceſſe eſt, vt tradant ſibi mutuam ad copulam poteſtatem, quæ traditio coniugi impotenti impoſſibilis eſt. Verùm hæc traditio inuenta eſt in Deiparæ cum D. Ioſepho coniugio. Itaque licet poſſit verum matrimonium iniri ob animorum coniunctionem, ac mutuam ſocietatem, at eſt neceſſe, vt ſeruetur eſſentia, nempe poteſtatis traditio. Porrò quando ab initio cognita impotentia, antequam celebrent matrimonium, volunt vir, ac fœmina non vero matrimonio colligari, ſed quoddam ſocietatis vinculum inire, quo ſimul habitantes ad mutua ſeſe obſequia obligent, vt fœmina inſeruiat viro, & hic illi alimenta exhibeat, licitum eſt, dummodo periculum incontinentiæ non adſit. Quia ſi poſſunt alios contractus ciuiles inire inter ſe, & hunc poterunt. Cæterùm cognita poſt matrimonium bona fide contractum impotentia, & conſequenter matrimonij reſerata nullitate: poterunt contrahentes inſtar fratris, & ſororis ad ſolam vitæ ſocietatem ſic permanere. Habetur expreſsè *cap. Conſolationi, de frigid.* & *cap. 2. 33. qu. 1. & motu proprio. Sixti V.* Non tamen licebit eis tactibus vacare, qui ſolutis non licent: eo quod coniuges minime ſint. Vnde nullatenus ſic perſiſtere debent, quando incontinentia huiuſmodi laborant. Lege Sancium *citatum, num. 4.*

DVBIVM CV.

An impotens, qui ſuæ impotentiæ conſcius decepit fœminam ipſam ducens, teneatur eam vt ſororem habere, & ei alimenta impertire?

466 *Tenetur quidem. Conſultationi, de frig.* TEnetur profectò. Quia fraus non debet ei patrocinari. Et quia *ca. Conſultationi, de frig.* ſic dicitur: *Romana tamen Eccleſia conſuetudinem in conſimilibus iudicare, vt quas tanquam vxores habere non poſſunt, habeant, vt ſorores.* Quæ verba præceptum videntur imponere: cum per ſententiam iuſtam, nec pœnalem, nec falſæ præſumptioni innitentem cogat ad hoc Eccleſia. Sic Gloſſa *cap. 2. verſ. idcirco, & cap. penult. in fine qu. 1.* Roſel. *verb. Impedimentum, impedim. 15. num. 10.* Sylueſt. *verb. Matrimonium 8. qu. 16.* Armil. *verb. Matrimonium, numer. 52.* Turrecr. *33 quæſtion. 1. in ſum numer. 7. concluſ. 4.* Montalu. *lib. 1. titul. 9. part. 4. verb. Mas como.* Et id aſſerunt eſſe verum, quamuis potens iam ad alias nuptias tranſierit Montalu. Roſel. Sylueſter, Armil.

467 *Non tenetur.* Non tenetur, nec id decipienti fœminam citata lege præcipitur. Quia cum re vera id matrimonium ſit irritum, non eſt, cur obligetur vir, eam fœminam tanquam ſororem habere, & alere. Eo namque *Cap. non dicitur*, ſic ſententiam ferre Eccleſiam præcipiendo, ſed omninò diſſoluendo matrimonium, ac permittendo huiuſmodi cohabitationem, ſi communi conſenſu eam illi elegiſſent. Ita Sanch. *lib. 7. d. 97. num. 10.* Gloſſa *cap. Laudabilem, verb. Quod ſi ambo, de frigid. & malefic.* Anton. *ibi, num. 16.* Alexand. de Neuo *num. 11.* Præpoſit. *num 6.* Hoſtienſ. *ſum. eodem titul. §. Quæ impotentia.* Vega. *tom. 2. ſum. capite 34. caſu 113.* Supplement. Piſanæ *verb. Impedimentum, impedimento 15. numero 9.* Leander *tractat. 9. diſp. 21. quæſt. 7.*

468 *Hos ſatis Doctores.* Verius exiſtimo, textum illum capitis *Conſultationi*, præceptum minime continere, ſed permiſſionem. Attamen ſi huiuſmodi deceptione grauiter fœmina læſa fuerit, iudico alio ex capite debere virum decipientem ei læſioni ſatisfacere. Apta verò in hoc caſu ſatisfactio erit, eam vt ſororem recipere, & alere, modo periculum inficiendæ conſcientiæ non adſit.

DVBIVM CVI.

An ſi vtérque coniux iniit matrimonij tempore nouerant impotentiam: teneantur, tanquam fratres conniuere?

469 *Tenentur quidem.* TEnenttur quidem ita, vt neuter liceat, altero inuito, reſilire. Quia cum huiuſmodi contra

contractus non possit vim matrimonij habere, videtur ad id obligare, quod potest, nempe ad vitam sociorum, ac frattum peragendam. Sic Innocent. *cap. Consultationi, numer. vnic. de frigid.* Anton. *ibi, num.* 2. Abbas *num.* 2. Neuo *numer.* 3. Alberic. *in Dictionar. litter. I. verb. impedimentum, impediment.* 15. Monald. *sum. tractat. de matrimon. titul. Qualiter, & quando fiat diuortium propter impediment. coeundi.* Rosel. *verb. Impedimentum, impedim.* 15. *num.* 10. Sylvest. *verb. Matrimonium,* 8. *qu.* 16. *dicto* 5. Armil. *verb. Matrimonium, num.* 12. & alij.

470 *Non tenentur* Minime tenentur. Quia non fuit mens contrahentium ad eam cohabitationem fraternam se obligare, sed ad verum matrimonium. Quare cum verum matrimonium minime coaluerit ob dirimens impedimentum, nulla inde consurgit obligatio. Ita Gloss. *ad cap. Consultationi.* Richar. *in 4. dist.* 33. *quæstion.* 2. *articul.* 2. Navar. *sum. cap.* 22. *num.* 60. Barthol. à Ledesm. *de matr. dub.* 48. *concl.* 1. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 235. *num.* 1. & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *libr.* 7. *dub.* 97. *num.* 12.

471 *Eadem mihi sum.* Existimo, nullatenus esse præceptam eo *cap. Consultationi*, hanc fraternam cohabitationem, vti *dubio* 105. expressi. Sed permissam solummodo esse. Vnde quando ab initio, cognita impotentia volunt vir, & fœmina non vero matrimonio colligari, sed quoddam societatis inire vinculum, quo simul habitantes, ad mutua sese obligant obsequia, vt verbi gratiâ, fœmina inseruiat viro, & hic illi alimenta ministret: dixerim, id licitum esse, dummodo periculum incontinentiæ non adsit, nec scandali occasio. Quia cum possint, alios contractus ciuiles inter se inire, non est: cur hic eis sit interdicendus, impotentia enim soli vero matrimonij contractui obstat. Et quia si comperta matrimonij nullitate, possunt sic permanere, cur non à principio sic conuenire poterunt: cum in vtróque euentu nullum sit coniugale vinculum, ac idem sit periculum?

DVBIVM CVII.

An satis sit ad matrimonij valorem potentia penetrandi vas, si seminandi intra illud desit potentia?

472 *Satis est ad valorem coniugij.* Satis est ad valorem matrimonij. Quia illa adhæsione, ac membri intromissione videtur coniuges vna fieri caro: & absolute potentia est ad copulam. Vnde valde senes qui semen non possunt emittere valide contrahunt. Sic Emanuel Sà ex queisdam Doctoribus, licet ipse non id absolutè tenere videatur. Ait enim *verb. Matrimonium, de Impediment. numer.* 14. *Quidam aiunt sufficere copulæ potentiam, etiamsi desit seminatio. Certe valde senes contrahere solent.* Gloss. *ad cap. Hi qui*, 32. *quæstion.* 7. Hugolin. *de matrimon. cap.* 19. & alij, quos tacito nomine, refert Hurtad. *dub.* 22. *diffic.* 5.

473 *Non est satis.* Non est satis. Quia de ratione matrimonij est traditio potestatis corporis ad copulam coniugalem. At non reputatur coniugalis copula deficiente seminis immissione intra vas. Coitus enim solum est via ad actum coniugalem perficiendum. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. *num.* 7. Palúdan. *in 4. dist.* 34. *qu.* 2. *art.* 1. *concl.* 2. *num.* 8. Sotus *ibi, q. vni. a.* 2. Henriq. *l.* 11. *c.* 10. *n. vlt.* Valent. *p.* 4. *d.* 10. *q* 2. *pun.* 3. Tolet. *l.* 7. *c.* 12. *qu.* 2. Bonac. *qu.* 3. *pun.* 13. *a n.* 14. Coninch. *d.* 31. *dub.* 7. Hurtad. *citat.* Torres *sum. p.* 2. *c.* 118. *dub.* 1. *concl.* 3. Palaus *d.* 4. *punct.* 14. §. 2. *num.* 1.

474 *Hoc teneo.* Certe ad matrimonij valorem non satis est potentia vas fœmineum penetrandi, sed desideratur seminandi intra illud potentia, quare potens coire, impotens tamen perpetuo ad semen emittendum in vas, vel quia nullo modo seminat, vel quia præ nimio calore, ita præpropere, vt vas expectare nequeat, est matrimonij incapax, si id vitium ita sit perpetuum, vt medicaminis nullius ope tolli possit. Quia ad matrimonij valorem requiritur copula, per quam coniuges vna caro efficiantur, vt constat ex *c. Laudabilem, de frigid. & malefic.* ibi: *Vtérque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam vna caro effecti fuissent: & tunc videtur, quod mulier possit, ad secundas nuptias conuolare.*

DVBIVM CVIII.

An sufficiat ad matrimonij valorem, si vir non valeat emittere semen intra vas, sed tantum in ore vasis?

475 *Sufficit quidem.* SVfficit quidem. Quia facile semen illud non semel ad matricem eius naturali vi attrahitur, vnde possunt coniuges vna effici caro, & ad id gerendum, coniux arte iuuari potest. Sic Hostiens. *sum. tit. de frig §. Qualiter, & quando, n.* 13. Alberic. *Dictionar. lit. I. v. Impedimentum, imped.* 15. Astens. *p.* 2. *sum. l.* 8 *tit.* 37 *art.* 1 *q.* 5. Brunel. *de sponsal. concl.* 28. *limitat.* 5. *n.* 22. Hi quidem omnes de hoc dubitant, & Pontificem consulendum docent. Et in hanc partem licet dubius inclinat Auctor Suppl. Gabr. *in 4. dist.* 34. *qu. vnic. art.* 1. *not ab.* 4. Dubitat etiam Borrillong. *ibi, qu. vnic. art.* 3. *diffic.* 2. & tenet Hugolin. *de matrim. cap.* 19. *num.* 1.

486 *Minime sufficit.* Minime sufficit. Quia huiusmodi seminatio per se non efficit, vt coniuges fiant vna caro, id est principium vnius carnis: etiamsi per accidens aliquando sufficiat, si forte virtute naturali matricis aliquando pars aliqua seminis sufficiens ad generationem intromittitur. Certe potentia ad sic seminandum est moralis impotentia, dum nequeat absque peccato fieri. Ita Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 3. Palaus *d.* 4. *punct.* 14. §. 2. *num.* 1. Sanchez *l.* 7. *d.* 99 *num.* 37. Candid. *disquisit.* 28. *art.* 13. *dub.* 10. Leand. *tractat.* 9. *d.* 21. *q.* 10. & alij communiter.

477 *Hoc mihi certum.* Certè si fœmina sit adeo arcta, aut vir ita debilis, frigidus, vel calidus, vt nequeat cum fœmina coire semen intra vas emittendo, sed foras emittat, licet arte aliqua absque viri penetratione sit intra vas receptum, aut per matricis attractionem: si hoc impedimentum, & immittendi semen intra vas, sit perpetuum, & immedicabile: nullum est matrimonium. Quia verificatur, virum huiusmodi esse impotentem ad seminandum intra vas. Verùm hæc impotentia nunquam alias posset matrimonium dirimere, quippe semper posset semen illud arte aliqua

intra vas fœmineum immitti. Monuerim Candidum, & Hurtado meum non satis consequẽter hæc asseruisse, cum sustineant talem congressum sufficere in casu singulari ab eis assignato, ad hoc, vt fiant qui gesserint, vna caro, & contrahant affinitatem. Iustè ergo abnegant id sufficere ad matrimonij validitatem: sed debent suam de affinitate reformare assertionem.

DVBIVM CIX.

An validum sit matrimonium, si vir seminet intra vas, fœmina vero sit ad seminandum impotens?

478 *Non est validum.* NOn est validum. Quia semen fœmineum necessarium est ad generationem. Sic Hurtad. *d. 22. diffic. 5.* & multi Doctores, supra citati asserentes seminis fœminei ad generationem necessitatem.

479 *Validum est.* Validum est. Quia fœmineum semen non est præcisè ad generationem necessarium, etsi valde conferat. Ita Nauar. *l. 4. consil. tit. de frigi. & malef. cons. 3. n. 12. & 13.* Veracr. *p. 1 spec. a. 38. concl. 9.* Gutier. *qq. canon. l. 1. c. 16. num. 16. & 17.* Henriq. *l. 12. c. 7. n. 4.* D. Th. *3. p. q. 31. art. 5. ad 3.* Ledesm. Barbos. quos sequitur Sanch. *l. 7. d. 92. n. 9.* Candid. *disquis. 28. a. 13. dub. 9.* Didac. Narbon. *anno. 6. p. q. 4. n. 10.* Luis. Torres, & Palaus, quos refert, & sequitur Leand. *tr. 9 d. 21. qu. 11.*

480 *Secunda sententia adhæreo.* Equidem existimo, matrimonium valere, si vir seminare intra vas possit, ac fœmina capax sit seminis recipiendi, licet ipsa impotens sit ad seminandum. Non tamen hoc est adeò certum, cum innitatur illi principio philosophico, semen fœmineum non esse ad generationem necessarium, cuius oppositum est probabile. Ast quia probabilius est necessarium non esse, secundam sententiam probabiliorem esse existimo.

DVBIVM CX.

An Eunuchus valide possit matrimonium inire?

481 *Certum quid suppono.* QVando Eunuchi solùm altero sunt testiculo orbati, nemini dubium est, eos aptos esse ad matrimonium. Quia verum semen, idoneúmque generationi emittunt. Difficultas autem est de Eunuchis vtróque testiculo carentibus, emittentibus tamen semen: an possint validum coniugium inire?

482 *Valide potest.* Possunt quidem. Quia verè copula semine intra vas emisso, quamuis inefficaci ad generationem, contenta est, vt in sterilem copula eueni. Et quia hi satisfacere valent fœmineæ concupiscentiæ, vnde obtinetur secundarius matrimonij finis. Certe primarius scilicet generatio prolis ad eius valorem non desideratur, vt in sterilibus constat. Sic Alex. de Neuo *cons. 9. n. 4.* Palud. *in 4. dist. 34. q. 2. a. 1. concl. 2. num. 8.* D. Antonin *p. 3. tit. 1. c. 12. §. 2.* Sylvest. *v. Matrimonium, 8. q. 19. dicto 7.* Veracr. *p. 1. spec. a. 38. concl. 6.* Barth. à Ledes. *dub. 48. concl. 3.* & alij.

Eunuchi vtróque testiculo orbati sunt matrimonij incapaces, ac proinde irritum est matrimonium ab eis initum. Quia ad matrimonij veritatem desideratur potentia verum semen intra vas fœmineum emittendi. At Eunuchi quamuis membrum erigant, ac quandam materiam aquosam emittant: ea tamen non est verum semen, nec eiusdem cum vero semine rationis. Vnde merito Sixtus V. Eunuchorum coniugia iam contracta irrita fuisse, ac nulla iussit declarari, motu proprio edito anno 1587. quem referunt Petr. de Ledes. & Gutier. *citandi.* Ita hic *qq. canon. l. 1. c. 16. n. vlt.* Me verò *q. 58. a. 1. dub. 3.* quod excitat *circa solut. ad 3.* Sanch. *l. 7. d. 92. c. 17.* Basil. *l. 7. c. 67. & 68.* D. Tho. *in 4. dist. 34.* Sotus *q. vni. art. 2.* Victor. *de matr. n. 283.* Henriq. *l. 11. c. 10. n. vlt.* Tolet. *l. 7. c. 12. n. 2.* Valent. *to. 4. d. 10. q. 5. pun. 3.* Manu. *to. 1. sum. c. 125. num. 2.* Vega *tom. 2. sum. c. 34. casu 113.* Cornejo *d. 7. dub. 36. &* alij. 483 *Non potest valide.*

Existimo, hodie dubitari non posse post motũ proprium Sixti V. Eunuchos veri matrimonij esse incapaces: nec posse primam sententiam sustineri: imo nunquam validum fuisse huiusmodi matrimonium. Quia Sixtus non dissoluit ea matrimonia, sed declarauit nunquam fuisse valida, ibi: *Eos ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, & tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas: quam eos etiam, qui sic de facto contraxerint, separari cures: & matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & inualida, fuisse decernas.* Addo, à tempore Sixti Eunuchismum esse impedimentum iure etiam positiuo introductum impediens, & dirimens matrimonium etiam ad caste viuendum contractum. 484 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM CXI.

An si daretur Eunuchus verum emittens semen, valide posset matrimonium inire, attento naturæ iure, post Sixti V. motum proprium?

485 *Non potest quia solo Sixti decreto inhabilis.* NOn posset quidem. Quia licet iure naturæ non esset inhabilis, motu Sixti V. inhabilis existit. Sic Henriq. *l. 12. c. 8. n. 1. lit. R.* profatus: *rarus aliquis reperiatur, qui emittat verum semen, quamuis sterilem, & possit satiare fœminam in remedium concupiscentiæ, hic non esset iure naturæ, sed decreto Sixti V. inhabilis.* Quod autem id casu contingere possit, docet Iason apud eundem Henriquez *littera C*, affirmans, quandóque accidisse ex naturæ vi, vt spado genera uerit.

459 *Potest ex vi decreti, si aliunde sit habilis.* Posset omninò. Quia si naturæ iure habilis est ex decreto Sixti non redditur inhabilis. Nam Pontifex in eo motu proprio nil nouum statuit, sed solùm ius antiquum, & naturale declarauit: vt constat ex illis verbis: *Authoritate nostra declares.* Item quia non sola matrimonia in posterum contrahenda irritauit: sed etiam iam contracta. Quod Pontifex gerere non posset, si valida fuissent. Quare mens Pontificis fuit declarare, attento omni iure matrimonia Eunuchorum esse irrita, ac eos semper fuisse matrimonij

nij incapaces, vtpotè qui verum semen haud possent emittere. Cæterum admissa hypothesi impossibili, quod daretur rarus Eunuchus veri seminis emittendi compos, is non excluderetur iure antiquo à matrimonio, ac subinde nec eo motu proprio Sixti, qui quidem nihil denuo statuit, sed solum ius antiquum declarat. Quare qui asserunt eunuchos qui seminare vere possunt, esse ad coniugium aptos, verum dicent: si quod supponunt, esset verum. At cum sit impossibile eos verum semen emittere, iure optimo Sixtus in vniuersum eunuchorum vtroque testiculo carentium coniugia esse irrita declarauit.

DVBIVM CXII.

An fœmina Eunuchissa sit ad matrimonium habilis ineundum?

487 *Non est apta coniugio.* SVppono fœminam quando castratur, inhabilem manere ad semen verum emittendum, & requiro, num apta sit ad matrimoniũ contrahendum? Minime est apta. Quia sicut Eunuchus aptus non est, eo quod verum semen emittere non valeat, nec Eunuchissa apta erit, verum semen impotens emittere. Sic Hurtad. *dub.* 12. *diffic.* 5. & alij citati à Leandro *tr.* 9. *dub.* 3. *quæstion.* 24. Diana 4. *part. tract.* 1. *resol.* 43. & alij.

488 *Est coniugio apta.* Apta est omnino. Quia & si non parum confert ad generationem fœmineum semen, non tamen est simpliciter necessariũ. Ita Luisi. de Torres *in sum. part.* 2. *quæstion.* 118. *dub.* 16. & alij, quos refert & sequitur Leander *vbi supra.*

489 *Hæc probabilius.* Me facile ab hac quæstione expedio assentens Eunuchissam fœminam aptam esse coniugio, licet ad verum semen emittendum sit inepta. Quia probabilius reputo, non requiri fœmineum semen ad fœtus procreationem.

DVBIVM CXIII.

An senes valde decrepiti sint ad ineundum coniugium habiles?

490 *Non sunt habiles.* HAbiles non sunt. Quia sunt inepti ad copulam aptam generationi. Sic Portius *instit. de nupti. in principio. col.* 4. Dubius manet Anton. Gomez *l.* 9. *Tauri*, *num.* 57. *fin.* Et non esse improbabile asseruit Henriquez *lib.* 12. *c.* 7. *num.* 3. *liter. X.* fatus: *Nec est improbabile, cum sane decrepito non valere matrimonium, quod tenet Guido, Negusan. & Antonius Gomez.*

491 *Habiles sunt.* Omnino sunt habiles. Quia si nullo alio præter senectutem impedimento laborent, vsus Ecclesiæ nullos senes à matrimonio ineundo reiicit. Profecto & si senes destituantur propinqua, ac expedita generandi facultate: est enim in eis veluti suspensum exercitium generandi potentiæ: possunt tamen habere perfectum actum coniugale vereque intra vas generare. Ita Sanchez *libr.* 7. *disp.* 92. *numer.* 20. Henriquez *citat. num.* 3. Sà *verb. Matrimonium, de impedimen. nu.* 14. Manu. *tom.* 1. *qq. Reg. quæs.* 13. *art.* 1. Bonac. *q.* 3. *de impedimen. punct.* 13. *numer.* 18. Narbo. *de ætate ad omnes actus, anno* 66. *quæstion.* 4. *numer.* 8. & 9. citans Couarru. Matienzo, Gutier. Rojas, sed male pro contraria Henricum, vt constat. Palaus *dub.* 4. *punct.* 14. §. 2. *num.* 4. Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 5. Candid. *disquisit.* 28. *a.* 13. *dub.* 14. & alij apud Sancium.

492 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum. Quia nullus adeò senex, qui aliquando, vel naturæ, vel medicinæ arte adiutus, non possit ad coitum calere. An non Dauid decrepitus cum Abisa Sunamide contraxit? 3. *Reg.* 1. Certè non legi Ecclesiam vllum virum, aut fœminam à matrimonio ob senectutem impediisse. Atque hoc in fœmina quantumcunque vetula certius esse crediderim. Quia frigiditas coitum viri senis impediens, ipsi non obstat, vtpotè quæ patiens est, & semen recipit, ad quod iuuenilis calor minimè desideratur.

DVBIVM CXIV.

An quando vir senex adeo est exhaustus, vt omnino impotens ad copulam habendam existat, nec medicorum iudicio iuuari arte possit: capax sit coniugij ineundi?

493 *Capax est.* CApax est. Quia semper habitu intrinsecam seminandi intra vas potentiam retinet, senio quidem per accidens impeditam. Sic Anton. *c.* 2. *de frigid. & malef. num.* 5. Iason. *l. sed est quæsitum, num.* 1. *notab.* 1 *ff de lib. r. & post hu.* Aiunt enim, senes valide posse coniugia inire, eo quod per accidens sint impotentes, ac impotentia accidentalis matrimonium non dirimat. Tabie. *verb. Impedimentum, impedi.* 12. *quæs.* 3. *numer.* 4. Nauar. *libr.* 4. *Consil. titul. de sponsal. consil.* 39. *numer.* 15. & 18. Manu. *tom.* 1 *sum. cap.* 235. *concl.* 5. *num.* 5. Vega *tom.* 2. *sum. cap.* 34. *casu* 61. Henriquez *libr.* 12. *cap.* 5. *numer.* 3. *liter. X.* Inquit enim, validum esse cum sene proiectæ ætatis matrimonium eo quod semper retineat habitu intrinsecam seminandi potentiam, quamuis morbo senij per accidens impeditam.

494 *Non est capax.* Incapax est omnino. Quia nihil refert, siue ex accidenti impotentia perpetua consurgat, ac nulla arte restaurabilis: cum is non possit ad copulam vtpotè sibi impossibilem obligari. Ita Rosel. *verb. Impedimentum, impedimen.* 15. *num.* 16. Angl. *verb. Matrimonium.* 3. *impedimen.* 16. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *dub.* 92. *num.* 24. referens plus quam triginta & sex Doctores. Hurtad. *dub.* 22. *diffic.* 5. Candid. *disq.* 28. *art.* 13. *dub.* 14. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 15. *num.* 94. Barbosa *in Collectan. ad cap.* 2. *numer.* 6. *de frigid. & malef.* Palaus *dub.* 4. *punct.* 14. *numer.* 5. & alij.

495 *Hoc certum.* Hoc mihi fere certissimum. Quia huiusmodi senectus omnino ad Eunuchorum reflexit statum.

ſtatum. Idem dixerim ſi ſenes illi poſſent quidem coire, non tamen intra vas ſeminare: irritum enim tunc eſſet matrimonium.

DVBIVM CXV.

An validum ſit ſterilium matrimonium?

496 *Non eſt validum.* NOn eſt validum. Quia ſicut matrimonium ordinatur ad copulam, ita ad prolis generationē: imo eſt potiſſimus eius finis prolis generatio. Cum ergo impotentia ad copulam irritet matrimonium, à fortiori ſterilitas, quæ impotentia eſt ad generandam prolem, irritabit. Sic Felin. *c. Cum ſit n.* 15 aſſerens matrimonium non eſſe, quando mulier natura ita ſterilis eſt, vt ſpes concipiendi deficiat. Iaſon *conſil.* 115. *num.* 1. *vol.* 1. Quia vt vere ac proprie dicatur matrimonium deſideratur ſpes ſobolis ſaltem in habitu ac potentia. Præpoſit. *c. Tanta, n.* 7. & Socinus *l. ſed eſt quæſitum, num.* 2. *de liber. & poſthu.* docentes, quando matrix fœminæ eſt deſtructa, matrimonium non valere. Sed hæc doctrina parum fauet huic ſententiæ: intelligitur enim quando nullatenus ſemen poſſet recipere. Couar. *tr. de frigid. q.* 6.

497 *Validum eſt.* Validum eſt. Quia etſi id matrimonium fine primario fruſtretur, qui eſt prolis generatio: conſequitur tamen ſecundarium finem, nempe concupiſcentiæ ſatisfacere, vera copula habita: Quod ad eius ſufficit valorem. Ità D. Thom. *in* 3. *diſt.* 34. *quæſ. vnic. art.* 2. *ad* 3. receptus paſſim à Theologis, ac Iuris Pontificij profeſſoribus. Gutier. *lib.* 1. *qq. Canonic. cap.* 16. *num.* 4. & 12. Bonacina. Narbona, & Nauar. quos refert ac ſequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 21. *q.* 20.

498 *Falſam eſſe primam ſententiam reor.* Hoc proculdubio aſſerendum cenſeo. Quia ad valide contrahendum coniugium ſolum requiritur potentia ad copulam, actum generationis, non ad generationis effectum. Vnde Eccleſiæ vſus ita habet, nunquam enim auditum eſt diſſoluiſſe aliquod matrimonium ratione ſterilitatis: imo paſſim ſenes ad illud ineundum admittit, cum tamen eorum ſemen conſtet eſſe plerumque ſterile præſertim in fœmina. An non inter Ioannis Baptiſtæ parentes conſtat verum fuiſſe coniugium, cum tamen illa eſſet ſterilis, *Luc.* 2.

DVBIVM CXVI.

An Fœmina, quæ parere non poteſt ſine manifeſto mortis periculo, licet apta copulæ: validè ineat matrimonium?

499 *Non valido init coniugiū.* EA pariendi impotentia, matrimonium dirimit. Quia mulier impotens ad reddendum debitum abſque vitæ periculo, eſt matrimonij incapax. Vnde *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* Decernitur, mulierem arctam, quæ ſine vitæ periculo nequit virili aptari congreſſui eſſe matrimonio ineptam, atque eam impotentiam perpetuam cenſeri. At fœmina non poteſt abſque vitæ periculo parere, nequit abſque eo reddere debitum, & à viro cognoſci: reddens enim exponitur periculo conceptionis & partus. Sic Victor. *in prælect.* quem refert, ac ſequitur Petr. de Ledeſm. *quæſ.* 58. *articul.* 1 Martin. à Ledeſm. *part.* 4. *quæſ.* 60. *art.* 1. Barthol à Ledeſm *dub.* 48. *concl.* 2. Manu. *tom.* 1. *ſum. c.* 235. *concl.* 6. *n.* 6. Vega *ſum. to.* 2. *c.* 34. *caſu* 109. Veracr. *p.* 1. *ſpec. a.* 38. *concl.* 8. Et dicit eſſe probabile citans aliquos Neotericos Henriq. *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 7. *liter. R.* Matienzo *libr.* 5. *recopil. titul.* 1. *rubr. gloſ.* 1. *numer.* 197.

500 *Init valide.* Ea pariendi impotentia non dirimit coniugium. Quia matrimonij contractus eſſentialiter conſiſtit in mutua obligatione ad copulam perfectam ſuapte natura aptam ad prolis generationem: nec refert, ſi accidentaliter nequeat ſequi proles, vt in ſterilibus conſtat. At hic reperitur obligatio, & traditio poteſtatis corporum ad copulam perfectam: Ergo erit matrimonium. Ita Sanch. *l.* 7. *dub.* 92. *n.* 28. Henriquez *citat.* Sà *verb. Matrimonium, de imped. impot. num.* 14. Lopez *part.* 2. *Inſtruct. vbi de matrimon. cap.* 52. Coninch. *dub.* 31. *num.* 86. Gutier. *capit.* 112. *numer.* 17. Candid. *diſq.* 28. *art.* 12. *dub.* 15. Rebel. *libr.* 13. *quæſ.* 16. *ſect.* 1. *numer.* 1. & 10.

501 *Hæc ſententia mihi probabilior.* Equidem licet prima ſententia ſatis ſit probabilis, adhæreo ſecundæ mihi probabilioti. Quia eſto id matrimonium abſque culpa iniri non poſſet, haud inde colligitur, id fore irritum, Quia ſatis eſt, copulam ſuapte natura licitam eſſe, quamuis ex aliquo accidenti reddatur illicita, vt contingit in iis, qui voto caſtitatis ſunt adſtricti. Et quia illa periculoſi partus circumſtantia perpetua non eſt, ſenectutis enim tempore, quando iam mulier ſterilis erit, ceſſabit. At impotentia quæ non eſt perpetua, minime dirimit matrimonium.

DVBIVM CXVII.

An detur impotentia naturalis reſpectiua matrimonium dirimens?

502 *Non datur impotentia reſpectiua reſpectu vnius.* NOn datur impotentia naturalis perpetua reſpectiua dirimens matrimonium reſpectu vnius tantum, aut alterius fœminæ. Quia cenſetur impotentia temporalis nec dirimens matrimonium, quando per artem abſque vitæ periculo poteſt illi ſubueniri *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* At huiuſmodi eſt hæc impotentia, quando quiſpiam inuenitur potens ad corruptam, non autem ad virginem. Certe non poteſt eſſe impedimentum naturale viri reſpectu vnius perſonæ perpetuum, quin ſit reſpectu omnium. At impedimentum quod non eſt perpetuum matrimonium non dirimit. Sic Tabie. *v. Impedimentū, imped.* 12. *q.* 5. *n.* 6. Armil. *v. Matrimonium, num.* 50. Sotus *in* 4. *diſt.* 34. *quæſ. vnic. articul.* 2. Petr. de Ledeſ. *quæſ.* 58. *art.* 2. *dub.* 5. Barthol. à Ledeſm. *de matrimon. dub.* 48. Llamas 3. *part. methodi, cap.* 8. §. 13. & alij Confirmo ex *c. Laudabilem de frigid. & malef.* vbi decernitur, virum ſeparatum à muliere, quod triennio cohabitationis tranſacto, iurarit, ſe non potuiſſe cum ea conſummare: cogendum eſſe, ad nam redire, & tanquam periurij reum puniendum, ſi

si fœminam aliam cognoscat. At erronea esset decisio, si esset possibilis impotentia respectiua dirimens. Non enim ex sequenti copula cum alia concluditur, prius matrimonium fuisse validum, neque illum reum esse periurij Cum possit allegare, se fuisse impotentem respectu illius.

501 *Datur quidē.* Datur impotentia naturalis perpetua respectiua. Quia potest mulier tam arcta naturaliter esse, & vir adeo pinguis, vt illius membrum nequeat vas tam arctæ, fœminæ penetrare, cum tamen vir ille aliis fœminis non ita arctis sit idoneus: ac fœmina illa aliis viris haud ita pinguibus non sit inepta. Idem potest naturaliter vir ita debilis virtutis esse, vt fœminam virginem non valeat agnoscere, cum tamen possit cum corrupta coire. Vel ita calidus potest esse, vt statim ac congrediatur cum virgine semen affundat, & ita eam cognoscere non valeat: at posset cū corrupta rem habere, respectu cuius nullus ad vas penetrandum, conatus exigitur. Nec hæc semper arte medicinæ auferri posse, experientia docet. Ità Sanchez *lib. 7. d. 93. num. 5.* Basil. *l. 7. cap. 61* Scot. *in 4. dist. 3. quæst. vnic.* Richard. *ibi. q. 1. art. 2.* Sotus *q. vni. art. 2.* Veract. *1. p. spec. art. 18. concl. 5.* Valent. *part. 4. d. 10. q. 5. punct. 3.* Henriquez *lib. 12. cap. 7. nu. 4. & cap. 9. num. 9. liter P. & Q.* Sà *v. Impedimen. impot. numer. 14.* Hurtad. *d. 22. diffic. 6.* Candid. *disq. 18. art. 13. dub. 10* Nauar. *l. 4. consil. de frigid. & malef. cons. 1. num. 2* Cornejo, & Lusi. de Torres quos affert, & sequitur Leand. *tr. 9. dub. 21. quæst. 13.*

504 *Sententiam vltra secundam.* Quamuis prima sententia satis sit probabilis probabilior tamen secundā iudicarim. Ducor ex eodē *c. Fraternitatis*, vbi separato matrimonio, quod vir mulierem arctam cognoscere non posset, atque illa alij nubente, qui illam corrupit: non deciditur absolute, prius matrimonium instaurandum esse, sed quando posterior vir similis est priori inde coniectura, sumpta: sicut potuit posterior, ita potuisse priorem: atque ità non fuisse impotentiam respectiuam perpetuam. ibi: *Cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscetur.* supponit ergo textus, non restaurandum esse, si prior vir debilior erat, atque ita posteriori dissimilis: atque adeò esse impotentiam naturalem respectiuam perpetuam, quæ matrimonium dirimat respectu huiusmodi fœminæ.

DVBIVM CXVIII.

An quando fœmina nupta cuius arctitudini naturali medici iudicant posse absque mortis periculo per incisionem subueniri, vt apta viro reddatur: teneatur pati?

505 *In duplici euentu potest quæstio disputari.* IN duplici euentu potest hæc quæstio disputari. Prior est, quando mulier naturaliter est præ cæteris arcta. Posterior quando arcta non est, sed solummodo naturale Virgineum signaculum virili obstat congressui. Circa priorem euentum dubium hoc diuersatur.

506 *Non tenetur incisionem pati.* Non tenetur mulier naturaliter arcta graue periculum pati, vt apta viro reddatur: ideoque coniugium dirimendum erit, & si incisio possit fine vitæ discrimine geri. Quia mulier non videtur tam arctè se ad coniugale debitum reddendum obligasse, vt proinde debeat graue incommodum subire. Sic Glossa *ad c. Fraternitatis, verb. Corporali, de frigid. & malef.* Gregor. Lopez *l. 2. verb. Grande. tit. 8. p. 4.* Lancellot. *instit. Iuris Canon. l. 2. tit. Quæ matrimon. impedire possunt. §. Item frigiditas. verb. Ope medicor.* & alij.

507 *Tenetur.* Tenetur graue subire periculum, dummodo mortis nō sit. Quia in eas angustias se coniecit sua culpa: debuisset enim antè nuptias sibi prospicere. Ita Palac. *in 4. dist. 34. disp. 1.* Quand. *ibi d. vnic. collar. 4.* Angl. *p. 1. vbi de matr. q. 8. art. 1. dub. 1. diffic. 1. corollar. 2. ex 3. concl.* Supplem. Gabriel *in 4. dist. 34. q. vnic. art. 1. notab. 6.* Canedo *sum. Sacrament. de matr. c. 5. in Glos. num. 32.* & alij.

508 *Teneri, existimo.* Existimo, teneri incisionem pati cum molestia licet, graui dolore, ac cauterio faciendam at grauissimum morbi incommodum perpeti non teneri, licet non adsit mortis periculum Priorem propositionis partem probo. Quia huiusmodi incisio necessaria est ad ius copulæ, quod in verum maritum transtulit: & ne cogatur vir innoxius sine matrimonij fructu vitam cœlibem perpetuo ducere: maxime cum mulier sua culpa in eas se dedidisset angustias. Posterior patet. Quia non videtur mulier cum tanta iactura obligari ad coniugale debitum, ex qua obligatione consurgere debet ius viri ad cogendam fœminam huiusmodi incisionem subire. Didici ex Sancio *libr. 7. dub. 93. numer. 32* Manuele *tom. 1. sum. capit. 235. numer. 1.* Henriquez *lib. 12. capit. 7. num. 8.* Ludou. Lopez Barthol. à Ledesm. & alij à Sancio citatis.

DVBIVM CXIX.

An quando fœmina arcta naturaliter speciatim non est, sed solummodo naturale Virgineum signaculum congressui virili obstat: teneatur incisionem subire?

509 *Tenetur quidem.* TEnetur fœmina incisionem pati, dummodo mortis periculum non immineat. Quia cum verum sit matrimonium, ius sui corporis in virum transtulit. Ergo vbi potest absque magno incommodo se aptam reddere viro, tenetur. Nec obstat, ex parte viri hunc surgere defectum: qua cum vir culpa vacet, & naturali illi imbecillitati nequeat mederi, quærendum est ex parte fœminæ remedium, vt ipsi viro aptetur. Sic Sanchez *l. 7. d. 93. num. 34.* Ledesm. *2. part. 4. quæst. 60. art. 2.* Angl. *part. 1. vbi de matrimon. q. 8. art. 1. post dub. 9. diffic. 2.* Ludou. Lopez *part. 2. Instr. de matrimon. c. 52.* Vega *tom. 2. sum. c. 34. casu 109.* Canedo *sum. Sacram. de matr. c. 5. n. 38.* & alij.

510 *Non tenetur.* Minime tenetur. Quia fœminæ nullus est defectus, vt debitum reddat, sed tantum viro. Ergo ad ipsum & non ad fœminam pertinet remedio vti, quo proprius defectus suppleatur: fœminæ vero sufficit, debitum modo ordinario offerre: præsertim quod fœminam artificio corrumpi horreat quodammodo natura, & honestas

stas ipsa difficillime patiatur. Ita Petr. de Ledes. *de matrimon. quæs.* 58. *art.* 1. Hurtad. *dub.* 12. *dif. fic.* 7. Leand. *tract.* 9. *dub.* 21. *quæstion.* 24. & alij.

511 *Primam sententiam valde probabilẽ existimo, sed secundam vt probabiliorem eligo.*

Ego quidem anceps aliquando hæsi, ignorãs quam sententiam eligerem. Aſt, re attente perspecta, probabilius existimo, mei Sancij venia, nullatenus teneri virginem subire incisionem. Patiatur illa & dolorem, & verecundiam incisionis, quia medici testantur, id ad matrimonij consummationem vnice profecturum: si forte decepti sint medici, & postmodum vir nec ad eã sic præparatam aptus esse reperiatur, & matrimonium dissoluitur: ipsa innupta manere cogetur, timens, ne alius credat coniux futurus, à viro alio fuisse corruptam. Fateor, cum id matrimonium validum censeatur, fœminam nullum ius habere tuẽdam virginitatem: sed manifestũ habet ius, vt modo ordinario claustri reseratio fiat sine tanto innocentis incommodo.

DVBIVM CXX.

An impotentia perpetua ex maleficio consurgens dirimat subsequens matrimonium cum persona illa, ad quam est impotentia?

512 *Non dirimit.*

NOn dirimit. Quia nullum maleficium ità perpetuum est, quin valeat per ipsum maleficij authorem absque peccato auferri. Alias enim cum in dæmonis potestate sit, efficere, vt impedimentum temporale ex maleficio sit perpetuum: & è contra vt perpetuum sit temporale, tollendõ obstaculum: posset vtique ex matrimonio non matrimonium: & ex non matrimonio matrimonium constituere. Certè *c. Ex literis, de frigid.* dicitur: *si vitium illud mulier natura contraxit, nec opere medicorum potuerit à adiuuari: viro aliam accipiendi liberam tribuas, facultatem.* Ergo à contrario sensu, vbi impedimentum non est à natura, sed ex maleficio, coniugi huiusmodi facultas deneganda erit. Sic Glos. *ad c. fin. v. Nequibunt, in priori solut.* 33. *quæs.* 1. Innocent. *c. Laudabilem, num. vnic. v. Triennium.* Almain. *in.* 4. *dist.* 34. *q. vnic. ad finem.*

513 *Dirimit quidẽ.*

Dirimit omnino. Quia à veritate alienum est, nullum maleficium esse perpetuum. Nam si dæmon semel, vel sæpius potest permittente Deo, copulam impedire: cur non semper? cum per voluntatem operetur. Deinde quia falsum est, semper à suo posse authore tolli. Neminem enim latet, posse dæmonem posse destruere, quã reparare. An non potest contingere, iam maleficij authorem obiisse, & sic maleficium erit perpetuum? Porro id habetur *c. fin.* 33. *q.* 1. Ità D. Tho. *in* 4. *dist.* 34. *q. vnic. art.* 3. D. Bonauent. *ibi*, Scot. Palud. Durand. & alij Scholastici. Caiet. *v. Matrimonium, c.* 1. *impedimen.* 12. Victor. *sum. de matrimon. num.* 286. Palaus *d.* 4. *punct.* 14. §. 3. & 4. Cornejo *d.* 7. *dub.* 37. Candid. *disq.* 28 *art.* 13. *dub.* 23. Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 8. Bonac. *quæs.* 3. *de imped. punct.* 13. *num.* 9. Coninch *d.* 31. *dub.* 7. Basil. *l.* 7. *c.* 65. *num.* 6. Et fere septuaginta supra sex Doctores, quos refert, ac sequitur Sanch. *l.* 7. *d.* 94. *n.* 8.

514 Proculdubio tenendum est impotentiam ex maleficio consurgentem, si illud sit perpetuum. dirimere matrimonium. Potest autem perpetuum esse, nam maleficio potest tanta obuenire frigiditas, quanta est naturalis, ex qua perpetua naturalis prouenit impotentia. Ex maleficio potest quis impediri, vt coire nequeat, aut post coitum non possit semen amittere. Huiusmodi impedimentum sæpè auferri non potest absque peccato, & si aliquando absque crimine poterit, casu non potest, quod maleficij obierit author, & nullus alius adsit qui maleficij calleat dissolutionem. Profecto tunc maleficium censeri debet impedimentum perpetuum, quando coniuges post experimentum triennale, præmissis precibus, & aliis licitis remediis, non potuerint copulam inire. At perpetuũ non est illud, quod ab ipso tantum maleficio valet citrà peccatum dissolui cum iam naturali virtute tolli possit: & certissimum est, coniugium non dirimere. Vnde si Ecclesiæ iudicio quis à coniuge separatur, & post Ecclesiæ sententiam, se habilem ad coniugale debitum soluendum inueniat instaurandum primum est matrimonium. Cæterum si separatus est, tanquam maleficio solum respectiuo ligatus, & aliam duxit etiamsi postmodum se habilem experiatur ad primam illi restitui non debet, sed manere cum secunda, etiamsi re vera sciat cessasse maleficium. *Hoc certum affirmo.*

DVBVM CXXI.

Am hermaphroditus, semel electo sexu, & iuxta illum inito matrimonio, postea viduus possit iuxta alterum sexum valide matrimonium inire?

SVppono, hermaphroditum, in quo præualet vnus sexus posse valide matrimonium inire. Quia iuxta sexum eminentem potentiam ad perfectam exerit copulam. Quod si sexus sit æqualis, ex communi Doctorum placito etiam poterit coniugium inire. Vnde si virili sexui deseruire eligat, ducet fœminam: si fœmineo, viro nubet. Parochus autem non debet eius interesse coniugio, donec hermaphroditus ab Episcopo cogatur ad sexum eligendum facto iuramento non vtendi altero. Quod si abusus fuerit capitali est pœna plectendus; quia contra naturam delinquit. Lege Sancium *libr.* 7. *d.* 106. *num.* 1. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 8. *numer.* 6. Palaum *d.* 4. *punct.* 14. §. 5. *num.* 14. & 5. Quærierim autem, num possit viduus effectus iuxta alterum sexum matrimonium aliud inire? 515 *Nonulla sup pono.*

516 Minime potest. Quia id prohiberi videtur *cap. Presbyteros.* 16. *quæstion.* 1. & *cap. Diuersis de Minor. non valid. Cleric. coniug.* & *l. si plures, ff. de pactis.* Nam indecens valde esset, vt modo vno, modo altero sexu vteretur. Adde reum fore periurij. Etsi non iuraret, rem admitteret grauissimam contra naturam. Quare his nuptiis tanquam interdictis & inualidis Parochum debere suam abnegare præsentiam Maiolus asserit *lib.* 3. *de Irreg. capit.* 25. *num* 1. Sic Torrebl. *lib.* 5. *de iure spirit. c.* 9. *n.* 15. fatus. Qua electione facta non potest variare,

re, etiam mortua vxore, cum qua vt vir nupserat, nubat alteri in fœminam etiam ex Episcopi licentia, sic ille. Quia eo ipso, quod se virum esse professus est in perpetuum iuri vtendi sexu fœmineo renunciauit.

517 *Potest omnino.* Potest quidem si non licite, validè inire matrimonium. Quia id nec iure naturæ, nec Pontificio irritatur. Textus enim citati, quibus hermaphrodito interdicitur duplicis sexus vsus intelligendi sunt dum electo sexu (v. gr.) virili ad primum coniugium, id coniugium persistit. Ità Sanch. *citat. num.* 8. Basil. *l.* 7. *cap.* 65. *num.* 8. Hurtad. *dub.* 22. *diffic.* 10. Leand. *tract.* 9. *d.* 21. *quæst.* 30.

518 *Aliter plato.* Ego quidem puto, sit viduus factus hermaphrodito alio sexu vtatur, & nubat vt fœmina, qui prius nupsit vt vir: peccare quidem, at coniugium valere quia est corpus aptum, & nullum sit ius Ecclesiasticum, quo inhabilis reddatur: & eius prima electio id quod natura sibi indidit auferre non valet, sed solum licitum vsum Addiderim, forsan absque mortale id poterit gerere, si id iuramento non obfirmarit, quia iuramento secluso, grauem non video inordinationem adesse. Lege Hurtadum nostrum *vbi supra.*

DVBIVM CXXII.

An hermaphroditus possit valide inire coniugium iuxta sexum, qui non est æqualis, sed inferior: si tamen iuxta eum adsit ad copulam potentia?

519 *Non potest valide.* SI prævalente sexu virili, copuletur matrimonio, viri instar, fœminæ: vel si, prævalente sexu fœmineo, fœminę, instar viri, colligetur irritum erit matrimonium. Quia inter personas eiusdem sexus initum est: (licet ad copulam gerendam iuxta illum sexum sit aptus) prævalente enim fœmineo, reputatur fœmina, & tamen fœminam ducit, ac si vir esset: & si prævaleat virilis, vir reputatur, & tamen instar fœminæ nubit viro. Sic Sanch. *lib.* 7. *d.* 106. *nu.* 5. Bonac. *q.* 3. *de impedim. punct.* 13. *n.* 27. Gutier. *de matrimon. capit.* 119. *numer* 1. & alij existimantes tale matrimonium esse iure naturæ irritum.

520 *Valide contrahere potest.* Valide potest contrahere iuxta inferiorem, sexum dummodo iuxta illud ad copulam perfectam sit potens. Quia in hoc casu ille nec iure naturali est inhabilis, cum vere sit potens: nec iure Ecclesiastico, cum nullum extet, huiusmodi prohibens coniugium. Ita Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 10. Basil. *l.* 7. *c.* 65. *n. vlt.* Palaus *d.* 4. *pun.* 14. §. 5. *n.* 1. Leand. *tr.* 9. *d.* 21. *q.* 31.

521 *Aduersia refellitur.* Certe si hermaphroditus iuxta illum sexum, qui imbecilliior est, nubat, & ita sit iuxta eum sexum imbecillis, vt eius sexus naturalis vsus esse non possit: planum est, iure naturali irritum esse matrimonium. Et de huiusmodi sexus inferioritate existimo primæ sententię Doctores fuisse locutos; perinde enim sic esset, ac si duo sexus eiusdem colligarentur. Quod si secus sit, possitque cum alio sexu valentiori esse imbecillioris naturalis vsus ad perfectam copulam, existimo, validum esse matrimonium; quandoquidem iure naturali potens est, & iure Canonico inhabilis esse non asseritur.

DVBIVM CXXIII.

An ætas quatuordecim annorum in viro, decem vero in fœmina necessario debeat esse completa, ad ineundum coniugium?

523 *Nonnullæ suppono.* SVppono ex *sect.* 1. ætatem requisitam ad matrimonium esse pubertatem, nempe quatuordecim annorum in viro, duodecim in fœmina. Quia in ea ætate, & non anteà, tam viri, quam fœminæ habiles præsumuntur non solum ad cõsensum, sed etiam ad copulam. Quæsiesim vero, num ætas hæc in vtroque contrahente debeat necessario completa esse ad matrimonij validitatem.

524 *Non debet necessario esse completa.* Non debet necessario completa. Quia licet dies aliquot desint ad eius complementum, moraliter completa ætas iudicatur. Sic Hostiens. *ad c. Puberes, num.* 5. *de sponsal. impub.* Veracr. 1. *p. spec. a.* 16. asserentes sufficere ætatem quamuis tres dies deficiant. Martin. de Ledes. *in* 4. *q.* 60. *a.* 1. Quamuis (ait) decem dies desiderentur. Rebel. *l.* 3. *de matr. q.* 16. *q.* 1. *n.* 13. Quamuis (inquit) contrahentes ab illa ætate per vnum aut alterum mensem, qui vulgariter finis anni dicitur, distarent.

525 *Debet necessario completa esse.* Debet cõpleta esse necessario illa ætas. Quia sic iure præscribitur *c. Attexationes, & c. Ex literis.* Ergo locus non est paucorum dierum supplemento. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 104. *n.* 3. plures citans Palaus *d.* 4 *pun.* 4. §. 4. *nu* 1. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 277. *& part.* 5. *tr.* 5 *resol.* 16. Luisi. de Torres *sum. p.* 2. *c.* 121. *dub.* 4. Basil. *l.* 7. *c.* 65. *n.* 1. Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 12. & alij

526 *Secundam sententiam eligo.* Mihi quidem displicet prima sentẽtia. Quia si vera esset, corrueret doctrina plurimorum Doctorum, quos citat Sanch. *citatus nu.* 2. tanquam quid speciale asserentium fauore matrimonij valere, quamuis vltima die completa nõ sit, sed incœpta. Certe hanc ætatem tam in viro, quam in fœmina completam esse debere, clare colligo ex *cap. Continebatur, de desponsat.* vbi ad valorem matrimonij puellæ non duodennis ponderatur, eam proximam duodecim annis fuisse, ac à viro cognitam. At si non peteretur duodecimus annus completus, non esset opus ponderare vtrumque. Et *cap. fin. eodem tit.* proponitur casus de puella, quæ circa duodecimum annum nupsit: & tamen decidit, coniugium minime voluisse, nisi malitia suppleuisset ætatem. Vbi Glos. *v. Circiter* ait, ad modicum tempus referri eam dictionem. Sentit ergo textus, non valere matrimonium fœminæ, cui modicum tempus ad duodecimum annum completum deficit, nisi malitia ætatem suppleat. De quo *dub.* 125.

* *
*

DVBIVM

DVBIVM CXXIV.

An sufficiat ad matrimonij valorem, vltimam diem anni decimiquarti in viro, & duodecimi in fœmina incœptam esse?

526 *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia *c. Attestationes de desponsat. impub.* dicitur: Antequam ad annum decimumquartum peruenisset. Et *c. Ex literis, eodem tit. Donec compleat puer annum decimumquartum*: idemque de fœmina *cap. fin.* & alibi asseritur. At quo vsque sit completus annus decimusquarrus in viro, & annus duodecimus in fœmina præfata ætas non est mathematice completa nempe in indiuisibili consistens: Ergo non sufficit ad matrimonij validitatem, vltimum diem esse incœptum. Sic Basil. *l. 7. c. 65. n. 1.* Hurtad. *d. 22. difficult. 12.*

527 *Sufficit quidem.* Sufficit vltimam ætatis præscriptæ diem esse incœptam. Quia vere pro completa in contractis contractibus dies vltima incœpta reputatur à lege. Ità Sanchez *lib. 7. dub 104. n. 2.* citans Ioan. Andr. Anton. Cardin. Abbatem, Neuo, & Brunel. Rosel. *v. Matrimonium. 1. n. 5.* Sylvest. *v. Matrimonium. 5. q. 5.* Tabie. *v. Matrimonium. 2. q. 6. nu. 7.* Et probabile esse defendunt Diana, Narbo. & Villalob. quos sequitur Leand. *tr. 9. d. 21. q. 35.*

528 *Hoc mihi probabilius.* Probabilius hoc esse reor. Quia ita testamenti in fauorem decernitur *leg. Qua ætate. ff. de testam.* At matrimonij fauor non est minor.

DVBIVM CXXV.

An vt malitia supplere dicatur ætatem à lege præscriptam in puero, sufficiat vt quacumque in ætate habilis ad copulam reperiatur?

529 *Quid certum præmitto.* CErtum est, defectum ætatis quando malitia supplet, matrimonium non dirimere. *c. Continebatur. cap. De illis, c. fin. de desponsat. impub.* Vt autem malitia ætatem suppleat, in puero requiritur non solum discretio seu rationis vsus ad consensum exhibendum: sed etiam perfecta potentia coëundi, vt ex Canonib. citatis cõstat. Quæsierim vero, an in puero, cuiusuis teneræ sit ætatis sufficiat ad copulam habilitas, vt dicatur verè malitiam ætatem supplere, & valide possit matrimonium inire; licet illa discretio non plene adsit?

530 *Sufficit posse generare.* Sufficit quidem. Quia *c. De illis. de desponsat. impub.* dum dicitur malitia supplere ætatem, explicatur hoc, quando possunt pueri copula carnali coniungi. Et clarius colligitur ex *c. Puberes, eodem titul.* Vbi cum textus retulisset, quosdam ex annis pubertatem computare, hæc subdit: *Certum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare iam potest.* Sic Glos. *ad cap. verb. Copula, & c. fin. verb. Prudentia* Hostiens. *ad c. Puberes. num. vltim.* Anton. *ibi, num. 3.* Cardin. *n. vnic.* Præpos. *num. 2.* Henric. *nu. 4.* Anchar. *num. 3.* Perez *l. 5. ordinamen. titul. 1. l. 1.* Quand. *in 4. dist. 34. dub. vnic. num. 1. corollar. ex 5. propos.*

Non sufficit. Quia *c. fin. de desp. impub.* malitia hæc ætatem præueniens nuncupatur *prudentia.* Et *c. Continebatur, eodem tit.* textus ponderat copulam cũ ætate pubertati proxima, vt impuberis valeat matrimonium. At minime ponderaret eam ætatẽ sola copula sufficiente: ponderatur autem iuxta communem sensum, eo quod discretio ad matrimonium necessaria præsumatur ex ætate pubertati proxima. Ità D. Thom. *in 4. dist. 36. q. vnic. a. 5. corp.* Angel. *v. Matrimonium 3. impedimen. 6. num. 8.* Sylvest. *v. Matrimonium. 5. quæs. 2.* Tabie. *v. Matrimonium. 2. qu. 6. num. 7.* Sotus *in 4. dist. 35. qu. vni. a. 5.* Couar. *4. decret. part. 2. c. 5. num. 3.* Henriquez *libr. 11. c. 13. a. 10.* Barth. à Ledes. *de matr. dub. 51.* Sanch. *l. 7. d. 104. n. 21.* 531 *Non sufficit.*

Certe longe probabilius existimo, nomine malitiæ supplentis ætatem ad matrimonium necessariam, comprehendi potentiam ad copulam, ac prudentiam & discretionem ad intelligendam coniugalis vim consensus. Nam cum sit res grauissima, & perpetua, exigit maiorem discretionem ea, quæ in tenera ætate reperitur. Quare non sufficit ad matrimonij impuberis vatorem sola generandi potentia ætatem præueniens, nisi etiam discretio adsit. 532 *Mea resolutio.*

DVBIVM CXXVI.

An puer minor septennio capax generandi, ac vsu rationis fruens capax sit coniugij ineundi?

ESto aliquando naturæ ex miraculo detur puer qui minor septẽ o& aptus ad generandum, & capax rationis perfectæ inueniatur: quæsierim, num is capax sit ineundi coniugium? Capax quidem est. Quia textus *dub. proximo* allegati, solummodo petunt, aptum esse puerum ad copulam, & rationis vsum habere. Sic Hostiens. *ad c. Puberes, num. vltim.* Cardin. *ibi, num. vni.* Præposit *num. 2.* Henric. *num. 4.* Perez *lib. 5. Ordinat. tit. 1. l. 1.* 532 *Capax est.*

Minime est capax quocumque tempore malitia ætatem supplet; sed solummodo tempore eidem pubertati proximo. Quia id expressè colligitur ex *c. Continebatur, & ex c. De illis* Et habetur expresse *l. 6. par. 4.* ibi: *Mas para casamiento façer, han menester, que el varon sea de edad de catorze años: è la muguer de doce::: Fueras ende si fuessen tan cerca dos a esta edad, que fuessen y a guisadas, para poderse ayuntar carnalmente ca la sabiduria è el poder, que han para este façer, cumple la mengua de la edad.* Ita D. Tho. *in 4. dist. 36. q. vni. a. 5.* Abbas *c. Continebatur. n. 6. de desponsat. impub.* Præposit. *ibi. num. 4.* Rosel. *v. Matrimonium. 2. num. 7.* Angl, Sylvest. Couarr. quos citat. & sequitur Sanch. *l. 7. d. 104. num. 2.* Basil. & alij quos memorat ac sequitur Leand. *tr. 9. d. 21. q. 38.* 533 *Non est capax,*

Improbarim primam sententiam. Nec enim puer septem annorum capax ineundi matrimonij est. Nam cum consensus sit necessarius, matrimonium non esset, nisi in eo infanti adesset quoque maxima discretio. Potest aliquando 534 *Secundam sententiam reprobo primæ*

do natura nimium exigilans eũ fortè aptum ad generandum reddere: sed crediderim vix posse sufficientem ei discretionem valeat in tam tenera indere ætate. Nec approbo, quod Ioan. Andreas, & Ancharanus citati à Sancio *ibid. nu.* 10. dicitant. Nam ille asserit, esse matrimonium, modo puer habens generandi potentiam sit maior septennio: hic autem modo sit septennis. Nam in tam tenera ætate nequit reperiri discretio sufficiens ad perpetuum consensus coniugalis vinculum.

DVBIVM CXXVII.

An vt tempus assignetur pubertati proximum, in quo supplente malitia ætatem possit matrimonium iniri: desideretur Iudicis arbitrium?

535 *Iudicis arbitrium.*

NOn desideratur. Quia ipsa id præscribunt experimenta. Vnde quibusdam placet, illud esse pubertati proximum tempus, quod à pubertate per triduum distat: Sic Hostiens. *ad c. Continebantur, de desponsat. impub.* Alij credunt, illud tempus proximum pubertate dici, quod distans ab ea per sex mẽses, plus minúsve obiicitur. Sic Henriq. *l.* 11 *c.* 13 *n.* 11. Aliis placet, integrum à pubertate distantem annum dici proximum esse pubertati. Vnde puellam pubertati proximam definiunt, quæ annum agit vndecimum: puerum vero, qui decimumtertium annum gerit. Sic Hurtad *d.* 22. *diffic. vlt.* Palaus *d.* 4. *pun.* 14. §. 4. *nu.* 3. Alij affirmant, masculum esse in tempore pubertati proximo, quoad matrimonium contrahendum, quando decem annos cum dimidio expleuit: & puellam, quando nouem & dimidum excessit. Sic Barthol. Angel. Rosel. Sylvest. & alij, quos citat sac sequitur Didac. Narbo. *anno* 10. *q* 1. *n.* i. & 14. Qui quidem omnes huius sententiæ Doctores eo fundamento nituntur, quod in assignatis temporibus ætatis, esse ad coniugium capaces, & experientia ostendit, & ratio dictat.

536 *Iudicis arbitrium desideratur.*

Desideratur quidem Iudicis arbitrium, vt dignoscatur quale tempus sit pubertati proximum in impuberibus. Quia cum id iure præscriptum sit, merito Iudicis prudentiæ committitur. Qui non tam ex annorum numero, nec ex singularium casuum experimento, quam ex pueri ac puellæ discretione, qualitate Regionis, in qua nati sunt temperie, ac aliis circumstantiis, adiudicare debet, quandonam hi sint proximi pubertati. Ita Gothfred. *sum. tit. de desponsat. impub. num.* 5. Anton. Francus, Præpos. Faber, Salycetus, Decius, Viglius, Corasius, quos refert, ac sequitur Menochi. *de arbitrar. libr.* 2. *centur.* 1. *ca* 'u 57. *num.* 42. D. Antonin. 3. *part. titul.* 1. *cap.* 19. Tabie. Sotus. Gutier. Plaza, Duenas, Gregor. Lopez Couar. quos citat, & sequitur Sanch. *l.* 7. *d* 104. *n.* 40. Basil. *l.* 7. *cap.* 65. *num.* 5.

537 *Hic formatur nonnulla monas.*

Hos sequor, monens, Iudicem ad hoc arbitrandum Regionis qualitatem perpendere debere. Quædam enim Regiones calidiores pueros, quam aliæ procreant. Inspiciat simul dispositionem corporis, valetudinem, &c. Quod si decernere velit, proximum esse pubertati puerum, qui decimum annum cum dimidio non excessit: aut fœminam minorem nono cum dimidio: id non gerat nisi cautissime, & raro, maximisque coniecturis persuasus, eo quod præsumptio ex modicæ ætatis, natura deducta valde repugnet. At post eam ætatem non ita vrgentes coniecturæ desiderantur: sed sufficiet aliquot mediocria signa perpendere. Si vero semestre tantum ad pubertatem desit, audacius, ac leuioribus argumentis est iudicandus puer pubertati proximus.

DVBIVM CXXVIII.

An valeat matrimonium, quando quis in legitima pubertatis ætate constitutus adhuc potens non est ad copulam coniugalem gerendam?

538 *Statum quæstionis expono.*

NOn procedit impotentiam esse perpetuam. Tunc enim certum est, irritum esse matrimonium. Difficultas est, cum non constat, eam impotentiam esse perpetuam, ex frigiditatèque consurgere: sed dubitatur, an sit temporalis, ac ex debili ætate proueniat. Igitur inquiro, num validum sit matrimonium, quando pubes potens non est ad copulam coniugalem gerendam?

539 *Non est validum matrimonium.*

Non est validum matrimonium. Quia *cap. Pueres, de desponsat. impub.* dicitur, pueres esse, qui generare possunt. Et *cap. De illis, eodem tit.* decernitur impuberes potentes generare, valide matrimonium inire. Ergo à contrario sensu, qui generare nequit, quamvis ætate sit pubes, dicetur impubes ad matrimonium, atque ad illud ineptus. Sic Glos. 30. *q* 2. *in sum. v. Spontalia.* Et *c. Continebatur, v. Proxime, de desponsat. impub.* Et *c. Puberes, v. Tardissime, & ibi Abbas, n.* 4. dicens forte hanc veriorem. Veracr. *p.* 1. *spec. a.* 39. *concl.* 2.

540 *Prorsus est validum.*

Validum est. Quia *c. De illis, de desp. impub.* solum ponderat ad valorem matrimonij potentiam coëundi cum minori ætate vt sic illorum ætas possit ad matrimonium suppleri, non vero id requirit in puberibus: Ergo vbi adest ætas idonea, non debet attendi potentia. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 104. *n.* 15. Sylvest. *v. Matrimonium.* 5. *q.* 7. Tabie. *v. Matrimonium.* 2. *q.* 6. *n.* 7. Nauar. *l.* 4. *consil. tit. de sponsal. consil.* 39. *num.* 14. Couar. 4. *Decretal. p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. Ledesm. 2. *p.* 4. *quæst.* 60 *art.* 1. Heriq. *l.* 11. *c.* 134. 10 *lit. F.* Petr. de Ledesm. *quæst.* 58. *art.* 5. Palaus *dub.* 4. *punct.* 14. §. 4. *numer.* 5.

541 *Sententiam secũdam probabiliorem esse reor.*

Hoc existimo, probabilius esse, nec obstare argumentum à contrario sensu, quod deducit ex *cap. De illis* prima sententia. Non enim eadem est ratio: nam quando potentia in puero ætatem præuenit, opus est illi consulere concesso matrimonio, vt periculum incontinentiæ caueat. At quando adest sola ætas, ea ad matrimonij valorem est satis. Nec curant Canones ad decretum variandum de raro pueri casu, cui in ea ætate nondum adest potentia: sed solum attendunt, vt in ea ætate matrimonium firmum sit, communiter tunc aduenire potentiam. Ea enim legis natura est, vt sola communiter accidentia spectet. *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Idem dixerim

dixerim, quando fœmina, completo anno duodecimo, ex diminuta corporis dispositione non dum potest virilem pati congressum ob eandem ac de viro rationem.

DVBIVM CXXIX.

An quando puer decimoquarto anno completo aut fœmina duodecimo adhuc impotentes ad copulam inueniuntur, expectãdum sit triennium integrum, ad experiendum, num ea impotentia perpetua sit, & matrimonium irritum?

542 *Expectandum est triennio.* EXpectandum est integrum triennium, in quo vacent copulæ, & si, eo transacto, consummare non potuerint, censebitur impotentia perpetua, & matrimonium tanquam irritum dissoluetur. Quia *c. Laudabilem, de frigid. & malef.* id triennium experientiæ generaliter præscribitur. Sic Anton. *c. Puberes nu. 5. de despons. impub.* Couarru. 4. *Decretal. p. 2. c. 5. n. 2.* Alij sub distinctione affirmant, puero contrahenti anno decimoquarto præscribi biennium: & si contraxit anno decimoseptimo, vnicum annum experimenti: & fœminę anno duodecimo nubenti, quæ ex diminuta corporis dispositione non potest viri pati congressum, præscribi tempus vsque ad decimumquartum annum. Sic Henriq. *l. 12. c. 7. n. 1.*

543 *Non expectãdum est triennium.* Non expectandum triennium experimenti est, sed tempus solummodo, quod vsque ad plenam pubertatem desideratur. Quæ quidem fœminis decimoquarto ætatis anno contingit, vt colligitur ex *l. Mela. ff. de aliment. & cibar. lega.* Viris autem anno ætatis decimooctauo. *l. Arrogato ff. de adopt. & §. Minorem instit. eodem titulo.* Quia *cap. Laudabilem, de frigid. & malef.* procedit, quãdo coniectari potest ex frigiditate aut alio impedimento impotentiam consurgere: tunc enim iure optimo ex habitatione triennij præsumpsit Ecclesia id impedimentum esse perpetuum. At quando potest præsumi ex ætatis imbecillitate impotentiam prouenire: æquitas suadet, eam ætatem expectandam esse, in qua perfectum robur assolet natura comparare: tunc enim cessabit præsumptio debilitatis ex tenera ætate prouenientis: & poterit iure præsumi frigiditas, aut aliud impedimentum perpetuum. Ita Sanch. *l. 7. d. 104. num. 17.* Hostiens. *c. Laudabilem, paulo post princip.* Ioan. Andr. *ibi. num. 2.* Anchar. *n. 4.* Idem Hostiens. *c. Puberes nu. 5.* & ibi Ioan. Andr. *n. 8.* Abbas *n. 4.* Cardin, *n. 1.* Alex. de Neuo *n. 9.* Anchar. *num. 6.* præpos. *ad finem.* Henric. *n. 8.* Brunel. *de sponsal. concl. 28. declarat. 3. n. 8.* Rosel. *v. Matrimonium 2. n. 8.* Angel. *v. Matrimonium 3. impedimen. 16. numer. 6.* Sylvest. *verb. Matrimonium 5. quæs. 7.* Tabie. *verb. Matrimonium 2. quæs. 6. numer. 7.* & alij.

544 *Opinio cum hiis.* Cum his opinor adiiciens ex præfatis, non posse peti separationẽ matrimonij ratione impotentiæ viri, niſi vir sit maior decem & octo annis. Quia vsque tunc nondum est plenam adeptus pubertatem: & potest præsumi, non esse impotentiam veram, sed eam ex ætatis debilitate prouenire. Quod intelligo, nisi aperte appareat impotentia ad oculum vt si habeat puer virilia amputata, vel careat vtroque testiculo: tunc enim nulla temporis mora opus erit, cum euidens sit impotentia. Et ob eandem rationem quando dissolutio matrimonij petitur ob puellæ arctitudinem, nec constat ad oculum eam talem, vt non ex ætate imbecilli consurgat, non potest peti, donec puella decimum quartum explerit annum, in quo ei pubertatem perfectam contingere expressi. Quia vsque tunc ex imbecilli ætate prouenire præsumi possit.

DVBIVM CXXX.

An quando signa impotentiæ non sunt omnino certa, sed euidentia vero similiter, desideretur iuramentum?

545 *Nonnulla suppono.* COnstat expectandum esse triennium, vt experimentum capiatur, num sit perpetua impotentia coniugum, quando res est dubia. Quod quidem triennium incipere, ac computari debet ab eo instanti, quo coniux fuit plenam adeptus pubertatem: id est, à decimooctauo anno perfecto in masculo, & à decimoquarto in fœmina. Cæterum triplicia esse impotentiæ signa præmitto. Quædam necessario & euidenter concludentia impotentiam. Alia verosimiliter euidentia. Alia dubia, ac præsumptiue probantia. De primis euidentibus signis, certum est, nullam temporis moram exigere ad coniugij dissolutionem. Quia constante impotentia, ac subinde matrimonij nullitate, contra ius naturæ esset, copulam permittere. Circa secundæ speciei signa quæsierim, num, si verosimiliter euidentia sint, desideretur ad impotentiam dignoscendam iuramentum coniugum asserentium se non posse coire, & septima manus propinquorum iurantium, se credere, eos verum fateri?

546 *Desideratur iuramentum.* Desideratur quidem non triennij experimentum: nam cum impedimentum fere euidenter constet, non est opus triennium expectare, quod in casu dubij solum conceditur: sed desideratur iuramentum præfatum. Quia cum non omnino euidenter constet amplior probatio petitur, quam vbi prorsus euidens est: ideo petitur iuramentum coniugum, ac septimæ manus. Sic Anton. *cap. Laudabilem. numer. 14 de frigid. & malef.* Alex. de Neuo *ibi. num. 17.* & alij quos refert, & sequitur Sanch. *libr. 7. dub. 107. numer. 4.* Basil. *libr. 7. cap. 66. numer. 2.*

547 *Non desideratur.* Minime desideratur coniugum, ac septimæ manus iuramentum. Quia huiusmodi iuramenta nullo iure requiruntur: non positiuo, nam isto solummodo requiruntur quando casus est dubius: non naturali iure, nam cum in casu præfato perpetuitas impotentiæ sit moraliter, & humano modo certa, frustra requiritur maior probatio. Ita Hurtad. *disp. 22. difficult. 21.* Palaus *dub. 4. pun. 14. Paragraph. 9. numer. 5.*

Probabi

548 Primam esse partem, & quid sit septima manus iuramentum expo.

Probabiliorem quidem primam sententiam esse existimo. Quia triplici præmissæ signorum impotentiæ triplex differentia probationum est adhibenda. Certitudo impotentiæ nullam requirit probationem, quia ipsa sibi euidens est probatio. Dubietas exigit triennij experimentum. Igitur verisimilis euidentia impotentiæ, si non triennale experimentum saltem aliquam probationem requiret, vt non omnino cum euidentibus penitus signis æquiparetur. Porro ad huiusmodi probationem reor iuramentum coniugum, & septimam propinquorum manum apprime conferre. Ne autem huius vocabuli *Septima manus* vocem forte peregrinam existimes: iuramentum septimę manus propinquorum sic accipiendum est. Vt si vterque coniux fateatur impedimentum, cuiuslibet coniugis septem consanguinei iurant, vel eis deficientibus, septem vicini cuiuslibet, & ita debent esse quatuordecim. Eliguntur autem propinqui, eis deficientibus vicini. Quia verisimile est, fore, vt ipsi melius norint res coniugum. Perutitur autem tot manus cruci Iudicis aptandæ ad iuramentum, ob matrimonij fauorem, & ne facile in eius dissolutione erretur.

DVBIVM CXXXI.

An requiratur triennij experimentum, quando, existentibus de impotentia solum signis dubijs, vterque coniux illam ingenue profitetur?

549 Non requiritur triennij expectatio.

NOn requiritur triennium experientiæ, sed tempus quoddam arbitrarium sufficit, vt vnius mensis, aut trium, aut anni, & iuramentum vtriusque coniugis, ac septimæ manus propinquorum, vt matrimonium dissoluatur. Quia *c.1.de frigid.* in hoc euentu non exigitur triennium, sed post dimidium habitationis annum separatio conceditur. Et *cap.Laudabilem, de frigid.& malef.* id constat. Nam in priori parte loquens, quando solus alter coniux fatetur impotentiam, postulat triennij experientiam: at in posteriori loquens, eius triennij nullam gerit mentionem. Nec clausula triennium continens in principio posita limitans priorem casum, ad posteriorem debet extendi. Vbi enim fit diuisio per paragraphum: vel versiculũ, clausula posita in vno paragrapho, vel versiculo, ad alium paragraphum, vel versiculum non refertur, iuxta doctrinam Glossæ *cap.Vni o,v.sic scilicet, de postul.prælat.in* 6. Sic Angel.*v. Matrimonium.*3. *impedimen.*16.*num.*10. Supple. Pisanæ *verb. Diuortium.n.*2. Rosel.*ibi, num.*1. Syluest.*q.*18, *num.* 2. Et multi ex Iurisperitis. Fauet Henriq. *l.*12. *cap.*7.*nu.*1. Temperant sententiam hanc, quando adest plena pubertas in coniugibus, nempe si vir octodecim annos expleuerit. Si enim non plenè sint puberes, semper plena pubertas expectanda est, eaque adepta, tempus erit arbitrarium, nec necessum erit expectare triennium.

550 Requiritur triennium.

Requiritur experientiæ triennium concessum *cap. Laudabilem. de frigid. & malef.* Escob.& Mend.Theol.Moral.*Tom.III.P II.* quamuis vterque coniux impotentiam fateatur, vbi ea non est certa. Quia eo *cap. Laudabilem* exigitur hoc experimenti triennium, quando de viri frigiditate non constat. At ex eo quod coniux vtérque impotentiam fateatur, non verè constat de frigiditate; sæpe enim dubitatur, an sit naturalis, & perpetua: an accidentalis & temporanea: Ergo expectari debet triennium, vt ex temporis cursu veritas appareat. Nec iuramentum propinquorum illum supplet defectum, eo quod illi de sola credulitate illud emittunt. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *in expos. liter.* Palud. *ibi, quæs.* 2. *art.*3. *concl.*3. *numer.* 18. D. Antonin. 3.*part.titul.* 1. *cap.*12.§.3. Ledes. & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *lib.*7. *dub.*108. *nu.*5. Basil.*lib.*7.*cap.*66.*nu.*4. asserens, esse communem Theologorum, ac Iurisperitorum sententiam. Hurtad. *dub.*21.*diffic.*11. *numer.* 40. Palaus *dub.*4.*pun.*14. §. 9.*num.*6.

551 Eiusdem sum mentis.

Profecto in tanti ponderis negotio potius inclinor, vt probationes exuberent, quam vt in aliquo deficiãt. Ideò potius amplector desiderari, vt impotentia illa triennij experimento comprobetur.

DVBIVM CXXXII.

An casu, quo vxor, matrocis inspicientibus, virgo iudicetur: necessarium sit septima manus propinquorum iuramentum, etiam exacto triennio?

552 Necessarium non est.

QVando vxor per aspectum virgo reperitur non est necessarium septimæ manus proginquorum iuramentum, sed verum est iudicium per iuramentum coniugum, ac matronarum. Quia præmisso aspectu & patente vtroque coniuge impotentiam, plena videtur esse probatio ad matrimonij dissolutionem. Sic Glos.*c.Requisisti.v.Septima manu.*3. *quæs.*1. Fulgosus Pacian.*de probation. lib.*3.*cap.*2.*nu.*29. Sotus *in* 4.*dist.*34.*q.vni.a.*2. Ledes.2 *p.*4.*qu.*60. *art.*1.

553 Est necessarium.

Necessarium est, vt septima manus propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ si propinqui desint, iuret. Quia textus *c.Laudabilem de frigid. & malef.* id petit. Et totus ille textus loquitur etiã trãsacto experientiæ triennio. Quod iuramentũ iure petitur, eo quod posset esse collusio inter coninges: & vt cautioti diligentia adhibita fiat coniugij dissolutio: quæ res maximi est momenti. At hæc collusio æquè habere locum potest, quando transactum est triennium, & matronarum aspectatio adhibita. Ita Sanch. *lib.*7.*d.*108.*nu.*7. Basil.*l.*7.*c.*66.*nu.*5. D. Thom.*in* 4.*dist.*34.*in expos.lit.* Scotus *ibi: quæs. vni* Palud. Gabri. D. Antonin. Turrecr. Gregor. Lopez, & alij apud Sancium. Palaus *d.*4.*pun.* 14.§.9.*n.*11.

554 Hanc partem puto longè probabiliorẽ.

Probabilius longe existimo septimæ manus desiderari iuramentum etiam post triennij experimentum, ac matronarum aspectationem, quando non est euidens impotentia. Nam sæpe oculi ac manus obstetricum falluntur, eo vel maxime quod fœminæ multis vtãtur fraudibus

quibus virgines apparẽt pręterea possent cõiuges cossusione vti, & revera non dedisse operam coniugali copulæ & licet matronæ per aspectum testificari possint, mulierem esse virginem, at nequeunt affirmare bona fide datam esse operam copulæ.

DVBIVM CXXXIII.

An utroque coniuge fatente impedimentum & triennio experimenti lapso necessarium sit adhuc vxorem à matronis inspici?

555 *Necessarium est.* NEcessarium est. Quia *c. fin. de frigid.* refert, ac ponderat Pontifex, mulierem fatentem vna cum viro impotentiam, ac lapsis octo cohabitationis annis, fuisse inspectam. Ergo matronarum est necessaria. Et quia collusio potest esse inter coniuges etiam post triennij ex actionem. Vnde necessaria erit matronarum inspectio, ne in re tanti ponderis fraus adsit. Sic fateri tenentur D. Tho. *in 4. dist. 34. in exposit.* Scot. *q. vni.* Palud. *q. 2. a. 2. n. 18.* Supplem. Gabr. *q. vni. a. 2. propos. 2.* & alij asserentes, etiã post triennij experimentum, matronarum aspectionem ac iuramentum coniugum, adhuc septimæ manus iuramẽtum desiderari: quia res magni ponderis est, & potest fortasse collusio immiscerí. Ergo vbi non intercedit matronatũ inspectio res maiori erit periculo collusionis obnoxia.

556 *Minime est necessarium.* Minime necessarium est. Quia *c. Laudabilem*, in vltimo casu vbi est de hoc sermo, id non petitur. Deinde ne viduis denegetur hoc remedium, vtpotè quæ per aspectum probare nequeunt, matrimonium haud esse consummatum. Ità Alex de Neuo *ad c. Laudabilem, n. 17. casu 5.* Constanus *de sponsal titul. de iis, qui nuptias contrahere possunt, n. 66.* Sanch. *l. 7. dub. 108. n. 6.* alliciens ad hanc mentem Abbatem, Cardinalem, Præpositum, ac Brunellum.

557 *Hoc mihi fere certum.* Post triennij experimentum ac vtroque coniuge profitente impotentiam sanum consilium erit coniuges in spectioni dari: at id necessarium non esse puto. Nec obstare crediderim textũ ex *c. finali* allegatũ: quia id ad abundantiorem cautelam est effectum, teste Abbate *n. 10.* Cardin. *numer. 3.* Præposit. *3. in glos. penult.* Et quamuis hi Auctores in maleficio, de quo ibi est sermo, loquantur: at fortior ratio in impedimento frigiditatis naturalis aut arctitudinis militat. Tum quia difficilius dignoscitur impotentia ex maleficio consurgens. Tum etiam quia in maleficio textus in eodem *cap. fin.* posuit hanc inspectionem: atque ita vrgentior erat dubitandi ratio, quam in impedimento naturali, in quo nullus textus eius meminit inspectionis, quando vterque fatetur impotentiam triennio transacto.

DVBIVM CXXXIV.

An pro forma iuramenti septimæ manus, requiratur necessario libri Euangeliorum tactus?

NOn sufficit qualiscumque verborum forma hoc iuramentum præstari, sed necessario requiritur Sacrorum Euangeliorum librum tangere. Quia *c. Laudabilem, de frigid. & malef.* dicitur: *si autem quod nunquam se cognouerint ambo fatentur septima manu propinquorum, vel vicinorum bonafamæ, si propinqui defuerint: tactis Sacrosanctis Euangeliis, vterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam vna caro effecti sint.* At quando pro iuramenti forma requiritur tactus Euangeliorum, nec iuri satisfit nec valet actus quoad iuris effectus, præstito iuramento absque tactu: Ergo est necessarium. Sic Abbas *ibi n. 3.* Alexand. de Neuo. *n. 4.* Anton. *n. 7.* 558 *Necessarium requiritur.*

Id non requiritur necessario. Quia consuetudine præscriptum est, id iuramentum super Cruce præstari; quamuis Euangelij tactus iure petatur. Ita Couarrub. *cap. Quamuis pactum 1. part. §. 1. numer. 2.* Sanchez *lib. 7. dub. 108. numer. 14.* 559 *Non requiritur necessario.*

Certè quamuis prima sententia vera sit attento iuris præfati rigore: ex consuetudine vim legis habente id minime necessarium esse præscribitur. Monuerim ad hæc, diuersimode præstari debere id iuramenrum ab ipsis coniugibus, & à propinquis. Nam coniuges iuramentum de certa scientia debent emittere, nempe vir iurare debet, se bona fide, & absque dolo studiosam operam copulæ dedisse: nec potuisse consummare. Mulier autem, per eam non stetisse, nec se fraude aliqua esse vsã. At sanguinei de sola credulitate, iurare debent nimirum sibi esse verosimile, coniuges verum dicitare. Ratio autem diuersitatis est, quia ipsis coniugibus constare potest, se consummare non valuisse, secus consanguineis.

DVBIVM CXXXV.

An triennium experimenti computandum sit à tempore, quo cœptum est à coniugibus copulæ ineundæ vacare?

IN impedimento frigiditatis, aut maleficij trienniũ cõputatur à die intẽtatę copulę. De frigiditate patet apertè ex *cap. Laudabilem, de frigid.* vbi Pontifex respondens quæstioni sibi præpositæ circa tempus indulgendum ad experiendam copulam naturaliter frigidis, expresse decidit, à tempore celebrati coniugij (supple & copulæ intentatæ vt probat Sanch. *lib. 7. dub. 110. nu. 1.*) triennium numerandum. At si à tempore per Iudicem destinato computaretur, falsa esset decisio: nam priusquam quæstio de impotentia coram Iudice agitetur, vt tempus per ipsum designetur tempus aliquod est transactum, & sæpe longum. De maleficio autem probatur ex *cap. fin. de frigid.* ibi: 560 *Computandũ est.*

si

si constiterit vobis, præfatum virum, & vxorem cohabitasse intra prædictos annos per continuum. Iuncto principio illius textus: *Mulier proposuit, quod per multos annos fuerunt simul, & diu cohabitauerant.* Ex his enim apparet, ante præceptum Iudicis, & lite nondum mota hos coniuges octo annos cohabitasse: & tamen decidit Pontifex; dirimendum matrimonium si intra eos octo annos triennio continuo habitauerint. Non ergo desideratur triennium illud per Iudicem assignari. Ita Sanch. *citat. n.* 4. & 5 citans Glos. Innocent. Abbat. Cardin. Rosel. Sylvest, Matien. & alios. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 2.

561 *Non est computandum.* Triennium experimenti computandum non à die intentatæ copulæ, sed à die reclamationis, aut à tempore, quo per Iudicem assignatum est. Quia ab hac die præmittitur peccatorum cõfessio & Eucharistiæ perceptio, ac maior diligentia incipit adhiberi, quæ in re tanti momenti minimè sunt superflua. Ita Basil. *lib.* 7. *cap.* 66. *numer.* 12. Vbi hanc sententiam sæpe tenuisse Rotam testatur ex Farinacio *vol.* 2. *consil. decis.* 192. & 226. Et ex 1. *Vol. decis.* 27. Riccius *in praxi, decis.* Ludou. de S. Iuan. *de matrimon q.* 6. *a.* 15. *dub.* 1. affirmat Paulum V. Pontificem approbasse Sacræ Rotæ declarationem iudicantis triennium esse à die reclamationis computandum, Leand. *tr.* 9. *d.* 21. *q.* 47.

562 *Probabilius hoc mihi.* Hoc probabilius existimo siue impotentia ex frigiditate, siue ex fœminæ arctitudine proueniat. Quia post Iudicis sententiam triẽnium designantis studiosius coniuges intendunt, se ab huiusmodi impedimento expedire, & euidentius probatur, num adnata sit huiusmodi impotentia. Adnotarim tamen, si ante Iudicis decretum triennalis cohabitatio præcesserit, esse in arbitrio Iudicis, iustis de causis triennium nouum ad breuius tempus coarctare.

DVBIVM CXXXVI.

An si triennium experimenti aliquo temporis interstitio intermittatur, debeat iterum denuo institui?

563 *Debet esse cõtinuum necessario.* DEbet ita esse continuum, vt si tempore aliquo intermittatur, tempore præcedenti non computato, iterum incipiat. Quia ita expresse decidit *c. fin. de frigid* ibi: *Per continuum triennium insimul habitasse.* Et quia quamuis non adeo expressis verbis textus loqueretur, sed dubiis, ea est regula generalis, vt in dubio tempus lege aliqua vel canone petitum debeat necessario esse continuum, vt multi Doctores profitentur, quos refert, ac sequitur Gutier. *qq. Canonic. l.* 1. *c.* 1. & 12. *n.* 24. Qua ratione fere omnium verissima sententia habet, annum nouitiatus ita cõtinuum esse debere, vt tempore aliquo intermisso, incipere necessario debeat, priori non computato. Sic Cardin. *c. fin.* & licet non ita clare Archidia. 33. *q.* 1. *in sum. n.* 3. & *ibi*, Bellamera *n.* 2.

564 Non desideratur tempus triennij ita esse con-

Non debet necessario esse continuum. tinuum. Quia verba in decretis ciuili modo, ac possibili, ac iuxta subiectę materię indigentiam sunt capienda *l. si cui simplici*, 9. *ff. de seruitutibus.* Et ideo aqua quotidiana appellatur, quæ duci assiduè solet etiãsi aliquãdo ducta non sit. *l.* 1. *paulo post princip. v. duo autẽ, ff. de aqua quotidiana.* Et aptius *c. fin. de verb. significat. in* 6. deciditur, dici aliquem commẽsalem, ac domesticum alicuius *continuè* licet aliquando pro illius negotiis gerendis absit. Vbi Glos. *v. Pro tuis*, idem ait esse pro propriis. Non enim id verbum *continuè* ita rigide accipiendum est, sed ciuili modo, vt subiecta materia postulat, & in hac re assolet contingere. Ita Sanch. *l.* 7. *d.* 111. *n.* 2. Basil. *l.* 7. *c.* 66. *n.* 12. Henriq. *l.* 12. *c.* 7. *n.* 2. Hurtad. *d.* 22. *diffic.* 11. *n.* 41. Palaus *d.* 4. *punct.* 14. §. 9. *n.* 5. Sylvest *v. Diuortium. numer.* 20. *nu.* 23. Rosel. *n.* 4. Supplem. Pisanæ *n.* 5. & alij apud Sancium.

565 *Cum his Doctoribus hoc certum esse existimo.* Ego quidem iudico, continuo triennio coniuges cohabitare, vacando copulæ sine dierum intermissione esse moraliter impossibile. Quia sæpe morbus illud tempus interfecat, & quia obstant itinera aliaque negotia, quibus virum vacare societas, ac gubernatio domestica cogit: Non exigitur id tempus mathematicè continuum; sed satis est, ciuili modo, nempe vt toto triennio coniuges copulę vacarint debitis horis, ac locis.

DVBIVM CXXXVII.

An supplendum sit necessario triennij tempus interpolatum;

566 *Non necessario supplendum est.* NOn est necessariò supplendum, sed satis est, vacare copulæ, ac cohabitare maiori parte anni cuiusuis illius triennij, vt per semestre, & vnum diem. Quia breui tempore interpolans cohabitare, ac residere dicitur vt expresse habetur *l. si. quis ita legauerit. ff. de condit. & demonstrat.* & *c. fin. de verb. signif. in* 6. At tempus minus semestri breue dicitur respectu cuiuslibet anni. Quia iuxta Vniuersitatum constitutiones Scholastici dicuntur toto anno studiis vacare, si semestri & vno die vacent. Sic Hostiens. sum. Alberic. Astens. Ioan. de Friburgo, Supple. Pisanæ Sylvest. quos citat Sanch. *l.* 7. *d.* 111. *n.* 2. Henriq. *l.* 12. *c.* 7. *n.* 2.

467 *Necessario supplendum est.* Necessarium est supplendum tempus, quo coniux ægritudine, aut aliis negotiis implicitus, non cohabitauit vacans copulæ, vt triennium à lege præscriptum cpleatur. Quia *c. fin. de frigid.* ponderatur toto spatio octo annorum, quod à contractu matrimonij transierat, coniuges habitasse toto triennio, ibi: *Intra prædictos octo annos continuum triennium insimul habitasse.* Vbi illa particula *continuum* cum non importet continuitatem triennij (ea enim non est necessaria, vt vidimus (necessario dicendum est, per illam importari perfectam triennij integritatem: quasi sit sensus: si intra prædictos octo annos integro triennio habitarunt. Alias superflua esset ea particula. Cum tamen in Decretis Pontificiis nec vna Syllaba superflua sit existimanda. Ità Ioan. Andr. *c. fin. n.* 9. Archidiac. 33. *quæstion.* 1. *in summar. numer.* 3. Bellame-

ra *ibi.nu.*2.Brunel.*de Sponsal.concl.*28.*declarat.* 4.*n.*15.Mascard.*de probationib. concl.* 889.*nu.*8. Idque supponunt Abbas *c.fin.in fine.*Alex. de Neuo *ibi,n.*18.Præpos.*n.*4.Rosel.*v.Diuortium n.*4.& alij.

568 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem existimo sufficere maioris anni partis cohabitationem, sed necessarium esse,compleri triennium,atque ita tempus suppleri interpolatum. Quod tamen non metaphysice intelligo, quasi quodcumque breue tempus interpolatum supplẽdum sit,sed quando prudentis arbitrio est notabile.ita vt moraliter loquendo,experientia triennij plena non censeatur. Quare sufficit cohabitare triennio sumpto morali modo, vt communiter coniuges cohabitare assolent. Certè durissimum esset, ac probatu difficile ita metaphysicè accipere triennium, vt vel vnica dies interpolata, supplenda esset. At si simul sex mensibus vir abfuit, supplendi sunt:si vero interpolatè vno vel altero absens fuit die supplendi non sunt, etiamsi eo triennio dies illi simul computati, eorumdem mensium summam conficerent.

DVBIVM CXXXVIII.

An matronæ ad fœminarum in spectionem electæ à Iudice, possint recusari?

569 *Matronarum qualitates recenseo.*

SVppono matronarum qualitates necessarias,vt fidem de coniugum virginitate deponentes, fidem faciant ad matrimonij dissolutionem. Debent esse artis peritæ honestæ, ac bonæ famæ,non leues,aut viles:ne modico pretio subornatæ falsò deponant. Nec nimia iuuentus ob experientiæ defectum, nec nimia senectus ob defectũ visus, debet matronis inesse.Non debent necessario esse nobiles,quod nullo iure nobilitas in matronis petatur.Earũ electio Iudicis est, non partium, quia potius Iudicum,quam testium munus obeunt. Vt legitimè deponant de fœminæ virginitate, non satis est, vt illius verenda oculis perspiciant, sed desideratur, vt sagaciter manibus accipiant documentum; sæpe enim non virgines sigillum effingunt. Non tenentur, cum omnimoda certitudine testificari, sed tantum veri. similiter iuxtà æstimationem,quam ex artis peritia assecutæ sunt. Duæ matronæ sunt necessariæ, & sufficiunt, vt de virginitate deponant. Quamuis maior fides soleat adhiberi paucis affirmantibus, quam plurimis negantibus. at in testimonio matronarum nil distat inter affirmantem, aut negantem propositionem. Peritiores in arte quamuis pauciores pluribus minus peritis debent præualere. Quamuis regulariter ad fœminam perspiciendam eligendæ sint matronæ honestatis gratia: at vbi agitur de qualitate altiorem peritiam ad iudicandum requirente, quam quæ in fœminis reperitur, ne probationum facultas pereat, aut matrimonium validum dissoluatur, vel irritum approbetur, medici periti adhibendi sunt, qui fœminam inspiciant. Etsi regulariter, publicatis attestationibus; non possint alij testes admitti saltem super iisdem articulis *cap. Fraternitatis, de testib.* & *Clement.*2.*eodem tit.*Id tamen fallit in testibus ad virginitatem fœminæ inspiciendam inductis,quales sunt matronæ vel medici; possunt enim post eam publicationem alij induci.His ergo suppositis ex iurium præscriptione, ac Doctorum sententia, quæsierim, num matronæ ad fœminæ inspectionem à Iudice electæ,possint recusari?

Recusari non possunt. Quia cum recusatio sit iurisdictionis declinatio, teste Speculatore *tit.de recusat.in princ.*& matronæ iurisdictione careant, nulla ratio suadet, eas recusari posse. Et quia arbitrator recusari nequit:at hæ arbitratrices quidem sunt.Sic Anton.*ad c.Quintilianus,n.*19.*de iureiur.*Gullelm.de Cuneo,quem refert, ac sequitur Auenhano, *de exequend. mandat.Reg.l.*1.*c.*23.*n.*10. 570 *Recusari non possunt.*

Possunt omnino recusari.Quia hæ non sunt proprie testes,sed earum depositio,& declaratio magis est iudicium, quam testificatio vt docent.Barthol.*tr.testimoniorum.nu.*12.& Bald.*l.*2. *n.*4.*ff.de feriis.*Vnde Garcia *de expens.c.*24.*nu.* 18. ait, has obtinere vicem testium, quatenus deponunt:& vicem Iudicum, quatenus ex forma sententiæ Iudicis,cuius potestate creantur iudicant.Sic Couar.*lib.* 2.*variar.cap.*13.*num.*5. *concl.*6.Mascard.*de probation.lib.*1.*c.*47.*nu.*120. Garcia *de expens.cap.*24.*nu.*25.Sanch.*l.*7.*q.*113. *n.*7. 571 *Possunt recusari.*

Cum his opinor,monens latam differentiam esse, quando matronæ eliguntur à Iudice, vt semper eligendæ sunt, quam si à partibus eligerentur.Nam electæ à Iudice possunt absolute recusari,nulla alia allegata causa,quam suspicionis:sicut Iudices seculares ex hac sola causa recusantur, *leg.Apertissimi.*14.*cap.de iudiciis.*iuncta Glos.*ibi,v.Recusare,*communiter recepta. Quare satis est, & requiritur iuramentum partis recusantis,qua iuret, matronas esse suspectas: sicut ad recusationem Iudicis sæcularis id iuramentum requiritur, & est satis, vt docet eadem Glos,*ibi.* 572 *Hoc certum existimo.*

DVBIVM CXXXIX.

An matronæ electæ à Iudice debeant iurare, suo vt testimonio fidem faciant?

IVrare non debent necessariò. Quia *c.Proposuisti.de probat.* mentio fit de iuramento mulieris dicentis se non esse cognitam, nulla de matronarum iuramento facta mentione. Et quia licet regulariter testes non adstricti iuramento minime fidem faciant *c.Nuper de testibus, l.Iurisiurandi.C.de testib.*At id fallit in artis peritorum testimoniis, vt de obstetricibus ad ventrem inspiciendum assumptis, testatur Glos.*l.Iurisiurandi.verb.Iurisiurandi.* Sic Glos. *citata.* 573 *Necessariò iurare nõ debent.*

Debent necessario iurare.Quia id manifeste colligitur ex *c.Fraternitatis,de frigid.*ibi: *Distringè illis iniungens sub periculo animarum.* Et *Quæ tandem in fide sua tibi asserunt.* Certe cum hæc res sit grauissima, non est rationi consonum,vt absque iuramento fides matronis adhibeatur.Ità Hostiens.*ad c.Fraternitatis, n.*2.Ioan.Andr.*n.*5 & 23.Abbas *n.*12.Anchar. *num.*4.*notab.*5.Anton.*num.*17.Cardin.*numer.*4. 574 *Iurare debent necessariò*

Præposit.

Præpositt. *num.* 7. & 8. Alexand. de Neuo *nu.* 9. 10. & 12. Barthol Alberic. Astens. Cucus, Mascard. & alij, quamplures, quos citat, & sequitur Sanch. *l.* 7. *d.* 113. *nu.* 13.

575 *Hoc certissimum est.*

Hoc certum plane existimo, adiiciens, quamuis tum communi partium consensu testes periti electi sunt, non teneantur iurare, (nam tunc fides illorum est ab vtraque parte approbata) id nullatenus in matronis admittendum de communi partium consensu electis ad explorandam vxoris virginitatem ad dissoluendum matrimonium. Quia cum nequeant coniuges hac in re cedere iuri suo, agatúrque de re tam graui, & vbi subest maximum peccati periculum nil confert consensus, ac approbatio partium, ne Iudex ex officio sufficientissimam, ac superabundantem probationem exigere teneatur, vt suæ conscientiæ satisfaciat: eo vel maximè quod in causa coniugali multa Iudex ex officio suppleat.

CAPVT XXXIII.

Interéve sit miles.

Circa Raptus Impedimentum.

DVBIVM CXL.

An raptus quo fœmina virum abripit dirimat matrimonium?

576 *Nonulla suppono.*

NOnnulla ex *sectione.* 1. recolo, & alia suppono. Ex Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 6. expresse irritatur matrimonium inter raptorem, & raptam quandiù rapta est in raptoris potestate, non vero si sit à raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta. Certè raptus, quo solis importunis precibus, at pretio conducta fœmina extrahitur, matrimonium non dirimit, nisi tales essent preces, vt violentiæ meritò æquiparari possent. Verè raptus non est matrimonium dirimens, quo quis opprimit fœminam in domo patris. Quia vt raptus dicatur, necessum est, vt fœmina rapta sit, & traducta de vno loco in alium, in quo sub potestate raptoris sit constituta. In hoc Doctores conueniunt. Quæsierim igitur, nùm raptus, quo fœmina abripit virum matrimonij sit dirimens?

577 *Dirimit matrimonium.*

Est quidem. Quia quamuis loquatur de viro rapiente fœminam Concilium: at cum militet eadem ratio in fœmina pollente viribus rapiente virum infirmiorem, raptus eiusmodi dirimet matrimonium. Et quia cum Concilium, & *lex vnic. Cod. de raptu virg* loquuntur de viro rapiente fœminam, nulla facta mentione de fœmina virum rapiente, id gerunt frequentioris vsus gratia. Verba autem gratia frequentioris vsus posita in lege eam restringere minimè assolent, quin ad casum minus frequentem extendantur: vt probat Tiraquell. *de retractu Lignagier.* §. 20 *glos. vnic. numer.* 4. Sic Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 232. *num.* 4. Vega. *tom.* 2. *cap.* 34. *casu* 157. *notab.* 5. Gutierrez *de matrimon. cap.* 88. *n.* 6. Et Sanch. *citandus*, ait, hanc sententiam esse valde probabilem, pro qua plusquam quindecim Doctores affert.

578 *Non dirimit.*

Minime hìc raptus matrimonium dirimit. Quia Tridentini decretum de solo raptore loquitur, ibi: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.* Ergo extendendum non est ad raptrices fœminas cum sit odiosum, & pœnale. Ita Rebell. *part.* 2. *quæst.* 11. *num.* 6. Reginald. *lib.* 31. *num.* 155. Bonacin. *quæst.* 4. *punct.* 18. *numer.* 23. citans Gutierrez. Candid. *disquisit.* 28. *articul.* 14. *dub.* 3. qui male pro hac parte citat Emanuelem Rodriguez, qui aperte contrarium affirmat. Sanchez *lib.* 7. *d.* 12. *n.* 25. & *d.* 13. *num.* 16. Farinac. *in praxi crimin. quæst.* 145. *num.* 45. Basil. *libr.* 7. *cap.* 69. *num.* 6. Coninch. *disputat.* 30. *dub.* 4. Hurtad. *d.* 23. *diffic.* 3. *nu.* 12. Barbosa *cap.* 16. *in Trid. sess.* 24. *num.* 3.

579 *Probabilius hoc mihi.*

Hanc sententiam reputo veriorem. Quia leges non adoptantur iis, quæ rarissimè contingunt, sed ea sola, quæ frequenter accidunt, spectant, ac comprehendunt. *leg. Nam ad ea, ff. de legibus.* At rarissimum, & vix auditum est, vt fœmina virum rapiat. Addo, *l. vnic.* §. *etsi quidem, vers. Pœnas autem*, vbi pœnas statuit aduersus opem ferentes raptui, volentem vtrúmque sexum id efficientem comprehendere, id expressisse. Si igitur quando vtrúmque sexum comprehendere voluit, non semel, sed vix expressit: non obscurum indicamentum est, noluisse hac lege comprehendi sexum fœmineum, dum raptoribus pœnas indicens, solius viri rapientis meminit.

DVBIVM CXLI.

An dirimat matrimonium raptus, quo inuitis parentibus, consentiens fœmina è domo extrahitur?

580 *Certum supponO.*

SCio, matrimonium non dirimit, cum virgo consentiens, ignorantibus tamen parentibus, abducitur. Quia non est propriè raptus, vt omnes fatentur. Lege Henriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 5. & Sà *verb. Matrimonium, in princ. n.* 9. Quæsierim vero num sit raptus matrimonium dirimens cum fœmina consentiens, parentibus inuitis absitrahitur?

581 *Est raptus dirimens.*

Est raptus dirimens. Quia verius est raptus in confessione exprimendus tanquam specie diuersum à fornicatione, si fœmina sub potestate parentum, vel tutorum constituta omninò consentiens, ipsis inuitis, domo abducatur: manifesta enim iniuria illis renitentibus infertur: sed vero raptori interdicitur coniugium cum raptu celebrare: ergo huiusmodi raptus dirimit. Sic Nauar. *lib.* 4. *consil. titul. de sponsal. cons.* 32. *num. vnic.* Ouand. *in* 4. *dist.* 42. *d. vnic. propos.* 12. Henriquez *citatus, num.* 4. Sà *vbi supra, nu.* 9.

Vega.*tom.*2.*ſum.cap.*34.*caſu* 157. *orab.* 1. Manu. *tom.*2 *ſum.cap.*232.*numer.*1. Toletan.*libr.*7.*ſum. cap.*13.*numer.*2. Zerola *in praxi Epiſcop. part.*2. *verb. Raptus.* §. 1. Rebell. *part.* 2. *q.* 1. *num.* 6. & alij.

582 *Non eſt raptus dirimēs.* Non eſt raptus dirimens. Quia decretum illud matrimonij libertati intendit fauere, caueréque, ne fœmina renitens, illud inire cogatur. At ad eam libertatem nil confert parentum voluntas, ſed ſola fœminæ, quæ in hoc euentu abductioni conniuens obiicitur. Ita Sanchez *lib.*7. *d.*13. *num.*13 Cornejo *diſput.* 7. *dub.* 38. *quæſt.*3. Hurtad. *d.*23. *diffic.*3. *numer.*12. Coninch. *d.*31. *numer.*48. Reginald. *libr.*22 *numer.*31. *& lib.*31. *num.*165. Leſſi. *lib.*4. *de iuſt. cap.*3. *dub.*9. *num.*70.

583 *Hanc ligo partem.* Hanc ſententiam, vt veriorem amplector. Nam licet parentum voluntas deſideretur ad illius matrimonij honeſtatem, Tridentinum in eo decreto non honeſtatem, ſed ſolam libertatem illius ſpectat. Quod vel inde clare conſtat, quòd ad valorem matrimonij inter eundem raptorem, ac violenter raptam, ſolummodo petat, raptam ad priſtinam libertatem reſtitui, & in loco tuto reponi. Si autem virgo nolens, parentibus volentibus, abducatur, erit vtique raptus dirimens. Quia ſola voluntas fœminæ, vel eius contradictio in eo decreto attenditur.

DVBIVM CXLII.

An dirimat matrimonium raptus, quo ſponſus propriam ſponſam abripit renuentem?

584 *Non dirimit.* NOn dirimit. Quia non vere raptor dicitur qui quod ſuum eſt ex aliena domo traducit. Ergo propriè raptor non habebitur qui ſuam ſponſam etiam renitentem abripit. Sic Henriquez *libro* 12. *capite* 14. *numero quinto.*

585 *Dirimit plane.* Dirimit planè. Quia Tridentinum indiſcriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur: at hoc in caſu vere læditur: ergo huiuſmodi abductio dirimit matrimonium. Sic Sanchez *lib.*7. *d.*13. *num.*15. Manuel. *tom.*2. *ſum.cap.*230. *num.*4. Sà *verb. Matrimonium, num.* 9. Hurtad. *d.*23. *diffic.*3. *num.*13. Cornejo, & Candid. quos refert, ac ſequitur Leand. *tract.*9. *d.*22 *qu.*5.

586 *Cum hu opinor.* Exiſtimo, vere hoc in caſu lædi matrimonij libertatem. Quia ſponſa non poteſt violenter cogi ſponſalium fidem ſeruare. Nec raptoris tunc eſt; non enim promiſiſſe futuram eſſe ſuam, idem eſt, ac actualiter eius voluntati, aut ditioni ſubiacere: ſiquidem variis accidentibus poſſunt ſponſalia diſſolui. Dices concedi ſponſæ raptui, cum etiam quando fœmina quæuis alia conſentiens abducitur: non ſit locus illi pœnæ. Id in mea ſententia ingenue profiteor.

* * *

DVBIVM CXLIII.

An dirimat, matrimonium raptus qui non geritur cauſa illud contrahendi, ſed cauſa ſolùm explendæ libidinis?

587 *Dirimit ille raptus.* DIrimit raptus ſiue cauſa ineundi coniugij fiat, ſiue cauſa ſolius libidinis explendæ ſit factus. Quia Tridentinum innouare voluit pœnas per antiquos canones raptoribus decretas, quæ raptorem cauſa libidinis comprehendebāt. Et quia Concilium ibi punit raptorem, & fautores ſi Clerici fuerint ea pœna, vt à proprio gradu decidant: ac proinde ſupponit raptorem aliquando fore Clericum. Qui tamen non poteſt rapere cauſa matrimonij ineundi: cum illud contrahere poſſibile non ſit in Sacris conſtitutum. Quod autem Clerico raptori propter libidinem eſt gradus depoſitio, ſæculari raptori ob eandem explendam libidinem, eſt matrimonij impedimentum. Sic Veracruz *aſpend. ad ſpec. vbi de raptu, fol.* 81. vbi aſſerit, intelligi decretum de omni raptore. Sà *verb. Matrimonium, in principio, n.*9. dicens, ſic Cardinalium Congregationem declaraſſe. Vela *de pœn. delictor. cap.*29. Ochagau. *tract.*3. *q.*44. Bonacin. *quæſt.*4. *punct.*18. *numer.*2. Cornejo *diſputat.*7. *dub.*38. *quæſtion.* 2. Et Sanchez *citandus*, ait eſſe probabile.

588 *Non dirimit.* Non dirimit raptus, qui non fit coniugij ineundi cauſa, ſed vt libido poſſit expleri. Quia ex principio illius Capitis ſexti Concilium aperte colligitur. Nam ſtatim incipit verba facere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam: ac proinde indicium eſt de illo ſolo raptu agere, qui cauſa matrimonij patratur. Et quia quando cauſa matrimonij raptus eſt admiſſus, delictum fuit contra matrimonij libertatem, & ab initio in eo interfuit coactio: ac proinde, vt plenior ſit libertas, petit id decretum, prius raptam in priſtinam libertatem, ac in locum à raptore ſeparatum reſtitui: raptorem vero tanquam iniquum libertatis matrimonij violatorem, (cui libertati totis viribus Tridentinum, Canonéſque antiqui conſulere intendunt) pœnis acerbis in eo contentis puniri præſcribit. Ita Coninch. *diſput.*30. *dub.*4. Reginald. *libr.* 31. *num.*14. Leſſi. *libr.*4. *de iuſt. cap.*3. *dub.*9. *num.* 70. Vega. *tom.*2. *ſum. cap.* 34. *caſu* 157. *not.b.*1. Manuel. *tom.*1. *ſum. capit.* 212. Sanchez *libr.*7. *dubio* 13. *numero* 4. citans Salzedum, Leander *tractat.* 9. *dub.* 22. *quæſtion.* 5. & apud illud Barboſa.

589 *Hoc verius eſſe reor.* Hoc verius eſſe reor. Quia id decretum ſub rubrica *De reformatione matrimonij* ponitur: ad quam eſto conferat, vt rapta plenam libertatem adepta ſit, vti raptori nubat: at imponere raptoribus non cauſa matrimonij, ſed explendæ libidinis, tam acerbas pœnas, eſt prorſus extra rem, cum raptor ille nullatenus matrimonium, nec eius libertatem violauerit. Addiderim, Concilij textum eſſe reſtringendum, cum corrigat *cap. finale*, de raptoribus permittens matrimonium inter raptorem, & raptam. Itaque in hoc decreto non punitur raptus qui eſt cauſa luxuriæ patratus

tratus, nisi fieret simul ineundi matrimonij causa. Tunc enim ea sola ratione, quod causa matrimonij fieret, sub hoc decreto comprehenderetur & puniretur non luxuriæ species, sed coniugij intentata violatio.

CAPVT XXXIV.

Ecclesiæ veritum.

Circa impedimenta solummodò impedientia.

DVBIVM CXLIV.

An Parochus possit ad tempus interdicere, ne matrimonium contrahatur?

190 Quid sit Ecclesiæ veritum suppono.

PRIMVM Impedimentum impediens est *Ecclesiæ veritum*, id est interdictum hominis prohibentis alicui matrimonium contrahere ad tempus ob aliquam legitimam causam, nempe ob sedandum scandalum, vel ob discutiendam veritatem circa aliquod impedimentum, vel ne oriantur rixæ, vel in alicuius festi venerationem. Quæsierim autem, an non solus Pontifex, vel Episcopus, sed etiam Parochus possit ad tempus matrimonium interdicere?

191 Non potest id Parochus.

Non potest Parochus. Quia id soli Iudici Ecclesiastico competit, cuius est de causis matrimonialibus cognoscere *cap. 1. de consanguin. in fine.* Sic Goffred. *sum. titul. de matrimon. contracto contra interdict. Eccles. numero primo.* Angl. *verb. Matrimonium 3. impedim. 1. numer. vnic.*

192 Id Parochus potest.

Parochus omninò potest. Quia aliud est, causas matrimoniales pertractare, id enim iudicialem earum indagationem importat, ac proinde solius Iudicis Ecclesiastici est, vt decidatur *cap. 1. citato.* Aliud est, matrimonium impedire ad tempus, & hoc Parochis incumbit, vt late probat Sanch. *l. 3. d. 15. n. 3.* Ita ipse *l. 7. d. 6. n. 6.* D. Anton. *3. p. tit. 1. c. 16.* Sylvest. *v. Matrimonium 7. q. 1. dicto 2.* Palud. *in 4. dist. 34. qu. 1. a. 1. n. 10. concl. 4.* Caiet. *sum v. Matrimonium, c. 1.* Armil *ibi, n. 54.* Sà *v. Matrimonium. de impediment. non dirim. numer. 1.* Nauar. *sum. cap. 22. numer. 68.*

193 Hic fine certum puto.

Hoc fere certum reor, monens, cauendum esse ab eo, quod Angles *p. 1. de matr. de imped. Ordi. a. 2.* nostram tenens sententiam, addit, scilicet hoc interdictum esse impedimentum dirimens post Tridentinum, Quod minus verum est, quia non obstante ea prohibitione Iudicis, potest seruari solemnitas petita eo *cap. 1.* vt si Parochus, & testes non obstante ea Episcopi prohibitione, assistant, vel iis præsentibus, & inuitis contrahatur.

DVBIVM CXLV.

An Pontificis prohibitio, seu interdictum reddat, irritum matrimonium contra eam prohibitionem contractum?

MAtrimonium aduersus Pontificiam prohibitionem initum irritum non est, nisi aliud subsit, dirimens impedimentum. Quia fortius est matrimonium, vtpote quod iuris naturalis est, Pontificia prohibitione. Sic Gloss. *cap. penultim. in fine, de desponsat. impuber.* & manifestè loquitur, quando est interdictum cum decreto irritanti. Abbas *ibi, num. 9.* Cardin. *numer. 9.* Sic intelligunt Glossam. Innocent. *ibi, in fine*, quamuis in sponsalibus teneat, ea esse irrita ex Pontificis prohibitione. Monachus *cap. vnic. de voto in 6.* Probus *in addit. fine.* Alij asserunt irritum non esse si prohibitio Pontificis non sit perpetua, sed temporalis ob diei festi venerationem, vel ob litis dependentiam, &c. Probatur prior pars ex *cap. Tua fraternitas, de sponsa duorum.* Posterior autem ex *cap. 1. de matrim. contract. contra interdict. Eccles.* Sic Gloss. *cap. Tua fraternitas, verb. Poteris.* Abbas *ibi, numer. 4.* Alexand. de Neuo *num. 8.* Rosel. *verb. Impedimentum impedim. 16.* Angel. *verb. Matrimonium, 3. impedim. 1.* Ludouic. Lopez *part. 2. Instr. de matr. c. 46.* Couar. *4. Decret. p. 2. c. 6. in princip. num. 6.* & alij.

194 Non redd. irritum.

595 Irritum reddit.

Matrimonium interdictum à Pontifice viua voce cum decreto irritanti irritum est, quamuis aliud impedimentum dirimens minime subsit: vel saltem ad eius intentionem est recurrendum. Quia si potest Pontifex constitutione, quæ lex mortua est, à fortiori viua voce irritare matrimonium poterit. Etsi potest lege generali impedimentum dirimens indicere, cur non poterit personale, aut locale? Ita Hostiensis *sum. titul. de matrim. contracto contra interdict. Eccles.* Ioan. Andr. *ibi* citans Alanum, qui id dubitando asseruit. Anton. *ibi, fine.* Anchar. *num. 7.* Cardin. *num. 9.* Præpositus *fine*, dicens, esse communem. Paludan. *in 4. dist. 34. quæst. 1. art. 1. numer. 10.* D. Antonin. *part. 3. titul. 1. cap. 16.* Sylvest. *verb. Matrimonium, 7. quæstion. 1. dicto 3.* & alij.

596 Meam sententiam vberrimam expono.

Quid mihi probabilius videatur, expono. Sponsalia inita contra Pontificis interdictum cum decreto irritanti, quamuis generali, nec sponsalium mentionem facienti. (Vt si Pontifex ex causa iusta inhibeat duobus, ne sponsalia de futuro inter se contrahant, decernens irritum, si quid contra gestum fuerit.) Sunt inualida. Et ita intelligo Innocentium *cap. penultim. in fine*, & Alexandrum de Neuo *ibi, numer. 21.* constituentes id discrimen inter sponsalia: & matrimonium contra huiusmodi prohibitionem contracta: vt illa irrita sint, hoc autem minime, nisi addatur clausula specificam mentionem matrimonij irritationis faciens. Cum enim matrimonium sit res adeò ardua, & grauissimum negocium sit illud irritare, specificam clausulam requirit. Ad sponsalia vero irritanda

non

non desideratur ea clausula specifica, sed sufficit generalis, cum non sit res tanti momenti, ea irritare. Si prohibitio simplex sit, nimirum absque decreto irritante, matrimonium aduersus eam prohibitionem Pontificiam initum, est validum. Quia cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent *cap. Ad Apostolicam, de regularib.* & prohibitio sit nuda, ac simplex, non est, cur dicamus, rem tam arduam, tantique momenti, ac est matrimonium, tunc irritari. At si clausula decreti irritantis agat specificam mentionem matrimonij id irritans, si contra prohibitionem sit initum: vtor distinctione: Aut causa est temporalis, aut perpetua. Si temporalis est, non reddetur irritum matrimonium, sed sensus erit, vt matrimonium sit irritum non simpliciter, sed in quantum parat præiudicium alicui liti, ob cuius pendentiam est ad tempus interdictum. Si autem causa est perpetua irritum redditur: quia cum matrimonij irritatio sit res grauissima non censenda est inducta ex tali clausula adiecta prohibitioni ob causam temporalem, sed iuxta merita causæ dimetiendum est, an sit irritatio absoluta, an potius quoad peculiarem effectum. Quæ quidem omninò vera sunt, siue Pontificia prohibitio sit per modum constitutionis, siue per modum præcepti. Quia nullum inuenio inter hæc discrimen, nisi quoad durationem; constitutio enim perpetuò durat, mandatum verò morte mandantis extinguitur. Denique quamuis causa interdicendi matrimonium sit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem initum sit validū: At quando Iudicis prohibitio fuit legitima, separandi sunt coniuges ad tempus, in pœnam delicti, ne pœnæ immunitate iustum præceptum contemnere audeant *cap. 1. de matrim. contract. contra interdict. Eccles.* Vno igitur, & altero verbo nostræ respondeo quæstioni. Si interdictum Pontificis sit simplex, & sine clausula irritante, nullo modo irritat matrimonium: secus vero si interdictum, aut prohibitio hæc lata sit cum clausula irritante.

DVBIVM CXLVI.

An licitè possit matrimonium Interdicti, ac cessationis à diuinis tempore celebrari?

597 *Quædam suppono.* SVppono ex *section. 1. iure nouo* Tridentini *sess. 24. cap. 10.* prohiberi nuptiarum celebrationem, ab Aduentu vsque ad diem Epiphanię, & à die Cinerum vsque ad Octauam Resurrectionis inclusiue. Prohibentur autem hisce temporibus non matrimonium, sed solemnitates, quæ in benedictionibus nuptialibus, in traductione sponsæ in domum sponsi cum apparatu consistunt. Validum est autem matrimonium tempore Interdicti, & Cessationis à diuinis contractum. Quia non est Canon illud irritans: imò *cap. Capellanus, de feriis* dicitur, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, vt quocúmque tempore matrimonium valide contrahatur. Quærimus itaque, nùm licite matrimonium possit interdicti, ac cessationis à diuinis tempore celebrari?

598 *Non potest licite.* Minime potest. Quia nulla Interdicti tempore Sacramenta valent ministrari præter ea, quæ *cap. Alma mater, de sentent. excommunic. in 6.* excipiuntur. At matrimonium exceptum non est, sed Sacramentum Pœnitentiæ etiam respectu non ægrotantium, Baptismus, & Confirmatio, & Eucharistia per modum viatici: verum si concessum esset matrimonium, etiam exciperetur. Et rationes, ob quas præfata Sacramenta tunc permittuntur, cessant in matrimonio: cum ex eius negatione minime subtrahatur Ecclesiis debitus honor, nec hæreses pullulent quæ sunt rationes assignatæ *cap. final.* maxime cum si necessitas incundi matrimonij occurrat, possit id extra locum interdictum commode fieri. Sic Vgolin. *de censur. vbi de interdict. tabula 5. capite 7. Paragraph. 3. numero 1.* Sayr. *in Thesaur. lib. 5. cap. 7. num. 43.* Basil. *l. 6. c. 9. num. 3.*

599 *Potest licite iniri.* Interdicti, ac Cessationis à diuinis tempore potest licite matrimonium iniri. Quia *cap. Capellanus*, habetur, eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, vt matrimonium *quocúmque tempore* contrahatur. Sed illicita consuetudo minime à Romana Ecclesia permitteretur: ergo. Ita Innocent. *c. Non est, in fine, de sponsal.* Hostiens *ibi, fine.* Ioan. Andr. *num. 5.* Anton. *num. 10.* Abbas *num. 8.* Cardin. *num. 4. quæst. 1.* Præpos. *num. 7.* Alexand. de Neuo *num. 21.* Sylvest. *verb. Interdictum 5. quæst. 9. num. 6.* Armil. *ibi, num. 53.* Paludan. *in 4. dist. 18 quæstion. 8. art. 2. conclus. 4.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 2. litte. L. S. & l. 12. cap. 2. num 1 litter. F.* Petr. de Ledesm. *quæst. 50. art. vnic. dub. 2. conclus. 4.* Navar. *sum. Lat. cap. 27. numer. 179.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 16. numer. 2.* Sà *verb. Interdictum, num. 17.* Vega. *1. tom. sum. capite 103. casu 6.* Sanchez *libr. 7. dub. 8. numer. 2.*

600 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia ea sola Sacramenta censentur tempore interdicti, aut Cessationis prohibita, quæ pure Sacramenta sunt, & omninò spiritualia. At matrimonium est contractus quidam naturalis, cui per accidens adiecit Christus Dominus Sacramenti rationem. Fateor tamen primam sententiam admodum esse probabilem. Imo tempore Cessationis licite initur matrimonium. Quod constat ex *cap. Capellanus, de feriis.* Quocúmque namque tempore dicit concedi. Et clare sentiunt Doctores *citati.*

DVBIVM CXLVII.

An Benedictiones nuptiales possint licite tempore interdicti conferri?

601 *Possunt fieri.* PLane possunt. Quia cum accessorium naturam principalis sequatur, *Regul. Accessorium 42. de regulis iuris, in 6.* concesso principali, accessorium conceditur. At benedictiones accessoriæ sunt matrimonio, quod eo tempore concessum est, (vt *Dubio proximo* vidimus.) Ergo possunt licite geri. Concessis quidem tempore Interdicti Baptismo, & Confirmatione conceditur confectio Chrismatis, quod accessorium est, *cap. Quoniam, de sentent. excommunic. in 6.* Vbi Gloss. *verb. Dubium*, ait, rationem huius esse,

esse, quòd concesso principali, accessorium concedatur. Sic Rosel. *verb. Interdictum*, 2. *n.* 7. Angel. *verb. Interdictum*, 6 *num.* 30. Gaeta *reper. cap. Ad limina*, 30. *quæst.* 1. §. 4. *num.* 547. Et rem esse dubiam nihil definientes docent Abbas *cap. Non est, num.* 8. *de sponsal.* & ibi Præpositi. *num.* 7.

602 *Non possunt.* Non possunt licite conferri. Quia benedictio nuptialis est officium diuinum, & ad actũ Ordinis pertinet: cum solus Sacerdos possit sponsum, & sponsam benedicere, idque precibus, ac officio peculiari ab Ecclesia institutis, & in Missarum solemniis. Ita Astens. *sum p.* 2. *lib.* 7. *titul* 16. *art* 3 *quæst.* 6. Sylvest. *verb. Interdictum*, 5. *quæst.* 7. *num.* 9. *excepto* 5. Tabien. *verb. Interdictum*, 5. *quæst.* 13. *num.* 14. Armill. *ver. Interdictum, num.* 53. Nauar. *sum cap.* 27. *num.* 179. Paludan. *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. *num.* 12. Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 11. §. 13. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 16. *num.* 2. *litt. S. & lib.* 13. *cap.* 44. *n.* 1. *lit. D.* Barth. à Ledesm. *de Interdict. n.* 3. Sanch. *l.* 7. *d.* 8. *num.* 10.

603 *Addunt remedium.* Hanc sententiam amplector. Moneo tamen, hodie licitè tempore interdicti posse benedictiones nuptiales conferri, seruata moderatione assignata, *cap. Alma mater, de sent. excomm. in* 6. nempe submissa voce, ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis. Quia is textus concessit, cum ea moderatione omnia diuina officia tempore interdicti posse celebrari. Non tamen permissio hæc in vniuersum est accipienda. Nam in Ecclesia speciali interdicto affecta minimè licet officia diuina peragere, & benedicere nuptias cum præfata limitatione. Quia *cap. Alma mater* in solo interdicto generali loquitur, vt constat ex principio illius textus, vbi sermo est de locis suppositis Interdicto, atque ita de Interdicto generali. Quare concessio postea contenta ibi *vers. Adiicimus*, vt possint celebrari diuina tempore Interdicti cum ea moderatione, de eodem interdicto debet intelligi. Nam ad principium legis, vbi aliud non apparet, debent trahi sequentia, *cap.* 2. *de iuris, & facti ignor.*

DVBIVM CXLVIII.

An imperfecta spiritualis cognatio prodiens ex tentione in Catechismo, oriatur etiam ex tentione baptizati in exorcismis?

604 *Nemulta suppono.* REcolo, Catechismum esse institutionem fidei, quæ fit solemniter ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, vel iam domi baptizato. Sicut igitur ex eo quod quis tenens in baptismi celebratione infantem, contrahit cognationem quandam spiritualem, quæ est impedimentum dirimens matrimonium: sic similiter ex eo, quod quis in Catechismo tenet, contrahit etiam quandam spiritualem cognationem imperfectam, quæ tantum est impedimentum impediens, non dirimens coniugium. Quæsierim verò, num huiusmodi imperfecta cognatio spiritualis oriatur etiam ex tentione baptizati in exorcismis?

Oritur quidem. Quia *cap. Peruenit*, 30. *quæstion.* 1. Deus dedit Pontifex sic ait: *A primo pabulo Sacri Salis vsque ad Confirmationem per Chrisma, nullus Christianus suam commatrem in coniugium suscipere debet.* Sic Palud. *in* 4. *dist.* 42. *qu.* 1. *art.* 1. *num.* 7. 605 *Oritur ex tentione in exorcismo.*

Non oritur. Quia textus cuncti de hoc impedimento locuti de solo Catechismo faciunt mentionem, nullámque de tentione in exorcismis gerunt memoriam. Ergo sola tentio in Catechismo impedit matrimonium. Et quidem Catechismus est quædam futuri Baptismi professio, eiúsque initium, ac quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam patrinus pro paruulo protestatur: ergo ex illo solùm ortum habere debet huiusmodi imperfecta cognatio. Ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *articul.* 2. *corp.* Henriquez *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. *litter K. & l.* 12. *cap.* 2. *num.* 1. *litter. M.* Barthol. à Ledesm. *de matrim. dub.* 46. Veracruz *part.* 1. *specul. art.* 22. *dub* 3. Durand. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 7. Palaci. *ibi, d. vnic.* Quand. *d. vnic. propos.* 7. Sanch. *l.* 7. *d.* 10. *n.* 5. 606 *Non oritur.*

Hoc vnice verum esse reor. Quia verba *cap. Peruenit*, pro prima parte citati, copulatiuè & non disiunctiuè sunt accipienda: ita vt per omnia illa cognatio contrahatur, sed quasi initium sumat in ipso exorcismo. 607 *Hoc vnice verum reor.*

DVBIVM CXLIX.

An, vt patrinus hanc imperfectam spiritualem cognationem contrahat, necessum sit vt baptizatum, aut baptizandum in Cathechismo teneat?

608 *Necessum non est.* NOn est necessum, vt teneat patrinus baptizatum, aut baptizãdum, sed sufficit, vt respõdeat Sacerdoti, an credat, & iam diabolo renunciet. Quia hæc spiritualis imperfecta cognatio contrahitur ex eo quod patrinus personam baptizati, aut baptizandi gerit: sed respondens pro infante eius gerit personam: ergo sufficit ad cognationem huiusmodi contrahendam respondere, licet minime teneat. Sic Hurtad. *d.* 25. *diffic.* 1. *n.* 4.

609 *Necessum est* Necessum est, non solum respondere, sed & tenere baptizatum, aut baptizandum dum Catechismus geritur. Quia sic expresè habetur *cap.* 2. *de cognat. spirit. in* 6. & *cap. Contracto, de cognatione spirit.* Ita explicat Gloss. *ad cap. Contracto, fine.* Sanchez *lib.* 7. *d.* 10. *n.* 3. Basil. *l.* 6. *c.* 11. *num.* 2.

610 *Hoc mihi fere certum.* Existimo, duo necessaria esse ad huiusmodi cognationem contrahendam matrimonium impedientem. Vnum, vt patrinus in toto Catechismo teneat. Alterum, vt qui infantis personam gerit respondeat ad fidei interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat? Quare sicut in Baptismo hæc cognatio spiritualis perfecta contrahitur per eleuationem pueri de Sacro Fonte: ita in Catechismo per tentionem pueri, & professionem fidei nomine infantis factam. Non tamen ideo mei Gasparis Hurtado sententiam omninò reiicio: probabiliter enim potest sustineri, cum præcipuum officium patrini in Catechismo sit infantis nomine fidem profiteri.

DVBIVM

DVBIVM CL.

An hoc Catechismi impedimentum per Tridentinum sublatum omninò?

611 *Certum præmitto.* COnstat, cognationem hanc imperfectam ex Catechismo ortam saltem restrictam esse à Tridentino *sess.24.cap.2.* ad gradum primum ad quem eo decreto Concilij cognatio ex Baptismo orta dirimens matrimonium est contracta. Quamuis enim nulla in eo mentio fiat Catechismi, at cum Baptismi cognatio mensura sit eius quæ ex Catechismo oritur, & ex illa gradus in hac sumantur, (vt probat Sanchez *citandus, num* 6.) satis est, cognationem Baptismi restrictam esse, vt eodem quoque pacto Catechismi cognatio restricta censeatur. Difficultas autem eo pertinet, nùm id Catechismi impedimentum impediens matrimonium sit omnino sublatum?

612 *Non est omninò sublatum.* Non est omninò sublatum, sed adhuc permanet. Quia intentio legis ex præfatione colligitur, per illámque tollitur legis incertitudo, ac eius dispositio manifestatur, vt multis relatis, probat Tiraquell. *tract. Cessante causa, limit. 1. num. 65.* At si præfationem decreti Tridentini attendas, manifestè solam cognationem dirimentem matrimonium restringere voluit, ibi: *Do et experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis contrahi matrimonia ignoranter: in quibus non sine magno peccato perseueratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Quæ rationes præfationis nullatenus habent locum in cognatione spirituali solum impediente, qualis est Catechismi. Nam cum matrimonium validum sit, nec id dirimere oportet, nec in eo cum peccato perseueratur. Sic Palac. *in 4. dist. 42. d. vnic.* Barth. à Ledesm. *dub. 46.* Valent. *d. 10. quæst. 5. punct. 4.* Rebell. *lib. 3. quæst. 18. num. 10.* Candid. *disquis. 28. art. 16. dub. 1.* Tolet. *lib. 7. sum. cap. 14.* Lopez *part. 2. Instruct. de matrimon. cap. 16. impediment. 4.* Vega *tom. 2. sum. capite 5. casu 3.* Sanchez vero *citandus*, asserit valde esse probabile.

613 *Est sublatum omninò.* Omninò sublatum est per Tridentinum hoc Catechismi impedimentum. Quia numeratis in eo decreto personis, inter quas cognatio spiritualis contrahitur, per Baptismum, per Confirmationem, & iure antiquo circa hoc correcto. Sic concluditur: *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.* Etsi obiicias, intelligi de cognatione spirituali contracta per Baptismum, vel Confirmationem: obstat illius Capitis principium vbi ait Concilium, se velle multitudinem prohibitionum restringere, vt vitentur incommoda: & statim subdit. *Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo prouidere; & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit.* Vbi generaliter de cognatione spirituali loquitur: & statim præscribit inter quas personas contrahatur: ac in fine concludit, inter nullas alias personas contrahi. Vere ergo intendit, cognationis spiritualis impedimentum omninò auferre præter casus ibi expressos, inter quos Catechismus minime annumeratur. Ita Sanchez *lib. 7. d. 10. num. 12.* Henriquez *lib. 2. cap. 15. num. 4. & lib 12. cap. numer.* Sà *verb. Impedimentum dirim. num. 4.* Bonacin. *quæst. 3. de impedim. punct. 14. num. 6.* Filliuc. *tract. 10. p. 1. cap. 9. num. 273.* Reginald. *lib. 21. num. 190.* Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 260.* Villalob. *tract. 14. diffic. 2. numer. 5.* citans Barthol. de Ledesm. Coninch *disput. 30. dub. 3. numer. 24.* Basil. *lib. 6. cap. 11. numer. 3.* Hurtad. *dub. 25. diffic. 1. numer. 4.*

Hanc sententiam probabiliorem esse reor. 616 *Hanc sententiam probabiliorem esse iudico.* Quia Pius V. motu proprio edito anno 1566. 4. Kalend. Decemb. declarans Tridentini decretum, ait, non esse à precisis illius verbis recedendum. Cum ergo Concilium generaliter dicat, inter nullas alias personas eam contrahi cognationem quam inibi expressas: censendum est, cognationem Catechismi, cuius mentio ibi minime fit, omninò esse sublatam. Addo, ita declarasse Cardinalium Congregationem, Auctore Farinacio ad Tridentin. *sess. 24. cap. secund.* Imo Rebell. *in append. ad l. 4. num. 88.* aliam Cardinalium affert declarationem: Nulla, (inquit Sacra Congregatio) cognatio spiritualis contrahitur nisi inter personas, quæ nominantur in hoc decreto.

DVBIVM CLI.

An impedimentum impediens votum castitatis, aut Religionis dirimat matrimonium, quando vtérque contrahens eo voto ligatus est?

CErtum est, votum simplex castitatis, vel 617 *Certum primo.* Religionis impedire, vt matrimonium licite ineatur, non tamen initum dirimere. Quia id habetur *cap. Consuluit, & cap. vnic. de voto, in 6.* Cuius ea est ratio quòd votum simplex non corporis traditionem, sed solam promissionem importet: vnde verum dominium apud vouentem manet. Ea est autem natura promissionis, vt impediat licitam dominij translationem rei promissæ in alterum, vtpote quæ est contra fidem præstitam: tamen eam irritam non reddat, vtpotè quæ à vero domino est facta. Quæsierim autem, an votum huiusmodi non solùm impediat, sed & dirimat matrimonium, quando contrahens vtérque eo est voto ligatus?

Dirimit quidem. Quia tunc est vsus matri- 618 *Dirimit quidem.* monij vtrique interdictus: ergo inter illos minime potest validum matrimonium cohisterе. Sic Gloss. *cap. Si quis votum, statim in principio, 27. quæst. 1.*

Minime dirimit. Quia vtérque, non obstante eo voto, potest dominium sui corporis valide transferre: & semel eo translato, (illicite quidem) licet neuter potest petere, at reddere tenebitur. Ita Astens. *sum. part. 2. libr. 8. titul. 16. articul. vnic. quæst. 7.* Rosel. *verc. Impedimentum, impedim. 4. num. 6.* Angelus *ver. Matrimonium.* 619 *Non dirimit.*

3.

3.imped.5.n.5 Sylueſt.v. *Matrimonium*, 7 qu.5. *dicto* 6. Tabiena *v. Impedimentum, imped.*2.q.6. n.7. Nauar.*ſum c.*22.n.73. Veracr.*p.*1.*ſpec. a.*15. *dub.*3. Sanch.*l.*7.*d.*11.*n.*10. Hurtad.*d.*25.*diffic.*1. Bonac.*q.*1.*pun.*14.*n.*7. Torres *p.*2.*ſum. cap.*112. *dub.* 1.

620 *Hic mihi curium.*

Hoc proculdubio eſt aſſerendum. Quia intra ſolùm præſcribunt ſimplex votum impedire coniugium. Idem dixerim de voto, aut iuramento Religionem ineundi, aut Ordinem Sacrum ſuſcipiendi. Quia hæc omnia cum ſtatu matrimonij pugnant, ideoque impediunt: non tamen dirimunt, ob præfatam rationem.

DVBIVM CLII.

An Votum caſtitatis Religionis, vel non nubendi emiſſum ab eo, cui caſtitas eſt ob animi ſalutem coniugium inire: validum ſit, & impediat matrimonium?

621 *Nec eſt validum, nec matrimonium impedit.*

NEc eſt validum, nec matrimonium impedit. Quia votum caſtitatis, vel Religionis emiſſum ab eo, qui carnis moleſtiis affligitur, & frequenti ruinæ ſuccumbit, non eſt de materia ſatis idonea, imo contra Pauli conſilium. 1.*Cor.*7. *Quod ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quam vri.* Certe votum ineundi matrimonium eſt validum in illis, quibus ſalubrius iudicatur ob incontinentiam vitandam, coniugium inire: eo quod ſit de meliori bono reſpectu vouentis. Ergo vota huic contraria ſunt de meliori, reſpectu vouentis, bono: ergo irrita. Sic Valent.2.2.*d.*6.*qu.*6. *punct.*2. *diſſic.*4. Petr. de Ledeſm.*tom.*2.*ſum.tract.*10.*cap.*2.*dub.*1. Bonacin.*tom.*2.*d.*4.*q.*2.*punct.*1.*n.*26. Homobon. *volum.*1.*p.*2.*reſponſ.*28. Trull.*l.*2.*in Decal.cap.*2. *dub.*5.*num.*18.

622 *Validum eſt & impedit matrimoniũ.*

Validum eſt, & impedit matrimonium. Quia tentaminum moleſtia, ac frequens ruina non liberat eum, qui hæc patitur ab obligatione voti, ſed reddit caſum diſpenſabilem. Nam cum materia votorum caſtitatis, aut Religionis ſit res graniſſima, & admodum Deo grata, ac ſubinde magnum in eorum violatione periculum ſubſit: non cuiſcumque iudicio quantumuis moraliter certo relinquendum eſt, an vouenti, omnibus conſideratis, expedientius ſit matrimonium: ſed authoritas ſuperioris diſpenſantis eſt expectanda. Ita Sanchez *libr.* 7. *dub.*11.*numer* 9. Baſil.*libr.*6.*capit.* 12. *numer.*2. Suar.*libr.* 4. *de voto, capit.* 19. *num.*9. doctrinam eſſe communem Diana, apud Leandr.*tr.*9. *d.*13 *qu.*1.

623 *Auctora reſolutio.*

Non dubium primam ſententiam fortiſſimis fundamentis fulciri, & ſpeculatiue intentum perſuadere. At practicè minimè ſuſtinerem. Itaque iudico, valere huiuſmodi vota emiſſa ab eo, qui carnis tentaminibus agitatus frequentibus fœdatur illecebris ante voti emiſſionem, & à fortiori, quando hæc ſuperueniunt, iam emiſſo, & matrimonium impedire. Ducor, quia oppoſitum aſſerere video eſſe contra vſum Eccleſiæ. Quantumuis enim quis carnis illecebris diuexetur, & incontinens ſit, ſi voto caſtitatis ſe deuinciat, aut antea deuinxerit, aſſolet à Pontifice diſpenſationem impetrare, nec illi conceditur, niſi rigidiſſima iniuncta commutatione. Nec credo, (cum Sancio loquor *libr.* 4. *ſum. cap.*8. *num.* 10.) virum aliquem doctum, & pium auſum fuiſſe, hunc ab ea obligatione eximere.

DVBIVM CLIII.

An mortaliter delinquat, qui habenti caſtitatis votum, & rogitanti num poſſit matrimonium valide inire, poſſe reſpondet?

HAbenti caſtitatis votum, & roganti, num poſſis eo adſtrictus matrimonium inire: reſpondendum eſt, eum non poſſe. At vlterius inſtanti, an contractum valeat? deneganda eſt reſponſio. Quia ſi reſpondeatur, inualidum eſſe, erit mendacium: cum votum caſtitatis ſit impedimentum ſolummodò impediens: ſi autem eſſe validum, occaſio ineundi matrimonium cum peccato lethali exhibebitur: atque ita reſpondens eadem culpa lethali inficietur. Sic Hoſtienſ.*ſum. tit. de voto, §. Quot ſunt ſpecies votorum, n.*5. Alberic.*in Diction. it. I. v. Impedimentum*, 4. Aſtenſ.*ſum.p.*2.*l.*8.*tit.*16.*a.vni.c.*9. Greg. Lop.*l.*2.*v Tan tenudo, tit.*8.*p.*1. Gaëta *repetit. cap. Ad limina*, 30.*q.*1.§.4.*n.*351. Vega.*tom.*2 *c.*129. *caſu* 13. Tabie.*v. Impedimentum, imped.*2. *q.*5. *n.* 9. dicens, hanc ſententiam eſſe tutiorem. D. Antonin.*1.p.titul.*1.*c.*16 §.1.

624 *Mortaliter delinquit.*

Mortaliter non delinquit, qui rogitanti id, reſpondet, valide poſſe matrimonium iniri. Quia cum veritas propaletur, factúmque debite grauetur explicando, id eſſe culpam lethalem ob impediens impedimentum: non eſt occaſio ruinæ data, ſed accepta. Nil enim proponitur, quod ſuaptè naturâ ad peccatum prouocet. Alias ſimiliter delinquerent, eandem delinquendi occaſionem offerentes Doctores, qui ita ſcriptam reliquere ſaltem materna lingua, quæ ab omnibus calleri poteſt. Ita Sanch.*l.*7. *d.*11.*n.* 12. Abul.*ad c.*30. *Num.q.*63. Angel.*v. Matrimonium, 1.imped.*5. Matienzo *l.*5.*recopil.tit.*1 *gloſ.*1. *n.*152. Manu.*tom.*1.*ſum.cap.*241.*nu.*3. Gutierr. *de matr.c.*85.*n.*5. Coninch.*d.*30.*num.*32. Reginal. *lib.*31.*num* 186. Bonacin, *qu.*3.*de matr. punct.*14. *num.* 8.

625 *Nõ delinquit mortaliter.*

Ego quidem affirmo oportere, vt interrogans prudenter illudatur. Quia lex charitatis non ſolum præſcribit, ne præbeamus delinquendi occaſionem, ſed etiam proximum in quantum poſſumus, auertamus. Deinde nullam eſſe ſcandali culpam, ſeu occaſionis peccandi datæ, veritatem reſpondere, dicendo peccare mortaliter qui voto ſimplici caſtitatis adſtrictus matrimonium init, ſed huiuſmodi contractum eſſe validum, ob præfatam rationem. Fateor tamen adeſſe poſſe peccatum incautæ reſponſionis. Vt ſi quis videat fragilem interrogare, qui vera doctrina eſt abuſurus ad ineundum cum lethali ſacrilegio coniugium: poteſtque commode cauta reſponſione, celata veritate, abſque mendacio interrogantem eludere, peccabit quidem imprudenter,

626 *Quid gerendum ſit hoc in caſu expeno.*

& minus cautè se habés, propalans veritatem. Attamen nunquam hæc culpa limites venialis excedet, nisi in respondente grauis adsit malitia: quippe qui tali tempore, ac forma respondet, vt alter meritò credat, eum velle, vt, voto postposito, contrahat matrimonium: ac proinde respondendi modus sit quædam tacita inductio. Ratio autem cur citra hunc euentum non sit culpæ lethali tribuenda responsio ea est: quod præceptum charitatis non ita stricto rigore obligat, ad tantam circumspectionẽ habendam, quæ non modicam prudentiam desiderat: nec facile tam prudens inuenietur, qui subito interrogatus, possit commode tacita veritate, & fugato mendacio, rogitantem eludere. Tacere autem omninò, non expedit. Quia interrogatus tanquam inurbanus iudicabitur, interrogãtem offendet, nec leue suspicionẽ in eo tacitæ veritatis ingenerabit. Satius iudico fore, respondere, grauissimum sacrilegij crimen esse violati voti, & ex huiusmodi piaculo matrimonio infelices admodum exitus, & Dei supplicia grauiora posse optimo iure timeri.

DVBIVM CLIV.

An liceat suadere ei, qui venereis tentationibus agitatus passim succumbit, nec spes est fore, vt aliis mediis adhibitis contineatur, vt matrimonium ineat, quamuis simplici castitatis voto sit adstrictus?

627 *Non licet.* MInimè licet. Quia peccat ille matrimonium contrahens ad vitandum illud maius frequentis impudicitiæ malum: ergo, & is, qui consulit facere minus, quantumuis parato ad maius admittendum. Nam quoad peccatum attinet, nil interest inter consilium, & executionem si omnibus pensatis, vno, & eodem modo se habet obiectum peccati ad consilium, & executionem. Quod hic contingit: nam omnibus pensatis alter gerit, quod hic consulit faciendum. Certè cum comparatiuum non tollat positiuum, qui consulit minus malum, vere malum consulit. Sic Gabr. *in 4. dist. 15. q. 11. a. 3. dub. 14.* Caiet. *2. 2. q 78. a. 4 notab. 3.* Sylues. *ver. Matrimonium, 7. q. 5. dicto 9.* Valent. *2. 2. d. 5. q. 21. punct. 4.* Sà *v. Peccatum. 8.* quamuis subobscure loquatur.

628 *Licet quidẽ.* Licet quidem, si eo voto ligatus ita luxuriei consilio adhæret, nec dispensationem petere vellet, nec à piaculis resilire. Quia proximus per hoc consilium minimè ad peccandum inducitur. Cum enim ille maius peccatum patrare apud se firmiter statuerit, solũ ad id inducitur, atque eò consilium pertinet, vt peccatum minuat, & à parte culpæ desistat: quod sanum prorsus est consilium: sicut si volenti furari, & occidere, consulerem, ne homicidij reus esset. Quod si alter acquiescere nolit, nisi minori malo executioni mandato, suæ culpæ, & non consulentis est adscribendum. Ita Angel. *v. Matrimonium. 3. imped 5.* Sylues. *v. Vsura. 7. q. 1.* Armil. *v. Tyrannus, n. vnic.* Sotus *in c. 3. ad Roman.* Nauar. *sum. c. 14. n. 40* Verac. *p. 1. spec. a. 15. dub. vlt.* & alij plures, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 7. d. 11. num. 15.*

629 *Cum hu opinor.* Ego existimo probabilius esse, homini, qui tenetur castitatis voto, parato plura peccata contra votum pro fragilitate patrare, si alia via cito illi succurri non possit, posse consulitanquam minus malum, vt matrimonium ineat. Quia in eo ineundo vnum solummodo peccatum committit, plurima vitans: & post contractum matrimonium facilis est dispensationis voti impetratio ad exigendum debitum. Quæ resolutio ex illa generali deducitur probabiliori mihi, posse consuli minus malum ad maius vitandum ei, qui paratus est, maius peccatum perpetrare.

CAPVT XXXV.

Circa impedimenta impedientia, quæ ortum habent ex crimine.

DVBIVM CLV.

An incestus viri cum vxoris consanguineis, quo impedit: etiam dirimat matrimonium? *Incestus.*

EX septem piaculis impedientibus matrimonium, primum memoratur Incestus, seu fornicatio alterius cum consanguinea sua, vel alterius coniugis, hoc est affini in gradu prohibito. Ratio autẽ huius impedimenti optime assignatur à Caietano *2. 2. q. 54 a. 9* Quia talis incestus habet ex propria ratione impedire exactionem debiti à coniuge, eo quod inde coniuges efficiantur affines: & quia incestuosus non vetitus est coniugem sibi facere affinem, ac plenum coniugij vsum impedire: ideo punitur in ipso matrimonio, contra quod deliquit: & interdicit sibi aliud matrimonium cum quacumque alia persona contrahere. Quæstio igitur est, nùm incestus non solùm impediat, sed & dirimat matrimonium? 630 *Nãulla supposita.*

Non solùm impedit, sed & dirimit. Quia tempore Nicolai I. duo Concilia Metense scilicet, & Aquisgranense Lotharium Regem à vinculo matrimonij cum Theutperga contracti liberum declararunt; eo quod illam ante matrimonium se cum Lotharij fratre dicerent commiscuisse. Sic quidam, quos, tacito nomine, refert, nec improbat Gloss. *cap. Si quis cum duabus, verb. Pœnitentiam, 33. quæst. 2.* 631 *Non solùm impedit, sed dirimit.*

Incestus admissus à virorum consanguineis vxoris impedit, non verò dirimit matrimonium. Quia id constat ex *c. 1.* & ex *c. Transmissæ, de eo, qui cognou. consang.* vbi tali incestuoso matrimonium interdicitur. Cum tamen nil addatur, quod ipsum contra prohibitionem initum irritari denotet, non erit irritum iuxta Regulam traditam à Sancio *l. 7. d. 2. num. 10.* Ita ipse Sanch *d. 15. n. 1.* Basil. *l. 6. c. 13. n. 4. &* 5. & vniuersi Doctores. 632 *Impedit, sed non dirimit.*

Primam sententiam nullus Doctor non contradicit, referentes hoc impedimentum inter 633 *Hanc sententiam vnice veram reor.*

inter solùm impedientia: quòd nullus reperiatur textus, qui id esse dirimens decernat. Vnde assero eam sententiam omninò esse falsam, nec sustineri posse, quia Concilium Romanum III. sub Nicolao I. præfata duo Concilia, seu verius dicam conciliabula reprobauit.

DVBIVM CLVI.

An impedimentum incestus oriatur, ex coniunctione cum consanguineis coniugis vltra secundum gradum?

634 *Vsque ad quartum gradum extenditur.* VIr, qui scienter perpetrat incestum cum consanguinea vxoris vsque ad quartum gradum: & vxor, quæ copulam gerit cum consanguineo viri vsque ad quartum gradum, non potest, mortuo altero coniuge matrimonium contrahere, quamuis incestus sit occultus. Quia sic iure decidit. Sic Tolet. *sum. lib. 7. cap. 15. num. 2.* Astens. *part. 2. sum. l. 8. tit. 20. a. 1.* Gutier. *l. 1 qq. Canon. c. 23. num. 5.* Bonacin. *q. 3. pun. 14. num. 10.*

635 *Non extenditur vsque ad quartum gradum.* Hoc impedimentum non oritur ex incestu habito cum consanguineis vxoris vltra secundum gradum. Quia Tridentinum *sess. 24. cap. 4.* restrinxit affinitatem ex fornicatione ortam ad secundum gradum: vnde ex copula cum consanguineis coniugis citra secundum gradum non oritur hæc affinitas cum altero coniuge, quæ est huius impedimenti causa: ideo hoc impedimentum est quoque restrictum, & hodie non oritur nisi ex incestu cum consanguineis coniugis intra secundum gradum. Ita Sanchez *l. 7. d. 15. n. 4* Quand. *in 4. dist. 41. d. vni. propos. 7.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de impedim. tantum impedient. num. 7.* Viuald. *Candelab p. 1. vbi de matrim. num. 269.* Basil. *lib. 6. cap. 13. nu. 6.* & alij.

636 *Hoc omninò verum.* Fateor hoc impedimentum commune iure vsque ad quartum gradum extendi. At hodie ex iure speciali Tridentini vltra secundum non progreditur. Vnde non possum non mirari, viros doctissimos aliter sensisse, cum post Tridentinum scripserint. Nisi dicamus, Toletum, & Bonacinam id ex iure communi tantùm asseruisse. At non omninò tenet excusatio, cum ante Tridentinum etiam Alexander III. *in append. Lateran. part. 6. cap. 15. & part. 12. c. 1.* idem decreuerit.

DVBIVM CLVII.

An hoc impedimentum oriatur, ex incestu cum propriis consanguineis intra secundum gradum?

637 *Non oritur impedimentum.* NOn oritur. Quia textus id impedimentum statuentes non loquuntur expresse de incestu cum consanguineis propriis. At cum hæc pœna sit, restringi debet. Sic D. Tho. *in 4. dist. 34 q vnic. art. 5. in solut. ad argum.* Richard. *ibi, art. 4. q. 2. ad 1.* Turrecr. *cap. Quædam cum fratre, 32. quæst. 7. num. 2.* D. Antonin. *par. 4. tit. 1.* Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. III. P. II. cap. 16. §. 4.* Rosel. *v. Impedimentum, impedim. 8. num. 18.* Sylvest. Caiet. Veracr. Celaia, Tolet. Viuald & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *l. 7. d. 15. n. 16.*

638 *Oritur quidè.* Oritur quidem. Quia præterquam quod id videtur clare deduci, ex *cap. de incest. 35. quæst. 3. cap. Si quis viduam, 32. quæst. 7. cap. si duo, 35. quæst. 6.* Stylus Curiæ seruat, dum dispensat cum consanguineis inter se reis incestus, vt ineant matrimonium, addere clausulam, vt, altero eorum defuncto, superstes non contrahat aliud matrimonium. Ergo censet, eum incestum esse impedimentum. Et quia si incestus cum affinibus, nullo subsistente matrimonio, impedimentum est, (vt *Dub. 156.* vidimus,) cur id negandum erit de incestu cum consanguineis, qui est peior? Ita Basil. *lib. 6. cap. 13. num. 10.* Nauar. *sum. cap. 21. num. 74.* Sotus *in 4. dist. 37. qu. vnic. art. 1. post. 1. conclus.* Manuel. *tom. 1. sum. cap. 229. conclus. 8. numer. 3.* Vega. *tom. 2. sum. cap. 5. casu 3.* & alij plures apud Sancium, *num. 15.* qui hanc sententiam dicit valde esse probabilem.

639 *Primam sententiam probabiliorē reor.* Ego tamen cum ipso primam iudico probabiliorem. Quia licet hic incestus sit in se grauior, at non ita offendit matrimonium, cum ex illo non pullulet affinitas, nec impedimentum vsus matrimonij. At si incestus cum consanguineis propriis, qui peior est, & tamen hoc impedimentum non producit, sicut cum consanguineis vxoris incestus: inde est, quod incestus non tam est impedimentum ratione culpæ, quam ratione affinitatis ab ipso ortæ, quæ ex solo incestu cum consanguineis coniugis oritur.

DVBIVM CLVIII.

An impediat matrimonium incestus cum coniugis consanguineis?

640 *Non impedit.* NOn impedit, si incestus mortuo iam coniuge, perpetretur. Quia non tam graviter videtur læsam esse affinitatem, ac si viuente coniuge incestus existeret. Sic, fundamento nullo indicato, Sotus *in 4. dist. 37. quæst. vnic. articul. 1.* Cordub. *in quæstionar. libr. 1. quæstion. 12. art. 1.* Henriquez *libr. 12. cap. 1. num. 1.* Sà *num. v. Matrimonium, vbi de imped. tantum impedien. numer. 7.* Vega. *tom. 2. sum. capite 5. casu 2.* & alij.

641 *Impedit omninò.* Impedit, licet cum consanguineis defuncti coniugis patretur. Quia nihil refert siue viuo, siue vita functo coniuge incestus admittatur: est enim textus expressus id decidens, quando vxore defuncta is incestus admissus est, *cap. Transmissæ, de eo, qui cognouit consanguine* Ita Petr. de Ledesm. *quæst. 58. art. 4. dub. 1.* Basil. *l. 6. capit. 13. numer. 7.* Paludan. *in 4. dist. 34. quæstion. 1. articul. 2. conclus. 2.* Supplement. Gabriel. *ibi, quæst. vnic. articul. 1.* Gaëta, Sarmient. Quand. quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 7. d. 15. num. 14.*

642 *Hoc longè probabilius.* Existimo, ad hoc impedimentum incurrendum, nihil referre, an adulterium cum adulterio reperiatur, necne. Cæterùm cum videam primæ sententiæ Doctores nullum fundamentum indicere,

sed iudicium suum sine adhibita ratione proferre, hanc sententiam longe esse probabiliorem existimo.

DVBIVM CLIX.

An vt incestus matrimonium impediat, debeat necessariò esse publicus?

643 *Debet esse publicus necessariò.* DEbet esse publicus, si enim occultus sit, inde impedimentum aliquod non consurget. Quia id expresse definit Alexander III. *in append. Lateran. p. 12. c. 1. 5. & 7. & p. 50 c. 4.* Cuius verba refert Basil. adiiciens contrariam sententiam esse contra manifestas Pontificum decisiones Sic ipse *l. 6. c. 13. n. 9.* Angel. *v. Incestus, n. 4.* Sà *v. Matrimonium, vbi de impediment. impedim n. 7.* Ludo. Lop. *p. 1 Instr. c. 296.* Abbas *c. Literis, n. 2.* Sylvest. *v. Luxuria, q. 4 dicto 2.* Sotus *in 4. dist. 37. q. vni. a. 1.*

644 *Non debet necessariò publicus esse.* Non debet necessariò esse publicus, vt matrimonium impediat. Quia oppositum nullo iure probatur. Ita Sanch. *l. 7. d. 15. n. 13.* Glos. *ad c. Qui dormierit, v Neutram, 33. q. 7.* Castro *l. 2. de leg. pœn. c. 5* Gutier. *l. 1. qq. Canon. n. 8.* Bonac. *qu 3. punct. 14. num. 9.* Rebel. *p. 2. l. 3. q. 18. num. 9.* & alij.

645 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Quia cum incestus sit eius naturæ, vt semper occultè committatur, rarò esset locus huic impedimento. Et quidem abnego hanc sententiam esse contra manifestas Pontificum decisiones, quas tot tam disserti Doctores præsertim P. Sanchez minime legerunt.

DVBIVM CLX.

Raptus sponsa. *An impedimentum raptus sponsatæ incurrat, qui sponsam solùm de futuro rapit?*

646 *Certum suppono.* RAptus alienæ sponsæ adeò impedit matrimonium, vt raptor nec cum rapta, nec cum quacumque alia matrimonium possit inire, licet cum hac contractum non dirimatur. *c. Statutum, 27. q. 2.* Sed nùm hic textus intelligatur de raptore solius sponsæ de præsenti, an etiam de futuro quæstio est.

647 *Incurrit quidem.* Certe impedimentum hoc incurrit, qui sponsam solùm de futuro abripit. Quia hæc propriè *sponsæ* nomine intelligitur: desponsata enim de præsenti potiùs vxor quam sponsa vocitatur. Sic Bonac. *q. 3. pun. 14. n. 13.* Gutier. *de matr. c. 86. n. 5.* Coninch, & Nauar. citati à Bonacina. Rebel. *p. 2. l. 3. q. 18. n. 7.* fatus: qui alienam siue virgo, siue corrupta sit, sponsam per verba de futuro rapuit, in pœnam criminis prohibetur non solùm eandem ducere prohibitione dirimente: sed etiam quamcumque aliam, cum qua tamen non dirimetur matrimonium. Sic ille. Candid. *disq. 28. a. 16.*

648 *Non incurrit.* Non incurrit hoc impedimentum qui sponsam solùm de futuro rapit, sed qui sponsam arripit de præsenti, id est alienam vxorem. Quia cum hæc lex sit pœnalis, & odiosa extendi non debet ad rapientem sponsam de futuro. Ita Sanch. *l. 7. d. 11. n. 45.* Palud. *in 4. dist. 41. q. 1. a. 2. n. 13.* explicans hoc impedimentum, ait: *Vxoris alienæ.* Basil. *l. 6. c. 14. n. 7.* dicens oppositam sententiam nullum habere fundamentum. Leand. *tr. 9. d 23. q 2. de impedimento raptus.*

649 *Hoc verius putarim.* Hoc verius impedimenti expressa à Soto *in 4. dist. 37. qu. vnic. art. 1.* ibi: quod qui alienum matrimonium perturbare ausus est, iure proprij contrahendi meritò priuetur: vt in quo deliquit, puniatur. Quæ quidem ratio solùm videtur de raptore alienæ de præsenti, id est, de vxore intelligi posse. Habebit autem locum hoc impedimentum siue sponsa illa sit virgo, siue corrupta, hoc est siue matrimonium sit consummatum, siue ratum solummodo: cum in vtróque casu matrimonio irrogetur iniuria.

DVBIVM CLXI.

An impedimentum vxoricidij incurrat, qui vxorem in flagranti adulterij delicto deprehensam propria interemit authoritate? *Mors mulieris.*

650 *Disputationis status explicatur.* DIsputatio hæc de vxoris, aut viri interfectione non est, cum sit animo ad aliud matrimonium transeundi gesta. Hæc enim quæstio ad impedimentum Criminis, quod matrimonium dirimit, pertinet: de quo supra. Procedit ergo, quando alia subest causa, nempe iræ, odij, vindictæ, adulterij. Quæsierim itaque, an maritus vxorem enecans propria authoritate, cum eam in adulterio deprehendit vxoricidij impedimentum impediens coniugium aliud incurrat?

651 *Non incurrit.* Non incurrit quidem. Quia huiusmodi interemptio à lege, licet non sine culpa, permittitur. Sic Palud. *in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. n. 13.* Gaeta *repetit. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. nu. 295.* Sà *sum. v. Matrimonium, vbi de impedi. non dirim. n. 6.* Bonac *q. 3. pun. 14. n. 16.*

652 *Incurrit planè.* Incurrit proculdubio. Quia quamuis leges id impune permittant: tat ius Canonicum spectans culpam mortalem in ea occisione repertam, eam minime permittit, sed vindicat, decernens, ne vir aliam ducere valeat vxorem. Id manifeste deciditur *c. Quicumque*, quod est Pij Pontif. ibi: quicumque propriam vxorem absque lege, & siue causa, & certa probatione interfecerit, aliamque duxerit vxorem, publicam agat pœnitentiam. Vbi particula, *& certa probatione*, id aperte denotat. Ita D. Thom. *in 4. dist. 37. q. 2. a. 2.* D. Bonauen. *ibi, a. 2 q. 3.* Durand. *q. 2. a. 2. n. 6.* Palud. sibi contrarius *q. 2. art. 2. n. 9.* Manu. *rom. 1. sum. c. 229. n. 4.* Vega, D. Antonin. Sotus, Raineri. Turrecr. Palac. Barth. à Ledesm. Vinald. & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *lib. 7. d. 16. num. 2.* Basil. *lib. 6. cap. 14. n. 2.* Rebel. *libr. 3. quæstion. 18. num. 5.* Henriquez *libr. 12. capit. 2. numer. 1. capite 14. numero 2.*

DVBIVM

DVBIVM CLXII.

An vxoricidij impedimentum vir incurrat casu, quo vxorem authoritate Iudicis adulteram enecet?

654 *Incurrit quidem.* INcurrit quidem Quia ius Canonicum indistincte loquitur, nec tradit adulteram viro occidendam: sed ius Ciuile id efficit. Sic Ouand. *in 4. dist. 37. d. vnic.*

655 *Minime incurrit.* Minime incurrit. Quia impedimentum hoc inductum est in pœnam criminis vxoricidij: at tunc prorsus culpa vacat. Quod quidem probant verba textus *cap. Quicumque, 33. quæst. 2.* ibi: *absque certa probatione.* Et clare significauit *lex Regia. 14. titul. 2. part. 4.* vbi peccati grauitatem causam esse huius impedimenti asseruit. Ita Sotus, Vega. Petrus de Soto, Palac. Henriquez, Barthol. à Ledesm. Viuald. Manuel Veract. Matienzo, quos citat, & sequitur Sanchez *l. 7. d. 16. n. 4.* D. Tho. Basil. Sà, Bonac. quos affert, & sequitur Leand. *tract. 9. d. 23. quæst. 3. de Vxoricid.*

656 *Certissimum hoc.* Non audiendus Ouandus, quia certissimum est, ius Canonicum vxoricidij crimen punire, in eo autem euentu non adest culpa, quæ puniri valeat. Nec oportet, vt ius Canonicum viro tradat adulteram: sed satis est, id iure Ciuili disponi, non contradicente Canonico.

DVBIVM CLXIII.

An incurrat vxoricidij impedimentum vxor, quæ virum interimit?

657 *Incurrit plane.* INcurrit profectò. Quia sunt correllatiua vir, & vxor: eademque militat ratio; quo in casu dispositum in vno censetur in alio dispositum. Imò maior est ratio. Grauius nampe delictum est, si vxor virum interimat, cui tanquam capiti debet reuerentiam, ac subiectionem. Sic Palud. *in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2. num. 10.* Supplement. Gabriel. *dist. 34. quæst. vnic. art. 1. impediment. 3.* Sotus *dist. 37. quæst. vnic. art. 1.* Palac. *dist. 34. d. 2.* Henriquez *libr. 12. capit. 2. numer. 1.* Ludouic. Lopez *part. 2. Instruct. de matrimon. capit. 46. §. circa sextum impediment.* Nauarr. *capit. 22. numer. 74.* Basil. *libr. 6. capit. 14. numer. 2.* Rebel. *l. 3. question. 18. numer. 5.* Gutierr. *cap. 88. num. 4.* & alij.

658 *Non incurrit.* Non incurrit. Quia textus iuris Canonici hoc impedimentum præscribentes, de solo Vxoricidio loquuntur: nec est eadem de viricidio ratio, quia hoc est rarissimum, & vxores non sunt pronæ ad id. sed admodum timidæ: at vxoricidium est frequens, virique sunt audaciores, ac procliuiores ad id delictum perpetrandum. Ita Syluest. *verb. Matrimonium, 7. qu. 6. dicto 1.* Armil. *verb. Matrimonium, num. 58.* Tolet. *lib. 7. c. 15. num. 3.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de impedim. non dirim. num. 6.* Ledesm. *2. p. 4. q. 62. art. 2.* Sanchez *lib. 7. d. 16. num. 6.* Candid. & Bonacin. quos affert, & sequitur Leand. *tract. 9. d. 23. q. 4. de Vxoricid.*

Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. III. P. II.*

659 *Cum his vtinor.* Profectò quia maior est communiter virorum ad vxoricidium audacia quam fœminarum ad viricidium: ad virorum audaciam cohibendam, ius Canonicum pœnam hanc statuit viro vxorem necanti, non autem è contra vxori virum interficienti. Nefas enim duxit, vel de immani huiusmodi crimine gerere mentionem.

DVBIVM CLXIV.

An incurrat Presbytericidij impedimentum quislibet Presbyteri interfector, etiam in iudicio contentioso minime conuictus? *Mors Presbyteralis.*

660 *Incurrit quidem.* INcurrit quidem. Quia Innocentius *cap. 2. de pœni. & remiss. num. vnic. statim in princip.* id asserit, dum ait, pœnitentiarium debere præcipere ei interfectori, vt abstineat à matrimonio. Vbi clare videtur textum intelligere de interfecto conuicto in pœnitentiæ foro, non in contentioso. Ergo textus ille: *Qui Presbyterum occiderit conuictus, absque spe coniugij maneat.* Intelligendus de conuicto in foro pœnitentiæ, non de conuicto in foro contentioso. Sic Viuald. *Candelab. part. 1. vbi de matrim. numer. 105.* Henriquez *lib. 12. cap. 2. num. 1.* Nauar. *sum. c. 22. num. 74.*

661 *Non incurrit.* Non incurrit. Quia expresse in eo *cap. 2.* exigitur, vt *conuictus* sit. At in foro pœnitentiæ nulla est conuictio: cum eo in foro testes, & accusator externus non adsint, sed ipsemet pœnitens propria sponte crimen fateatur. Ita Hosti. *eo cap. 2. num vnic. ad verb. Conuictus.* Anton. *ibi, num. 6.* Abbas *num. vnic.* Sotus *in 4. dist. 37. quæst. vnic. artic. 1.* Palac. *dist. 34. dub. 2.* Tolet. *libr. 7. cap. 15. num. 6.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de impediment. non dirim. numer. 9.* Sanchez *lib. 7. d. 6. num. 9.*

662 *Hoc mihi verius.* Scio, Doctores graues admodum asseruisse, vnam, & alteram illius verbi: *Conuictus* expositionem probabiliter posse sustineri. Quod quidem non abnegans, adhuc existimo desiderari ad hanc pœnam incurrendam, vt interfector sit conuictus in foro consentioso, vbi vere rei conuincuntur.

DVBIVM CLXV.

An lethaliter semper delinquat, qui cum interdicti Ecclesiæ, impedimento impedienti matrimonium contrahit?

663 *Semper est lethale.* VErum de impedimento criminis ex susceptione filij in Baptismo, aut Confirmatione ex impedimento pœnitentiæ publicæ, ac cõiugij cum Moniali apud Doctores controuersum inueni, quod per dubia possit deseruire. Vnde hoc Caput, & præcedens absoluo requirens: an lethaliter delinquat, qui cum aliquo ex cunctis memoratis impedimentis impedientibus coniugium contrahit? Ac primo rogito de impedimento interdicti Ecclesiæ. Quando alicui interdicitur ab Ecclesia ad tẽpus aliquod, matrimonium inire, lethaliter semper delinquit

contra illud interdictum contrahens. Quia *c. fin. de matrim. contract. contra interdictum Eccl.* præcipitur, hunc excommunicari: at sine graui culpa excommunicatio non fertur. Et quidem rem esse grauem, quis non videat? Sic D. Antonin. *p. 3. tit. 1. c. 16.* Paludan *in 4. dist. 34. qu. 1. a. 1. concl. 4. n. 10.* Caiet. *sum. v. Matrimonium, c. 1.* Nauar. *sum. cap. 22. num. 68.* Toletan. *l. 7. cap. 14. n. 2. & c. 18. n. 4.* Petr. de Ledes. *q. 50. a. vni. concl. 4.* & alij.

664 *Non semper est lethale.* Non semper delinquit lethaliter, qui contra Ecclesiæ interdictum init matrimonium. Quia quis dicet esse mortale, quando solùm ob diei festi honorem fit prohibitio: aut si causa alicuius impedimenti obiecti, & contrahentibus constat falsò esse impositum? Ita Sanch. *lib. 7. d. 17. n. 1.* Sà *v. Matrimonium vbi de imped. non dirim. n. 1.* referens, aliquos Doctores, sentire, esse culpam lethalem contra interdictum Ecclesiæ contrahere: alios culpam venialem. & nihil decidit. Videtur tamen Sancio, & mihi, huic posteriori sententiæ adhærere, cum illam posteriori in loco referat.

665 *His haeo Doctoribus.* Hanc sententiam eligo. Non quia Veracruz *p. 1. specul. ar. 27. concl. 2.* numerat inter impedimenta quæ vsu abrogata sunt hoc impedimentum. Nullibi enim potest esse huiusmodi consuetudo. Quorsum enim Iudex interdiceret ad tempus matrimonium, dum de impedimenti veritate discutitur, si id præceptum nullas vires obineret? aut quæ consuetudo posset inducere, vt nondum ea discussione facta præceptum Superioris iustissimum parui fieret? Sed ideo existimo priorem sententiam aliquantulum esse temperandam. Non enim semper erit culpa lethalis, contra id interdictum contrahere: sed attendenda est causa prohibitionis, & iuxta eam res hæc metienda erit. Vnde cautè Petr. de Ledesma non dixit, semper esse peccatum mortale contrahere contra id interdictum Ecclesiæ: sed aliquando.

DVBIVM CLXVI.

An si impedimenta alia non abierint in desuetudinem: mortale sit affectum illorum aliquo coniugium contrahere?

666 *Non est mortale.* Licet rigor iuris hæc impedimenta statuentis seruetur indemnis, non est mortale eis impeditum coniugium inire. Quia non tanti momenti ab Ecclesia existimantur: quod testatur superiorum stylus, qui transgressores minime puniunt. Sic Petr. de Ledes. *quæs. 50. de matr. a. vni.* Tolet. *l. 7. c. 18. n. 4. & c. 15. fine*, licet inclinet in eam partem, vt sit mortale: at aliquantulum dubitat, nec affirmare audet.

667 *Mortale est.* Mortale est. Quia iuri in re graui contrauenitur. Ita Palud. *in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. n. 14.* Sotus *dist. 37. q. vnic. art. 1.* Petr. de Soto *lect. 14. de mat. §. pen.* Nauar. *sum. Hisp. c. 22. n. 74.* Henriq. *l. 12. c. 2. n. 1.* Barth. à Ledes. *dub. 59. §. pen.* Tolet. *l. 5. c. 12. n. 3.* Manu. *to 2. sum. cap. 229. n. 2.* Vega. *tom. 2. sum. cap. 5 casu 4.* & alij.

668 *Idem sentio.* Crediderim, solùm excusari à mortali, qui aliquo ex iis impedimentis affectus, init coniugium, quando consuetudo viguit, ne dispensatio petatur.

DVBIVM CLXVII.

An valeat, consuetudo contraria, vt à peccato lethali excuset ur, qui affectus aliquo impedimento impedienti init matrimonium?

669 *Non valet.* Non valet huiusmodi contraria consuetudo, nisi constet, Episcopos, id diù scienter dissimulasse. Quia consuetudo vires non habet ad legem abrogandam, nisi scita sit à Principe. Sic Palud *in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. n. 14.* D. Antonin *p. 3. tit c. 16. §. 4.* Rosel. *v. Impedimentum, imped. 8.* Sylvest. *v. Matrimonium, 7. quæs. 6. dicto 2.* Nauar. *sum. Hisp. c. 22. n. 75.*

670 *Valet quidem.* Valet huiusmodi contraria consuetudo, ad excusandum à peccato, vbi obtinuit, ne super his impedimentis dispensatio petatur. Quia Ecclesia id patiens censetur dispensare. Ita Caiet. *sum. v. Matrimonium, c. 1.* Armil. *v. Matrimonium, n. 60.* Petr. de Soto *lect. 14. de matr. §. penult.* Sotus *in 4. dist. 37. q. vni. a. 1.* Barth. à Ledes. *dub. 59.* Ludou. Lop. *p. 2. Instr. c. 46.*

671 *Quid sentiam vberius exponc.* Certe si consuetudo viguit, vt cum his impedimentis, nulla dispensatione petita, matrimonium ineatur, illud inire prorsus vacat à culpa. Quia consuetudo vires habet ad legem Ecclesiasticam abrogandam, (*c. fin. de consuetud.*) quæ sola hæc impedimenta induxit: & ea consuetudo ab omni culpa excusat, cum legem abroget, quæ culpæ inducendæ ob eius transgressionem, causa erat. Non verò desideratur Prælatorum scientia, vt ea consuetudo vires obtineat aduersus hæc impedimenta, & hodie liberet à culpa contrahentem cum illis absque dispensatione. Quia nunquam ea scientia desideratur, quamuis sit circa Sacramentalia, & textus dicat: *Non obstante quacumque consuetudine*, vt docte probat Sanch. *l. 7. d. 4. num. 14.* Nedum vbi ea verba non adiiciuntur: vt contingit in textibus hæc impedimenta præscribentibus. Profectò iam diù ea consuetudo inualuit, vt affectus aliquo ex his impedimentis, minime petita dispensatione, matrimonium ineat. Quod inde constat, quia Doctores antiqui, ac Neoterici, & sane doctissimi, qui in diuersis orbis partibus scripsere, ac versati sunt, eam consuetudinem legitime præscriptam esse testantur, conscriis, ac conniuentibus Prælatis, (quamuis hoc non desideretur, vt dixi,) & præsertim Nauarrus, qui varias Regiones longe inter se dissitas peragrauit, ac centesimum suæ annum feliciter compleuit, semper studiis intensissime vacans, ac vndique circa conscientiæ quæstiones consultus: qui quidem affirmat *sum. Lati. c. 22. n. 75.* loquutus de incestu, & *n. 85.* locutus de aliis impedimentis, se in tanta ætate nec vidisse, nec audisse peri dispensationem, cum diù apud Romanam Vrbem moratus fuisset: vnde concludit eam consuetudinem præscripsisse, ne sit dispensatio necessaria. Ex his deduco, nullius culpæ reos esse, qui affecti aliquo ex his impedimentis, matrimonium absque dispensatione ineunt.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Circa Impedimentorum Dispensationem.

DVBIVM CLXVIII.

An Pontifex possit in impedimentis iure diuino & naturali matrimonium dirimentibus aliquando dispensare?

672 *Potest aliquando.*

POTEST aliquando in speciali casu dispensare. Potest namque casus occurrere, in quo ob bonum Regni expediat, vt soror fratri nubat contra iuris naturalis prohibitionem. Sic Millis *in suo repertor. lit. D. num. 13. verb. Dispensatio, v. Dispensare potest Papa.* Hieron. Paulus & Loazes apud Sanchez *lib. 8. d. 6. nu. 5.* Angel. *v. Matrimonium. 3. impedimen. 18. num. 2.* Borgasi. *de irregular. part. 6. titul. de sponsal. num. 5.* Henriq. *l. 12. cap. 9. nu. 3. & cap. 1. num. 2.* Vbi ait, de iure naturæ esse irritum matrimonium inter auum & neptem: at posse Pontificem ex magna causa dispensare. Et Syluest. ac Petr. de Soto id videntur sentire, cum oppositam sententiam vocent probabiliorem.

673 *Nunquam potest.*

Nunquam potest, nisi in casu voti solemnis Religiosorum (de quo inferius.) Quia quãuis Deus præuiderit, posse occurrere casus, in quibus rationi consona ac expedientior dispensatio esset: at præponderat huic bono inuiolabilis illarum legum custodia, nè aperta dispensandi via, passim in illis dispensaretur: ex qua dispensationis spe grauissima insurgerent incommoda. Certè hoc approbat vsus Ecclesiæ, quæ in nullo euentu hactenus dispensauit, vt matrimonium parentum cum filiis, aut fratrum cum sororibus, vel auorum cum neptibus ineatur. Et si aliquando in coniugio fratrum forte dispensatum fuisse legatur, id euenit, quod Pontifex ille dispensans amplexus fuerit opinionem Doctorum asserentium, solo iure Pontificio dirimi matrimonium inter fratres & sorores. Sic Sanchez *citat. num. 10.* citans triginta sex Doctores. Basil. *l. 8. cap 2. nu. 16.* Bonac. *quæst. 3. pun 15. numer. 1.* Hurtad. *d. 26. diffic. 1.* Cornejo *d. 7. dub. vltim.* Villalob. *tr. 14. diffic. 25.*

674 *Hoc mihi certissimum.*

Hoc mihi certissimum. Nec enim crediderim, Christum Dominum hanc potestatem Pontifici impendisse tot incommodis proculdubio obnoxiam. Quamuis enim occurrere possit casus in quo dispẽsatio in impedimento iuris naturalis esset expediens bono communi ac valide necessaria, vt in matrimonio inito inter fratrem, & sororem. At ex ea dispensandi potestate tot fornicationes inter fratres & sorores consurgerent, aut pericula tanti sceleris admittendi, ac tanta naturalis indecentia est in his matrimoniis, vt præponderent hæc bono, quod sequi posset, ea potestate dispẽsandi in Ecclesia relicta: vnde fortasse, quam par est, dispensationis ad plures aperiretur via. Et ideò Deus omnino circa hæc potestatem dispensandi denegauit: sed tantum facultatem hæc matrimonia ineundi concessit, vbi lex naturalis conseruandi generis humani strictior vrgeret: vt si soli parentes & filij in orbe essent superstites.

DVBIVM CLXIX.

An possit dari casus, in quo Pontifex valeat dispensare, imo præcipere patri, vt filiam ducat in vxorem?

PONO, in mundo supereſſe ſolum Pontificem ac patrem & filiam Non potest Pontifex dispensare, aut præcipere vt pater filiam ducat sine expressa Dei concessione. Quia hoc in casu irrogatur maxima irreuerentia opposita pietati, aut obseruantiæ, cui priuatus cedere, aut acquiescere nequit, cum sit opposita pietati, & non iustitiæ, cuius damno potest ex rationabili causa cedere, & acquiescere. Sic Merati. *de matr. d. 9. sect. 6.* Coninch *d. 32. n. 14.* Hurtad. *d. 18. diffic. 3.* Perez *de matr. d. 38. sect. 3. nu. 11.* addens, & si solus pater & filia, vel mater & filius ex omni hominum genere supereſſent, non fore licitum in eo casu matrimonium contrahere, nec Deum posse talem facultatem concedere; quia illud est adeò intrinsece malum, & à ratione abhorrens non secus ac mendacium, vt nulla decenti causa possit cohonestari. 675 *Non potest.*

676 *Potest plane.*

Potest Pontifex dispensare, imo iubere patri vt filiam ducat. Quia malum ordinis inferioris, quale est damnum priuatum irreuerentię paternæ ex tali coniugio consurgens debet cedere superioris ordinis bono, vt est conseruationis speciei humanæ. Ita Sanch *lib. 8. d. 6. num. 10.* Basil. *l. 7. c. 31. numer. 5.* Henriquez *l. 12. cap. 9.* Bauni. *tom. 1. tract. 12. de impedimen. consanguin. q. 2. asser. 3.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 5. num. 168.* Caspens. incursu *Theol. tom. 2. tract. 26. sect. 8. num. 36.* Texeda *in Theol. mor. tom. 2. l. 4. tract. 2. num. 15.* Caiet. 2. 2. *qu. 154. art. 9. ad 3.* Sotus *in 4. dist. 40. quæst. vni. art. 3.* Diana eruditè admodum *parte. 8. tract. 1. resol. 71.*

677 *Quid sentiam expono.*

Scio in hoc casu debere Pontificem secum in cœlibatu dispensare, & ducere illius superstitis solum patris filiam ducere. Sed posito esse ineptum coniugio summum Præsulem, asserro, posse patri ac filiæ præcipere, vt coniugium ineant: illique tenentur obedire. Quia si aliquando pater potest filio præcipere, vt certum contrahat matrimonium, & filius obedire tenetur: quanto iustius poterit Pontifex patri iubere, vt suam filiam ducat in vxorem ad interitus vniuersi commune vitandum incommodum: cui cedere debet priuatum irreuerentiæ damnum. At huiusmodi in casu Pontifex non dispensaret, sed declararet, naturale ius

minimè obligare, vt aptè meus amiciſſimus Antonius Diana annotauit. Vt autem in promptu habeas quid Pontifex circa hoc poſſit, iuxta varias ſententias varie ſentiendum eſt. Nam qui docent, iure naturæ eſſe irritum & deſcendentes; ſubinde matrimonium inter quoſcumque aſcendentes ſentiunt in iis gradibus non poſſe diſpenſare Pontificem. Et qui tenent, aliquos ex iis gradibus ſolo iure Pontificio inductos eſſe; ſentiunt conſequenter, eos Pontificiæ ſubdi diſpenſationi. Et ſimiliter circa gradus affinitatis, ac reliqua impedimenta opinantur. At cum iuxta meam ſententiam ex gradibus conſanguinitatis ſolus primus in linea aſcendentium, nempe inter parentes & filios: & ſolus primus in linea tranſuerſa, vt inter fratres & ſorores dirimit iure naturæ matrimonium: in his duobus gradibus nequibit Pontifex diſpenſare: at in reliquis poterit. Et ſimiliter cum in nullo affinitatis gradu etiam lineæ rectæ irritetur iure naturæ matrimonium: poterit in omni eo Pontifex diſpenſare. Præterea cum error perſonæ dirimat iure naturæ ſecundum omnes: & impedimentum impotentiæ, vt probabilius duco: in neutro impedimento poteſt Pontifex diſpenſare. At poteſt in defectu ætatis ad coniugium requiſitæ: quia de iure Pontificio eſt. Itaque vt ſummatim dicam. Solum nequit Pontifex diſpenſare in errore perſonæ, in impotentia, in conſanguinitate in primo gradu aſcendentium, & trāſuerſę.

DVBIVM CLXX.

An ſolæ Pontifex poſsit in impedimentis iure humano dirimentibus diſpenſare?

678 *Non ſolus Pontifex diſpenſare poteſt.*

NOn ſolus Pontifex diſpenſare poteſt. Quia quamuis Legatus nequeat generaliter diſpenſare in aliquo horum impedimentorum: poteſt tamen cum aliquibus perſonis. Sic Goffred. *apud, Sanch. citandum.* Et quia Epiſcopus diſpenſare poteſt in impedimento cognationis ortæ ex Baptiſmo tempore neceſſitatis non ſolemniter collato, dum facilis ad Papam aditus non pateret. Sic Sotus *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. art. 1.* Et *quæſt. 2. art. 2.* ait, ſi cognati legales inueniuntur, matrimonium iniiſſe, & facillimus non pateret ad Pontificem recurſus, poſſe Epiſcopum diſpenſare. Ludou. Lopez *par. 2. Inſtruct. vbi de matrimon. cap. 51.* Sà *verb. Matrimonium, vbi de impedimen. numer. 6.* Et quia ſi contra impedimentum Publicæ honeſtatis ex ſponſalibus orto aliqui contraxerint, & expeditiſſimus non ſit ad Papam acceſſus, Epiſcopus diſpenſare poteſt. Sic Ludouic. Lopez *citat. cap. vltim.* & Sà *vbi ſup.* Et quia iuxta quorumdam probabilem opinionem, in dubio, an res diſpenſatione indigeat, poteſt Epiſcopus declarare, non deſiderari diſpenſationem: vel ad cautelam diſpenſare. Sic Sà *verb. Diſpenſatio, numer. 1.* Ergo non ſolius Pontificis eſt, in impedimentis diſpenſare.

679 *Solus Pontifex poteſt.*

Solus Pontifex poteſt in impedimentis ſolo Pontificio iure dirimentibus diſpenſare. Quia omnia illa ſunt iure communi inducta, in quo tanquam in lege Superioris nequeunt inferiores ordinariè diſpenſare, *cap. Inferior. d. 21. Clement. Ne Romani. de elect.* Ita Tolet. *libr. 7. capit. 18 num. 5.* Barth. à Ledeſ. *de matrimon. dub. 44.* Angel. *verb. Matrimonium. 3. imped. 18. n. 3.* Sylueſt *verb. Matrimonium. 6. quæſ. 6.* Sanchez *libr. 8. dub. 6. numer. 14.* Baſil. *libr. 8. cap. 13. numer. 1.* & alij.

Cum his partem hanc certiſſimam eſſe reor. 680 *Partem hanc certiſſimā eſſe reor.*

Quia nec Legato Pontificis integrum eſt in his impedimentis diſpenſare. Quia Legatus etiā à latere circa diſpenſationes ea poteſt ſolum in Prouincia ſibi commiſſa, quæ in ſua diœceſi poteſt Epiſcopus. At hic nec in impedimento cognationis ortæ ex Baptiſmo tempore neceſſitatis non ſolemniter collato diſpenſare poteſt, dum facillimus non patet ad Pontificem aditus. Quia cum iſthæc omnia impedimenta æquè ſint iure Pontificio inducta, & æquè dirimant matrimonium: nullā diſcriminis rationem video cum in aliis impedimentis nequeat Epiſcopus diſpenſare, ſiue ante matrimonium contractum, ſiue poſt: at in hoc poſſit. In caſu autem, quo vltimo loco ex P. Emanuele de Sà innuimus, non omninò admittendum eſſe, quod aſſeruit exiſtimo: ſed ſic diſtinxerim: ſi omnino res ſit dubia, an interueniat impedimentum, necne: nulla opus eſt diſpēſatione. Quia in hoc dubio præſumptio eſt pro libertate ad contrahendum: ac poſſet tunc Epiſcopus gratia tollendi ſcandali, declarare non eſſe opus diſpenſatione: vel ad cautelam diſpenſare. Sed crediderim, hāc non eſſe veram diſpenſationem. Et ideo ſi poſteà, etiam inito matrimonio, conſtaret impedimentum dirimens ineſſe, alia Pontificis diſpenſatio eſſet requirenda.

DVBIVM CLXXI.

An Epiſcopus in caſu magnæ neceſſitatis poſſit in impedimentis dirimentibus poſt contractum matrimonium diſpenſare?

MInime poteſt. Quia non poteſt Epiſcopus in lege Pontificis, aut Concilij diſpenſare, quia hæc impedimenta ſtatuta ſunt, Sic Sotus *libr. 1. de iuſt. quæſtion. 7. articul. 3. & in 4. diſt. 37. quæſtion. vnic. articul. 2.* Cordu. *lib. 1. qq. quæſtion. 11.* Veracr. *part. 3. ſpec. art. 18.* Medina *1. 2. qu. 97. art. 4.* 681 *Minime poteſt.*

Poteſt quidem, hiſce concurrentibus circumſtantiis: vt matrimonium ſit publicum, impedimentum occultum, ſcandalum in ſeparatione nec ad Pontificem aditus pateat, inopia, aut alia cauſa impediente. Quia quamuis regulariter nequeat Epiſcopus in lege Pontificis, aut Concilij diſpenſare: poteſt tamen in caſu vrgentis neceſſitatis, quando ad Pontificem non patet aditus. Nam Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi quidquid Pontifex in tota Eccleſia, niſi aliquid Pontifex ſibi reſeruet. Quare ſi Epiſcopus diſpenſare nequeat in his impedimentis, inde prouenit, quia Pontifex ſibi reſernat: ſed non eſt veriſimile in caſu tantæ neceſſitatis reſeruare: Ergo poteſt Epiſcopus. Minorem probo: quia 682 *Poteſt quidē.*

quia reseruatio hæc sit ob charitatem bonamque Reipublicæ gubernationem: esset autem contra charitatem, & suauem gubernationem Ecclesiæ in casu tantæ necessitatis, quando aliter peccata, & scandala vitari non possunt, manerentque homines remedio destituti, reseruationem intelligi. Ergo in eo casu intelligenda non est. Ita Nauar. *sum. capit.* 22. *num.* 85. Henriq. *l.* 2. *c.* 1. *num.* 1. Sanch. *l.* 2. *d.* 40. *nu.* 3. & *l.* 8. *d.* 9. *num.* 10 & alij apud ipsum Basil. *l.* 8. *c.* 13. *à numer.* 2. Vasq. 1. 2. *d.* 178. *c.* 2. *num.* 16. Rebel. *p.* 2. *l.* 3 *qu.* 5 *n.* 10. Salas *de legib. d.* 20. *sect.* 3. *num.* 25. Ricci. *in praxi decis.* 261. Hurtad. *d.* 26. *diss.* 1. *num.* 6. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 19. & *p.* 5 *tr.* 4. *resol.* 18. & *part.* 8 *tr.* 3. *resol.* 78. & 79. & alij

683 *Cum hac opinatur.* Cum his opinor. Quia fortior est reseruatio, dum Pontifex sibi reseruat alicuius criminis præterquã in mortis articulo absolutionem & tamen probabilissimum est, posse Episcopum absoluere quando ratione impedimẽti non est ad Pontificẽ recursus, vt tenent Doctores, quos refert Henriq. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 1. & *c.* 9. *n.* 7. & *c.* 10 *n.* 1. & 2. vbi idem asserit de casibus reseruatis in moribus propriis Sixti V. non obstãti regidissima reseruatione cum derogatione Bullæ, & Tridentini. Ergo à fortiori in casu nostro, vbi non tam rigida & stricta est reseruatio poterit Episcopus. Certe id fieri ab Episcopus Romano Pontifici est notum, & nihilominus tacet: Ergo id approbare est præsumendum.

686 *Hoc verum existimo.* Hoc verum existimo, idemque dicendum affero, quamuis ignoranter contractum sit matrimonium, si solemnitates requisitæ neglectæ sint, quia expresse id Concilium decernit. Secus esset, si ignoranter initum sit coniugium, & ex Ordinarij licentia solemnitates illæ denuntiationum sunt omissæ; quia tunc non temere contemnuntur: & licet huiusmodi licentiam Ordinarius haud iustè impertierit, æquum non est, ob alterius delictum innocentem puniri. Rogabis, quando dicatur mala fides? Respondeo, non satis esse scientiam speculatiuam qua coniux ex. gr. nouit se accessisse ad consanguineam eius, cum qua contrahere vult matrimonium, nisi adhæreat scientia practica, qua sciat, inde oriri impedimentum ad matrimonium contrahendum. Nec excludetur bona fides, quamuis, procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili, vt tradit Barthol. *l. Quod Nerua num.* 21. *ff. depositi.* Quia Tridentinum petit, vt scienter peccetur, vbi: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit.* Dum autem decretum aliquod petit, scienter aliquod fieri excusat ignorantia quantumcumque crassa, & lata culpa; quia vere non dicitur scienter facere, qui ex ignorantia crassa facit sed dolus requiritur. Lege Sancium *citatum.*

DVBIVM CLXXII.

An desideretur in contrahentibus bona fides, vt Episcopus in his casibus valeat dispensare?

684 *Non desideratur.* NOn desideratur. Quia dum multi grauissimi Doctores dum conditiones requisitas ad hanc dispensationem explicant, bonæ fidei non meminerunt. At si necessaria esset, haud est verisimile, vnum aut alterum Doctorem non expressurum. Sic Henriquez *lib.* 12. *c.* 3. *num.* 2. *liter. X. & O.* citans Angelum, Syluestrum, Tabienam, Armillam, Nauarrum, Capuam, Manuelem Anonium Gomez, Ludouicum Lopez, Spinumt, Antonium Cucchum, qui quidem alias annotando conditiones, hanc omnino prætermittere: Ergo non desideratur.

685 *Desideratur omnino.* Desideratur omnino. Quia Tridentinum *sess.* 24. *c.* 5. fatur: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta facile contempserit.* Cum ergo Tridentinum in hoc casu mala fide contrahentes spe dispensationis consequendæ perpetuo carere debere, statuat: minime poterit Episcopus dispensare. Ita Sanchez *libr.* 2. *dub.* 40. *num.* 4.

DVBIVM CLXXIII.

An possit Episcopus in casu magnæ necessitatis dispensare in impedimento dirimenti ante initum matrimonium?

687 *Non potest.* NOn potest. Quia si dispensare nequit post contractum matrimonium vt *num.* 681. vidimus, huiusmodi enim potestate priuatur Episcopus circa Pontificum ac Conciliorum decreta: à fortiori nequibit ante initum coniugium. Sic Sotus *l.* 1. *de iust. q.* 7. *a.* Cord. *l.* 1. *qq. q.* 11. Veracr. *p.* 1. *spec. a.* 18. Nicol. Garcia *p.* 11. *c.* 5. *à num.* 343. Gutier. *de matrim. cap.* 49. *num.* 11.

688 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia impedimenta hæc iuris humani sunt statuta Pontificia ex lege, vel concilio: sed in hac lege ex magna necessitate potest Episcopus dispensare post contractum coniugium, vt *Dub.* 181. Ergo idem poterit ante coniugij contractionem. Porro sententia asserens, posse Episcopum dispensare post contractum matrimonium illi fundamento innititur, quod possit Episcopus in lege Papæ, aut Concilij dispensare in casu vrgentis necessitatis: Ergo similiter poterit ante initum matrimonium, vrgente necessitate. Quamuis enim eo semel contracto, frequentius necessitatis casus occurrat: at cum sola prohibitio iuris humani in vtroque casu resistat, similiter occurrente pari necessitate, poterit ante matrimonium contractum dispẽsare. Ita Sanchez *libr.* 2. *dub.* 40. *numer.* 7. Basil. *lib.* 8. *cap.* 13. *numer.* 6. citans P. Vazquez, Salas, &

& Gabrielem. Bonac. *quæſt. 3. punct. 1. nu. 6.* Leand. *tr. 9. d. 12. q.* 8. Diana *p. 8 tr. 3. reſol.* 80. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 35. num. 5.* Reginal. *lib. 31. cap. 27. num. 205.* ornejo *d. 7. dub. vlt.* Machad. *libr. 4. parte. 6. tract. 16. docum. 11. numer. 4. & 5.* Candid. *diſq. 28. articul. 16. dub. 3.*

689 *Eiuſdem ſum mentis.* Eiuſdem ſum mentis. Vt autem rem planiorem reddam, caſus aliquos huiuſmodi magnæ neceſſitatis exponam. Si quis morti proximus ad legitimandos filios, vel reſtaurandum honorem vel pro bono pacis, &c. deberet cito contrahere, obſtante dirimenti impedimento. Sed prius adhuc exemplum exhibeo. Accidit mulier mane faſſura, & habens impedimentum dirimens à confeſſario reperitur, cuius detectio infamiam grauem produceret, & ſunt iam omnia ad nuptias veſpere celebrandas præparata: & tentatis omnibus mediis nulla euadendi via aperitur, ſed ſuſpicio vehemens alicuius detecti in confeſſione criminis orietur. ſi fœmina velit à nuptiis abſtinere, aut differre, dum diſpenſatio à Pontifice obtinetur. Si ergò nulla alia media prudentis reperiantur arbitrio attentis circumſtantiis occurrentibus, credo poſſe Epiſcopum diſpenſare. Annotarim vero in eiſdem caſibus, in quibus Epiſcopus ſua poteſt diſpenſare in Diœceſi, poſſe Legatum in ſuæ commiſſionis Prouincia: non tamen Vicarium Epiſcopi abſque peculiari eiuſdem commiſſione.

DVBIVM CLXXIV.

An tantum ſit pro interiori foro poteſtas, quam Epiſcopus habet ad diſpenſandum in neceſſitate ſuper impedimenta dirimentia?

690 *Tantum eſt pro foro conſcientiæ.* TAntum eſt pro inferiori foro. Quia Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* concedit caſus Epiſcopo pro ſolo conſcientiæ foro. Dicetur vero impedimentum occultum, quando non publice conſtat, nec facile conſtare poteſt, periculumque non eſt, vt in foro externo detegatur. Sic Henriquez *libr. 12. cap. 3. numer. 2.* Sanchez *lib. 2. dub. 40. numer. 10.* Baſilius *citandus.*

691 *Non eſt tantum pro foro conſcientiæ ſed pro externo.* Non eſt tantum pro interiori foro, ſed etiam pro externo poterit in aſſignatis caſibus diſpenſare. Quia abſolute Episcopus poteſt diſpenſare, non obſtante Concilio in caſu magnæ neceſſitatis, vel vtilitatis, vt docent Tiraquel. Lambert. Rebuf. Humada, Spino, & alij, quos citat, & ſequitur Barboſa *ſeſſ. 1. num. 4.* Et poteſt ſtatuere contra ius commune, caſu quo id faciat ex euidenti, & neceſſaria cauſa, quæ ſuperiorem ad id concedendum moueret, vt ex Iaſone, & Riccio docet Baſil. *libr. 8. cap. 13. num. 6.* Et quia ideo poteſt diſpenſare Epiſcopus in impedimentis dirimentibus in caſu magnæ neceſſitatis, quia Pontifex id ob animarum ſalutem, ſi requiſitus eſſet, conceſſiſſet. Ergo ex rationabili Pontificis præſumpta pro vtroque foro diſpenſare poterit. Sic citati Doctores. Imò Baſilius pro prima ſententia citatus ſibi aliquaſi liter contrarius inclinat. Et Leand. *tr. 9. d. 14. q. 9.* licet adhibita diſtinctione, quæ ad rē non eſt, tandem in noſtro caſu abſolute concedit.

692 *Cum hac reſtr.* Exiſtimo, Epiſcopum diſpenſare poſſe in publico huiuſmodi impedimento, caſu, quo adſit neceſſitas maxima, & non pateat aditus ad Pontificem, cum ſit in mora periculum magnum. Quia ea ſola, vel præcipua de cauſa poteſt Epiſcopus in præfato euentu diſpenſare in impedimentis occultis pro foro interno, quod ob vrgentem diſpenſandi neceſſitatem præſumitur à Pontifice facultatem habere, vt docent Sanch. Baſil. & alij ſupra citati: Ergo ſi detur caſus, in quo magna neceſſitas vrgeat, etiam in publicis impedimentis, & pro foro externo diſpenſandi cenſeri etiam debet eandem à Pontifice facultatem habere. Certe & ſi difficile videatur, huiuſmodi neceſſarium caſum poſſe accidere, tamen impoſſibile non eſſe quis non fateatur?

DVBIVM CLXXV.

An ex ſpeciali Epiſcopi commiſſione poſſit eius Vicarius generalis in impedimentis dirimentibus in caſibus, quibus ipſe poteſt, diſpenſare?

693 *Non patet.* NOn poteſt. Quia *cap. vltim. §. finali, de offic. deleg.* dicitur: *Nulli, cui commiſſum fuerit excommunicare, vel abſolu re aliquos, diſpenſare cum irregularibus: liceat hæc aliis demandare, quia non ſibi iuriſdictio, ſed certum miniſterium potius committitur.* Et Tridentinū *ſeſſ. 24. c. 6.* vbi concedūtur Epiſcopis caſus Pōtificis occulti, explicat: *Per ſe, vel per Vicarium*: Ergo clarè denotat, non poſſe delegare. vbi nō cōmittitur Epiſcopis delegandi poteſtas, ſic nonnulli Doctores apud Sylueſtr. *citandum*. Fauent Bald. *l. 2. n. 6* Felin. *c. Quod ſedem de offic. ordinar. numer. 2.* Gratian. multos referens *regul. 443.* aſſerentes, iuriſdictionem voluntariam commiſſam ex Principis priuilegio, delegari non poſſe.

694 *Poteſt quis.* Poteſt delegare. Quia iuriſdictio ex Principis priuilegio competens non perſonæ, ſed perpetuò dignitati vel officio, non eſt delegata, ſed ordinaria, & poteſtatis ordinariæ iura habet, & ſequitur. Ita Henriquez *libr. 12. cap. 3. numer. 1.* Baſil. *libr. 8. cap. 13. numer. 5.* Sanchez multos citans, *libr. 2. dub. 40. numer. 14.* Hurtad. *dub 26. diffic. 2. n. 7.* Coninch *d. 33. numer. 33.* Bonac. *q. 3. pun. 15. n. 6.* & alij.

695 *Hanc ſententiam veram admodum puto.* Hanc ſententiam adeò veram exiſtimo, vt quamuis certum ſit, reſeruata ſpecialiter Principi in ſupremæ iuriſdictionis ſignum delegari non poſſe: fallat, niſi quis ex officio, aut dignitate habeat ius ea exercendi, licet id contigerit cauſa priuilegij conceſſi: tunc enim etiam poterit delegare. vt docet Couar. *3. variar. cap. 20. numer 10.* Idem autem non ſolum Vicario generali, ſed cuique delegare poteſt, ſi tamen excipias, quando res commiſſa tanti momenti eſt, vt per quemcumque expediri non valeat: qualis eſt poteſtas conferendi Beneficia, quam ſoli Vicario generali ſuo poterit Epiſcopus delegare. Vt annotat Gloſ. *cap. Deliberatione. verb. Cuicumque. de offic. delega.*

in

in 6. & multi alij, quos refert, ac sequitur Couar. *loc. n. 6.*

DVBIVM CLXXVI.

An possit Episcopus post initum matrimonium dispensare semper in impedimento, cui subreptitiè fuit obtenta dispensatio?

696 *Potest plane.* POtest quidem Quia *cap. Quia circa, de consanguinit.* vbi consultus Innocentius III. de quibusdam, qui, subreptitia dispensatione, matrimonium contraxerant: sic respondit: *Dissimulare poteris, vt remaneant in copula si contracta, cum ex separatione graue videas scandalum imminere.* Potrò dissimulatio illa dispensationem Pontificis inducit, ratione cuius Episcopus valeat quasi dispensando dissimulare, seu ratum illud coniugium habere. Vnde consequenter idem poterunt, vbi similis casus occurrerit Episcopi. Quod si obiiciatur *c. Cum iam dudum de præbend.* ex quo constat Principis dissimulationem dispensationem non inducere: respondeo, aliud esse impunitate, ac facto Principem tolerare: tunc enim non dicitur dispensatio, iuxta *c. Non dudum*: aliud vero respondendo dicere, *Toleramus*, vel *Toleratur*: tunc enim dispensat iuxta *cap. Quia circa.* Sic Glos. *ibi, in fine.* Innocent. *ibi fine.* Hostiens. *ad v. Dissimulare.* Ioan. Andr. *n. 1.* Cardin. *paulo post princ. ium.* Abbas *ad finem.* Henric. *n. 2.* Alex. de Neuo *n. 12.* Præpos. *n. 7.* Idem Abbas *c. Nisi, nu. 9. de præben.* Decius *c. 1. n. 4. de exception.* Syluest. *v. Lex, q. 6.* & alij.

697 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia textus citatus solum habet Episcopum dissimulare posse, vt remaneant illi in matrimonio mediante dispensatione subreptitia contracto, si ex separatione graue immineat scandalum. Ergo non dispensat Pontifex, aut annuit, posse Episcopum dispensare toties quoties dispensatione subreptitia contractum est matrimonium: sed solum in illo casu speciali, qui illo memoratur in textu. Ita Sanch. *l. 2. d. 38. n. 12.* Basil. *l. 8. c. 13. n. 5.* Diana *p. 8. tr. 3. resol. 8.* Leand. *tr. 9. d. 24. q. 12.* Nauar *c. si quis autem de pœnit. d. 7. an. 67.* Couar. 4. *Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 15.* Cordu. *sum q. 189. pun. 1.* Arag. *2. 2. q. 33. a. 6.*

698 *Hanc teneo, & expono sententiam.* Certe illi coniuges *c. Quia circa* memorati, bona fide existimabant, se legitimè coniugatos esse, & ex veritatis detectione graue scandalum timebatur: quapropter Pontifex tacendum ac dissimulandum esse dicit, illosque in matrimonio illo putatiuo, & inuincibili ignorantia excusato permittendos esse. Quod si velit huiusmodi præscriptam à Pontifice dissimulationem facultatem esse datam Episcopo, vt valeat dispensare: non tamen concesserim, ideo datam esse Episcopi s facultatem in dicto euentu generalem dispensandi: sed solummodo fuisse concessam pro casu particulari illi Episcopo. Ex quo non licet regulâ generalẽ deducere, vt quilibet Episcopus dispensare valeat quoties dispensatione subrepititia contractum est coniugiu m.

DVBIVM CLXXVII.

An Religiosi Mendicantes suorum priuilegiorum vi possint in aliquo impedimento dirimenti dispensare?

699 *Possunt in casu aliquo.* POssunt in aliquo. Quia Leo X. concessit Religiosis D. Augustini, vt dispensarent cum iis, qui scienter matrimonium cum impedimento affinitatis contraxere, modo id notorium non sit, nec in iudicium deductum. Sic Rosens. *libel. de causa matrimon. Regis Angliæ in principio.* Verac. *r. p. 2. spec. a. 17.*

700 *In nullo possunt.* In nullo possunt. Quia huiusmodi priuilegium nullatenus est in vsu: & pro solo vnico actu fuit concessum. Ita Sanch. *l. 8. d. 6. numer. 28.* Manu. *tom. 1. qq. Regul. quæst. 2. art. 2.* Henriq. *lib. 11. cap. 3. & lib. 7. cap. 28. num. 6. & liter. M. & N.* Candid. *disq. 28. art. 17.* Ludou. de San. Iuan. *de matrimon. quæstion. 20. art. 2. dub. 2.* & alij.

701 *Hoc esse indubitatum reor.* Indubitatum hoc esse existimo. Imo esto priuilegium in vsu sit, putarim, non aliud concedere, quam posse Mendicantes dispensare in incestuosis cum consanguineis coniugis, vt possint debitum exigere: ac eo matrimonio dissoluto, ad aliud transire: non tamen cum affini, vel aliud impedimentum habente. Monuerim nostræ Societatis Iesv Sacerdotes priuilegium habere à Paulo III. vt dispensare possint cum infidelibus ad fidem conuersis, qui in locis remotissimis commorantur & infidelitatis tempore matrimonium in gradibus solo iure humano prohibitis inieruntvt in eo permanere valeant, sed hoc priuilegium ad maiorem abundantiam est. Nam iuxta *c. Gaudemus, de diuortiis*, nulla est necessaria dispensatio Quia matrimonium infidelitatis tempore cõtra solas Pontificias leges initum, validum proculdubio est.

DVBIVM CLXXVIII.

An Episcopus valeat dispensare, ad petendum debitum, cum coniuge, cui debiti petitio est interdicta, affinitatis contractæ ex fornicatione cum altero coniuge causa?

702 *Nunquam, vel raro potest.* MInimè valet. Quia id impedimentum oritur ex affinitate inter coniuges contracta, in qua solus Pontifex dispensat. Et quia præceptum abstinendi tunc à debiti petitione à iure oritur Pontificio, *c. Transmissa, de eo qui cognouit consang.* & nec ibi nec alibi conceditur Episcopo in eo dispensandi facultas. Ergo Episcopus tanquam inferior nequibit in eo dispensare. Sic Couar. 4. *Decret. part. 2. cap. 7. §. 2. numer. 6.* Matien. *libr. 5. Recopil. tit. 1. rubr. Glos. 1. numer. 103.* Graf *part. 1. decis. libr. 2. cap. 83. numer. 12.* Hurtad. *dub. 26. diffic. 2. numer. 8.*

Nicol.

Nicol.Garc.*part.*11.*cap.*5.*numer.*355. Dubius manet D.Antonin.*p.*3.*tit.*1.*c.*20 §.8. Alij eandem sustinent cum quadam limitatione. Docent enim non posse Episcopum dispensare, nisi casu necessitatis,eo quod non pateat facilis ad Pontificem aditus, adsitque incontinentiæ periculum.Sic Sylvest,*verb. Debitum.qu.*9.Margaritas Confes.*6.præc.vers.*11. *fol.*89. Gutier.*l.* 1.*qq.Canonic.c.*23.*num.*17. Ludou. Lopez *part.* 1.*Instr.cap.*80. Et quando copula illa est sceleſtissima,vt cum socru, vel sorore vxoris, tenent Sotus *in* 4. *dist.* 37. *quæst.vnic.art.*3. Graf. *p.*1. *decis.lib.*2.*cap.*81.*n.*3.

703 *Semper potest.* Valet semper Episcopus in hoc dispensare, Quia quamuis attento iuris rigore nequeat:at ratione consuetudinis iam præscriptæ id potest:praxisque ipsa id testatur:passim enim Episcopi hoc in casu dispensant.Ita Palud.*in* 4. *dist.* 41.*quæst.*1.*art.*3.*concl.*2.*num.*28 *&* *concl.*3. *num.* 29.D.Antonin.3.*part.titul.*1.*cap.*11.*in princ.&* *cap.*15.§.3.*&* *cap.*16.§.4.*&* §.19.§.3.Sotus *in* 4. *dist.*37.*q.vnic.art.*2.Sà *verb. Debitum,numer.*13. Valent *part.*4.*disp.*10 *quæst.*5.*pun.*5.Tolet.*lib.* 5. *cap.*12.*num* 6.Henriq.*lib.*11.*cap.*15.*num.*11.Sanchez *libr.*8 *dub.*12.*numer.*12.Basil.*libr.*8.*cap.*13. *numer.*9.Bonac.*quæstion.*3.*punct.*15.*num.*5. Villalob. *tract.*13. *diffic.* 51. *numer.* 5. *&* *diffic.*52. *num.*10.

704 *Probabiliorē hanc puto sententiam.* Probabiliorem hanc iudico longe sententiam,Adiicioque, posse Episcopum in hoc dispensare,quamuis ad quoscumque potentes dispensationem impendere, sit facillimus aditus. Quamuis enim huiusmodi Episcopi potestas originem duxerit ex necessitate medendi incontinentiæ periculo:at iam ea potestas ex consuetudine præscripta conuenit absolutè Episcopis.Idemque asserendum existimo de cognatione spirituali: nempe posse etiam Episcopum dispensare ad petendum debitum cum coniuge qui cum coniuge suo cognationem spiritualem contraxit.

DVBIVM CLXXIX.

An Religiosi Mendicantes ab Ordinario approbati possint hodie ex Prouincialis commissione dispensare in foro conscientiæ ad petendum debitum cum iis coniugibus,qui inter se affinitatem contraxere.

705 *Non possunt.* NOn possunt.Quia id priuilegium non habetur in libris Ordinum, nec de eo constat.Et quia illud priuilegium Pij V.concessum solummodo viuæ vocis oracula fuit:sed omnia viuæ vocis oracula annullata fuere per constitutionem Gregorij XV. & Vrbani VIII. Ergo iam Regulares illius indulti vi nequeunt vti ad dispensandum. Sic Diana *part.*6. *tract.* 8.*resol.* 14.fatus : Alibi affirmatiuam sententiam docui virtute priuilegiorum,& præcipuè Pij V.sedaduertat Lector,hanc sententiam veram olim fuisse,nunc vero non esse admittendam;quia priuilegia illa concessa Regularibus ad dispensandum in nostro casu,fuerunt ex viuæ vocis oraculo, & anno 1631. per Bullam particularem ab Vrbano VIII.reuocata.Sic eruditus Pater.Et Corduba, relato Doctore Ortiz *in annotat. ad collector. verb Dispensatio. Paragraph.* 17.asserit non esse tutum eo priuilegio vti.

706 *Possunt omnino.* Possunt omnino.Quia extat declaratio à Iulio II. facta concessionis Martini V. Benedictinis Monachis impensæ.Et alia concessio Pij V. viuæ vocis oraculo facta, ac impetrata ab Angalo de Aguillara Ordinis Minorum anno 1569.Collector priuilegiorum Mendicantium, *v. Dispensatio nu.*17. Veracr.*part.*1. *spec.art.*23. Palac.*in* 4.*dist.*32.*dub.*2.Henriquez *lib.* 11.*cap.* 15.*numer.*11.Manu *in Bul.Cruc.*§.9.*numer.* 143. *&* §.13.*numer.*17.Sorbus *in compend.priuileg. v. Absolutio.*2.*concl.*9.Portel.*in dubiis Regul. verb. Alb s,num.*5.Sanchez *lib.*8.*dub.*16.*numer.*8.*& sum.to.*1.*l.*4.*c.*34.*n.*10.Rebel.*p.*2.*l.*3.*q* 18.*n.* 16. Villalob *tom.*1.*sum.tract.*13.*diffic.*52.*numer.*22. & alij.

707 *Hoc tutum existimo.* Circa hoc punctum haud vlla mihi sese dat dubitandi ratio. Fateor enim, hoc priuilegium à Pio V.fuisse viuæ vocis oraculo concessum: sed existimo, minimè esse per constitutiones Gregorij & Vrbani V.reuocatū. Quia per Bullam Gregorij non reuocantur concessiones factæ per viuæ vocis oracula, quæ sortita sunt suum effectum ante eam constitutionem, vt in illa habetur, & declarauit Sacra Congregatio die 11.Aprilis,anno 1625. Nec per Bullam Vrbani: tum quia per illam non reuocantur priuilegia, quæ suum effectum sortita sunt ante eam:quod licet in illa non exprimatur sicut in Gregorij constitutione,non tamen contrarium exprimitur, quod exprimere debebat Pontifex, si sua constitutione intenderet constitutionem Gregorij coarctare.Tum quia per Bullam Vrbani solum censeri debent reuocari viuæ vocis oracula, quæ mere talia sunt. At priuilegium Pij V. non solum habet viuæ vocis oraculi rationem,sed etiam indulti, & gratiæ concessæ per nouam Pontificis constitutionem: Ergo non debet censeri esse reuocatam per illam constitutionem.Profecto Gregorius XVI. omnia viuæ vocis oracula ante ipsum concessa (inter quæ illud Pij V continetur)innouauit,& nouo concessit per suam specialem constitutionem. Igitur illa iam desierunt esse concessa per viuæ vocis oraculum:Ergo sub reuocatione Vrbani cadere non possunt.Poterunt ergo nunc Regulares huiusmodi facultate dispensandi vti eis à Pio V. concessa, sicuti ante Bullam Vrbani.

DVBIVM CLXXX.

An possit Episcopus semper dispensare ad petendum debitum cum coniuge, qui voto castitatis adstrictus iniuit coniugium?

708 *Non semper potest.* NOn semper potest, sed in casu vrgentis necessitatis,si non possit patere aditus ad Pontificem, Nuncium, vel alium ex speciali priuilegio potentem dispensare. Quia in voto castitatis, ex quo oritur obligatio hæc non petendi debiti,solus Papa dispensat, nisi ratione vrgentis necessitatis. At non adest necessitas vrgens, quando patet haud difficilis ad Nuncium

cium, vel ad Mendicantes Regulares, qui hoc gaudẽt priuilegio aditus. Ergo nunquã aut rarò id poterit Episcopus. Sic Sotus *in 4. dist. 38. q. 2. a. 1.* Ledes. *2. p. 4. q. 55. a. 1.* Palac. *in 4. dist. 32. d. 2. & dist. 18 d. 3.* Sylvest. *v. Dispensatio. q. 9. nu. 15. & v. Matrimonium. 7. q. 5.* Nauar. *sum. c. 11. n. 76. & 86. & c. 26. n. 30.* Tolet. *l. 4. c. 18. n. 1.* Azor. *lib. 11. c. 19. q. 8.* Hurtad. *d. 26. diffic. 1.* Diana *p. 8. tr. 3. resol. 80.* & alij.

709 *Semper potest.* Semper potest Episcopus super hoc dispensare. Quia hoc non est in voto castitatis dispẽsare, sed ad quendam solummodo effectum: cum coniux ille, non obstante hac dispensatione sit sacrilegus fornicando: nec eo matrimonio soluto, nequit ad aliud migrare. Et quia licet, attento iure, hæc dispensatio solius Pontificis sit, at consuetudine, quæ iurisdictionem præbet *c. Cũ contingat. de foro compet.* obtentum est, hanc dispensationem Episcoporum esse. Passim enim Episcopi in hoc dispensant, nullo Romam confugiente ad petendum huiusmodi dispensationem: eo vel maxime quod eæ dispensationes excusari nequeant ratione vrgentis necessitatis: cum facilis semper pateat ad Religiosos Mendicantes aditus, qui in hoc possunt ex priuilegio dispensare. Ita Sanch. *l. 8. d. 12. n. 4.* referens Valentiam, Sà, Henriqn. Toletum, Sotum, & alios vsque ad triginta supra Septem. Candid. *disq. 27. dub. 10.* Trul. *in Bul. l. 1. §. 7. c. 3. dub. 15. n. 20. & in Decal. l. 2. c. 2. dub. 40. n. 21.* Machad. *l. 4. p. 6. tr. 16. docum. 12. n. 2.*

710 *Hæc mihi longè probabilius.* Hoc mihi probabilius admodum secundo sõlũmodo pro hoc parte fundamento nitens nẽpe ex cõsuetudine obtentũ esse, vt huiusmodi dispensatio Episcoporum sit. Primum enim corruit: nam similiter probaret, posse Episcopũ dispensare ad eum solum effectum, vt ligatus voto castitatis ineat semel matrimoninm, manente voto quoad cætera sua infirmitate: quod nullus concedit.

DVBIVM CLXXXI.

An Episcopus possit dispensare ad debitum petendum cum eo, qui post castitatis votum iniit coniugium, nondum tamen illud consummauit?

711 *Minime potest.* MInime potest. Quia nondum consummato matrimonio, adhuc potest ille, imo debet votum implere Religionem ineundo. Sic Azor. *l. 11. c. 19. qu. 10.* Sotus *in 4. dist. 38. q. 2.*

712 *Potest quidẽ.* Potest plane. Quia ille coniux non tenetur Religionem inire, sed potest consummare reddendo: vnde, vt petat, potest Episcopus dispensare, sicut id potest, semel matrimonio consummato, vt vidimus *Dub.* 180. Nam similiter tenetur ille debitũ reddere, nisi Religionis ingressum eligat, ad quod minime tenetur. Ac proinde maximo in periculo incontinentiæ versabitur, petitione debiti sibi interdicta. Ita Manu. *to. 1. sum. c. 242. n. 2.* Sanch. *l. 8. d. 12. n. 6.*

713 *Hic tem. & secundò addunt.* His hæreo Doctoribus adiiciens, posse etiam Episcopum dispensare in hac debiti petitione aut redditione ptiori bimestri, quo ante consummationem reddere non tenetur: vel si cum ipse vouens sit innocens, alter coniux sit adulter. Quamuis enim in iis casibus nec teneatur, nec possit licite reddere debitum: cũ tamen Religionem ingredi noc teneatur, quo castitatis *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. III. P. II. votum impleat, nec possit ad alias nuptias trãsire, in magno incontinentiæ periculo versabitur. Idem dixerim, quando hic voto castitatis adstrictus ad matrimonium transiret animo Religionem ingrediendi. Nam cum is animus non obliget ad ingressum, sed liberum sit ei Religionem noninire, inito matrimonio, sed id consummare reddẽdo: eadem ratio militat, vt valeat Episcopus cum eo ad petendum dispensare.

DVBIVM CLXXXII.

An Episcopus in casu magnæ necessitatis possit dispensare in voto Religionis ac castitatis perpetuæ?

714 *Non potest.* NOn potest. Quia huiusmodi vota sunt adeo ex consuetudine Pontifici reseruata, vt in omnibus priuilegiis cencessis in Bulla, vel Iubileo circa vota, sẽper vota castitatis, ac Religionis excipiantur. Ergò satis innuit Pontifex, se nullatenus velle, vt ea vota ab Episcopis dispensẽtur. vlla occurrente causa. Sic Rodrig. *in Bul. §. 9. dub. 1.* Fauet Ludou Lop. *p. 2. Instruct. vbi de clauib.* dicens remotissimis Indiæ regionibus id Episcopo licere.

715 *Potest quidẽ.* Potest quidem, quando (v.g.) magnum incontinentiæ periculũ imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet præ paupertate, vel alia causa. Quia iure optimo credi potest, non esse mentem Pontificis velle in tali casu sibi hæc vota reseruare, dum animæ laqueis irretitæ in tanto periculo diuersantur. Ita Sanch. *l. 8. d. 9. n. 22.* citans Sylvestrum, Nauar. Sa, Valent, Henriq. Palac. & alios. Suar. *to. 1. de Relig. l. 6. de voto, c. 26. n. 3.* Basil. *l. 8. c. 9. n. 1.* Trul. *in Bul. l. 1. §. 7. c. 3. dub. 15. n. 4.* Diana *p. 6. tr. 6. resol. 50.* Fagund. *in Decal. to. 1. l. 2. c. 45.*

716 *Eiusdem mẽtis sum.* Existimo quidem, hanc votorum reseruationem non ita strictè accipiendam esse, quin liceat Episcopo dispensare id hisce votis Religionis, ac castitatis perpetuæ in casu proposito. Quod adhuc illustro ex doctrina Abbatis *c. fin. n. 8. de Eccles. ædific.* & Cardinalis *clem. 1. n. 27. q. 29. de reb. Eccles. non alienand.* asserentibus, in summa alienandi necessitate, quæ eam celeritatem requirat, vt superior consuli nequeat: posse fieri alienationem sine eius facultate, etiamsi iuramentum intercesserit non alienãdi absque eius licentia. Haud aliter licet regulariter nequeat Episcopus in lege Pontificis, aut Concilij dispensare, potest tamen in casu magnæ necessitatis, quando patet aditus ità peruius, vt valeat cum vrgentis necessitatis exigentia componi.

DVBIVM CLXXXIII.

An regulares possint suorum priuilegiorum vi, vrgente necessitate, in voto castitatis absolutæ dispensare sicut potest Episcopus?

717 *Possunt quidem.* POssunt quidem. Quia Mendicantes possunt virtute priuilegij cõcessi ab Innocẽtio VIII.

& Martipo V. dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi possunt. At Episcopi possunt dispensare in voto castitatis & Religionis absoluto iure ordinario, eo quod ad similes casus non est à Pontifice sublata potestas, quam ante reseruationem habebant iure antiquo ad dispensandum in votis per suas Diœceses, sicut Pontifex: Ergo & Mendicantes in eodem necessitatis casu per sua priuilegia dispensare poterunt. Sic Crousers, *in Reg. S. Francisci, c. 7. lect. 9. fol. 785.*

718 *Non possunt.* Minimè possunt. Quia Episcopi in præfato necessitatis casu, non habent facultatem dispensandi in voto absoluto castitatis per se, aut iure ordinario: sed solum ex benigna voluntatis Pontificis reseruantis interpretatione: Ergo Regulares Mendicantes minime poterunt in voto absoluto castitatis aut Religionis dispensare. Solum enim dispensare possunt cum sæcularibus in votis iis, in quibus ordinario iure potest Episcopus. Ità Sanch. *lib. 4 sum. cap. 43. num. 7.* Henriq. *l. 9. cap. 14. num. 7.* Manu. Suar. Fagund. quos citat, & sequitur Diana *p. 6. tr. 6. resol. 10.* Trul. *libr. 2. Decal. cap. 2. dub. 44. num. 2.* Basil. *lib. 8. c. 9 n. 11.* Leand. *tract. 9. dub. 24. q. 22.*

719 *Hanc probabiliorem partem existimo.* Hanc sententiam longe probabiliorem puto ipso oppositæ fundamento hærescens. Quia si ideo asseritur, posse Mendicantes dispensare in casu illo necessitatis magnæ, quia suorum priuilegiorum vi possunt dispensare in votis, in quibus Episcopi iure ordinario dispensare valent, vt asserit Sanch. à Crousers citato: manifeste concluditur minime Mendicantes posse in casu huiusmodi dispensare, quia Episcopi hoc in casu iure ordinario dispensare non possunt.

DVBIVM CLXXXIV.

An ea omnis suppressio veri, quæ si exprimeretur, omnino Pontificem à dispensatione impertienda retraheret, vel difficilius eam impertiret: reddat dispensationem subreptitiam?

720 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, septem præcipuas iustæ dispensationis ad dispensandum in impedimentis matrimonij causas annumerari. Prima est extinctio magnæ litis, seu pax inter consanguineos, inter illosque scandali euitatio. Secunda quando quis sine magno incommodo neq; dignas sui statui nuptias, nisi cum consanguineis vel affinibus inire. Tertia defectus dotis competentis quo fœmina nequit sponsum sibi dignum reperire, nisi ex propinquis. Quarta conseruatio illustris familiæ in eodem sanguine. Quintà, amplissimarum opum intra eandem familiam retentio, nè causa dotis ad aliam deuoluantur. Sexta, merita petentium dispensationem ergà Ecclesiam, quibus digni sunt, vt eius benignitatem experiantur. Septima, magna pecuniæ ad pia opera quantitas impensa, sæpe autem fit, vt plures causæ simul sumptæ ad dispensandum sint sufficientes, quæ singulares non sufficiunt. Verum in re dispensationis duæ sunt causæ conducentes ad eius concessionē, finalis scilicet, & impulsiua. Finalis est illa, qua non existente, Pontifex dispensationē minimè concessisset. Impulsiue vero, qua existente, facilius Pontifex ad dispensandum excitaretur. Cæterum matrimonij dispensatio subreptitiè aut obreptitiè obtenta prorsus est nulla ex defectu consensus dispensantis. His præmissis, quæsierim, an omnis suppressio veri, quæ si exprimeretur, omnino Pontificem à dispensatione impertienda retraheret, vel difficilius eam impertiret, reddat dispensationem subreptitiam?

721 *Subreptitiam reddit omnis veri suppressio dispensationem.* Subreptitiam reddit omnis suppressio veri. Quia ideo veri taciturnitas irritat dispensationes & gratias, quod sit virtualis quædam falsi narratio mouens Principem ad dispensandum. Nam tacens quæ iure aut consuetudine, aut aliis circumstantiis suadentibus, sunt explicāda in dispensatione, censetur virtute asserere ea non esse, ac per consequens falsū narrat, quo Principem ad concedendum inducat. At falsi narratio vitiat dispensationem, quoties notabiliter inducit Principem ad facilius concedendum: Ergo idem dicendum de taciturnitate veritatis, qua cognita, difficilior concessio redderetur. Sic Angel. sum. *v. Rescriptum. n. 2.* Armil. *ibi. n. 2.* Couar. *4. decret. p. 2. c. 8. §. 9. n. 1.* Moli. *to. 4. de iust. d. 291. n. 5. & 6.* Alij asserunt solum vitiari dispensationem, tacita veritate, quæ est causa finalis concessionis, id est qua cognita, minimè Princeps gratiam concessisset, secus quando est solum causa impulsiua. Quia ea cognita tandem gratiam concederet licet maiori cum difficultate. Nam quando exprimitur causa de se sufficiens ad concedendam dispensationē, etiā tacita causa, quę difficiliorē redderet concessionem, quamuis quoad modum quendam accidentalem, nec variantem rei substantiam, nec absolutam concessionem: sed quoad solā maiorē cōcedendi facilitatē sit aliquatenus inuolūtaria cōcessio: at simpliciter & quoad substatiā est volūtaria. Nō ergò censēda erit subreptitia, ac nulla. Sic Glos. *4. c. Dudū v. de ipsa. de præbēd. in 6.* Innoc. *c. super literis de trāslat.* Hostiēs. *ibi. n. 8.* Sà *v. Gratia. n. 10.* & alij.

722 *Non omnis veri suppressio reddit dispensationem subreptitiam.* Non reddit subreptitiā omnis veri suppressio, quāuis eo cognita Princeps nō concessisset dispensationē: sed solummodo quando tacetur veritas quā iura iubent exprimi. Quia voluntas Pontificis præsumitur talis, qualis est intētio iuris *l. Ex facto in princip.* & ibi Bald. Ergo vbis iuris intentio ad dispensationis valorem non exigit expressionē alicuius veritatis: nec voluntas Pontificis præsumetur esse, vt ea exprimatur. Ita Henriq. *l. 12. c. 1. n. 6. & c. 3. n. 7. & l. 13. c. 30. n. 2.* Petr. de Ledel. *q. 56. a. vlt. dub. 2. diffic. 2. concl. 2.* Ludou. Lop *p. 2. Instr. vbi de ieiunio c. 112. & de matr. c. vlt. & p. 1. c. 296.* Mato. *1. sum. c. 238. n. 1. & c. 179. concl. 5. n. 10. & in qq. Regul. to. 2. q. 46. a. 6.* Sanch. *l. 8. d. 21. nn. 12. & 13.* Basil. *l. 8. c. 17. num. 1.* Salas *de legib. d. 20. sect. 13.* Hurtad. *d. 26. diffic. 4.* Coninch *d. 33. n. 61.*

703 *Auctoris resolutio.* Quid iudicem vbertim exponam. Taciturnitas qualitatis, quam iura specialiter exprimi iubent, reddit dispensationem subreptitiam, quamuis constet fore vt ea expressa, Pontifex eadem facilitate concessisset. Quia pro forma exigunt iura harum qualitatum expressionem. At forma ad vnguem etiam in minimis est obseruanda *libr. 1. & cap. si motu proprio. de præben. in 6.* vbi deciditur, ex quantumuis modici Beneficij taciturnitate reddit alterius impetratio

impetrationem subreptitiam. At aperte constat id modicum Beneficium tacitum non fore impedimento quominus Pontifex conscius eadem facilitate. Idem affero de qualitate, quæ ex Romanæ Curiæ stylo in rescriptis est exprimenda: quamuis Princeps ea expressa rescriptum similiter concederet. Quia cum Curiæ stylus ius faciat, *c. Quam graui. de crimini. falsi:* nec ab eo sit recedendū (vt multis citatis probat Mascard. *de probat. concl.* 1317. *n.* 51.) idem de hac qualitate sentiendum est, quod de illa, quam iura exprimi imperāt. Profecto quādo nec ex iure, nec ex Curiæ stylo constat qualitatem tacitam esse exprimendam, secundum sentientiam veram admodum esse reor. Vnde colligo, solius cauæ finalis taciturnitate dispensationem vitiari. Quia quando taciturnitas est causa finalis concedendæ dispensationis, ita vt ea non existente minimè concederetur: iura expresse iubent eas exprimi qualitates. *c. Postulasti. de rescrip.* expresse deciditur, ex taciturnitate harum qualitatum gratiam vitiari.

DVBIVM CLXXXV.

An taciturnitas veri, aut expressio falsi pertinens tantum ad causam impulsiuam, reddat subreptitiam dispensationem?

724 *Reddit quidē.* REddit quidem. Quia ea taciturnitas veri, est expressio falsi virtualis: in falsi autem expressione dolus includitur. Porrò literæ Apostolicæ habent tacitam conditionem: *si preces veritate nitantur cap. 2. de rescrip.* Cuius signum est, Pontificem prius narrare suis in literis ea, quæ pars proposuit: & statim subdere: *Si ita est, dispensa.* Sic Angel. *v. Rescriptum. n.* 3. Armil. *ibi. n.* 2. Tabie. *q.* 3. *n.* 4. Nauar. *sum. c.* 22. *n.* 26. Ludouic. Lop. *p.* 1. *Instr. c.* 296. Manu *qq. Regul. to.* 2. *q.* 46. *a.* 6. Couar. 4. *Decret. part* 2. *c.* 6. §. 10. *num.* 14. & alij.

725 *Non redditur.* Non redditur subreptitia dispensatio, nisi quando causa finalis falsa exprimitur: nimirum quando Pontifex ea falsitate non expressa, gratiam minime concessisset, secus quando concessisset, licet multo maiori difficultate. Quia eandem libertatem exigit donatio, ac gratia à Principe concessa, cum vtraque mera alterius voluntate procedat: imo maiorem postulat donatio, vtpotè quæ nullam debiti rationem habet, quam tamen habet aliquo modo dispensatio ex iusta causa cōcessa: sed donatio procedēs ex causa falsa simulata impulsiua non est irrita, sed tantum vbi falsitas in causa finali contingit. Ergo dispensatio procedens à causa impulsiua falsa, subreptitia non est. Ita Sanch. *lib.* 8. *d.* 21. *n.* 31. citans multos. Sà *v. Gratia. num.* 10. Coninch *d.* 31. *n.* 61. Hurtad. *d.* 26. *diffic.* 4. *num.* 20. Villalob. *tract.* 2. *difficul.* 43. *numer.* 3. Amicus *tom.* 4. *dub.* 6. *sect.* 8. *numer* 114.

726 *Hæc milies proponuntur.* Cum his opinor. Quia conditio in iis literis posita: *si preces veritate nitantur*, intelligitur in substantialibus, id est, in iis, ex quibus gratia pendet, ita vt alias non concederetur.

DVBIVM CLXXXVI.

An sit subreptitia dispensatio, si semel petita, & à Pontifice denegata, quando postea impetratur prioris denegationis mētio à petente non geritur?

727 *Subreptitia est.* ESt subreptitia. Quia si exprimeret petens, denegatam fuisse iam à Pontifice dispensationem illam, fortasse Pontifex incœptis insisteret, & recolens causā ob quam deneganit, nō facile ad concedendum alliceretur. Sic Menoch. *l.* 2. *de arbitrar. cent.* 3. *c.* 203. *n.* 6. alios referens.

728 *Non est subreptitia.* Subreptitia non est. Quia nullo iure, aut ratione probatur, in dispensatione faciendam esse prioris denegationis expressæ à petente mētionem, Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 22. *n.* 14. Basil. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 3. Suar. *l.* 6. *de leg. c.* 22. *n.* 1. Amicus *tom.* 5. *d.* 6. *sect.* 8. *n.* 120. Diana *p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 54. Leand. *tr.* 9. *d.* 24 *q.* 29.

729 *Cum his sentio.* Cum his sentiens, parum aut nihil probabilitatis habere primam partem existimo. Absolute enim tandem impenditur dispensatio, licet fortasse difficilius daretur, si constaret iam semel fuisse denegatam. Porro doctrinam hanc æque veram putarim, siue idem sit superior à quo secundo petitur dispensatio, qui prius negauerat, siue eius prædecessor: siue denegata fuerit à superiori, & secundo petatur ab inferiori ordinariam iurisdictionem habente.

DVBIVM CLXXXVII.

An qui obtinuit dispensationem ad contrahendum cum affine vel consanguinea, sed ea minime vsus, postea petit aliam dispensationem ad coniugium cum alia consanguinea, seu affine ineundum teneatur prioris dispensationis mentionem facere, ne secunda dispensatio sit subreptitia?

730 *Tenetur plane.* TEnetur quidem. Quia secundam dispensationem concedere, est indulgentia quædam extraordinaria, & parum rationi consentanea: & valde verisimile est, non fuisse Pontificem eam concessurum, sic Suar. *de Legib. l.* 6. 23. *n.* 20. Basil. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 9. Qui concedit, non esse subreptiam, casu, quo ille vsus esset prima dispensatione: vel ideo vsus ea non fuerit, quod aliquod superuenisset impedimentum, quominus ea vti posset.

731 *Non tenetur* Minime tenetur, sed valet secunda dispensatio, non facta primæ vlla mentione. Quia cum dispensatio secunda pro diuerso sit matrimonio, nullā habet cum prima connexionem. Ita Sanchez *lib.* 8. *dub.* 22. *numer.* 13. Gutier. *de matr. ca.* 223. *n.* 20. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *c.* 32. *n.* 20. Diana *part.* 1. *tract.* 12. *resol.* 40. Leand. *tract.* 9. *d.* 24. *q.* 30.

732 *Cum hu opinor.* Cum his opinor sciens Suarium citatum opinari, in hoc casu posteriorem dispensationem esse subreptitiam, & necessarium esse exprimere priorem, vt vel Pontifex eius renunciationem acceptet, vel illam irritet &

vel vtramque simul validam esse concedat: alioqui enim verissimum esse censet, sine scientia & consensu Pontificis non posse illas duas dispensationes validas simul permanere. Cui respondeo iam non stare simul vtramque dispensationem, nam per posterioris impetrationem postulans priori in manu Pontificis virtualiter seu consequenter renunciauit, vnde ea amplius vti nequibit sed, solum posteriori.

DVBIVM CLXXXVIII.

An gerenda sit necessario mentio copulæ ex sola humana fragilitate inter cognatos vel affines habitæ, vt valida eis sit dispensatio?

733 *Nonnulla recolo.* Recolo ex *sect.* 1. copulam hanc triplici tempore posse interuenire. Primum est antequam Pontifex dispensationem concedat. Secundum post eius concessionem, antequam Ordinarius, cognita precum veritate illam expediat. Tertiùm, post Ordinarij expeditionem. Item posse hanc copulam tripliciter accidere. Primo ex fragilitate humana absque tractatu aliquo matrimonij. Secundo præcedenti matrimonij tractatu, sed absque facilioris dispensationis spe. Tertiò in vtrouis euentu cum spe facilius impetrandæ dispensationis. Quæsierim itaque, num in dispensatione matrimonij inter consanguineos, vel affines sit necessario gerenda mentio copulæ incestuosæ inter eos habitæ ex humana fragilitate, & non cum spe facilioris dispensationis, nec cum matrimonij tractatu?

734 *Non est necessario gerēda de copula mentio.* Non est necessario gerenda mentio de huiusmodi copula. Quia nec ex natura rei, nec ex iure Ecclesiastico reddit dispēsationem difficiliorem. Non ex natura rei, nam potius faciliorem reddit ob fœminæ infamiam, ad aliud coniugium ineptitudinem & scandala, quæ inde oriri assolent. Non etiam ex Ecclesiastico iure, nam verior opinio habet, ex incestu cum consanguineis nullum matrimonij impedimentum consurgere. Incestus autem cum affinibus quamuis id impedimentum præstet, est tamen id contraria consuetudine ablatum: nec vlla eget dispensatione. Ergo non est vnde dispensatio, tacito incestu sit subreptitia. Sic Nauar. *lib. 4. consil. titul. de consang. cons.* 1. & 5. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 228. Vega *tom.* 2. *sum cap.* 34. *casu* 97. Henriq. *l.* 12. *c.* 2. *nu.* 4. 5. & 6. referens multos Hurtad. *d.* 26. *diffic.* 5. *n.* 26. Basil. *l.* 8. *c.* 17. §. 6. *à n.* 32. Villalob. *to.* 1. *tr.* 14. *diffic.* 27. *num.* 7. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *resol.* 44. Præpos. *in* 3. *p. q.* 8. *de dispens. dub.* 6. *num.* 61. Perez *de matrimon. d.* 46. *sect.* 6. Leand. *tract.* 9. *dub.* 24. *quæstion.* 31. & alij.

725 *Necessario gerenda est.* Necessario gerenda est de copula huiusmodi mentio, ne dispensatio subreptitia censeatur. Quia taciturnitas veri, quo expresso, non solet Pontifex concedere dispensationem eo modo, quo concessit, sed cum quibusdam moderationibus, reddit eam subreptitiam. At manifesto incestu non solet, Pontifex eodem modo dispensare, sed præcipiens pœnitentiam contrahentibus imponi, & longe maiori compositione pecuniaria & moderando dispensationem hoc modo, vt superstes eo matrimonio soluto, ad aliud non transeat. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 25. *nu.* 8. multos afferens Coninch *d.* 33. *nu.* 83. Laym *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 18. Rebel. *l.* 3. *q.* 5. *sect.* 4. *n.* 24. Ricci. *p.* 4. *decis.* 308. Garcia *de Benefic. tom.* 2. *p.* 8. *c.* 3. *n.* 32. Filliuc. *tr.* 10. *c.* 10. *n.* 336. Ochagau. *tract.* 4. *de matrimon. quæst.* 11. *n.* 4. Homobo. & Tanner. apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 135. & alij.

736 *Secundam ipsorum sententiā verum.* Probabilem admodum primam sententiam reor, sed secundam iudico veriorem. Non quia is incestus præbeat aliquod matrimonio impedimentum: nam contrarium est verius: sed quia Curiæ stylus obtinuit, vt incestus hic declaretur. Nec falsæ innititur præsumptioni, sed eius ratio est, vt timore huius manifestationis faciendæ cōsanguinei, & affines ab incestuosa copula arceantur. At ea, quæ stylus Curiæ seruat, sunt necessario in dispensatione explicanda. Addo, id declarasse Sacram Cardinalium Congregationem hisce verbis: *Congregatio Concilij Tridentini censuit, dispensationem reddi nullam ex copula præcedente dispensationem, si de ea non fuerit facta mentio in supplicatione. Copulam vero superuenientem post dispensationem ab Ordinario factam, non impedire matrimonij valorem.* Certe quando incestus esset occultus non oportet eius mentionem fieri in relatione pro foro externo proposita Pontifici: sed satis est, petere eius dispensationem Sacra Pœnitentiaria, explicata quoque ibi consanguinitate, vel affinitate publica, super qua aut dispensauit, aut dispensaturus est Pontifex.

DVBIVM CLXXXIX.

An si copula incestuosa habita fuit spe facilius impetrandæ dispensationis: is animus sit nunc necessario explicandus?

737 *Non est explicandus necessario nunc.* NOn est explicandus necessario nunc (licet tempore Pij V. necessario aperiendus erat, quod ipse declararit suam intentionem esse minimè dispensandi in hoc casu.) Quia nullibi hunc animum declarandum esse statuitur. Nam Tridentinum *sess.* 24. *c.* 5. solum loquitur, quando is animus cum matrimonio interuenit: ad comprimendam multorum audaciam qui ea spe freti inibant, ac consummabant, matrimonium, non obstant impedimento dirimēte. Sic Nauar. *l.* 4. *consil. de consang. consil.* 5. *nu.* 5. Henriq. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 8. Petr. de Ledes. *de matr. qu.* 56. *a. vlt. dub.* 2. *diffic.* 3. *post* 3. *concl.* Humada *l.* 2. *tit.* 15 *part.* 2. *glos.* 10. *num.* 6. Leand. *tract.* 9. *d.* 24. *qu.* 32.

738 *Nunc est necessario explicandus.* Is animus necessario nunc exprimendus est, ne sit subreptitia dispensatio. Quia Curiæ stylus habet, vt literis dispensationis impedimenti consanguinitatis vel affinitatis, explicata copula, hæc clausula addatur: *Dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis.* Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 15. *n.* 38. Sà *v. Dispensatio, n.* 10. Gutier. *qq. Canonic. l.* 1. *c.* 15. *n.* 15. Ludou. Lop. *p.* 1. *Instr. c.* 296. Cordu. *q.* 45. *opini.* 1. *punct.* 1. Manu. *to.* 2. *qq. Regul. q.* 46. *a.* 6. Villalob. *tr.* 14. *nu.* 10.

Cum

739 Cum his opinor. Cum his opinor Imo crediderim adeò esse necessariam huius mentis in copula inita explicationem, vt etiamsi in dispensatione illa clausula non adderetur: *Dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis*, adhuc supplendam esse: vnde dispensatio erit subreptitia non explicata copula hoc animo habita. Nam stylus Curiæ declarat, mentem Pontificis esse, non dispensare in hoc casu, nisi id exprimatur.

DVBIVM XC.

An dum Ordinario Pontifex committit, vt dispenset cum aliquibus. Dummodo copula non interuenerit: *contrahentes possint initam copulam denegare, dum ab Ordinario interrogantur?*

740 Denegare nō possunt. NOn possunt denegare copulam, sed illam fateri tenentur, sub mortali, etsi nō adsit iuramentum. Quia Iudex iuridicè interrogat, vtpotè qui ad examinandam precum veritatem id periculum gerit. Vnde, haud referata veritate, non valet dispensatio. Sic Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 56 *a. vlt. diffic.* 3. *concl.* 3. Manuel *to.* 1. *sum. c.* 238. *n.* 8. Ioan. de la Cruz *sum. q.* 4. *de matr. dub.* 14. *concl.* 1.

741 Possunt denegare. Possunt copulam denegare, quando dispensatio conceditur in foro externo, nisi interrogentur præcedentibus indiciis, aut infamia. Quia dicta clausula, *Dummodo copula non interuenerit*, intelligenda est iuxta naturam dispensationis concessæ: non enim necesse est copulã explicare ex se, sed ratione conditionis expressæ. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 25. *n.* 13. Henriq. *l.* 12. *cap.* 2. *num.* 7. Sà *verb. Dispensatio, num.* 10 Basil. *l.* 8. *c.* 17. Hurtad. quem sequitur Leand *tract.* 9. *d.* 24. *qu.* 23.

742 Auctoris iuxta varias sententias resolutio. Ego quidem diuersimodè iuxta varias sententias quæstionem dissoluo. Retenta enim nostra asserenti, incestum occultum esse explicandum in dispensatione, vt valida sit affirmandum est, ius esse Iudici de eo interroganti, & teneri reos fateri, aut non vti dispensatione, vtpotè quæ ob non declaratum in ea incestum, est subreptitia. Quia ea interrogatio non eo tendit, vt illi puniantur, sed vt impediatur dispensationis subreptitiæ vsus, & matrimonium irritum. At si hæream opinioni probabili dicenti, non impediri dispensationis valorem tacito incestu, vera est secunda sententia, & asserendum, omni prorsus vacare culpa, negare incestum illum etiam cum iuramento. Quia id iuramentum est verum, nam eius sensus est: Non feci incestum, vt substat huic foro externo, in quo Iudex interrogat. Cæterum si esset alia occulta dispensatio impetrata pro foro conscientiæ circa incestum illum, non tenentur rogati confiteri. Et idem sentio, quando etsi non sit impetrata pro foro conscientiæ dispensatio, at contrahentes nolunt ea publica dispensatione vti, donec aliam pro conscientiæ foro impetrent, quia cessat tunc ratio, ob quam integrum est Iudici de eo incestu interrogare.

DVBIVM CXCI.

An quando plura adsunt impedimenta, necessarium sit, omnia illa in eadem petitione referre, vt simul dispensentur?

743 Non est necessarium. NEcessarium non est, sed sufficit, in diuersis petitionibus diuersa impedimenta proponi, & valida erit quælibet illarum quoad impedimentum in ipsa expressum. Vt si qui sint simul consanguinei, & affines, poterunt in queisdam literis consanguinitatem proponere, tacita affinitate: & in aliis hanc, illa tacita exprimere. Quia nullo iure cauetur, vt in impetratione vnius impedimenti, mentio de aliis impedimẽtis fiat. Et quia valet impetratio absolutionis ab vna excommunicatione, non acta mentione de aliis, quibus idemmet illigatur. Et quia passim contingit in Curia impetrari dispensationem in quodam matrimonij impedimento, non facta de alio mentione: ac postea dispensario super alio impetratur: atque vtraque ex stylo Curiæ valida reputatur. Sic Nauar. *lib.* 4. *consil. titul. de sponsal. cons.* 2. *num.* 1. Henriquez *libr.* 12. *capit.* 3. *numer.* 8. *litter. N.* Sà *verb. Dispensatio, num.* 16. Petr. de Ledesm. *de matrimon quæstion.* 59. *articul. vltim. dub.* 2. *diffic.* 3. *post* 3. *conclus.* Manuel. *tom.* 1. *sum. capite* 238. *num.* 5. Vega *tom.* 2 *sum. capite* 34. *casu* 97. locuti de duplici impedimento, quorum alterum dirimat, alterum impediat matrimonium. At loquentes de duplici impedimento dirimenti id docent Nauarr. *libr.* 4. *consil. titul. de consang. cons.* 4. *n.* 2. Henriquez *libr.* 12. *cap.* 3. *num.* 8. *littera N.* Manuel, Sà *vbi supra.* Et Sanchez *citandus*, docet, hanc sententiam valde esse probabilem.

744 Necessarium est. Necessarium est, in eadem petitione fieri de cunctis impedimentis mentionem, ne dispensatio sit subreptitia. Quia in dispensatione, ne subreptionis vitio notetur, narranda sunt omnia, quæ iure iubentur exponi. At quodlibet impedimentum dirimens iure exprimi imperatur. Quod si dicas non exprimi in iure, vt in eadem dispensatione vtrumque impedimentum declaretur: respondeo, quamuis id non expressis his verbis in iure contineatur: at eo ipso, quod iura præcipiunt, omnia impedimenta Pontifici exprimi, nilque taceri ex iis, quæ ad dispensationem intrinsecè conferunt; præcipiunt subinde, omnia impedimenta, in eadem exprimi petitione. Quia aliquo tacito, verum esset dicere, taceri veritatem intrinsice conferentem ad dispensationem. Ita Sanchez *libr.* 8. *dub.* 23. *num.* 2. Diana *part.* 1. *tractat.* 10. *resol.* 39. citans Suarium, Sanctarellum, Laymanum, Gutierrez, & Graffium. Basil. *libr.* 8. *capit.* 17. §. 4. Leand *tract.* 9. *d.* 24. *qu.* 35. Perez *de matrimon. section.* 6. *num.* 4.

745 Huius sum mentis. Huius mentis sum. Quia alias impedimentum in dispensatione narratum, vt par est, non exprimeretur; quippe coniunctum cum altero impedimento tacito, constituitur vinculum longe strictius, ac difficilioris dispensationis, *cap. Ex tuarum, de authoritat. & vsu pallij. cap.* 1. *de tregua, & pace, cap. Pastoralis, de priuileg.*

Quare meritò Pontifex vtriusque conscius vinculi hæreret, maturius perpendens, nùm eius concessio expediret. An non absurdum videtur admittere, validam esse dispensationem laborantis octo impedimentis dirimentibus, decepto Pontifice petitis ab ipso octo dispensationibus seorsum: quippe Pontifex facillimo negotio eas octo personis concederet: at vni nullatenus impertiret? Certe facilius me sententiæ mei Gasparis Hurtado accommodarim, qui *d. 26. diffic. 6. num. 30* cum Ægidio Coninch. *d. 33. num. 74. & 75.* asserit, quando impedimenta sunt adeo diuersę rationis, & disparata, vt quamuis coniungantur, nullam augeat indecentiam alterius ad matrimonium contrahendum: qualia sunt affinitas, & votum: posse separatim dispensationem peti; quando autem sunt eiusdem rationis siue specificæ, vt sunt duo consanguinitates: siue generice, vt affinitas, & cognatio: tunc necessarium esse, simul exponi. Quia tunc quodlibet impedimentum fit strictius ex coniunctione cum altero: vnde quodlibet difficiliùs dispensatur, & maiorem causam requirit.

DVBIVM CXCII.

An facienda necessariò sit mentio de multiplicitate eiusdem gradus, vel diuersi in consanguinitate, affinitate, publica honestate, ac spirituali cognatione, ne subreptitia sit dispensatio?

746 *Statum quæstionis expono.*

PEtrus, & Antonia, (verbi gratiâ,) ex parte vtriusque parentis coniuncti in secundo gradu id est, *primos hermanos por dos partes*: vel ex vno parentis latere sunt coniuncti in secundo gradu, & ex altero in tertio, vel quarto: vel sunt affines duplici titulo, vt quia qui contrahit, rem habuit cum duabus personis consanguineis intra secundum alterius contrahentis gradum; vel duplici titulo cognationem spiritualem contraxére, vt si alter alterius duos filios baptizauit, vel ex sacro leuauit fonte, aut in Confirmatione tenuit: vel eundemmet filium suum, aut leuauit è fonte, aut tenuit in confirmatione: vel alter fuit mutuò patrinus filij alterius; vel duplici ex parte habent publicæ honestatis impedimentum, quia quis contraxit matrimonium ratum validum cum duplici cognata intra quartum gradum eius, cum qua vult contrahere: vel duo sponsalia valida cum duabus sororibus ex dispensatione Pontificia. Quæsierim itaque, an necessariò gerenda sit mentio eiusdem gradus, vel diuersi, cum horum impedimentorum dispensatio petitur, ne sit subreptitia?

747 *Non est necessariò facienda hæc mentio.*

Necessarium non est, sed sufficit fieri absolutam gradus propinquioris mentionem, non explicata eiusdem vinculi multiplicitate. Verbi grat. satis est dicere: *sumus patrueles*, seu *primos hermanos*, non exponendo, an via vtriusque parentis, vel an altero consanguinitatis gradu inferiòre se attingant, & idem dicendum de affinitate. Quia vbi vtérque ex vtróque latere consanguineus est, vnicum est consanguinitatis vinculum, nec inde gradus hic augmentum recipit. Nam irregularis eo quod sæpe celebrauit excommunicatione innodatus, non tenetur in dispensationis impetratione multiplicis celebrationis gerere mentionem. Et rem habens sæpè cum fœminæ ducendæ sorore, non tenetur multiplicem copulam narrare. Sic Henriquez *libro duodecimo, capite decimo, numero tertio*, loquens de consanguinitate, & affinitate. Et loquentes de affinitate docent Petr. de Ledesm. *sum. Sacrament. vbi de matrimon. capit. 27. post 6. conclus. difficult. 2.* Manuel, *tom. 1. sum. cap. 238 numer. 1.* Vega *tom. 2. sum. capit. 34. casu 98.* Atque idem dicerent de gradibus publicæ honestatis, & spiritualis cognationis. Ludouic. de San Iuan. *quæst. 7. de matrim. art. 3. dub. 1.* & probabilem esse Basil. *citandus*, affirmat.

748 *Necessariò facienda est.*

Necessarium est gerere mentionẽ multiplicitatis eiusdem gradus, vel diuersi in consanguinitate, affinitate, publica honestate, & cognatione spirituali, in omnibus exemplis *numero* 746. propositis, ne subreptitia sit dispensatio. Quia in odiosis, quale est dispensatio, mixtum sub simplici non comprehenditur. At negari non potest multiplicatas cognationes mixtas esse. Non ergo comprehendentur in simplicis gradus cognationis dispensatione. Profectò si (verbi gratiâ,) consanguinitas ex duplici parte consurgat, tunc non est vnica, ac vnius sanguinis communicatio, sed est duplex, duplicisque sanguinis vere participati à duobus diuersis. Cum ergo ex sanguinis participatione consurgat consanguinitatis impedimentum, pullulabit inde aut duplex impedimentum, aut saltem duplicatus intensionis gradus eiusdem impedimenti. Item quando contrahitur duplex affinitas cum eadem fœmina ex duplici copula habita cum duabus eiusdem consanguineis, tunc non datur simplex eorundem seminum commixtio, ex qua affinitas sequitur; sed est duplicata diuersorum numero seminum commixtio. Similiter in cognatione spirituali, ac publica honestate multiplicatis, augetur id attinentiæ vinculum consurgens ex diuersis omninò causis ratione diuersarum personarum: vel ratione eiusdem personæ ex distincto omninò circa Sacramenta diuersa ministerio. Ergo vtriusque coniunctionis est mentio facienda. Ita Rota *in noviss. decis. volum. 3. lib. 1. decis. 117. num. 2. & lib. 2. decis. 70* Molina *tom. 1. de iustit. tractat. 2. dub. 191.* Sanchez *libr. 8. dub. 24. numer. 5.* multos citans. Basil. *libr. 8. cap. 17. Paragraph. 5. numer. 25.* Hurtad. *dub. 26. difficult. 6. numer. 28.* Ochagan. *tractat. 4. de matrimon. quæstion. 10. numer. 4.* Coninch. *d. 33. dub. 6. numer. 81.* Villalob. *tractat. 14. difficult. 27. numer. 1.* Diana *part. 8. tractat. 3. resolut. 68.* Leand. *tractat. 9. d. 24. quæst. 37.* & alij.

749 *Hoc mihi probabilius.*

Hoc mihi probabilius. Quia duo caloris (exempli gratiâ,) gradus solo numero distincti, quamuis in eodem subiecto producti vniantur, & fiant vnus numero calor, ratione vnitatis subiecti; at multo intensior est multiplicatus ille calor, ac difficilius tollitur. Ergo quamuis duplex ille coniunctionis gradus sit eadem numero coniunctio ex vnitate subiecti, in quo

repe

reperitur, erit multo intensior, difficiliorem efficiens dispensationem: vnde necessariò exponendus, ne ea subreptitiè geratur.

DVBIVM CXCIII.

An quando contracturi consanguinei, vel affines distant inæqualiter à stipite, satis sit mentionem remotioris gradus in petitione fieri?

750 *Non est satis, remotiorem exprimere.*

QVæstio est, an in dispensationis impetratione super gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quando contracturi distant inæqualiter à stipite, vt si alter distet in secundo, alter vero in tertio: sit necessaria mentio gradus propinquioris, quo alter distat: an potius sit satis remotioris mentio? Non est satis, fieri mentionem gradus remotioris, sed necessariò gerenda est mentio propinquioris gradus, ne subreptitia sit dispensatio. Quia *c. Quod dilectio, de consang.* deciditur, potestatè cõcessam legato ad dispensandum in certo gradu, non extendi ad eum gradum, quando alter contrahentium in propinquiori à stipite distat. Sic Alexand. de Neuo *ibi, num.* 8. Gambara *de authorit. legati. libr.* 8. *titul. de dispensat. legator. circa matrimon. numer.* 392. Cucus *libr.* 5 *institut. titul.* 12. *numer.* 252. Molina *tom.* 1. *de iustit. tract.* 2. *dub.* 161. Idque Pius IV. in quodam motu proprio decreuit.

751 *Est satis exprimere remotiorem.*

Satis est, mentionem fieri remotioris gradus. Quia is solus impedimentum matrimonio præstat, qui à stipite est remotior. Nam quando duo consanguinei in gradu dispari distant, intelliguntur tantum distare inter se, quantum remotior distat à stipite, *cap. final. de consang.* Ergo sicut gradus remotior trahit ad se, & imbibit proximiorem quantum ad rationem magis distandi à primo stipite: ita eundem imbibet, & ad se trahet, vt solius eius ratio sit habenda in impetranda dispensatione. Denique hoc decreuisse Clementem VI. in quadam Extrau. quæ incipit, *Nuper*, nondum typis excussa, asserit Caldeira *consil.* 1. *num. vnic. ad finem.* Sic Præpositus *ad cap. Quod dilectio, num.* 8. Abbas *ibi, ad fin.* Corneus *consil.* 101. *numer.* 11. *volum.* 2. Angel. *verb. Matrimonium,* 3. *impedim.* 6. Sylvest. *verb. Matrimonium,* 8. *quæst.* 6. Tabien. *verb. Impedimentum, impedim.* 3. *quæstion.* 3. *num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 40 *quæst. vnic. artic.* 2. Ledesm. 2. *part.* 4. *quæstion.* 56. *art.* 4. Tolet. *libr.* 7. *capit.* 5. *numer.* 6. Sà *verb. Matrimonium, vbi de imped. numer.* 4. Canedo *sum. vbi de matr. cap.* 7. *numer.* 42.

752 *Auctoris resolutio.*

Profectò iam hac difficultate nos, soluens Dubiũ, liberauit Pius V. in motu quodam proprio edito anno 1566. die 26. Augusti, incipienti, *Sanctissimus*, vbi rem hanc ad ius commune pristinum reduxit, ac reuocans motum proprium Pij IV. decidit, non esse necessariam gradus propinquioris mentionem, sed sufficere remotioris: obtentis tamen postea literis declaratoriis super propinquiori; nec posse literas prioris subreptione, vel intentionis defectu notari. Docet Sanchez *libr.* 8. *dub.* 24 *num.* 25. citans multos. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 6. Manuel *tom.* 1 *sum. cap.* 238. *num.* 2. Basil. *libr.* 8. *capit.* 17. *numer.* 26. Hurtad. *dub.* 26. *difficult.* 6. Ochagau. *tract.* 4. *quæst.* 4. *num.* 9. & alij.

DVBIVM CXCIV.

An necessarium sit explicare in petitione, num proquinquitas graduum sit in linea recta, an in transuersa?

753 *Non est necessarium.*

NEcessarium non est. Quia si ex constitutione Pij V. (quam Dubio proximo memoraui) necessarium non est inæqualitatem explicare, quando gradus propinquior cum remoto concurrit: ergo nec erit necessarium exponere, qualis est, ea propinquitas, vel distantia. Sic Basil. *libr.* 8. *cap.* 17. *num.* 27. Leand. *tract.* 9. *dub.* 24. *quæst.* 41. Addit Basil. id omninò tenendum casu, quo Pontifex, aut stylus Curiæ contrarium ad valorem dispensationis non exigat.

754 *Est necessarium.*

Necessarium est. Quia multo indecentius est consanguineo, vel affini in linea recta matrimonium inire, quam cum consanguineo in linea transuersa, & subinde difficilior redditur dispensatio: ergo necessarium est id exponi. Ita Sanchez *lib.* 8. *d.* 24. *num.* 14. Bonacin. *quæst.* 3. *de impèd. punct.* 5. *num.* 5. citans nonnullos Recentiores. Gutierr. *de matrimon. cap.* 124. *num.* 6.

755 *His haret Doctoribus.*

Hisce Doctoribus probabilius sentientibus hærens, assero, in consanguinitate, affinitate, vel publica honestate necessarium esse, exprimi, nùm distantia graduum sit in linea recta. Verbi gratiâ, si vellet quispiam ducere auiam, vel proauiam, neptem, aut proneptem siue propriam, siue vxoris cognitæ, aut non cognitæ, (suppositâ opinione dicente eam prohibitionem esse solo iure humano inductam,) aut matrem, filiámve sponsæ de futuro: vel è contra fœmina auum, vel proauum proprium aut prioris viri, aut patrem prioris sponsi de futuro: non satis esset exprimere gradum coniunctionis, sed explicandum esset in linea esse recta. Quia parentibus alterius coniugis, vel sponsi de præsenti, vel de futuro fere eadem reuerentia debetur, ac propriis. Vnde multo indecentius est, (vt fert pars secunda,) ac absurdius, huiusmodi matrimonium, quam vbi distantia gradus est in linea transuersa. Id tamen non iudicarim necessarium in affinitate ex copula fornicaria exprimere. Quia ex ea copula non oritur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter maior reuerentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quam ex transuersa.

DVBIVM

DVBIVM CXCV.

An cum dispensatio petitur ad impedimentum publicæ honestatis in primo gradu, necessarium sit, exponere, num ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus proveniat?

756 *Non est necessarium.* NEcessarium non est. Quia vt id affirmetur, nullum firmum adest, aut iure, aut ratione fundamentum. Sic Basil. *libr.* 8. *capit.* 17. *num.* 19.

757 *Necessarium est.* Necessarium est, exprimere, publicam honestatem ortam esse ex matrimonio rato. Quia longe indecentius est, inire coniugium cum sorore sponsæ de præsenti, quam cum sponsæ de futuro sorore. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 14. *nu.* 19. Bonac. *q.* 3. *de imped. q.* 5. *num.* 7. Leand. *tract.* 9. *dub.* 14. *quæst.* 43.

758 *Hæc lõge probabilius.* Certe si publica honestas ex matrimonio rato oriatur, non satis esse putarim, mentionem publicæ honestatis facere, quando in gradu primo dispensatio petitur: sed oportere exponere, eam ex matrimonio rato ortum habere. Quia multo vrgentius impedimentum ex matrimonio rato, quam ex sponsalibus oritur difficiliori obnoxium dispensationi. Adde, non vulgare signum esse maiorisillius indecentiæ, quòd Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3. restrinxerit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum, vt primum gradum non excedat: cum tamen publica honestas ex matrimonio rato vsque ad quartum extendatur. Verum quando vltra primum gradum peteretur dispensatio in publica honestate, non est opus exprimere vnde sit orta. Quia post id Tridentini decretum ex solo matrimonio rato potest oriri.

DVBIVM CXCVI.

An quando impedimenta affinitatis, & publicæ honestatis concurrunt, satis sit mentionem fieri affinitatis, publica honestate silentio suppressa?

759 *Satis est affinitatem memorare.* QVisquam vult ducere consanguineam intra quartum gradum prioris vxoris à se cognitæ: habet impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio cum consanguinea huius prius inito: & affinitatis ortum, ex illius matrimonij consummatione. Dubitatur, an in dispensatione impetratione, ad ducendam eam fœminam, satis sit affinitatem narrare? Satis est. Quia mentio affinitatis facta absolutè intelligitur de orta ex copula coniugali: eo quod in dubio non debeat præsumi delictum, *l. Merita, ff. pro socio.* Et quia etiam in odiosis sunt intelligenda verba in potentiori significato *cap. penultim. de sentent. excommunic.* Vbi decidit, nomine excommunicationis à Iudice prolatæ intelligi maiorem. At sub affinitate hac comprehenditur necessariò publica honestas: ergo facta absoluta affinitatis mentione, satis exprimitur vtrumque impedimentum: ac proinde dispensatio valebit. Sic Henriquez *libr.* 7. *cap.* 30. *num.* 2. Millis *in Repert. litter. D. num.* 23. Felin. *ad cap. Postulasti, num.* 13. Ripa *responso* 11. *de rescript.* Hieronym. Paul. *in pract. Cancell. titul. Notabilia super dispensat. matrimon.* Couar. 4. *Decretal. part.* 2. *capit.* 6. §. 7. *numer.* 5. Veracruz *part.* 1. *specul. articul.* 44. Et Sanchez hanc sententiam valde probabilem, & tutam, citans alios, appellat *libro* 8. *dubio* 24. *numero* 36.

760 *Non est satis.* Satis non est, mentionem de affinitate, tacita publica honestate, fieri. Quia si explicetur affinitas ex copula licita, quamuis ex ea quoque publica consurgat honestas: at cum minime ea expressa sit, dispensatio, vtpote odiosa, ac stricti iuris ad eam non extenderur. Et à fortiori, si sola affinitas in genere explicetur. Nam cum possit esse ex matrimonio, & sic coniuncta cum publica honestate: & ex fornicatione, & sic absque illa: cum simpliciter expressa est, intelligitur de simplici, & non de mixta cum publica honestate. Quia in materia dispensationis odiosa, stricti iuris verba, quæ possunt intelligi in significato potentiori, & in minori, semper in minori intelliguntur. *cap. final. de præbend. cap. Cum illis, cap. Quamuis.* Ita Dominic. *consil.* 33. *numer* 8. Ioann. Andr. *in arbo. affinit. Paragraph. Ad arborem affinit. num.* 5. & alij.

761 *Distinctio vtr.* Ego autem huiusmodi vtor distinctione. Si explicetur affinitas ex copula licita proveniens, vt petendo dispensationem ad consanguineam vxoris ducendam, valebit dispensatio, etsi publica taceatur honestas. Quia tacitè illius fit mentio, vtpote quæ in tali affinitate necessariò includitur. Secus erit facta in genere solius affinitatis mentione. Quia tunc nec tacite nec expresse fit publicæ honestatis mentio: cum ea affinitas tam de licita, quæ publicæ honestati coniungitur: quam de illicita, quæ sine illa est, possit intelligi. Et in materia hac odiosa sunt verba in minori significatione accipienda. Addo, dispensationem, si aliquid operari possit, esse strictè intelligendam, ne amplius operetur. Cum ergo ea dispensatio operetur in affinitate, non debet quoque ad publicam honestatem porrigi. Didici ex Thoma Sanchez *citato num.* 38. citante Abbatem, Alexand. de Neuo, Præpositum. Brunel. Rosel. Angl. Sylvest. Tabien. & alios. Supplement. Gabriel. *in* 4. *dist.* 41. *quæst. vnic. articul.* 3. *dub.* 7. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 6. Henriquez licet obscure *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 3. Navar. *libr.* 4. *consil. titul. de consanguin. consil.* 4. *numer.* 1. Petr. de Ledesm. *quæst.* 56. *artic. vltim. dub.* 2. *difficult.* 3.

DVBIVM CXCVII.

An valida sit dispensatio, quando erratur in Diœcesi eius, cum quo dispensatur?

762 *Nihil supponere.* SVppono, validam esse dispensationem, quãdo erratur in nomine eius, cum quo dispensatur. Quia error nominis, quando constat de corpore, non vitiat rescriptum. Quæsierim autem, nùm valida sit, quando erratur in Diœcesi, cuius erat ille, cui dispensatio impetratur, dùm

dum scilicet dicitur, eum esse Diœcesis Vallisoletanæ, cum tamen sit Burgensis, ac proinde commissio facta est officiali Vallisoletano?

773 *Valida est dispensatio.* Valida est. Quia si Ordinarius potest dispensare, quando erratum est in nomine petentis dispensationem: sic etiam poterit dispẽsare, quãdo in ipsius Episcopi, siue in Diœcesis nomine erratur. Et quidem satis constat, intentionem Pontificis esse, vt petentis Ordinarius hoc in casu dispenset. Sic Basil. *l.* 8. *c.* 17. *fine* Salas *de legib. d.* 20. *sect.* 16. *nu.* 123. Bonac. *de legib. d.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n* 6. Diana *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 36. *& p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 64. Sanctarel. *variar. resol. p.* 1. *q.* 63. Amic. *to.* 5. *d.* 6. *q.* 8. *n.* 145. Portel. *in resp. moralib. to.* 2. *casu* 49. *n.* 2. Leand. *tr.* 9. *d.* 24. *q.* 47.

774 *Non est valida.* Non est valida, nec potest Officialis Vallisoletanus huiusmodi exequi dispensationem. Quia cum per errorem id factũ sit, deficit intentio Pontificis committentis, quæ quidẽ est; cõmittere dispẽsationem exequendã legitimo impetrantis Ordinario iuxta præscriptum in Tridentino *sess.* 22. *c.* 5. Porro in hoc euentu nõ est orror in nomine, qualis, esset, si diceretur Officialem verę Diœcesis Petrum vocari, cum Antonius appellaretur: sed erratũ est, asserendo, postulantem esse Diœcesis Vallisoletanæ, & virtute, petita est cõmissio Officiali Vallisoletano, atque illi noluit Pontifex committere: cum concessio fuerit inuoluntaria, vtpote ex errore orta. Et quamuis si petita esset vero Ordinario Burgensi, illi committeretur: at illi nec petita est, nec commissa. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 21. *nu.* 39. Moneta *de commut. vltim. volunt. c.* 12. *concl.* 9. *n.* 206. Villalob. *p.* 1. *tr.* 2. *diffic.* 43. *n.* 10. & 11. Merol. *to.* 2. *d.* 4. *c.* 6. *nu.* 377. Perez *de matr. d.* 46. *sect.* 8. *n.* 18. & 19.

775 *Hanc sententiã probabiliorem esse reor.* Hanc sententiã probabiliorẽ esse putarim. Quia error quãtumuis culpa vacans non efficit, vt rescriptum extendatur ad casum, qui sub verbis eius non comprehenditur, quã si is petitus esset, literæ similiter concederetur, vt bene docent Innocent. *c. Super literis n.* 3. *de rescript.* Ioan. Andre. *ibi. n.* 5. Abbas *n.* 3. Decius *n.* 13. alios referens, Et subiiciunt hoc exemplum. Si impetrans narrauit in rescripto, Titium sibi obligatũ mutuo, petẽs, vt cogatur satisfacere & errauit in causa debiti, vtpote quod ex alio consurgit: non poterit eo rescripto iuuari.

Dvbivm CXCVIII.

An inualida sit dispensatio eo solum quod in ea aliquid taceatur, quod ex Curiæ Romanæ stylo est exprimendum?

776 *Non est inualida.* Non est inualida. Quia est probabile, stylũ Curiæ non sẽper esse legem, nec ius facere. Sæpe enim à Curialibus, ignorante Pontifice, introducitur: ergo tunc ius non faciet. Deinde quia hodie fert stylus Curiæ, vt Gradus propinquior exprimatur: & tamen in hoc casu nõ facit ius, imo nec potest talis stylus obseruari: aduersatur enim motui proprio Pij V. supra relato. Ergo non sẽper stylus Curię facit ius, aut obseruari necessario debet. Sic Basil. *l.* 8. *c.* 17. §. 6. *n.* 33. Villalob. *to.* 1. *tr.* 2. *diffic.* 43. *n.* 4. *& tr.* 14. *diffic.* 27. *num.* 7. Leand. *tract.* 9. *d.* 24. *quæst.* 48.

777 *Inualida est.* Inualida est. Quia stylus Curiæ ius facit. *c. Quam graui, de crim. falsi.* nec ab eo est recedendum. Vt multis probat Mascard: *de probat. concl.* 1317. *n.* 51. Idem igitur dicendũ est de hac qualitate, quod de illa, quã iura exprimi iubẽt. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 21. *n.* 16. citans Decium Rebuf. Menoch. Gutier. Mascard. & Flamini. Laym. *l.* 5. *tr* 4. *c.* 22. *n.* 18. Salas *de legib. dub.* 20. *sect.* 15. *n.* 117. Sanctarel. *variar. resol. p.* 1. *q.* 50. *n.* 17. Barbo *in collect. to.* 1. *c.* 1. *tit.* 2. *c.* 11. *n.* 3. Diana *p.* 1 *tr.* 10. *resol.* 42. dicens, oppositam sententiã esse periculosam. Ipse tamen prudenti planè consilio in eam videtur *resol.* 44. inclinare. Ochagau *tr.* 4. *q.* 9. *nu.* 6. Bonac. *de legib. d.* 1. *q.* 2. *pun.* 5. *n.* 1.

778 *Hæc mihi probabilior pars est.* Probabilem primam puto esse sententiã secũdam vero probabiliorẽ. Nec enim spectandũ, an Pontifex expressa aliter qualitate, rescriptũ similiter cõcederet, sed quid iuxta expressa ex Curię stylo decreuit. Nec placet, quod docet P. Henriq. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 7. scilicet, taciturnitatẽ qualitatis ex stylo Curiæ exprimendæ non vitiare dispensationẽ in foro conscientiæ, sed in solo externo iure erat exprimẽda qualitas. Cuius differentiæ nullam inuenio rationem, cum Doctores æquent vtrasque qualitates, & in vtroque foro idem omnino seruetur, vbi non est falsa præsumptio, nec lex est pœnalis. Minus vero placet Zaualla *qq. pract. qu.* 737. *à n.* 20. respondens, in casu quodam speciali nõ obstare stylum Curiæ, iuxta quem est aliqua qualitas in dispensatione exprimenda. Nam is stylus non imponit necessitatem illius obseruantię extra Curiam Romanã. Non, inquam placet. Hoc enim solum verum est quoad solemnitates accidentales iudicij: at quoad qualitates exprimendas in dispensatione stylus ille Curiæ est generalis, & iuxta illum literæ iustitiæ, vel gratiæ quocumque mittantur, solent expediri.

Dvbivm CXCIX.

An qui petit dispensationem voti, quod certo scit emisisse, sed in petitione exprimit votum esse dubium, adiiciens tamen aliam veram causam, ob quam assolet Pontifex dispensare: valida sit dispensatio?

779 *Valida est.* Proponit quis de castitatis emisso voto certus, se dubitare, an votum emiserit, petitque ad maiorem conscientię tranquillitatem. secum dispensari, addens tamen veram causam, ob quam assolet Pontifex dispensare, scilicet vehementes carnis stimulos: quæsierim, num sit valida dispensatio? Valida est. Quia in precibus certa causa continetur sufficiens ad dispensationem, cuiusmodi est graue periculum incontinentiæ. Certe Pontifex dispensaret, quamuis certitudo voti exprimeretur ob huiusmodi incontinentiæ periculum: vnde proponi votum vt certum

tum, vel vt dubium, accidentale esse videtur intentioni Pontificis, qui ob periculum incontinentiæ certũ mouetur ad expediendam dispensationem. Sic simili casu loquitur. Nauar. *l.1. Consil. tit. de rescriptis, c.7. nu. vnic.* Sà *v. Gratia, n.24.* & alij.

780 *Non est valida.* Non est valida. Quia in casu proposito est in ipsamet rei substantia, super quam cadere debet dispensatio: atque ita Pontifex non dispensauit in voto certo, sed in voto dubio: ergo non fuit valida dispensatio. Ita Sanch. *l.8. d.21. n.40. & in sum. l.4. cap.47. n.34.* Bonac. *de legib. dub. 1. quæst. 2. punct. 4. numer. 7.* Ochagau. *tr.4. de matr. quæstion. 9. numer. 1.* & Leand. *tr.9. d.24. q.49.* asserens hoc esse certissimum.

Auctoris placitum. Ego autem existimo, non adeo certam hanc esse sententiam, vt contraria haud probabili fundamento nitatur: vnde Sancius, vt hanc doceret, rem attentè considerauit, quasi opus fuisset attenta consideratione, vt se à vi rationis sententiæ oppositæ expediret. Igitur & ego re attente considerata, existimo nõ valere dispensationẽ. Quia Põtifex (vt fert huius sententiæ fundamentũ) non dispensauit in voto certo, sed in voto dubio. Sicut non valeret remissio debiti obtenta, allegata vera paupertate, ac falsa debiti dubitatione. Nam remissio non fuit debiti certi, sed dubij. Profecto priuilegium, & concessio intelliguntur iuxta preces in supplicatione narratas. At in precib. solum votum dubium narratur: ergo super votum dubium dispensatio impenditur.

Dvbivm CC.

An vitiet dispensationem, qui in precibus plures enarrat causas, ex quibus aliquæ sunt veræ, aliquæ falsæ?

781 *Vitiat dispensationẽ* Vitiat quidem. Quia cum hæ causæ pendeant ex arbitrio & voluntate solius Põtificis: quamuis alias dispensarit, existentibus vna vel duabus ex enarratis causis: at tunc nõ alias dispensare vult, nisi existentibus veris omnibus enarratis causis. Quod vel ex eo cõuincitur, quia expressis pluribus illis causis, solet in literis hæc clausula adiici: *Super his te diligenter informes, & si reperieris, quod preces veritate nitantur, (super quo tuam conscientiam oneramus) dispensa.* Vbi pondero verbum *Preces*, quod cum pluralis numeri, omnia narrata cõprehẽdit: vnde si vel vnum falsum sit, nequeũt dici veræ. Idem patet ex eo relatiuo *Super quo*, quod est collectiuum omnium præcedentium causarum. Sic Gutier. *qq. Canonic. l.2. c.15. num.* 108. Corduba *sum. q.45. opin.2. pun.1.* Rodrig. *c.238. concl.9.* Vega *to.1. sum. c.88.*

782 *Non vitiat.* Minime vitiat dispensationem, casu quo causa qua nititur, & qua sola expressa, assolet Pontifex dispensare, vera existat. Quia cum plura copulatiuè narrantur, quæ de iure necessaria non sunt, resoluitur copulatiua in disiunctionem. *c. Iam dudum de præbend.* At cum disiunctiue narrantur causæ, sufficit, alteram esse veram, ne rescriptum sit subreptitium. Ita Sanch. *l.8. d.21. n.42.* Basil. *l.8. c.17. §. vlt. nu.41.* addens id esse verum, etiamsi falsis testibus ea causa probetur, dummodo vera sit. Diana *p.8. tr.3. resol.65.* Martin. de S. Ioseph *tr.40. de matrim. num.4.* Menoch. Parisius, Roman. Millis, Ripa, Felin. Anton. & alij apud apud Sancium *vbi suprà.*

783 *Hoc tenet, & expona.* Quoties in rescripto quocumque plures narrantur causæ copulatiuè, quarum aliquæ veræ sunt, aliæ falsæ: spectanda est causa, qua nititur rescriptum, atque ea vera existente, non obstat cæterarum falsitas, quominus vera sit dispensatio, argumento ex §. *Si plures instit. de excus. tutor.* Et ratio est, quia cũ plura copulatiuè narrantur, quæ de iure non sunt necessaria resoluitur copulatiua illa in disiunctiuã, vt traditur *c. Cũ iam dudũ*, vt secũda fert sententia, & docent Abbas, & alij, quos sequitur Mascard. *de probationib. concl.325. nu.3.* At cum disiunctiue narrantur causæ, sufficit, alteram esse veram: ne rescriptum subreptitium sit, vt expresse habetur *cap. Inter cæteras, de rescrip.*

Dvbivm CCI.

An impetretur dispensatio allegando fore, vt fœmina innupta maneat ex dotis defectu: cum tamen non ex defectu dotis, sed quia deformis, aut grandæua sit, proueniat ab aliis non duci valida sit dispensatio?

784 *Valida non est.* Valida non est. Quia in hoc casu vnica solummodo causa dispensationis allegatur, nempe timor cœlibatus ex dotis defectu. At hæc est falsa, vt casus supponit: Ergo & irrita dispensatio. Sic Gutier. *quæstionum Canonicarum libro secundo cap.15. n.103. & 104.* & alij.

785 *Est valida.* Valida est si verificetur, fœminam innuptam remansuram, licet id non ex dotis defectu, sed ex defectu alio, nempe quod sit grandæua, vel deformis, vel de aliquo crimine infamata, aut ob illud punita, vel filios ex alio matrimonio habeat, &c. Quia id quod monet Pontificem ad dispensandum est, ne ea fœmina maneat innupta. Ergo si verificetur, fœminam eam innuptam fore, parum refert, quod id illi ex alio defectu haud detecto Pontifici proueniat. Ita Sanchez *libro octauo dub. 19. numer. 29.* Leander *tractatu nono dub. 24. quæstione quinquagesima secunda* Diana *part. 10. tractat. 11. resol. 42.* citans Martinum de S. Ioseph.

786 *Cum his opinor.* Cum his opinor, iudicans dotis defectum procul dubio etiam verificari. Quia dos noc dicitur sufficiens, absolutè, sed respectiue. Vnde mulier illa quo plura habet vitia, eo ampliori indiget dote, qua vitia compensentur, & sic viro nubat æquali: quamuis iis vitiis exclusis, posset cum minori dote commode nubere. Addo, re vera Pontificis mentem eo tende

tendere, ne hæc fœmina innupta remaneat. Scio, Sancium *libr. 4. summ. cap. 47. num. 7.* primæ sententiæ adhæsisse. Vnde colligo satis esse probabilem, sed secundam crediderim esse probabiliorem.

DVBIVM CCII.

An quando dispensatio voti castitatis, aut Religionis, non explicat esse ad vnum, aut plura matrimonia: possit ad plura extendi?

787 Nimirùm supponitur.

CErte cum dispensatio voti castitatis, vel Religionis ad matrimonium ineundum fit hisce verbis: *Dispensa adhoc, vt matrimonium tunc contrahere possit*, vel *Ad hoc tantum, vt tunc matrimonium possit contrahere*, vel *Hac vice dispensa*, per primum actum suam vim non amittit. Quia quando limitatur, aut restringitur ad vnicum matrimonium, id apertis solet fieri verbis, sub huiusmodi clausula: *Ita quod si viro, cui coniungetur, superuixerit, viuat postea cœlebs, & in castitate, vtpote eodem voto obligata.* Quæsierim vero, an quando dispensatio voti castitatis, vel Religionis non explicat esse ad vnum, aut ad plura matrimonia, possit ad plura extendi?

788 Ad plura non extenditur.

Ad plura extendi minime potest. Quia *cap. 1. §. Ille vero, de filiis Presbyter. in 6.* deciditur, illegitimum, cum quo dispensatur ad beneficium, non posse nisi vnicum obtinere. Et redditur ibi ratio, eo quod dispensatio sit stricti iuris. Et quia *l. Boues, §. hoc sermone. ff. de verb. signific.* præscribitur, sermonem simpliciter prolatum de prima vice intelligi: & sic nuptias de primis. Sic Henriquez *lib. 12. cap. 5. num. 7. litter. V.* vbi ait, dispensationem, vt professus ducat vxorem, de prima vice intelligi. Ochagau. *tract. 4. de matrimon. qu. 13. num. 9.* fatus: Cum dispensatio non explicat, an ad plura matrimonia, vel ad vnicum tantum se extendat, siue sit absoluta, & sine limitatione concessa, atque in totum alicuius voti impedientis matrimonium: siue sit partialis, vt cum in ea conceditur facultas tantum ad matrimonium celebrandum, non obstante voto: si tamen dispensatio prædicti voti petatur à Pontifice cum expressione finis intenti ineundi matrimonium: solum censetur prodesse ad hoc, vt vnicum tantum matrimonium licite possit celebrari. Hoc tamen solùm est verum, quando dispensatio petitur ad finem matrimonij. Vnde si petitur absolute, & sine fine matrimonij, omninò censebitur, votum auferri, ac proinde licebit, sæpius contra promissa in voto, matrimonium celebrare. Hactenus ille.

789 Ad plura extenditur.

Ad plura omninò potest extendi: vnde qui emisit votum castitatis, Religionisve, aut non nubendi, & postea dispensationem contrahendi matrimonium obtinuit, licite poterit non tantùm semel, sed sæpius inire coniugium. Quia dispensatio absoluta voti, est voti relaxatio: at relaxato voto, non est quod impediat ad vlteriores nuptias transitum, solutis prioribus: ergo. Ita Sanchez *libr. 8. dub. 31 numer. 8.* citans Stunicam, & Angles. Basil. *libr. 8. cap. 20.* §. *vnic. numer. 11. & 13.* Et Diana *part. 5. tract. 14. resolut. 30.* docet vtramque sententiam esse probabilem.

Certe si dispensatio sit absoluta, ac totalis in voto castitatis, Religionis, aut non nubendi: probabilius iudico, licere toties quoties matrimonium inire, & sic non extingui prima vice. 790 *Quid, etiam, vbertim expo.* Quia quando Pontificis mens est restringere ad prius matrimonium, id expressè in literis cauetur. Hoc limito, nisi causa dispensationis omninò cessarit: tunc enim non licebit, ad alias transire nuptias, sed prioris voti obligatio recurret. Non quia censeam, dispensationem restrictam esse ad vnicum actum: sed quia omnis dispensatio intelligitur concessa dependenter ad suæ causæ finalis durationem, quoad actus non consummatos diuisibiles. Cum ergo posterius matrimonium sit diuisibile à priori, & nondum sit initum, cessabit dispensatio quoad illud, causa eius cessante. Quod de voto Religionis limitarim, si res permaneant in eodem statu. Nam si vouens iam esset senior, vel alias Religioni ineptus, vel sobolem educandam haberet, credo, mentem dispensantis esse, vt in hoc euentu ad votum minime teneatur. Verùm quando dispensatio esset partialis quoad actum, vt in voto castitatis, aut Religionis ad contrahendum matrimonium: fateor magna probabilitate non carere, eam dispensationem primo actu extingui. At probabilius reputo, non extingui, sed licere, ad alia transire coniugia, permanente eadem dispensationis causa. Quia ea restrictio tantum videtur excludere, ne voto castitatis ligatus à sacrilegio excusetur, fornicando: & ne vouens Religionem, possit, non inito matrimonio, in sæculo manere. Non autem videtur excludere transitum ad alias nuptias, prioribus solutis. Quando enim id intenditur, expressis verbis, dictitatur. Et quia cum absoluta sit dispensatio in ordine ad matrimonium ineundum, tollit absolute vinculum matrimonio obstans. Nil igitur transitum ad ad aliud impediet.

DVBIVM CCIII.

An necessarium sit, vt quando impetrans mittit Romam, ad dispensationem obtinendam, causæ verificentur, vt valida existat?

791 *Quæstionis statum explico.*

QVadruplex tempus est, in quo dubitari possumus, an causæ in precibus narratæ verificari debeant. Primum est, quando impetrans Romam misit. Secundum est, quando Pontifex, vel pœnitentiarius literas concedit committens Ordinario, vel Confessori, vt dispenset. Tertium, quando Ordinarius, vel Confessor dispensat. Quartum, quando dispensatione vtendum est. Circa primum ergo quæsierim, nùm necessum sit, vt quando impetrans Romam mittit ad impetrandam dispensationem causæ veræ sint?

792 *Necessarium est.*

Necessarium est. Quia cum causa dolosè sit allegata, ac animo Pontificis decipiendi,

nec dolus alicui debeat suffragari : videtur contra mentem eius impetrata , vtpote qui conscius doli, nullatenus concederet: quamuis sciret veram esse futuram tunc cum dispensationem ipse, aut pœnitentiarius Ordinario, aut Confessori committit. Sic aliqui apud Sanch. *citandum.*

793 *Non est necessarium.* Necessarium non est. Quia verba illa dispensationis : *Si preces veritate nitantur.* Sufficienter verificantur, si causæ narratæ, tempore quo Pontifex immittit, aut concedit dispensationem subsistant. Ita Sanchez *libr.* 8. *dub.* 30. *num.* 2. Hurtad. *dub.* 26. *difficult.* 3. *num.* 14. Basil. *lib.* 8. *cap.* 20. Diana *part.* 8. *tractat.* 4. *resolut.* 77. Trullench. *libr.* 7. *cap.* 10. *dub.* 6. *numer.* 2. Palaus *tom.* 1. *tractat.* 3. *de priuileg. dub.* 4. *punct.* 15. Leand. *tractat.* 9. *dub.* 24. *quæstion.* 55.

794 *Hoc certum esse puto.* Hoc certum existimo. Quia clausula illa, *Si preces veritate nitantur*, veritatem precum postulat, ne dispensatio à rectitudine deficiens, dissipatio sit. Ad quod nil refert, an causa tempore præcedenti fuerit vera , necne : sed an tunc vera sit. Nec obstat, Pontificem doli conscium non concessurum. Quia taciturnitas veri, vel falsi extrinseci expressio non conferentis ad dispensationis substantiam , illam non vitiat, quamuis Princeps veritate cognita, non dispensaret.

DVBIVM CCIV.

An causæ dispensationis debeant esse necessariò veræ , tempore , quo Pontifex, vel Pœnitentiarius committit Ordinario, vel Confessori dispensandi commissionem ?

795 *Statum quæstionis suppono.* SEcundum tempus esse dixi *num.* 791. cum Pontifex, vel Pœnitentiarius committit Ordinario , vel Confessori dispensationem cum clausula illa, *Si preces veritate nitantur.* Atque de hoc tempore quæsierim, nùm opus sit preces tunc esse veras, an sufficiat veras fuisse tempore precedenti, quo missum est Romam pro dispensatione impetranda: vel tempore subsequenti, quo Ordinarius, vel Confessor est dispensaturus?

796 *Non debent tunc necessariò esse veræ* Non debent esse necessariò veræ hæ causæ tempore, quo Pontifex, vel Confessarius committit Ordinario, vel Confessori dispensationem, sed sufficit earum veritas priori, aut posteriori eo tempore. Quia illius clausulæ, *Si preces veritate nitantur*, is videtur sensus, si preces veræ sint, quatenus fuerunt Pontifici propositæ. At hoc modo veræ sunt: nam tempore, quo positæ fuerunt, erant verè : Præterea cum Pontifex veritatem precum non examinet, nec dispenset: sed vtrúmque Ordinario , vel Confessori committatur : sufficiet veritas causæ tempore quo hi dispensant. Certe veritas causæ exigitur , vt dispensatio licite concedatur. Ergo tunc eam adesse sufficiet, cum fit dispensatio. Sic Nicolaus Garcia *de Benefic. p. 6. cap. 2. num.* 263.

797 *Necessariò tunc veræ esse debent.* Hæ causæ debent necessariò esse veræ tempore concessionis Pontificis, vel Pœnitentiarij. Vnde subreptitia erit dispensatio, si tunc veræ non sint , quamuis tempore præcedenti fuerint, vel tempore subsequenti veræ existāt. Quia *cap. Quia circa, de consanguin.* dicitur, falsam fuisse causam allegatam ad dispensationem matrimonialem, nimirum habitam fuisse pr.lem. Et ratio redditur : *Cum tamen ante dispensationem obtentam viam fuerat vniuersæ carnis ingressa vnica filia, quam habebat.* Ergo non sufficit tempore præcedenti causam fuisse veram. Et quia *cap. Si eo tempore, de rescript. in 6.* deciditur, ei, cui prouidere mandatur de Beneficio curato, non posse id consequi, si tempore *Datæ* legitimæ non sit ætatis, quamuis tempore collationis eam sit ætatem nactus: & reddit hanc textus rationem : *Cum tempore Datæ non esses idoneus.* Vbi Gloss. *verb. Cum tempore* , ait, tempus *Datæ* inspiciendum. Ratio est , quia Pontifex ipse , vel Pœnitentiarius est , qui re vera dispensationem concedit: & solam executionem Ordinario , vel Confessario remittit, præmisso veritatis precum examine. Ne ergo illi sint iniqui dissipatores, oportet, tunc veram esse causam. Ita Sanchez *lib.* 8. *dub.* 30. *numer.* 3. Hostiens. *cap. Quia circa , verb. Ingressa.* Ioan. Andr. *ibi, num.* 3. Anton *num.* 3. *notab.* 3. Abbas *num.* 4. Alexand. de Neuo, *num.* 4. Præposit. *n.* 1. *num.* 1. *notab.* 3. Rebuff. *tom.* 2. *constit. titul. de rescript. num.* 56. *in præfat.* Cordu *sum. q.* 43. *opin.* 2. *punct.* 1. Petr. de Ledesm. *sum. vbi de matr. c.* 27. *post* 7. *concl. diffic.* 4. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 238. *num. vltim.* Vega. *tom.* 1. *sum. c.* 88. *casu* 4. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 350. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 14. *diffic.* 18. *n.* 2 & 3. Diana, Basil. & Hurtad. quos refert, ac sequitur Leand. *tr.* 9. *d.* 24. *q.* 56.

Longe probabiliorem hanc iudico sententiam. Quia sensus eius clausulæ, *Si preces veritate nitantur* , is videtur esse : Si preces mihi propositæ veræ sunt, At non dicuntur verè propositæ, si vel tempore præcedenti, verè fuerint, vel subsequenti verificantur , si quando Papæ , vel Pœnitentiario proponuntur , non sunt veræ. 798 *Hoc longe probabilius existimo.*

DVBIVM CCV.

An causæ dispensationis debeant necessariò subsistere, quando post Pontificis, vel Pœnitentiarij expeditionem , Ordinarius, aut Confessor eam exequitur ?

CIrca tertium tempus , de quo *numer.* 791. quæstio voluitur , an si causa fuit vera tempore , quo Pontifex , vel Pœnitentiarius Romæ dispensationem concessit , at postea eius veritas cessat tempore , quo Ordinarius, aut Confessor dispensaturus est , ea euanescat ob causæ cessationem? Verbi gratiâ. Antonia allegauit dotis competentis defectum , vt secum dispensetur , vti nubat propinquo , vere tunc , & quando Pontifex gratiam concessit , pauper erat : at antequam Ordinarius dispensationem exequatur , comparauit sufficientem dotem : dubitatur , an huius dispensationis valor cesset , eo quod eius causa cessarit? 799 *Quæstionis statum expono.*

Non cessat, satis enim est, fuisse veram causam tempore , quo Romæ dispensatio fuit impetrata. Quia *cap. Quia circa, de consang.* ponde- *Non debet necessariò subsistere.*

ponderat textus, dispensationem, in qua proles habita allegata est, fuisse subreptitiam, quia tempore impetrationis cessarat causa mortua iam prole. Quasi contrarium sentiat textus, si tempore impetrationis soboles extitisset, quamuis comprobationis tempore mortua esset. Sic Rebuf. *to. 2. constit. tr. de rescrip. in præf. n.* 56. Mascard *de probat. concl.* 1128. *nu.* 22. Sà *v. Gratia n.* 6. & alij.

800 *Debet subsistere necessario.* Cessat omnino, nec sufficit, veram fuisse causam tempore, quo Pontifex dispensationem expediuit, si eius veritas non existat tempore quo Ordinarius, vel confessor eam exequuntur. Quia verè & in rigore ordinarius, vel confessor est qui dispensat Pontificis, aut Pœnitentiarij exnomine. Quod constat tum ex verbis indulti: *si preces veritate nitantur, cum illis dispenses.* Tum etiam, quia si ante hanc dispensationis expeditionem matrimonium contraheretur, nullum erat: Ergo signum est, non esse ante dispensatum. Ergo si dispensatur tunc, adesse tunc debet dispensationis causa. Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 30. *n.* 12. citans Mandò 5. Gallego, Nauar. Couar. Manuelem, & alios. Garcia *de Benef. p.* 6. *c.* 2. *à n.* 20. Trul. *l.* 7. *c.* 10. *d.* 6 *n.* 4. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 14. & 77. Palaus *to.* 1. *tr.* 2. *de priuil. d.* 4. *pun.* 15. *n.* 2. Præpos. *q.* 8. *de dispens. matrim. dub.* 4. *n.* 35.

801 *Difficilior tertia secundâ cognita.* Porro primam sententiam, licet sua probabilitate nitatur, mihi omnino fateor displicere. Quia omnes fere Doctores concordant, dispensationem, dum est in fieri, ac nondum consummata, cessare cessante omnino causa finali. At id mandatum factum per Pontificem Ordinario, vel per Pœnitentiarium Confessori, vt dispensent, *si preces veritate nitantur*: non habet vim veræ ac consummatæ dispensationis, donec ordinarius, vel Confessarius dispensent. Quare dicendum est, exigi ad dispensationis valorem, vt causa in eius literis narrata verificetur & tempore quo Pontifici, vel Pœnitentiario proponitur, & tempore, quo Ordinarius, vel confessor, quibus commissa est, examinata precum veritate, dispensationem exequuntur. Quarè si causæ veritas tunc cesset, euanescit dispensatio, vtpote cuius causa finalis cessarit, dum erat in fieri, & nondum consummata dispensationis executio.

DVBIVM CCVI.

An necessarium sit vt perseueret dispensationis causa eo tempore, quo executioni mandatur nempe cum ipsum matrimonium initur?

802 *Quæstionis status obiit.* DEnique circa quartum tempus, de quo *n.* 791. do quæstioni, an si cesset causa finalis dispensationis, postquam iam Ordinarius vel Confessor dispensarunt ex commissione Pontificis, vel Pœnitentiarij, & sic omninò perfecta & consummata est in se dispensatio, nondum tamen sortita est suum effectum nam matrimonium non est contractum: valida sit huiusmodi dispensatio?

803 *Necessarium non est, causa perseuerare.* Valida quidem est, nec necessario debet tunc dispensationis causa existere. Quia cessante causa, non cessat effectus consummatus, ac perfectus: secus quando nondum consummatus est: vt multis citatis probant Tiraquel. *tr. Cessante causa, tota limit.* 12. & Menoch. *de præsumptione*, 189. *n.* 197. At effectus totalis dispensationis est ipsa legis relaxatio, quæ fit per illam. Cum ergo hæc consummata sit dispensatione semel iam facta, nil oberit in posterum causæ cessatio. Sic Palaus *tom.* 1. *tr.* 3. *de priuil. d.* 4 *pun* 15. *à nu.* 6. Suar. *de legib. l.* 8. *c.* 30. *à nu.* 12. Salas *d.* 20. *sect.* 6. *à nu.* 67. Gutier. *qq. Canon. l.* 1. *c.* 15. *n.* 22. Basil. *l.* 8. *c.* 20. Præpos. *q.* 8. *de matr. dispensat. dub.* 4. *n.* 35. Diana *p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 77. asserens satis esse probabilem hanc sententiam, & in praxi tutam. Granad. 2. 2. *controu. t.* 7. *tr.* 3. *p.* 2. *d.* 17. *sect.* 4. *num.* 36. & alij apud Sanch. citandum.

804 *Est necessaria perseuerare.* Cessat tunc valor dispensationis, necessariũ enim est, vt in ipso matrimonij contractu perseueret. Quia ex *c. Generaliter* 16. *q.* 1. & *c. Tuæ, de cler. non resid.* & *c. Abbate. de verbor. signif.* constat, reuocari gratiam & priuilegium, cessante causa. Et quia facilius tollitur priuilegium, seu ius extraordinarium, ac speciale, quale est dispẽsatio, quam ius commune *l. Eius militis* §. 1. At ius cõmune cessat cessãte causat eius finali: vt apud omnes compertum est: Ergo à fortiori ius speciale. Certe lex generalis indulgens priuilegium aliquod cessat, cessante eius causa finali: quia vniuersale est axioma, legem ex suæ rationis cessatione cessare. Ergo multo maiori iure priuilegium & dispensatio priuata cessabunt. Quis enim dubitet, maiori firmitate gaudere priuilegium omnibus per legem indultum, quæ tanta consultatione præuia solet indici, quam indultum speciale personæ, quod passim assolet impertiri? Ita Sanch. *l.* 8. *d.* 30. *n.* 24. citans multos. Bonac. *to.* 1. *d.* 1. *q.* 1. *punct.* 10. Villalob. *to.* 1. *tr.* 14. *diffic.* 28. *num.* 4. Hurtad. *d.* 26. *diffic.* 3. *num.* 14. Coninch *dub.* 31. *nu.* 94. Trul. *libr.* 7. *capit.* 10. *dub.* 6. *dicto* 4.

Hanc sententiam probabiliorem esse reor, (licet non parum in contrariam inclinabar.) 805 Quia actus non operantur vltra agentium intentionem, *c. Quemadmodum, de iureiuran.* At in omni dispensatione subintelligitur conditio: *Dummodo causa permaneat*: alias iniquus esset dispensans, si vellet suam dispensationem ad eũ casum extendi, quo causa prorsus cessat. Ergo cessante causa cessabit. Equidem credendum non est, velle dispensantẽ delinquere, intendendo, vt dispensatio vim habeat eo in casu, in quo aut irrita esset, aut illicita. Hæc quidem, quæ ad praxim pertinere iudicaui, ex ingenti huius materiæ mole elegi, reliqua, quæ magis ad theoricam spectant, apud Scholasticos Doctores haud difficile inuenies. Iam ad Præcepta Decalogi euoluenda me accingam.

TRIVM VOLVMINVM DE SACRAMENTIS AD DEIPARAM EPILOGVS.

QVÆRENS ô Virgo beatissima, vndenam hoc opus meum de Sacramentis tibi non solum ex Auctoris tui mancipij agnato obsequio, sed ex ipsius tractatus materia deberetur: ad memoriam accurrit, te à D. Hieronymo *Officinam* appellari *Sacramentorum*, in qua Sacramentum illud admirandum Incarnationis fuit operatum. Et quidem quis non videat, tantam affinitatem inter Mariam, & Sacramenta omnia intercedere, vt ea officinam suam sapere videantur Sacramenta conferunt gratiam? Maria sic auctore Germano; *Nulli*, ait, *confertur gratia nisi per te ô Virgo Sanctissima*. Omnia Sacramenta gratiam impertiunt in ordine ad speciales effectus: Baptismus gratiam confert, vt animam ab originali lue emundet Confirmatio dat gratiam animæ in fide corroboratricem. Eucharistia reficiuntur, accrescunt fideles, & à crimine præseruantur, Extrema Vnctio gratiam sanitatis importat venialium piaculorum expultricem. Matrimonium pacem inter vxoratos infert. Ordo denique gratiam impertit, vt in Sacramentorum administratione debita cum reuerentia nos geramus. At Deiparens has omnes gratias nobis vna elargitur, vt ditissimam Sacramentorum Officinam decet. Addiderim non solum è Sacerrima hac Officina cuncta Sacramenta prodiisse vt è pelago flumina; sed ad eandem placido planè illapsu fuisse reuersa. Maria enim experta est ineffabilem huius sui fructus gratiam ex ferè omnium Sacramentorum receptione, vt amplius Officina ex eorum officio ditaretur. Baptismi enim aquis tincta fuit, per quam aditus ei ad reliqua Sacramenta pateret, & tanquam omnium fidelium ductrix vexillum tolleret, sub quo illi conscriberentur, & vt immaculata Filium immaculatum, & tamen Sacra vnda tinctum sibi proponeret imitandum, fante D. Ildephonso: *Christi vestigia in omnibus Virgo Deipara assectata fuit*. Confirmationis Sacramentum ipsa suscepit non eis ritibus ac cæremoniis, quibus modo Ecclesia vtitur: nec ea ratione, qua Christus D. id Sacramentum instituit cum signo illo sensibili: sed immediate à Deo recepit Pentecostes die cum Spiritus Sanctus in illam, & in reliquos descendit Apostolos, tunc indelebili Confirmationis charactere insignita est, & exuberanti Spiritus Sancti gratia roborata, qui sunt huiusce Sacramenti effectus, suscepisse vero Extremæ Vnctionis Sacramentum admodum reor probabile ex Alberto Mag. Canisio, & Suario. Potuit enim eius affici fructibus, nõ vt peccata delerentur, quæ nulla in ipsa fuere: neque vt morbum propulsaret, ab intrinseco, siue ab inordinato aliquo humore prædominante consurgentem, quo nunquam fuit afflictata: neque vt humani generis abigeret hostes, ipsi enim semper ab illa procul abfuere, sed vt nouos sibi gratiæ auctus cumularet, & vt reliquis fidelibus conformaretur, hominibusque humilitatis & obedientiæ documenta præberet. Scio Albertum Mag. asseruisse Deiparam veram habuisse Pœnitentiam hac ductus ratione: *Non obstat quod Virgo non habuerit peccatum: quia vt dicit B. Gregor. Bonarum mentium est culpam ibi agnoscere, vbi culpa non est*. At certum mihi pœnitentiam non habuisse, quæ non habuit de quo pœniteret, præterea si Ordinis capax non erat Sacerdotij quodammodo munus gessit, fante Gersone: *Maria etsi non fuit insignita charactere Sacerdotalis: officij nihilominus nunc, & anteà, & postea fuit in Regulare Sacerdotium præ consortibus suis inuncta non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam, & perfectam in altari cordis sui*. Eucharistiam enim quotidie Sacerdotali more suscepit, vt Doctoribus placet. Licet autem Sacramento Matrimonij B. Iosepho non fuit alligata, quia nondum Christus D. coniugium ad Sacramentum eleuarat: Coniugium tamen Virginis coniugatis Christicolis vere fuit coniugalis pacis puritatisque documentum. Cedant igitur in tui obsequium ô Domina mei hi tractatus, quos cupierim Filij tui cedere in gloriam.

Laus Deo ôp. max. Deiparæ Dominæ, Iosepho, & Antonio patronis Ignatio Parenti?

INDEX

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
Notabilium, quæ in hoc tertio Tomo Part. II. continentur.

Prior Numerus Paginam, Posterior Numerum Marginalem denotat.

A

Aborsus.

ABORSVM procurare licetne potionibus, vbi aliud non suppetit medium ad prægnantis salutem restaurandam, & probabiliter creditur, nondum esse animatum fœtum? pagina 151. numero 81

An quando probabiliter creditur fœtum esse animatum, liceat prægnanti, vti medicamentis, & medico ea applicare cum Aborsus periculo, quoties mater periclitatur, & hæc ad eius salutem sint necessaria? pag. 152. num. 84

Acceptatio.

Acceptatio vide verb. *Matrimonium, Promissio.*

Adoptio.

Adoptio quæ intelligatur? pag. 196. numer. 34

Adoptio duplex assignatur. ibid. & pag. 226. num. 249

Adoptio perfecta quæ? ibid.

Adoptio imperfecta quæ item dicatur? ibidem.

Adoptio imperfecta matrimonium non dirimit. ibid. n. 35

Quæ requirantur, vt aliquis Adoptare possit? ibid. n. 36

Filius Adoptantis potest matrimonium inire cum filia adoptati. ibid. n. 37

Adoptio imperfecta dirimitne matrimonium. p. 226. n. 252

An duo ab eodem Adoptati, possint inter se valide inire coniugium. p. 227. n. 259

An Adoptatus possit inire coniuginm cum filia illegitima adoptantis. p. 228. n. 262

Adulter, Adulterium.

An sit Adulterium concubitus cum Sponsa p. 2. n. 3

Adulterium quid? ibidem & pagina 7 numero 58

An sit Adulterium violatio iuris, quod ex Sponsalibus acquirunt Sponsi in corpus fornicando cum altera. pag. 7. num. 57. & 58

Adulterium non sufficit ad diuortium in aliquibus casibus. p. 56. n. 132

Quando Adulterium est notorium, vel post sententiam diuortij innocens potest votum simplex castitatis emittere, vel Religionem aut Ordinem Sacrum inire adultero inuito. p. 57. n. 141

Quandonam censeatur coniux Adulterij conscius, sui coniugis condonare delictum? ibid. num. 142

Adulter non potest ante sententiam iudicis suum delictum cum hæresi alterius coniugis compensare, & nùm fieri possit post sententiam. p. 58. n. 145

An Adulterij vtriusque coniugis detur compensatio, si alter adulteretur cum alieno, alter perpetret Sodomiam? pag. 174. numero 252.

Coniux qui plura Adulteria patrauit potestne diuertere ab alio, qui vnum solummodo commisit? ibid. n. 255

Peccatne lethaliter coniux occultè Adulter diuortium petens ab adultero altero publice? p. 175. nu. 259

Nùm fiat Adulterij vnius coniugis compensatio, cum Adulterio alterius iam condonato à coniuge posterius adulterante? ibid. num. 261

An quando coniux vterque Adulterij crimine est reus, si alter emendatur, altero in Adulterio persistente, possit emendatus diuortium prætendere? ibidem numero 265

Licet

Licetne marito vxorem, & adulterum in adulterio deprehensos propria authoritate interficere, vt leges illi permittunt? p.176. num. 268

An si maritus sit iudex liceat Adulteram vxorem in Adulterio repertam, occidere. ibid. num. 271

Licitumne est viro Adultero in foro conscientiæ vxorem Adulteram criminaliter accusare, vt capite damnetur? ibidem numero 274

An vir innocens possit inuita Adultera vxore eodem iure ad Ordinem Sacrum transire quoad Religionem valet? pag. 181. numero 311

Licetne innocenti debitum coniugi Adultero denegare ante iudicis sibi suffragantem sententiam? p.182.n.314

An si iudex sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiat coniugi innocenti certo scienti Adulterium alterius occultum, quod nequit probare, vt illi debitum reddat; teneatur obedire. ibid.num.317

Coniux innocens potestne licite propria authoritate ad Adultero diuertere ob Adulterium, publicè notorium, ita vt Adulter restitutionem minimè petere valeat? ibidem numero 320

Licetne coniugi innocenti propria authoritate ab Adultero diuertere ob adulterium occultum, non expectato Ecclesiæ iudicio. p. 183. n.323

An vir teneatur vxorem in Adulterio persistentem dimittere ex præcepto speciali. ibid. num. 326

Teneturne vir vxorem adulteram iure dimissam, si emendetur, ad suam pristinam amicitiam reuocare. pagina 184. numero 329

An ab Adultera vxore teneatur vir diuertere, eique debitum abnegare, ratione præcepti correctionis fraternæ. ibidem numero 332

Obligatio dimittendæ vxoris in Adulterio persistentis, oriatur ex præcepto vitandi scandali. ibid. num. 335

An si scandalum absit peccet lethaliter vir, retinens vxorem in Adulterio persistentem. p.185. n.338

Cum Adulterium coniugis ita occultum est, vt probari non possit, teneatur adhuc vir eam dimittere, debitumque abnegare sub mortali. p.185.n.341

Teneturne vir pertinaci Adulteræ denegare necessaria alimenta. ibidem numero 344

An vxor innocens teneatur diuertere à viro in Adulterio persistente. pagin. 186. numer. 347

An copula habita à coniuge insonte cum Adultero ante diuortij sententiam, sit Adulterij condonatio. ibidem numero 351

Num detur compensatio si coniux alter Adulterij spiritualis sit reus, alter carnalis: ita vt neutri diuertere liceat. pagin. 187 numer. 355

An à marito Adultero possit vxor separari. p.170.n.216

Maritus deserens vxorem adulteram quoad thorum, & habitationem possit eam quoad curam, ac disciplinam deserere. pag. 171.num.219

Adulterari scienter cum alterius coniuge, & contrahere matrimonium de facto, vel dare fidem de contrahendo matrimonium dirimit, & impedit. pag.197. n.40

An ad Adulterij crimen sit impedimentum dirimens sufficiat conatus ad copulam Adulterinam cum promissione matrimonij. p.230 num.281

Vt Adulterium sub futura coniugij promissione sit dirimens illud, quid requiratur. p.231.n.284.

Adulterium vide verb. *Diuortium.*

Affinitas.

Affinitas quid sit. p.201. n.73

Affinitatis gradus quomodo mensurentur. ibidem.

Affinitatis linea quotuplex admittatur. ibidem.

Affinitatis contrahendæ causâ requiritur copula perfecta. ibid.n.74

Affinitas non contrahitur ex copula, in qua sola fœmina seminat. ibidem numero 75

Secus seminante viro, licet fœmina non seminet. ibidem.

Affinitas contracta ex copula licita dirimit matrimonium, vsque ad quartum gradum. pag. 202.n.76

Affinitas matrimonio contracto superueniens quos pariat effectus. ibidem numero 77

An vt Affinitas contrahatur sufficiat vt solus vir in copula seminet. pagina 252. numero 432.

Contrahiturne Affinitas ex copula in qua sola fœmina seminat. ibidem numero 435

An ex Spadonis congressu oriatur affinitas. ibid. n.438.

Vt Affinitas contrahatur, quid sufficiat. ibid. num.441.

An Affinitas ex fornicatione orta impediat matrimonium in gradu tertio, & quarto. p.253. num. 449

An Affinitas ex fornicatione orta dirimat in omni gradu lineæ rectæ iure naturali matrimonium. p.254.n.255

Affinitas ex matrimonio orta dirimitne iure naturæ matrimonium aliquo in gradu lineæ rectæ, inter ascendentes, & descendentes. p.255. n.458

An Affinitas ex matrimonio orta dirimat naturali iure coniugium in primo lineæ transuersæ gradu. ibid. n.461

An quando impedimenta Affinitatis, & publicæ honestatis concurrunt satis sit mentionem fieri Affinitatis, publica honestate tacita. p.296.n.761

Apostasia.

Apostasia à fide in qua alter coniux labitur est secunda diuortij causa. pagina 57. numero 143

Archiepiscopus.

Archiepiscopus suorum Suffraganeorum non potest

Potest coniungere subditos. pag. 47 num. 63

Arrhæ.

Arrharum apponi solitarum in sponsalibus significationes. p. 4. n. 16
Licitæ sunt Arrhæ amittendæ ob violationem fidei sponsalium. ibid. nu. 27
In quacumque quantitate possunt Arrhæ constitui. ibid. n. 28
Arrhas amittit qui sua culpa matrimonium impedit. ibid. num. 29
An Arrhæ amittendæ per frangentem sponsalia, possit in eorum contractu apponi in qualibet quantitate. pag. 23. num. 197 & 198
An Arrhæ sint necessariò in quantitate numerata constituendæ. ibid. n. 200. 201
An possint Arrhæ vtrinque cõstitui altero tradente certam earum quantitatem, & altero similiter Arrhas reddente. pag. 24 numero 205
Arrha quotupliciter vsurpetur. p. 23 num. 196

Ascendens.

Ascendentes qui dicantur. pag. 194 numero 19

B

Benedictio nuptialis.

ANtequam Benedictiones Ecclesiæ recipiantur, estne lethale matrimonium consummare. p. 116. n. 640
Ante Benedictiones Ecclesię consummare matrimonium estne veniale piaculum. ibidem numero 643
Estne mortale ante Benedictiones consummare, si lata sit contra sic gerentes excommunicatio. ibid. nu. 646
Nùm sit mortale omnino nuptiales Benedictiones omittere. ibid. nu. 649
An Benedictiones nuptiales possint tota die Sabbathi ante aduentum celebrari. pag. 117 numero 653
An culpa sit mortalis tempore prohibito nuptiales Benedictiones recipere. ibid. num. 659
Potestne Episcopus dispensare, vt Benedictio nuptialis tempore prohibito celebretur. p. 118. n. 662
An Benedictiones nuptiales possint licite tempore interdicti conferri. pag. 275 numero 603

Bestialitas.

Bestialitas præbetne diuortij occasionem. p. 173. n. 245

C

Catechismus.

CAtechismus quid, pagina 205 numero 101
Quodnam Catechismi impedimentum sit omnino sublatum per Tridentinum. p. 276 num. 616

Cœlibatus.

Cœlibatu inferior est status coniugalis. pag. 40 numero 7

Cognatio.

Cognatio quid sit. pagina 194. numero 19
Cognatio spiritualis quid? pag. 195 numero 27
Cognatio quo iure sit inducta. ibidem.
Cognationis spiritualis hodie quotuplex sit species. ibid. n. 28
Cognatio spiritualis contracta à viro non transfunditur ad vxorem. ibidem numero 29
E contra. ibid.
Vt Cognatio contrahatur in Baptismo, vel Confirmatione quot requirantur. ibidem num. 30
Quando nulli designantur Patrini, nullus contrahit Cognationem. ibid. nu. 31
Qui ad suscipiendum infantem mittit procuratorem, ipse Cognationem contrahit, non procurator. ibid. nu. 32
Cognatio legalis quid sit. pagina 196 numero 33
Cognationis legalis quotuplices assignentur species. ibid.
Cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta matrimonium non dirimit. ibid. n. 35
Cognatio legalis inter quos impediat, ac dirimat matrimonium. ibidem numero 36
Cognatio legalis superueniens coniugio non impedit debiti petitionem. ibidem numero 38
Cognatio spiritualis, ex qua matrimonium dirimitur, vnde oriatur. pagin. 224 num. 238
An infidelis baptizans filium fidelis contrahat spiritualem Cognationem cum baptizato, ac eius parentibus. p 225. nu. 245
An fidelis baptizans filium infidelis contrahat cum patre infideli Cognationem. pag. 226 num. 248
An Cognatio legalis in linea transuersa dirimat matrimonium. pagina 227 numer. 256
An Cognatio legalis impediens, ac dirimens matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, eiusque descendentes in infinitum protrahatur. p. 228. num. 265
An imperfecta spiritualis Cognato prodiens ex tentione in Catechismo, oriatur etiam ex tentione baptizati in Exorcismis. p. 275 num. 607
Vt patrinus hanc Cognationem spiritualem imperfectam contrahat necessùm sit vt baptizatum, aut baptizandum in Catechismo teneat. ibid. n. 610

Concubitus.

Concubitus cum sponsa non est adulterium. p. 2. n. 3
Concubitus cum fœminę exanimis cadauere an sit sufficiens diuortij causa. p. 173 numer. 248

Conditio.

Conditio, vide verb. *Matrimonium.*

Coniugium, Coniux.

Coniux Coniugem vagantem, aut mutantem domicilium sequi quandonam teneatur. p.5 numero 34
Coniugium quid. pag.39.nu.1
Coniugium est validum si subest aliquis error facti, vel iuris, & vterque consentiat, quantum in ipsis est. p.44.n.38
Coniugium quot in casibus sit validum sine Parochi assistentia. p.46.n.56
Coniugalis actus est licitus, & meritorius. p.50 numero 83
Coniuges tenentur æquali iure sibi inuicem debitum reddere. ibid.nu.84
Vt Coniugalis actus sit licitus, & meritorius, quæ requirantur. p.53.n.107.108. 110.& pagin.54.numer.115.117. & pag.55.num. 123. 125
Quandonam circa modum mortaliter, aut venialiter delinquant? pag.53.n.109
Quando Coniux innocens mutauit statum, quia professus est, vel Ordine Sacro initiatus, & fornicatur postea, non potest reddi adultero. p.57. nu.140
Coniux Catholicus potest, imo tenetur propria authoritate à coniuge hæretico recedere. ibid. n.144
An qui contrahunt in mortali Coniugium committant duo lethalia crimina, vnum suscipiendo, alterum administrando Sacramentum. p.63. nu.193
An Coniux, qui non intendit Religionem inire, teneatur intra bimestre debitum petenti coniugi reddere. p.73.n.268.269
An Coniux impedimenti conscius excusetur à culpa reddendo debitum ad maiora damna vitanda. ibidem n.368
An Coniux impedimenti conscius si ab Ecclesia excommunicetur, quia debitum negat sit vere excommunicatus. ibidem numero 381
Potestne Coniugis mors sufficienter fama probari. p.88. n.406
Qui Coniugium cum concubina inire expetit in mortis articulo ad prolem legitimandam nec Parochi copia datur, potestne sine præsentia Parochi iniri. pagina 90 numero 419
An Coniugio subditorum Episcopi suffraganei possit assistere Archiepiscopus. pagina 98 numero 486
Num Vicarius Generalis Episcopi, & aliorum habentium iurisdictionem quasi Episcopalem sit Ordinarius vt Coniugio intersit, & alij assistendi licentiam impendat. ibidem numero 489
An Vicarius Generalis Episcopi ex proprio officio, absque speciali commissione Coniugis interesse, & aliis licentiam assistendi concedere possit. ibidem numero 492
An sit licitus coniugalis vsus ad tuendæ, acrestaurandæ valetudinis corporeæ finem relatus. p.144. num.21
An sit peccatum vti Coniugio propter solam delectationem capiendam. ibid. n.24
Coniugalis actus an in loco Sacro licite exerceatur extra casum necessitatis, illumque reddat pollutum. p.147.n.47
An in casu necessitatis actum coniugalé in loco sacro exercere licitum sit. ibidem nu.51
An sicut actus coniugalis in loco sacro extra casum necessitatis sit aliquando licitus, idem de impudicis cogitationibus, & tactibus dici possit? p.148.n.54
Coniugi petenti modo indebito quoad situm, teneturne alter & an possit licite reddere. p.148.n.61
Culpa lethalis num sit Coniugalem in actum Vase innaturali inchoare. pagina 149 numero 66
An sit lethale cùm datâ operâ Coniugis vtriusque seminatio non est simul. ibidem numero 69
An sit peccatum mortale Coniugem ab inchoata desistere copula postquam alter non seminauit. p.151.nu.78
Estne culpa venialis Coniugali actu vti, prægnationis tempore. pagina 154 numero 97
An Coniux sanus teneatur cum leproso habitare. p.156.nu.114
An Coniux, qui de alterius licentia castitatem vouit, alter possit, & teneatur reddere. p.165 numero 180
Vtróque coniuge mutuo consensu castitatem vouente, estne integrum viro votum castitatis vxoris irritare. p.166.n.189
Quando Coniux se ipsum singulariter tangit absque Pollutionis periculo ad captandam voluptatem, delinquitne mortaliter. p.168 numero 201
Coniugis occisio causa contrahendi cum eius Coniuge est crimen dirimens, ac impediens matrimonium. p.196.nu.36
Coniugium cum moniali contractum quodnam dicatur. p.206. nu.12
Confessarius non potest absoluere Coniugem negantem iniustè debitum, cum inuincibiliter matrimonij inualiditatem ignorat. p.207. n.117.
Si Coniux Coniugem interimit non animo contrahendi coniugium cum altero, sed ex odio, vel vt liberius libidini inseruiat, an hoc homicidium dirimat subsequens matrimonium. p.229. n.269
Vt fides data Cõiugij futuri sufficiés sit ad impedimentum inducendum, quid sit necessarium. p.231.n.290
Valetne Coniugium fidelis cum hæretico. p.234.n.306
An tempore primitiuæ Ecclesiæ tenebatur Coniux ad fidem conuersus cohabitare cum infideli Coniuge secluso animæ periculo. ib. n.309
periculo.
Licetne nunc Coniugi fideli, cum infideli nolente ad fidem conuerti cohabitare. p.235 numero 312
De simultanea Coniugum habitatione plura à p.235.ad 240
Coniugium vide v. *Matrimonium.*
Coniux vide verb. *Adulterium, Debitum. Diuortium.*

Connubium.

Connubium vnde nomen sit sortitum. p.39.n.1

Consan

Consanguinitas.

Num Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat iure naturali matrimonium. p 221.n.221
An Consanguinitas in primo gradu dirimat matrimonium in casu extremæ necessitatis. ibid.n.224

Consensus.

Consensus vide verb. e *Matrimonium.*

Consuetudo.

Consuetudo vires habet statuendi nouum impedimentum dirimens matrimonium.p.191 numero 4

Copula.

Copula ante matrimonium initum habita est-ne sufficiens,vt matrimonium subsequutum consummatum dicatur. p.74.n.284
An Copula per vim intra bimestre extorta sufficiat,vt matrimonium dicatur consummatum,& sit omnino indissolubile. pag.75. numero 287
Copula perfecta requiritur ad contrahendam affiniratem. p.201.n.74
An Copula Sodomitica impediat matrimonium. pag.253.n.445
An Copulæ sit necessario mentio gerenda ex sola humana fragilitate inter cognatos, vel affines habitæ,vt valida sit eis dispensatio. p.292.n.736
An si Copula incestuosa habita fuit spe facilius impetrandæ dispensationis,is animus sit nunc necessario explicandus. pagina 293. numero 739
Copula vide v. *Affinitas. Matrimonium.*

D

Debitum.

Debitum æquali iure sibi inuicem reddere tenentur coniuges. p.50.n.84
Dantur aliqui casus quibus coniuges Debitum abnegando non peccent. ibidem numero 85
Validum est pactum Debitum non petendi mutuo coniugum assensu initum. ibidem numero 86
A Debiti redditione excusatne animæ periculum,& grauis corporeæ infirmitatis.ibidem numero 87
Non tenetur coniux Debitum reddere petenti coniugi tempore furoris,vel ebrietatis.p.51 numero 88
Excusatur coniux à Debiti redditione ex coeundi impotentia. ibidem numero 89
Non excusatur coniux à Debito reddendo non multiplicandę prolis gratia. ibidem numero 90
Debitum reddere tenetur Coniux, coniugi illicitè petenti. ibid.nu.91
Mortale est reddere Debitum quoties petens mortaliter delinquit ob aliquam ipsius actus coniugalis circumstantiam. ibidem numero 92
Debitum negandum non est petenti solum cum veniali piaculo. ibidem numero 93
Debitum negare licet ad vitandum magnum in bonis pecuniariis,aut fama detrimentum. ibid.n.94
Qui filium in necessitate baptizat aut suscipit iure petendi debitum non priuatur. ibidem numero 95
Debitum iure petendi priuatur qui ex malitia diluit,aut tenet communem filium,aut proprium coniugis alterius. ibidem numero 96
Qui cum coniugis consanguinea rem habet, Debitum petere non potest,at tenetur redere. p.52.nu.97
Et impedimentum hoc extenditur ad primum & secundum gradum,& non vltra. ibidem numero 98
Vxor non priuatur iure petendi Debitum, si per vim, aut metum cogitur ad copulam cum mariti consanguineo. ibidem numero 99
Non priuatur iure Debitum petendi coniux, qui ex ignorantia inuincibili post coniugium initum, affinitatem, vel spiritualem cognationem cum suo coniuge contrahit. ibid.n.100.
Qui dubitat de sui coniugij valore non potest Debitum petere ante diligentiam adhibitam,tenetur tamen reddere. ibidem numero 101
Potest reddere qui post diligentiam adhibitam adhuc dubius manet, at si vterque dubitat neuter potest petere,nec reddere. ibidem numero 102
Non potest petere,qui mala fide contraxit dubitans de impedimento dirimente. ibidem numero 103
Opinans coniugium esse nullum, non potest petere,sed tenetur reddere id non opinanti. ibid.n.104
Nec petere,nec reddere potest qui moraliter certus est matrimonium esse nullum. ibid. numero 105
Dubitans de coniugij valore non tenetur reddere Debitum in priori bimestri.pagina 53 numero 106
Debiti petitio ad vitandam incontinentiam, vel tuendam valetudinem à culpa vacat. ibid.nu.112
Licet mulieri Debitum reddenti animum diuertere ad aliame natura excitetur ad seminis effusionem. p.54.nu.120
An Debitum petere,ac reddere possit coniux cum alter coniux mala fide contraxit dubius de prioris coniugis obitu? pagina 85 numero 381
An si contrahens mala fide petat, alter teneatur reddere? pagin.86.n.384
An cum coniux vterque mala fide contraxit dubius,de prioris coniugis obitu, vterque teneatur Debitum reddere postulanti?p.86 numero 387
An si coniux, qui bona fide contraxit, postea non dubitet,sed opinetur, nullum esse matrimonium,Debitum redde re teneatur.p.87 numero 394
Debitum teneturne reddere vxor viro tacite, seu interpretatiue petenti. p.141.nu.4

An quoties peccat coniux Debitum exigens, peccet similiter alter illud reddens? p.142. numero 7

Num si quis incestum perpetrat ad consanguineam vxoris accedens, vel voto castitatis iligetur: Coniux peccet lethaliter petenti ei Debitum reddendo ante impetratam dispensationem ibid.n.10

An coniux cui Debiti petitio est interdicta, non tamen redditio, vt contingit ratione voti castitatis, cognationis, aut affinitatis post matrimonium contractæ aliquando possit petere Debitum. p.143.n.8

An venialiter delinquat qui Debitum exigit die, qua Eucharistiam est recepturus. p.145. numero 32

Coniux reddens Debitum teneturne sub veniali ea die à communione abstinere p.146 numero 34

An post communionem eadem die liceat Debitum exigere. ibid.num.40

Num sub veniali piaculo coniux excommunicatus possit Debitum exigere. pagina 147. numero 43

Petere Debitum tempore menstrui vxoris an sit lethale. p.152. n.87

Et an menstrui tempore reddere Debitum sit culpa. p.153.num.90

An coniux tempore menstrui teneatur exigenti Debitum reddere. ibidem numero 93

Num amenti perfecto nullis gaudenti intermissionibus teneatur sanæ mentis coniux reddere Debitum. p.154.n.104

Vtrum sanus coniux cum propriæ infectionis periculo teneatur Debitum reddere coniugi leproso. p.155.n.108

Quando cognatio spiritualis siue ab vno siue ab vtroque coniuge contrahitur culpabiliter, seu baptizando, seu tenendo, impediturne nocens à Debito exigendo. pag.156. numero 118

An coniux incestuosus cum suis consanguineis priuetur iure petendi. pagina 157 numero 123.

An Debitum petendi prohibitio incestuoso indicta extendatur post Tridentinum ad incestum vsque ad quartum consanguineorum alterius coniugis gradum. ibid. num.126

An cum vterque coniux affinis est effectus per copulam cum alterius consanguineis mutuam, arceatur ambo à Debiti petitione. p.158.n.129

Num pœna illa, qua coniux incestuosus afficitur, vt Debitum non possit exigere, incurratur ante iudicis sententiam, vel criminis declarationem. p.159. n.138

Si vxor à viri consanguineo vi aut motu cognoscatur, an priuetur Debitum petendi potestate. ibid.num.141

An coniux, ex cuius licentia alter solus vouit castitatem, possit Debitum exigere, & subinde alter teneatur reddere. p.164 n.174

Debitum, vide verb. *Coniux, Matrimonium, Votum.*

Delectatio.

Delectationes morosæ licentne coniugatis, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum coniugalem exercere. pag.168, num.204

Delectationes morosæ, verba turpia, &c. sunt ne licita ratione periculi pollutionis in altero coniuge præuisi. p.169.n.207

Denunciationes.

Denunciationes suntne de essentia matrimonij. p.104.n.544

Peccatne lethaliter Denunciationes sine debita dispensatione omittens. p. 105. num.547

An sit graue peccatum vnicam denunciationem sine licentia omittere. ibidem numero 550

An dum matrimonium inter duos diuersarum Parochiarum initur, satis sit in vna earum Denunciationes proferri. ibidem num.553

Sufficitne fieri Denunciationes in Parochia, in qua breui temporis spatio contracturi morantur. p 106.n.556

Denunciationes possuntne fieri extra Eccle. siam in loco, vbi magna populi pars assoler conuenire. ibid.nu.559

Denunciationes debentne necessario diebus festiuis exeri. pagina 107. numero 562

An Denunciationes debeant necessario tribus diebus interruptis geri. ibidem numero 565

An delinquat lethaliter Parochus, qui Denunciationes non gerit tribus continuis festis diebus, sed per alium diem festum interpollatis. ib. n.568

Vicarius Generalis Episcopi ex vi sui officij sine speciali delegatione, potestne Denunciationibus dispensare. pag. 108 numero 572

An Episcopus possit facultatem dispensandi in Denunciationibus aliis à Vicario Generali concedere. ibid. n.575

An ob solam causam malitiosi impedimenti Ordinarius possit in Denunciationibus dispensare. pagina 109. numero 585. & 586. Vbi num.587. Author recenset causas ob quas potest Ordinarius in Denunciationibus dispensare. ibid.

Estne causa iusta dispensandi in Denunciationibus, quod contrahentes sint Magnates. p.110.n.590

An in Denunciationibus sit causa iusta conditionis inæqualitas, aut nimia contrahentium ætas. ibid.nu.593

Num sit iusta dispensandi causa contrahentium è Denunciationibus oboritura infamia, aut scandalum. ibid. n.596

Ad dispensandum in Denunciationibus quid requiratur. pagina 111. num. 597 & 598

An existente iusta dispensandi causa in Denunciationibus, Ordinarius sub peccati pœna teneatur semper dispensare subditis exigentibus. ibid.n.602

Ne Denunciationes gerantur Parochus potestne aliquo in casu dispensare. ibidem num.605

An quãdo nõ est copia Ordinarij, vel ille petitam dispensationem in Denũciationib. iniustè denegat, liceat his omissis cõtrahere sex in

in casibus? p.112. n.608
Ante Denunciationes estne peccatum consũmare matrimonium eum hę omittuntur ex Ordinarij licentia,vt post contractum coniugium fiant. ibid. n.612
An quando ex Ordinarij dispensatione omittuntur denunciationes, vt post contractum matrimonium fiant , solum prima vice sit mortalis consummatio. p.113. n.615
Denunciatio,vide v. *Matrimonium.*

Descendens.

Descendentes qui dicantur. pag.194. numero 19

Dispensare.

Dispensandi iustæ causæ in impedimentis dirimentibus. p.208.n.125. Et inde circa hoc confessariis nonnulla exhibentur documenta. ibid. n.126
Dispensare,vide verb. *Pontifex, Episcopus.*

Diuortium.

Diuortium quid. p.55.n.126
Diuortium quotuplex sit. ibid.
Diuortium inter,& repudium quid discriminis intercedat. ibidem.
Quatuor Diuortij causæ admittuntur. pag.55. num.128
Et quæ dicantur. ibid.
Diuortium ob adulterium quod dicatur? ibid. numero 129
Ad Diuortium non sufficit adulterium aliquibus in casibus. p. 56.n.132
Quid sufficiat vt coniux in foro conscientiæ Diuortium gerere possit. ibidem numero 133
Vt Diuortium in foro externo fiat , quid requiratur. ibid.n.134
Coniux innocens potest secluso scandalo propria authoritate facere Diuortium ab adultero. ibid.n.135
Duplici in casu tenetur maritus Diuortium facere adultera coniuge ibidem numero 136
Et quid cum vterque adulterium commisit, sed alter est emendatus. ibidem numero 137
Potest innocens facto diuortio , adulterum cogere , vt redeat. pagina 57. numero 138
Nulla actio acquiritur adultero,vt repetat innocentem lapsum in adulterium post latam diuortij sententiam ibidem numero 139
Secunda Diuortij causæ quæ dicatur. ibidem numero 143
Inductio ad peccatum , ac sæuitia Diuortij sunt causæ. pagina 58. à numero 146 ad 151
An Diuortium ob Adulterium coniugis licitum sit solum iure diuino positiuo.pag.171. num. 221
An Diuortij perpetui iustam præbeant causam tactus impediti , quæ vxor cum alieno habuit. ibid.n.224
Estne iusta Diuortij causa pollutio habita cum vxore dissentiente. pagina 172. numero 227
An Diuortij sit iusta causa , pollutio extraordinaria habita cum tertia alia persona non vxore. pagina 172. numero 230
An ad Diuortium gerendum coniugis Sodomia sit sufficiens causa. ibidem numero 233
Datne iustam Diuortij causam passiua Sodomia. ibid.n.236
An naturalis copula absque seminis intra vas effusione sit iusta diuortij causa. pag.173. num.242
Diuortij occasionem præbetne bestialitas.ibid. num.245
Concubitus cum fœminæ exanimis cadauere exhibetne iustam Diuortij causam. ibidem numero 248
Quot casus admittantur,in quibus non sufficit adulterium ad Diuortium gerendum. ibid. numero 249
An cum lata Diuortij sententia contingit innocentem labi in adulterium,compensentur mutuo delicta, compellendus sit ad coniugem adulterij causa dimissum redire. p.177 num. 278
Num coniugi,qui ante Diuortij sententiam in adulterium labitur,liceat Religionem profiteri,vel Sacros Ordines suscipere. p.178. numer.281.
E contra vero post Diuortij sententiam. ibid. num.284
An si post Diuortium celebratum coniux innocens iam professus , vel Sacris initiatus perpetrat adulterium , teneatur egredi è monasterio , & ad coniugem , ob adulterium imissum redire. ibidem numero 287
An post latam Diuortij sententiam coniux innocens possit adulterum etiam inuitum sibi reconciliare , & adulter teneatur ad id. p.179.n.290
Licetne Diuortium ob multa alia crimina, etiamsi eis coniux ad peccandum non inducatur. p.188.n.361
Si coniux pertrahat alterum coniugem ad peccandum lethaliter potestne ab illo diuertere. p.189. nn.364
Diuortium licetne gerere viro ob vxoris sæuitiam. ibid.n.368
An ob furorem coniugis liceat alteri Diuortium celebrare,quamuis non adsit vitæ periculum. p.190.nu3.71.
Diuortium , vide verb. *Adulterium.*

Dominus.

Dominus tradens seruum libere,hoc ipso illum à seruitute liberat. pagina 193 numero 13
Domino inuito seruus valide potest inire coniugium cum libera vel serua , modo seruitus sit liberæ nota. pag. 193. numer. 14
Dominus non potest absque mortali vendere seruos in locis distantibus,in quibus non valeant sibi debitum reddere. ibidem numero 15

Dos.

An Dotem sponso sponsa promittente, quam superueniente inopia soluere non valet,sponsalia soluantur. p.34.nu.297
Dotis promissio non præcessit , sed superuenit sponsæ paupertas,an hoc in casu soluantur sponsalia. ibid.n.300
Iurauit quis se aliquam ducturum , nulla Dotis promissione præmissa teneturne ipsam ducere,

ducere, si cum ipsa sit locuples, nullam ei Dotem velit assignare? pagina 35. numero 309

E

Ecclesia.

Ecclesia potest matrimonij impedimenta statuere. p.191.nu.1
Quid sit Ecclesiæ vetitum. pagin.273 numer. 590

Episcopus.

Episcopus potestne dispensare, vt benedictio nuptialis celebretur tempore prohibito. p.118.n.662
Episcopus aliquando dispensare potest in iis, quæ iure naturæ dirimunt, conuenientibus conditionibus quibusdam. pag.207 numer. 120
Episcopus dispensare potest in impedimentis quæ superueniunt matrimonio, & debiti petitionem prohibent. ibidem numero 121
Episcopus dispensare potest in impedimentis non dirimentibus excepto voto castitatis, & Religionis. ibid.n.122
An Episcopus, & Concilia Nationalia, & Prouincialia possint impedimenta inducere. p.209.n.132.
An Episcopus in casu magnæ necessitatis possit in impedimentis dirimentibus post contractum matrimonium dispensare. p. 285. num.683
Desideratur ne in contrahentibus bona fides, vt Episcopus in his casibus valeat dispensare. ibid. nu.686
Potestne Episcopus in casu magnæ necessitatis dispensare in impedimento dirimenti ante initum matrimonium. p.286 numer. 689
An tantum sit pro interiori foro potestas, quam Episcopus habet ad dispensandum in necessitate super impedimenta dirimentia. ibid. num.692
An ex speciali Episcopi commissione possit eius Vicarius Generalis in impedimentis dirimentibus, in casibus, quibus ipse potest dispensare. ibid.n.695
Circa Episcoporum dispensationem plura à pag.287.ad 291.

Error.

Error in matrimonio quotuplex possit admitti. p.192.n.7
Error personæ concomitans reddit matrimonium inualidum. ibid.n.8
Cum Errore antecedenti celebratum matrimonium circa qualitatem validum est. ibidem numero 9.
Quomodo Error qualitatis in errorem dignoscatur. ibid.n.10
Error conditionis efficit matrimonium nullum, quando conditio errantis sit deterior. p.193. num.12.
An Error personæ concomitans matrimonij actum id etiam irritum reddat. pagina 210. numero 139
Error personæ dirimitne iure naturali matrimonium. ibid.num.142
An Error qualitatis seu dolus circa illam antecedens, qui ineundo matrimonio causam præbet, alias non ineundo illud dirimat. p.211. n.145

Eunuchus.

Eunuchus potestne valide matrimonium inire. p.258.n 484.
An si daretur Eunuchus verum emittens semen valide posset matrimonium inire attento naturæ iure post Sixti V. motum proprium. ibid.n.485.&486
An fœmina Eunuchissa sit ad matrimonium habilis ineundum. pagina 259. numero 489

F

Fideiussor.

Fideiussor pro matrimonij securitate potest Sponsalibus interuenire. pag.4. numero 31

Filius.

An Filius teneatur inire matrimonium, quod pater promisit, aut præcepit. pag.125. numer. 720
Possuntne Filij licitè hoc aut illud contingium inuitis parentibus inire. ibidem numero 724
An Filia inuitis parentibus nubens, attento iure cæsareo, possit ab eis exhæredari, si indigno nubat. pag.126.n.727
An Filia possit inuitis parentibus nubens exhæredari attento iure Regio Castellæ. ibid. num.730
An Filiam dotare teneatur pater viginti quinque annis maiorem ipso inuito nubentem. p.127.n.733
Teneturne pater Filiam dotare viginti quinque annis ipso inuito nubentem indigno. ibid.n.737

Fœmina.

An Fœmina quę parere non potest sine manifesto mortis periculo, licet apta copulæ, valide ineat matrimonium. p.260.n.501
Quando Fœmina nupta cuius arctitudini naturali medici iudicant posse absque mortis periculo per incisionem subueniri, teneturne pati. p.291.n.508
An quando Fœmina arcta naturaliter specialiter non est, sed solummodo naturale Virginem signaculum congressui virili obstat, teneatur incisionem subire. pag.262.n.511

G

Gradus.

Gradus quis dicatur. p.194.n 19

H

Hæresis.

Hæresis est secunda diuortij causa. pag.57. num.143

Herma

Hermaphroditus.

Hermaphroditus quid debeat gerere circa matrimonium? p.204.n.91
An Hermaphroditus, semel electo sexu, & iuxta illum inito matrimonio, posteà viduus possit iuxta alterum sexum valide matrimonium inire? pagina 263. numero 518
An Hermaphroditus possit valide inire coniugium iuxta sexum, qui non est æqualis sed inferior: si tamen iuxta eum adsit ad copulam potentia? ibidem numero 521

Honestas publica.

Honestas publica quid, quæ ad primum consanguinitatis gradum extenditur solummodo. p.200. n.66
Honestatis publicæ impedimentum non est naturæ iure inductum, vel diuino, sed iure Ecclesiastico. ibidem numero 67
Honestatis publicæ impedimentum est perpetuum, nisi authentica sit Cardinalium quædam declaratio. ibidem numero 68
Honestas publica non oritur ex sponsalibus conditionalibus ante conditionis euentum. p.201.nu.69
Honestas publica oritur ex matrimonio rato, & ad quartum gradum extenditur. ibid. num. 70
Honestas publica oritur ex matrimonio rato irrito, modo non sit ex defectu consensus. ibid.n.71
Honestatis publicæ impedimentum non oritur ex matrimonio rato conditionato ante conditionis impletionem. ibidem numero 72
Honestatis publicæ impedimentum oriturne ex sponsalibus fictè celebratis? p.248. numero 409
An publicæ Honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus validis cesset, cum mutuo contrahentium consensu dissoluuntur sponsalia? pag.249. numero 412
Publicæ Honestatis impedimentum consurgens ex matrimonio rato, an restrictum sit per Tridentinum ad primum gradum sicut consurgens ex sponsalibus? p.250. num.422
An impedimentum publicæ honestatis consurgat ex matrimonio rato quocumque ex causa inualido? pagina 251. numero 425

I

Ignorantia.

NVm Ignorantia vincibilis facti excuset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatem aut cognationem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur. p.160.n.143
An Ignorantia inuincibilis iuris præscribentis pœnam priuationis debiti, excuset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatem spiritualem contraxit, ne ipsi debiti petitio interdicatur? pag.161 numero 149

Impedimentum.

An Impedimentum teneatur is manifestare, cui est sub secreto naturali reseratum: p.113.n.612
An qui nouit occultum Impedimentum, quod testibus probare nequit, teneatur illud manifestare? pagina 114. numero 615.
Ordinarius ipse, qui solus nouit impedimentum teneturne publice petentibus matrimonium non denegare? p.115.nu. 632.& 633
Impedimenta dirimentia, & impedientia matrimonium quæ, & quot? p.192. num.6
Impedimenta non dirimentia matrimonium, sed solum impedientia quot? p.205 num.100

Impotentia.

Impetentia coëundi est impedimentum dirimens matrimonium. pagina 202, numero 79.
Vnde hęcce Impotentia consurgat; ibidem.
Impotentia perpetua qualisnam dicatur? ibidem.
Impotentia perpetua matrimonium antecedens quæ. ibid.n.80
Impotentia qualis ex parte fœminæ matrimonium dirimat? ibid. num.81
Impotentia accidentalis non obstat matrimonio. p.203.n.83
Impotentia ex maleficio perpetuo dirimit subsequens matrimonium. ibid. num.86
Coniuges quibus constat Impotentiam ad esse perpetuam debent à qualibet coniugali abstinere licentia. ibidem numero 87
Quando dubitant an Impotentia sit perpetua, possunt pertriennium inhabitare simul. ibid.n.88
Et quomodo triennium sit computandum. ibid.n.89
Impotentia matrimonij superueniens illud non dirimit. ibid. n.90
Impotentia quotuplex veniat admittenda? p.255.n.462
An inter Impotentes sit validum matrimonium. p.256.n.465
An Impotens, qui suæ Impotentiæ conscius decepit fœminam ipsam ducens, teneatur eam vt sororem habere, & ei alimenta impertire? ibidem numero 468
Num si vterque coniux initi, matrimonij tempore nouerant impotentiam, teneantur vt fratres conuiuere? p.257. num.471
An detur Impotentia naturalis respectiua matrimonium dirimens. p.261.n.504

Impotentia perpetua ex maleficio consurgens dirimitne subsequens matrimonium cum persona illa ad quam est impotentia? p.262 num.514

An quando signa impotentiæ non sunt omnino certa, sed euidentia verosimiliter, desideretur iuramentum? pag.267. numero 548

Incestus.

Estne Incestus accessus ad consanguineam in tertio, aut quarto gradu eius, quacum quis fuerat fornicatus. pag. 254. num.452

An Incestus viri cum vxoris consanguineis, quo impedit, dirimat matrimonium? p.278.n.633

Incestus impedimentum oriturne ex coniunctione cum consanguineis coniugis vltra secundum gradum. pag. 279. num.636

An hoc impedimentum oriatur ex Incestu cum propriis consangnineus intra secundum gradum. ibidem numero 639

Incestus cum coningis consanguineis impeditne coniugium. ibidem numero 642

An vt Incestus matrimonium impediat debeat necessario esse publicus. pag.280. numero 645

Interdictum Iuris.

Interdictum iuris quid? p.205.n.100

Iudex.

Quis Iudex sit necessarius ad dissoluenda sponsalia. pag.7.n.54

Iuramentum.

Iuramentum adiectum matrimonio metu graui extorto obligatne,& an indigeat relaxatione. p.123.n.705

An Iuramentum accedat sponsalibus metu graui contractis,& obliget donec relaxetur. p.124.n.708

An pro Iuramenti septimæ manus forma, requiratur necessario libri Euangeliorum tactus? p.268.n.558

L.

Ligamen.

Quid per Ligaminis impedimentum veniat intelligendum? pag.199 numero 60

Linea.

Linea quid sit? p.194. n.19

Linea quotuplex admittatur? ibid.

Regula pro Linea recta ascendentium & descendentium. ibid.n.20

Regula pro Linea transuersa æquali. ibid. numero 21

Regula pro cõsanguineis in Linea transuersa inæqualiter distantibus à communi stipite. ibid.num.22

Linea, vide verb. *Matrimonium.*

Luxuria.

Per omnes Luxuriæ species, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio, matrimonium quoad thorum dissoluitur. p.55. numero 130

M

Matrimonium.

Matrimonij promissio acceptata ab altero suo ex genere obligat ex iustitia,& sub peccato mortali. pag. 2. num.6

Matrimonij gratuita promissio facta absenti est ante acceptationem reuocabilis. ibid. numero 7

Verba de præsenti apta ad Matrimonium clandestinum sufficiunt ad sponsalia. pag.3.num.11

Ad Matrimonium ij soli sunt habiles, qui ad sponsalia. ibidem numero 17

Ad Matrimonium quæ via. ibidem numero 19

Matrimonium suâ culpâ impediens arrhas amittit. p.4.n.29

Pro Matrimonij securitate potest sponsalibus interuenire fideiussor. ibidem numero 31

Matrimonij contrahendi promissio absenti facta potestne ante absentis acceptationem reuocari, nemine pro eo acceptante aut stipulante. pagina 9. numero 74

An Matrimonij promissio facta absenti, aliquo stipulante, seu acceptante absentis nomine, reuocari possit. ibid. num.77

An qui Matrimonij futuri promissionem iuramento firmat, animo quidem iurandi, sed expresè non obligandi, obligetur,& constituat vera sponsalia. p.11.num.96

Teneturne implere quis est certus de Matrimonij promissione, at dubitat de animo se obligandi? pagina 12.numero 102

An qui fictè Matrimoninm promittit, & sub ea spe Virginem deflorat, teneatur eam ducere. pagina 103. 104. vbi numero 105. nonnullæ limitationes ab Auctore referuntur. ibidem.

An fictè Matrimonium contrahens per verba de præsenti absque interno consensu, teneatur verè consentire? pagina 14. numero 116

An quando de præsenti, quibus contrahitur matrimonium adduntur alia de futuro, contrahatur matrimonium, & non sponsalia. p. 18.n.149.& 150

An Matrimoium contrahatur, quod sit Sacramentum hisce verbis, Ex nunc habebo te in meam, &c. ibidem numero 155

An Matrimonium constituatur & non sponsalia, quando verbis futuri temporis importantibus executionem, nulla additur particula gerens significationem de præsenti

ſenti. ibidem numero 156. & 157

Num Matrimonium fiat per verba, Volo tecum contrahere: te ducere: te habere in vxorem. pagina 19. numero 161

An potius ad Matrimonium quam ad votum teneatur ſi qui emiſit vtoum Religionis, aut caſtitatis poſteaque Virginem defloravit fide datâ de matrimonio contrahendo. p.27.n.230

An Matrimonium cum vna initum extinguat ſponſalia cum alia contracta. p.28. num.241

Vnde Matrimonij nomen deriuetur. p.39. numero 1

Quæ ſint eius ſynonyna. ibid.

Quotupliciter Matrimonium poſſit conſiderari. ibid.n.2

Vnde eius oriatur definitio. ibid.

In quo conſiſtat Matrimonij eſſentia? ibid. num. 3

Matrimonij præceptum naturale quod? ibid. num. 4

Præceptum naturale Matrimonij obligat neceſſitate vrgente, etiam voto caſtitatis illigatos. ibid.nu. 5

Ad quid Matrimonium fuerit inſtitutum. pagina 40. numero 6. Et quando. ibidem.

Matrimonium diuiſio quotuplex. ibid. numero 8

Matrimonium legitimum quod? ibidem.

Quodnam dicatur Matrimonium ratum? ibid.n.9

Quid item conſummatum intelligatur ibid. num. 10

Matrimonij Rati diuiſiones. ibidem numero 9

Matrimonij materia & forma quæ. ibid. numero 11

Miniſter Matrimonij nunquam fuit ſacerdos, ſed ipſi contrahentes. ibidem numero 12

Sacerdos poteſt dici accidentarius eius miniſter. ibid.n.13

Poteſt Matrimoninm inter abſentes per procuratorem celebrari. ibid.n. 14

Ad Matrimonium quæ ſit neceſſaria ætas; p.41.n. 15

Ante quamnam ætatem poſſit aliquando iniri matrimonium? ibidem numero 16

Peccatum lethale eſt Matrimonium ante ætatem legitimam inire. ibidem numero 18

Matrimonij ſignificatio quæ? ibid. numero 19

Eius indiſſolubilitas. ibid.

Matrimonium Ratum quandonam diſſolubile? ibid.n.20

Quando Matrimonium Ratum dirimitur, vel non dirimitur per vota Religionis. ibid. numero 21

Vt Mattimonium dicatur indiſſolubile, quid requiratur. p.42. nu.22

Bimeſtre à iure conceditur ſponſis ante conſummationem matrimonij. ibidem numero 23.

Tranſacto bimeſtri poteſt quilibet coniux Religionem inire, ſi Matrimonium non eſt conſummatum. ibid.n.24

Quid ad Matrimonij eſſentiam ſpectet. ibid.n.25

Conſenſus Matrimonium conſtituens non eſt explicite in carnalem copulam, ſed implicite. ibid. nu.26

Tria Matrimonij bona recenſentur. ibid. numero 27

Quodnam bonum horum trium neceſſario debeat à contrahentibus intendi. ibid. numero 28

Veniale eſt peccatum, Matrimonium ad copulam contrahere. ibid.n.29

Excludere expreſſa conditione Matrimonij fines lethale eſt. pagina 43. numero 30

Non ſufficit conſenſus internus ad Matrimonium celebrandum. ibidem numero 31

Non eſt neceſſarium ſimul tempore præſtari vtriuſque coniugis conſenſum? ibid. numero 32

Quod interuallum obſtet valori contractus matrimonij prudentis arbitrio relinquitur. ibid.n.33

Quando conſenſus alterius fuit minus legitimus, ſufficit, vt hic de nouo conſentiat, ſi alter conſenſum non reuocauit. ibid. num. 34

Neceſſum non eſt eum qui iterum eſt conſenſurus, conſcium fieri nullitatis Matrimonij. ibid. n.35

Quando Matrimonium inualidum fuit defectu conſenſus vtriuſque, non ſufficit vt conſenſus internus vtriuſque præſtetur. ibid. numero 36

Ad reualidandum Matrimonium publicè nullum, gerenduſne conſenſus coram Parocho, & aliis teſtibus. ibidem numero 37

Validum eſt Matrimonium ſi ſubſit aliquis error facti, vel iuris, & vterque conſentiat quantum in ipſis eſt. pagina 44. numero 38

Non ſufficit taciturnitas ad conſenſum Matrimonialem exprimendum. ibid. numero 39

Quæ coniecturæ ſufficientes cenſeri debent ficti conſenſus in matrimonio. ibid. numero 40

Matrimonium clandeſtinum quid. ibid. numero 41

Matrimonium clandeſtinum eſt inualidum. ibid.n.42

Semper fuit illicitum. ibidem numero 43

Nec officit ignorantia vt ſit validum. p.45. num. 44

Mortale eſt contrahere non præmiſſis denunciationibus. ibid.nu. 45

Facultas diſpenſandi in denunciationibus ante & poſt Matrimonium conſummatum, cuinam concedatur? ibidem numero 46

Quid Concilia circa denunciationes Matrimonio præmittendas? ibidem numero 47

Quando non ſit mortale vnam, aut omnes denunciationes

nunciationes omittere ? ibidem numero 48
Prælatus alterius contrahentis dispensare potest in vtriusque denunciationibus, & alteri delegare. ibidem numero 49
Iustæ causæ ad dispensandum in denunciationibus. ibid.nu.50
Mortale est Matrimonium consummare ante præmissas denunciationes. ibidem numero 51
Circa denunciationes quid Tridentinum ? ibid.n.52
Ministri solemnitatis Matrimonij qui esse debeant ? p.46. n.55.
Valida sunt Matrimonia duobus in casibus sine assistentia Parochi. ibidem numero 56
Vagorum Matrimonio quis Parochus debeat interesse. ibid. num. 58
Qui Matrimonio assistit non est necesse Sacerdotem esse Parochum. pag.47. numero 60
Licentia assistendi Matrimonio permetum extorta valet,per dolum minime. ibid. num.65
An Matrimonio valide assistat Parochus prohibitus ab Episcopo? ibidem numero 66
Non requiritur ad Matrimonij validitatem, vt parochus aliquibus verbis vtatur,tenetur tamen ea proferre ex Concilij præscripto. p.48 n.70
Matrimonium solemnizare prohibetur Religiosis sub excommunicationis & suspensionis pœna. ibidem numero 72
Et quænam ista solemnizatio. ? ibidem
Matrimonium sine Parocho ac testibus celebrantibus pœnæ quæ sint impositæ? p.49. numero 73
Variæ in Matrimonio conditiones. ibid. numero 74
Matrimonium initum sub conditione necessaria quod? ibid. n.75
Sub conditione turpi contra Matrimonij substantiam. ibid.nu.76
Sub conditione turpi,sed non contra substantiam Matrimonij. ibidem nu. mero 77
De conditione honesta possibili de præsenti, & præterito, & de possibili de futuro. ibid.n.78
De conditione inter consanguineos & affines. ibid.n.79
De conditione impertinenti. pag.50. num.81
In foro conscientiæ standum est intentioni contrahentis Matrimonium sub conditione, qualiscumque illa sit. ibidem numero 82
Quando Matrimonij vsus ob finem voluptatis sit culpa lethalis quando non. p.53. numero 113
Quænam libido Matrimonij limites non excedat. ibid.nu.114
Matrimonium quoad thorum dissoluitur per omnes luxuriæ species, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio. p.55.n.130
Minime autem quando caro non diuiditur. p.56.n.131
An matrimonium, vt est contractus naturalis solo naturæ iure institutum sit. P. 59 numero 154
An de Matrimonio contrahendo præceptum extiterit ? ibidem numero 157
Et an num existat? pagina 60. numero 160
An deficientibus hominibus aliis, superstites solummodo Religiosi teneantur Matrimonium contrahere. ibid. num.163
An Matrimonium in lege naturæ ac lege veteri fuerit Sacramentum. ibidem numero 166
Num Matrimonium fuerit institutum à Christo D.Sacramentum illis verbis, *Quos Deus coniunxit homo non separet.* Matthæi.19. p. 61.n.169
An post legem Euangelicam Matrimonium infidelium sit Sacramentum. ibid. num. 172
An Matrimonium fidelis cum infideli contractum ex Pontificis dispensatione sit aliqua ex parte Sacramentum. ibidem numero 175
Vtrum Matrimonium infidelium, casu quo ambo baptismo diluantur, fiat Sacramentum ? pagina 62 numero 178
Inter fideles potestne celebrari Matrimonium, quod non sit Sacramentum. ibidem numero 181
An Matrimonium sit vnicum Sacramentum. ibid.n.184
An verba seu signa,quibus consensus exprimitur,sint sibi inuicem materia & forma Sacramenti Matrimonij. pag.63. num. 187
An ipsi contrahentes sint Sacramenti Matrimonij ministri. pagina 63 numero 190
An Matrimonio assistens Sacerdos in mortali,peccet lethaliter. pagina 64. numero 196
An Matrimonium possit valide inter absentes per Procuratorem celebrari post Tridentinum. ibidem numero 199
Matrimonium inter absentes potestne per Epistolas celebrari. ibidem numero 202
An Matrimonium inter absentes celebratum per Procuratorem, vel per Epistolas sit validum etiam in ratione Sacramenti? p. 65. numero 203. & numero 204. vbi numero 205. Authoris placitum affertur. ibidem.
An vt Matrimonium contractum per Procuratorem sit validum necessarium sit dari ei potestatem vel commissionem coram Parocho, & testibus. pag. 65 numero 208
An in Matrimonio inter absentes inito sint ministri, ipsi contrahentes, & eorum verba, forma ? ibidem numero 211
An Procurator in mortali existens peccet lethaliter

thaliter Matrimonium alterius nomine contrahendo? pagina 66. numero 214

Num qui Procuratori mandatum dedit ad contrahendum debeat in gratia existere eo tempore quo credit Matrimonium à procuratore contrahendum. ibidem numero 217

Contrahentes per Procuratorem debentne postmodum inter se Matrimonium inire seu irritum ratificare, vt fiat tunc Sacramentum, quod antea non fuerat? ibid. numero 220

An Matrimonium tam ratum, quam consummatum ex iure naturali sit indissolubile? p.67.n.227

In lege veteri dissoluebaturne Matrimonium per repudij libellum. ibidem numero 226

An in Matrimonio rato possit Pontifex dispensare, vt soluto eius vinculo valeant libere coniuges, aliud inire coniugium? pagina 68. numero 228

Desideraturne causa, vt valeat Pontificis in Matrimonio rato dispensatio. ibid. numero 231

In Matrimonio consummato infidelium, dum ambo Sacra vnda diluuntur, potestne Pontifex dispensare. ibid. num.233

An dissoluatur Matrimonium per Religionis professionem. pagina 69 numero 236

Dirimiturne Matrimonium per vota emissa à quibusdam fœminis Religiosis, quæ Beatæ vocitantur. ibidem numero 239

Vtrum Equitum militarium Ordinum votum Matrimonium dirimat. ibidem numero 242

An quando post Matrimonium ratum vterque coniux communi consensu profitetur Religionem, dissoluatur Matrimonium ratum? pag. 70. num. 245

An professio debeat vim dissoluendi Matrimonium ex iure diuino positiuo? ibid. num.247.

An qui ante Matrimonij consummationem Religionem ingreditur, & intra annum nouitiatus, in coniugis fraudem varios ordines mutat, possit compelli à Iudice, vt eligat Religionem, in qua vel transacto probationis anno profiteatur, vel ad coniugem redeat? pagina 73. numero 270. & 271. vbi numero 272. quid Author sentiat exponitur. ibidem.

An ad consummandum Matrimonium, ita vt non liceat iam ad Religionem transire, sufficiat penetratio vasis absque seminis receptione? pagina 74. numero 275

An vt Matrimonium censeatur consummatum requiratur, vt etiam fœmina semen emittat. pag. 74. numero 278

Vt Matrimoninm dicatur consummatum nec possit sponsus Religionem inire, an sufficiat quod virile semen siue arte aliqua siue Dæmonis ope in vas sponsæ recipiatur, absque copula aut vasis penetratione? ibidem num. 281

An copula antecedens initum Matrimonium habita sit sufficiens, vt Matrimonium subsecutum consummatum dicatur. ibid. numero 284

An copula per vim intra bimestre extorta sufficiat vt Matrimonium dicatur consummatum, & sit omnino indissolubile. p.75. num.287

Vtrum Matrimonij vinculum de potentia Dei absoluta possit consistere sine mutuo coniugum consensu. p.76.n.302. &p.77.n.305

An ad veri Matrimonij essentiam consensus requisitus debeat explicite in copulam fieri? pagina 77. numero 308

Ad veri Matrimonij essentiam requirituine consensus implicitus ac virtualis in copulam ex parte contrahentium. ibid. numero 311

Num sit necessarium aliqua bona constituere quibus Matrimonium excusetur. p.78. num.314

Matrimonium qua intentione irritetur. ibid. num.318

An Matrimonium contrahere ex fine vitandi fornicationem principaliter, sit peccatum. ibid.n.321

Estne veniale piaculum Matrimonium inire ob pulchritudinem vel diuitias. p.79. num. 324

Qui ficto consensu Matrimonium contraxit, teneturne cum eadem sponsa de nouo vero contrahere consensu. ibid. num.327

An signa externa consensus interni expressiua sint de essentia ipsius contractus Matrimonij? pagina 80. numero 331

Num ad consensum Matrimonialem exprimendum, sint necessaria verba, & sufficiant signa in potentibus loqui. ibidem numero 334

Matrimonium solis nutibus contractum estne Sacramentum? ibidem numero 337

Verba in Matrimonio suntne de præcepti necessitate? pagina 81. numero 340

An quando consensus alterius coniugis fuit minus legitimus, quod fuerit fictus, vel metus extortus, satis sit vt Matrimonium valere incipiat, hunc denuo consentire. p.82. num. 349

An ad Matrimonium sufficiat consensus, quo coniux vterque annuit falso existimans, impedimentum dirimens subesse. ibid. num.353

Satisne est ad Matrimonium consensus, quo aliqui ex errore putantes aliquod Matrimonium per ipsos contractum esse validum denuo in illud consentiant. ibidem 356

An ad ratificandum Matrimonium inualidum ob impedimentum dirimens impetrata impedimenti dispensatione, vel eo cessante,

sante, exigatur vtriusque coniugis consensum reuocari ? ibidem numero 357. & 358. vbi Authoris resolutio. p. 83. nu. 359

An ad Matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, ratificandum, cessante impedimento necessum sit alterum coniugem de nullitate prioris Matrimonij certiorem facere ? pagina 83. numero 362

Vtrum Matrimonium coram Parocho ac testibus initum inualidum fuit ob occultum impedimentum, impedimento ablato, iterum sit coram Parocho, ac testibus celebrandum mutui consensus expressione. ibid.n.365

An Matrimonio bona fide vtriusque coniugis inito, alter postea dubitat de eius valore possit petere ac reddere debitum. p.85. numero 375

An cum vterque coniux de valore Matrimonij bona fide initi dubitat, vterque licite reddere possit. pag. 85. numero 378

An si ante Matrimonium alter coniux protestetur se nolle per quæcumque verba postea à se dicta Matrimonium inire huiusmodi protestatio sit sufficiens dissensus indicium ? pa. 87. nu.397

An possit coniux superstes aliud Matrimonium inire, sufficitne probabilitas moralis ad credendum sapientum iudicio p.88. num.403

An Matrimonium clandestinum fuerit irritum aliquando ante Tridentinum. p. 89. n.410

An sit peccatum contra ius naturæ Matrimonium clandestine contrahere. ibid. numero 413

Semperne est necessaria Parochi & testium præsentia ad valide Matrimonium contrahendum ? ibidem numero 416

Validum ne erit Matrimonium si quis in fraudem Tridentini proficiscatur à loco vbi decretum eius viget ad locum, vbi non tenet, vt ibi sine Parocho ac testibus contrahat ? pagina 91. numero 435

An captiui Christicolæ, quorum in patria Tridentini lex viget dum commorantur inter infideles, vbi non est publicata, possint sine Parocho ac testibus Matrimonium inire. p.92.n.438

An si Matrimonium celebretur in Parochia alterius coniugis non subditi illius Parocho sufficiat præsentia Parochi alterius contrahentis ? ibidem numero 441

Si celebretur Matrimonium in Diœcesi aliena, sufficitne Parochi præsentia vnius, vel vtriusque contrahentis. pag. 93. numero 444

An Matrimonium contractum coram Parocho habente Parochiæ possessionem absque vero titulo, à legitimo superiore collato sit validum. pagina 97. numero 481

Potestne Matrimonio interesse Archipresbyter Cathedralis Ecclesiæ in tota diœcesi. ibid.n.483

Valetne Matrimonium si priuatus Sacerdos, cui Parochus committit, vt assistat ei, extra Parochiam committentis assistit. p.99. num.496

Sufficitne licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione de futuro, vt Sacerdos alienus Matrimonio assistat. ibidem numero 502

An Sacerdos debeat credere dicentibus, se habere licentiam à Parocho, vt iungat eos Matrimonio. pagina 100. numero 505

Suntne necessaria verba quæ à Parocho proferuntur, *Ego vos coniungo* &c. ad valorem Matrimonij ? ibidem numero 508

Estne mortale à Parocho, vel à Sacerdote Matrimonio assistente verba *Ego vos coniungo* omitti ? pagina 101 numero 512

An ad Matrimonij valorem sufficiat Parochum per interpretem contrahentium mutuum intelligere consensum. p. 102. num.522

Valetne Matrimonium si Parochus inuitus assistat ? pagina 103. numero 534

An ad Matrimonij valorem requirantur testes omni exceptione maiores. p.104. numero 537

An ad Matrimonij validitatem sufficiat quod Parochus & testes audiant contrahentium consensum, licet illos non videant. ibid. num. 540

An de essentia Matrimonij sint denunciationes. ibid. n.544

Num dum Matrimonium inter duos diuersarum Parochiarum initur, satis sit in vna earum denunciationes proferri. p.105. num.553

An sit peccatum consummare Matrimonium ante denunciationes, cum hę omittuntur ex Ordinarij licentia, vt post contractum coniugium fiant ? pagina 112. numero 612

An Matrimonium celebratum coram Parocho ac testibus, omissis denunciationibus subiiciatur clandestini contractus pœnis? p.115. n.637

Estne lethale, antequam benedictiones Ecclesiæ recipiantur Matrimonium consummare. p.116. n.640

An ipse Matrimonij contractus sit prohibitus celebrari ab Aduentu vsque in diem Epiphanię, & à feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiue saltem sub veniali ? pagina 117. numero 656

An Matrimonium consummare sit peccatum interdicto feriarum tempore. n. 119. num.671

Metus cadens in virum constantem iniustè incussus irritatne Matrimonium. p.120. num.674

Irritatne Matrimonium metus cadens in virum constantem iuste illatus. ibid. num. 677

An Metus cadens in constantem virum irritet Matrimonium solo iure naturæ & non Ecclesiastico ? ibid.nu.680

Matri

Matrimonium graui metu contractum valetne inter fideles. 121.685
An Matrimonium metu extortum sit omnino nullum vnde alteruter altero inuito, possit sine graui piaculo resilire. ib.686
Contrahens Matrimoniũ ob metũ in virũ cõstanté cadenté, peccatne lethaliter. 122.690
An qui coactus metu cadente in constantem virum, vere consentit in matrimonium delinquat lethaliter. ib.693
Vtrum metus leuis sufficiat aliquando ad matrimonium irritandum. ib.696
An Matrimoniũ antea nullũ ob metũ postea reualidetur, ob culpam similiter metu extortam. 123.699
Matrimonium metu contractum, si Iuramento firmetur, num reddatur validum. ibid.702
An Iuramentum adiectum Matrimonio metu graui extorto, obliget, indigeatq; relaxatione. ibid.705
Matrimonium num inire teneatur filius, quod pater promisit aut præcepit. 125.720
An hæc cõditio, *si Deus voluerit*, sit generalis, ita vt reddat contractum Matrimonij conditionalem. 128.741
An cõditio extrinseca necessario euẽtura adiecta Matrimonio, vt *contraho tecum, si cras sol orietur*, reddat illud conditionale suspendatque consensum. ibid.744
Conditio impossibilis adiecta Matrimonio, vt Contraho tecum si digito cœlum tetigeris, vitiatne ipsum. 129.747
An omnes conditiones impossibiles iuxta cap. finale reiiciantur de Matrimonio solũ, quãdo apponuntur per verba de futuro? 130.751
De Matrimoniis sub conditionibus contractis plura à p.130.ad 140
An conditiones iure impossibiles reiiciantur à Matrimonio. 130.754
Conditiones quæ solo facto impossibiles sunt, sũtne à Matrimonij reiiciedæ cõtractu. ib.757
Reiiciturne à Matrimonio conditio, quę ex natura sua possibilis est, at ex accidenti est impossibilis. p.131.n.760.& 761
Validane est Matrimonij promissio inter impeditos, non expressa ea conditione, *si Pontifex dispensauerit?* 132.768
An conditiones appositæ Matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ ipsarum. 134.785
Conditio honesta licet contraria bonis matrimonij illudne irritat. 136.801
Valetne Matrimoniũ initũ à Paganis seu Iudæis ea conditione, vt possint repudij dare libellum iuxta illorum ritum. 137.810
Matrimonium vitiaturne, quando conditio ei contraria ab altero tantum ex contrahẽtibus apponitur. ibid.813
Conditiones impertinentes habenturne in Matrimonio pro non adiectis, & illud suspendant. 139.828
An demonstratio, & causa vitient Matrimonium si ei contrarientur. ibid.& seq.n.832
Vitiatne Matrimoninm modus, si ei contrarietur. 140.836
An si affinitas, vel cognatio spiritualis contrahatur ab altero coniuge ante Matrimonij consummationẽ, possit id licitè consummare reddendo, & vt exinatur à reddendi onere, teneatur Religionem inire. 159.135
Potest Ecclesia Matrimonij impedimenta statuere. 191.1
Iusta causa requiritur, vt valeat Pontifex indicere Matrimonij impedimenta. ibid.2.
Potest sæcularis princeps iusta ex causa suis fidelib. subditis Matrimonij impedimẽta statuere at eis ab Ecclesia ablata est potestas. ib.3.
Consuetudo vires habet statuendi nouũ impedimentum dirimens Matrimonium. ibid.4.
Culpa lethalis est Matrimonium contrahere cum impedimento. ibid. 192.5
Quæ impedimenta dirimant, quæ impediant matrimonium. ibid.6
Error in Matrimonio quotuplex admittatur. ibid.7
Matrimonium reddit inualidum error personæ concomitans. ibid.8
Matrimonium celebratũ cũ errore antecedẽti circa qualitatem validum est. ibid.9
Error conditionis efficit matrimonium nullũ, quando conditio errantis fit deterior. 193.12
Vir post contractum Matrimonium potest se in seruum vendere renitente vxore, hæc minime. 193.16
Matrimonium dirimit votum solemne castitatis in Religione approbata, & simplex in Societate Iesv. ibid.17
Et hoc iure solummodo Ecclesiastico. ibid.18
Matrimonium initum in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ est iure naturæ irritum. 194.23
In aliis gradibus non erit iure naturali irritum. ibid.24
Matrimonium in primo gradu æquali lineæ transuersæ est iure naturali irritum. ibid.25
Iure Ecclesiastico est inualidum Matrimoniũ inter consanguineos intra gradum inclusiue in linea vtraque. ibid.26
Matrimonium inter fidelem, & infidelẽ est irritum. 197.43
Matrimonium inter baptizatam, & Cathecumenam personam est irritum. ib.
Matrimonium inter fidelem, & hæreticum est validum, sed illicitum. ibid.44
Ob eximiam causam erit licitum, licet periculum peruersionis adsit. ib.45
Matrimonium dissolui potest, si infidelis conuerti nolit, licet velit cohabitare sine creatoris iniuria. 198.46
Matrimonium hoc dissoluitur cum ad alias nuptias transit infidelis, non antea. ib.47
Matrimonium per metum grauem initum est inualidum. 198.50
Solum iure Ecclesiastico huiusmodi Matrimonium est nullum. ib.51
Matrimonium iniustus irritat metus, non item iustus. ib.52
Cum metus incutitur ob aliam causam, & non vt consensus extorqueatur, non irritat Matrimonium. ib.53
Quãdo quis metu mortis cogitur inire, & consũmare Matrimoniũ, inualidum est. 199.54
Matrimoniũ per graué metum initum est nullum etiamsi iuramento firmetur. ibid.55
Matrimonium cum spadone initum est inualidum. 203.84
Infirmi in mortis periculo existentes apti sunt Matrimonio. ib.85
Matrimonii sterilitas valori non obest. p.204. num.92
Quintum impedimentum non dirimens, sed tamen Matrimonium impediens quotuplex sit. 205.105
An Princeps sæcularis fidelis possit suis subditis

Iudicis impedimēta Matrimoniū dirimentia statuere ex natura suæ potestatis. 209.135
An validū sit Matrimoniū initū cū seruo, cui pro tempore determinato fuit concessa libertas, postmodum in pristinam redituro seruitutem. 211.148
Valetne Matrimonium liberi cum ancilla, quæ infra modicum tempus potitura est libertate. 212.151
An Matrimoniū valeat liberi cū ancilla contractū, si error aut ignorantia seruilis conditionis crassissima, aut fuerit leuissima ib.156
An valide Matrimonium contrahat seruus cū ancilla putans eam esse liberam. ib.159
Num contrahat valide Matrimoniū liber cū libera, si putabat eam esse ancillam. 213.162
An petente cōiuge libero Matrimonij dissolutionē ratione seruitutis à se ignoratæ, incūbat ipsi illius ignorā ę probatio. ib.n.166. & 167
Seruitutis ignorantia dirimitne suapte naturā Matrimonium. 214.170
An Matrimonium licitè inire possint serui inuitis dominis & nō petita facultate. 215.184
Mancipiū Matrimonio illigatū teneturne potius domino quā vxori satisfacere. 217.191
An Mancipiū contrahens Matrimonium cum domino, aut cū domina, statim cōsequatur cōmuni ex iure ac naturali libertatem. ib.195
An quando ancilla aut seruus Matrimonium ineunt cum persona libera seruitutis illius ignara, domino tradente in Matrimoniū, vel sciente aut tacente seruitutem, sit validū huiusmodi Matrimonium. 218.198
An Matrimonij prohibitio, & irritatio interascendentes, & descendentes iure naturali inducta protrahatur ad quemcumque gradū in infinitum. 222.227
Dato quod prohibitio Matrimonij in linea recta ascendentium & descendentium certis finibus contineatur iure naturali attento extenditur ad alios gradus præter primū. ib.230
An Matrimonium contractum in primo gradu line transuersæ, nempe inter fratrem, ac sororem iure naturali sit irritum. 224.237
An Matrimonium fidelis cū infideli sit vetitū iure naturæ aut diuino. 233.300
Matrimonium fidelis cum infideli prohibitum iure diuino & naturali estne eodem iure irritum. 234.303
An ex Matrimonio rato nondū cōsummato potius oriatur affinitatis, quam publicæ honestatis impedimentum. 250.419
An ex Matrimonio rato conditionato oriatur publicæ honestatis impedimentum. 251.428
Valetne Matrimonium inter impotentes initum. 256.465
An sit satis ad Matrimonij valorem potentia vas penetrandi. si seminandi intra illud desit potentia. 257.474
Sufficitne ad Matrimonij valorem si vir non valeat emittere semen intra vas, sed tantum in ore vasis. ibid.477
Valetne Matrimonium, si vir seminet intra vas, fœmina vero sit ad seminandum impotens. 258.480
An Matrimonium Eunuchi valeat. ibid.484
An si daretur Eunuchus verum emittens semen, si valide posset Matrimonium inire, attento naturæ iure, post Sixti V. motum proprium. ibid.n.485 & 486
Ad Matrimonium ineundum habilisne est Eunuchissa. 259.486
An se es decrepiti sint ad ineūdum Matrimonium habiles. ibid.492
An validū sit sterilium Matrimoniū. 260.498
Ad Matrimonij valorem sufficitne vltimum diē anni decimi quarti in viro, & duodecimi in fœmina incœptum esse. 264.528
Num valeat Matrimonium quando pubes potens non est ad copulam coniugalem gerendam. 265.541
Matrimoniū potestne licite interdicti ac cessationis à diuinis tempore celebrari. 274.600
Matrimonium, vide verb. *Error, Parochus, Cōiugium, Votum*

Matrona.

Matronæ ad fœminarum inspectionem electæ à Iudice, possuntne recusari. 270.572
Matronarum qualitates recensentur. ibid.569
An Matronæ à Iudice electæ debeant iurare, suo vt testimonio fidem faciant. 271.575

Metus.

Metus quis dicatur? 198.50
Metus, vide verb. *Matrimonium.*

N

Nuptiæ

NVptiæ vnde nomen sortitæ? 39.1
An vnus testis affirmans coniugis mortem sufficiat, vt liceat alteri ad secundas Nuptias transire. 87.400
Plures Nuptiæ dissolutis prioribus sunt licitæ. 200.63
Quanta certitudine opus sit de coniugis morte, vt alter possit ad secūdas Nuptias transire. ibid.64
Nuptiæ, vide verb. *Benedictio Nuptialis.*

O

Ordo.

ORdines minores! suscepti post sponsalia nō dissoluunt illa, minores dissoluunt. 6.45
Quinā Ordo, & quonam iure dirimat matrimonium ante illum & post illum contractum. 199.57
Nunquā permissū fuit in Ecclesia Latina Sacro Ordine præditos coniugium inire. ib.58
Et quid in Græca circa hoc permittatur. ibid.
Sacro Ordine initiatus contrahens matrimonium mortaliter peccat, incurritque irregularitatem. ibid.59.
An Sacri Ordinis votum dirimat subsequens matrimoniū solo iure Ecclesiastico. 219.204
An Sacerdotes Græci vtentes Matrimonio ante Ordines inito sint Sacrilegi orei. ibid.208
An Sacer Ordo ante rationis vsum susceptus obliget ad continendum, & dirimat matrimonium, ibid.211
Num Ordo susceptus post rationis vsū, sed ante pubertatē irritet matrimonium, cum adeptus pubertatem non ratificat. 220.214
An Ordo Sacer per vim vel metū assumptus dirimat matrimonium postea irritum. ib.217
An Ordo Sacer dirimat matrimonium iure naturali diuino. 240.350
Ordo Sacer per metum grauem susceptus dirimitne matrimonium. 241.356
An scienter Ordinatus, sed ignorans votū esse Ordini annexum ad quid teneatur. 242.360
Potestne vir ad Ordines minores sine vxoris licentia promoueri ibid.364
An vir ad Ordines promotus, quādo spontanea vxoris (nō expressa licentia) dissimulatio inter fuit, possit ab ea ad ius cōiugij reuocari. ib.368

Vir ad ordines promotus sola spontanea vxorisli cœlia absque aliis iure requisitis, potest. ne ab ea, vel saltem ex iudicis officio ad cõiugale consortium reuocari. 244.377

P

Pactum.

PActum in sponsalibus adiectum valetne, vt vir teneatur in certo loco moram trahere cum vxore. 25.215

Parochus.

Parochus & duo testes ministri solemnitatis matrimonij 46.n.55.&96. sine Parochi assistētia quot in casibus validū sit cõiugium. ib.
Parochi proprij præsentia ex gitur, vbi Tridentini constitutio viget necessitate Sacramenti. ib.57
Quinam Parochus vagorum matrimonio debeat interesse. ibid.58
Parochus alterius contrahentis potest valide assistere in alterius Parochia. ib.59
Non est necessarium esse Sacerdotem Parochum qui matrimonio assistit. 47.60
Alter qui licentia Parochi assistit debet esse Sacerdos. ibid.61
Parochus excommunicatus assistere valide potest. ibid.62
Parochus inuistus titulum beneficij habens valide assistit. ibid.67
Vt Parochi iniustum beneficij titulum habentis gesta valeant, quæ requirantur. 48.68
Illius gesta sunt inualida qui absque legitima authoritate se in Parochi obtrusit officium. ibid.69
Non requiritur ad matrimonij validitatem, vt Parochus aliquibus verbis vtatur, tenetur tamẽ ea proferre ex præscripto Concilij. ib.70
Necessaria est præter Parochum duorum aut trium testium præsentia, & qualiter debeant hi assistere. ibid.71
Sine Parocho, & testibus celebrantes quibus pœnis plectantur. 49.73
An præsẽtia Parochi & testiũ sẽper requiratur ad valide contrahendum matrimoniũ. 89.416
Expectãs in mortis articulo cũ cõcubina inire cõiugiũ ad legitimandã prolẽ, nec Parochi copia datur, potestne sine Parocho iniri. 90.419
In oppidis in quibus nequit haberi Parochus, nec de proximo speratur, potestne sine ipso matrimonium iniri. ib.422
An qui inuincibiliter Tridentini hanc legem ignorant, valide contrahant sine Parocho, & testibus. ib.425
An incolæ loci in quo viget Tridentini lex possint sine Parocho, & testibus matrimoniũ inire in aliis, quibus nõ est recepta quãdo solũ ad illa cõfluunt per modũ trãsitus. 91.429
An qui pergit ex loco vbi Tridentini lex nõ viget, ad locum vbi recepta est, possit ibi Coniugium inire sine Parocho & testibus, iuxta proprij Domicilii legem. ib.432
Peccatne, & an sit puniendus Parochus assistens matrimonio subditi extra Parochiã vel diœcesim, absque licentia Ordinari, vel loci Parochi. 93.447
Qui duplicẽ Parochiam obtinet habitans æqualiter in vna per hyemem, & in altera per æstatem: indifferenter possit coram hoc vel illo Parocho matrimonium inire. ib.450
An Parochus non Sacerdos interfit valide matrimonio. 95.463
Peccatne Parochus non Sacerdos assistens matrimonio. ibid.466
Parochus nõ Sacerdos potestne Sacerdoti facultatẽ cõcedere, vt matrimonio interfit. ib.469.
An Parochus excommunicatus non toleratus, suspensus, vel irregularis possit valide matrimonio assistere. 96.472
Vtrum Parochus excommunicatus, suspensus, vel irregularis non toleratus possit facultatẽ concedere alteri Sacerdoti, vt assistat matrimonio. ibid.475
Peccatne Parochus excommunicatus non toleratus coniugio assistens. 97.478
Parochi spe cialis licentia estne necessaria, vt alienus Sacerdos possit matrimonio assistere. 99.499
An Parochus teneatur sub mortali contrahentes de mutuo consensu interrogare, quãdo ei constat ex verbis de vtroque sponso probatis. 101.516
Parochus teneturne sub lethali interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, vbi non sit ei compertissimũ, nullũ sub esse impedimentum. ibid.519
An si Parochus accedit animo attendendi, sed contractus tempore mente distrahitur sufficiat ad matrimonii valorem. 102.525
An si Parochus vel testes casu transeant matrimoniũ corã eis contractũ sit validũ. ib.528
Vtrum si Parochus vel testes dolo aduocentur, aut vi adducantur, & contra eorum volũtatem retenti assistant coniugio, validum sit matrimonium. 103.532
An si Parochus inuitus assistit, & affectat nõ intelligere aures, & oculos occludit, nihil eorum quæ geruntur videns & audiens valeat matrimonium. ib.534
An Parochus possit propter malitiosi impedimenti suspicionẽ dispẽsare, vt matrimoniũ nõ præmissis denũciationibus celebretur, posteaq; ante consummationẽ gerãtur. 108.578
Potestne Parochus casu dispensare, ne denunciationes gerantur. 111.605
An si Parochus extra confessionẽ scit impedimentũ occultũ nulli alii cognitum, teneatur matrimonio assistere, & Ordinario detegere. 114.628
An Parochus possit ad tempus interdicere, ne matrimonium contrahatur. 273.595
Parochus, vide verb. *Cõiugium, Matrimonium.*

Pignus.

An Pignora intetuenire possint in contractu sponsaliũ. 24.212

Pœnitentia.

Pœnitentia solemnis quæ dicatur. 206.111

Pollutio.

Pollutio habita cum vxore dissentiente estne iusta diuortii causa. 172.227
An Pollutio extraordinaria habita cum tertia alia persona non vxore, sit iusta causa diuortii. ib.230

Polygamia.

In Polygamia non potest dispensare Pontifex. 200.61
Polygamia fœminæ est contra ius naturale, viri autem præter. ibid.62
Polygamia, seu vsus plurium vxorum simul, estne irrita iure diuino in lege Euangelica. 245.383
Polygamia an nunc sit licita infidelibus. 246.395
An antiquitus fuerit licita Gentilibus Polygamia? 247.398

Pontifex

Pontifex dispensare non potest in impedimẽto iure diuino naturali dirimente coniugium. p. 207. nu. 118

Solius est Põtificis dispẽsare in cunctis impedimẽtis dirimẽtibus & impedientibus. ib. 119

An desideretur causa iusta, vt Pontifex nõ solũ licitè, sed & valide possit impedimenta matrimonium dirimentia statuere? 209. 129

An Pontificis prohibitio aut interdictum reddat irritum matrimonium contra eam prohibitionem contractum. 273. 596

Num Pontifex possit in impedimẽtis iure diuino, & naturali matrimonium dirimentibus aliquando dispensare. 283. 674

Potestne dari casus in quo Pontifex valeat dispensare, imo præcipere patri, vt filiam ducat in vxorem. ibid. 677

An solus Pontifex possit in impedimentis iure humano dirimentibus dispensare. 284. 680

Presbytericidium.

Presbytericidium quid. 206. 110

An Presbytericidij incurrat impedimentum, quilibet Presbyteri interfector, etiã in iudicio cõtentioso minime conuictus. 281. 662

Promissio.

Promissio externa ad sponsalium validitatem requiritur. 2. 4

Promissio hæc debet esse mutua. ibid. 5

Promissio acceptata ex iustitia obligat. ib. 6

Promissio facta absenti est ante acceptationem reuocabilis. ibid. 7

Promissionis legitimæ quæ conditiones. ib. 8.

Promittẽs potest se multis modis habere, quorum nonnulli obligant se ad sponsalia implenda, alij non se obligant. ibid. 9

Promissionis verba ad sponsalia ferri debent in personam determinatam. ibid. 13

An Promissio mere interna homini facta, licet non adsit externa acceptatio, ad sponsalium valorem sufficiat. p. 8. n. 63. & 64

Vt Promissio matrimonij absenti facta irreuocabilis sit, quid requiratur. 9. 74

An Promissio matrimonij facta absenti, aliqun stipulante, seu acceptante absentis nomine, reuocari possit. ibid. 77

An quando ab aliquo Promissio sit animo promittendi, non tamen se obligandi, sint vera sponsalia, ac promittens maneat obligatus. 11. n. 91. & 92

Num qui Promissionem matrimonij futuri iuramento stabilit animo quidem iurandi; sed expresse se non obligandi, obligetur & constituat vera sponsalia. ibid. 96

An quando fœmina ignorauit excessum viri, aut si nouit taliter ei promisit deflorator, vt prudenter credere potuisset verè promittere fictus promittens teneatur eã ducere. 13. 111

Ficte quis promisit corruptæ fœminæ matrimonium, conscius corruptionis, & conditionis æqualis, teneturne ducere eã quæ sub hac spe ei tradidit corpus. ibid. n. 112. & 113

An Promissio sponsalia constituens debeat necessario geri coram Parocho, & testibus, & sponsalia clandestina sint irrita. ib. 19

An Promissio matrimonij valeat inter impeditos non expressa ea conditione, si Pontifex dispensauerit. 132. 768

Promissio matrimonij ore tenus facta adulterio adiuncta inducitne dirimens impedimentum? 231. 287

An vt Promissio inducat impedimentũ, necessario debeat esse mutua. 232. 293

Vt Promissio futuri matrimonij iuncta adulterio sit dirimens impedimentum, quid sufficiat? ibid. 296

R

Raptus.

AD verum Raptũ quid requiratur 204. 93

Raptus quis iure Ciuili. ib. 94

Raptus quis item iure Canonico ibid.

Raptori mulieris iure Canonico tres pœnæ constitutæ. ib n. 95. 96. 97. & p. 205. n. 98

Tridentini Decretum solum comprehendit raptum qui fit causa contrahendi matrimonium. 205. 99

Raptus alienæ personæ quis. 206. 107

Raptus quo fœmina abripit virum estne matrimonij dirimens. 271. 579

An Raptus dirimat matrimonium, quo inuitis parentibus consentiens fœmina è domo extrahitur. 272. 583

Raptus dirimitne matrimonium, quo sponsus propriam sponsam abripit renuentem ib. 586

An dirimat matrimonium Raptus, qui nõ geritur causa illud contrahendi, sed causa solum explendæ libidinis. ib. 589

An impedimentũ Raptus sponsatæ incurrat, qui sponsã solum de futuro rapit. 280. 649

Religio Religiosus.

Religiosis prohibetur matrimonium solemnizare sub excommunicationis, & suspensionis pœna. 48. 72

Et quæ ista solemnizatio. ibid.

Religionem licet profiteri coniugi qui ante diuortij sententiam in adulterium labitur. 178. 281

Et è contra post diuortij sententiam. ib. 284

Repudium.

Repudium inter & diuortium quæ discrepantia 55. 126

Licuit Iudæis Repudium, Gentilibus minimè. ibid. 127

An per Reeudij in libellum lege veteri dissolueretur matrimonium. 67. 226

S

Sacerdos.

SAcerdos potest dici accidentarius matrimonij minister. 40. 13

Non est necesse Sacerdotem esse Parochum Matrimonio assistentem. 47. 60

Sacerdos esse debet qui de licentia Parochi assistit. ibid. 61

Sacerdos delegatus vt matrimonio assistat, nõ potest alteri Sacerdoti id delegare, nisi delegatus sit ad vniuersitatem causarum. ib. 64

An Sacerdos peccet lethaliter matrimonio in mortali assistens? 64. 196

Sacerdotes Græci vtentes matrimonio ante ordines inito suntne sacrilegij rei? 219. 208

Seruitus.

Seruitus non præstat naturale impedimentum matrimonio ineundo. 195. 11

Seruitutis ignorantia dirimitne suapte naturâ matrimonium. 214. 170

An

An ſeruitutis ignorantia dirimat illud iure naturali. ibid.num.173
An ſerui licite poſſint inuitis dominis ſine petita facultate inire coniugium. 215. 184

Sodomia.

Sodomia coniugis eſtne ſufficiens cauſa ad diuortium gerendum. 172.233
An Sodomia paſſiua det iuſtam diuortij cauſam. ibid. 236
Sodomiam perfectam vir patrans cum vxore inuita exhibeat iuſtam perpetui diuortij cauſam. 173.239

Sponſalia Sponſus.

Sponſalia vnde nomen ſortiantur. p. 1. n.1.
Sponſalia quotupliciter ſumantur. ibid.
Sponſalia quid ſint. p.2.n.2
Vt Sponſalia ſint valida quæ requirantur. ib.
Ad Sponſalium validitatem quid requiratur. ibid.n.4
Sponſalia contrahendi varij modi verbis expreſſis recoluntur. ibid.n.10
Ad Sponſalia ſufficiunt verba de præſenti apta ad matrimonium clandeſtinum. 3. 11
Signa quæ poſſunt verborum ſupplere vices ad Sponſalia innuit Auctor. ibid.12
Ad Sponſalia ferri debent in perſonam determinatam promiſſionis verba. ib.13
Sponſalia facta poſt prima ficta valida ſunt. ibid.14
Sponſalia Clandeſtina valida ſunt etiam poſt Tridentinum.. ibid. 15
Notabilis contrahentium diſparitas non reddit inualide Sponſalia conſciis. ib.16
Ad Sponſalia ij ſoli ſunt habiles,qui ad matrimonium. ibid. 17
Ad Sponſalia quæ requiratur ætas. ib.18
Sponſalia via ad matrimonium. ibid.19
Ex Sponſalibus oritur obligatio ſub lethali. p.4.n.20
Si terminus præfixus non eſt,non tenetur quis illico Sponſalia implere. ibid. 21
Quid agendum cum eo qui recuſat implere Sponſalia. ibid. 22
Sponſalibus addita pœna eſt irrita. ib.23
Etiamſi iurata ſit. ibid. 24
Sponſalia ante ætatem legitimam celebrare non eſt lethale. ibid. 25
Arrhæ in Sponſalibus apponi ſolitę ſignificantur. ibid. 26
Licitæ ſunt arrhæ amittendæ ob violationem fidei Sponſalium. ib. 27
Sponſalibus poteſt interuenire fideiuſſor.ibid. num. 31
Sponſalia diſſoluuntur per ſubſequens cum alia matrimonium. 5.35
Licet fuerint Sponſalia iurata diſſoluuntur ſoluto matrimonio ſubſequenti. ib. 36
Non ſoluuntur Sponſalia priora per ſecunda etiam ſubſecutâ copulâ. ibid. 37
Sponſalia diſſoluuntur mutuo Sponſorum conſenſu. ibid.38
Quid requiratur ad conſenſus,aut remiſſionis huiuſce validitatem. ib.39
Sponſalia diſſoluuntur per fornicationem ſequentem,tam viri quam fœminæ. ib. 40
Soluuntur Sponſalia per morbum contagioſum,vel grauem incurabilem infirmitatem. 6. 41
Soluuntur quoties de nouo agnoſcitur notabilis mortis aſperitas. ib.nu.42
Soluuntur per ſuperueniens impedimentum dirimens matrimonium. ib.43
Soluuntur item per votum ſimplex Religionis & caſtitatis,præcedens. ib.44
Ordines minores ſuſcepti poſt Sponſalia non diſſoluunt illa,maiores diſſoluunt. ib.45
Soluuntur Sponſalia per Religionis ingreſſum etiamſi irrita fuerint. ib.46
Soluuntur per præfixi temporis lapſum. ib. num. 47
Soluuntur per abſentiam alterius in longinquam regionem ſine licentia. ib. 48
Soluuntur ſuperueniente affinitate,aut cognatione legali. ib.49
Ipſo iure Sponſalia ſunt irrita,dolo dante contractui cauſam. ibid.50
Soluuntur demum quando non implentur conditiones. ibid. 51
Ad Sponſalia ſoluenda an requiratur iudicis authoritas. ib. 52
Sponſalia quot in caſibus authoritate propria poſſint diſſolui. 7.53
Ad Sponſalia diſſoluenda quis neceſſarius iudex. ib. 54
Quid agendum in dubio de cauſę ſufficientia. ib. 55
Quãdo poſſit quis in foro conſcientiæ ab Sponſalibus recedere. ib.56
An violatio iuris quod ex Sponſalibus acquirunt Sponſi in corpus,fornicando cum altero ſit adulterium. p.7.n.57.&58
Num Sponſalium circumſtantia in fornicatione ſit confeſſario aperienda. ib. 62
An ad Sponſalium valorem ſufficiat promiſſio mere interna facta homini:licet non adſit externa acceptatio. p.8.n 53.& 64
Ad Sponſalia cenſendane eſt ſufficiens repromiſſio,quando alter fidem dat de matrimonio contrahendo,alter vero non repromittit expreſſe,ſed promiſſionem acceptat. ib. num.68
An ad Sponſalia conſtituenda ſufficiat deliberatio , ex iracundiæ calore procedens. p.10.n.81
An Sponſalia poſsit inire ſenſibus deſtitutus, quibus naturam , & vim contractus valeat edoceri. ib.n.82.& 83
Vtrum Sponſalia inire poſſit,ſurdus,mutus, & cœcus ſimul. ib. 87
Et an inſanus,& mente captus poſsit contrahere Sponſalia , ſeu matrimonium inire , ſi contrahens cum eo erat conſcius furoris,aut mentis impotentiæ. 11. 90
An Sponſalia ſint vera quando ab aliquo fit promiſsio animo promittendi , non tamen ſe obligandi,& an promittens maneat obligatus. ib.num.91.& 92
An Sponſalia vera conſtituat,& obligetur qui promiſsionem matrimonij futuri iuramento ſtabilit,animo quidem iurandi, ſed expreſſe non ſe obligandi. ibid. 96
Dubitans num Sponſalia contraxerit teneturne implere. 12.99
An promiſsio Sponſalia conſtituens debeat neceſſario geri coram Parocho,& teſtibus. p.14.n.117.& 118
Et an Sponſalia Clandeſtina ſint irrita. ibid.
An ſit culpa Sponſalia Clandeſtina contrahere. ibid.n.122
Notabilis contrahentium vero animo Sponſa-

lio disparitas, quando contrahens conscius erat conditionis vilioris alterius ea irritet. 15.125
An vim Sponsalium habeant verba de præsẽti inter puberes clandestinè prolata, quæ constituũt matrimonium clandestinum irritum iuxta Tridentinum. ibid.128
Ad Sponsalia contrahenda nùm sit septennium completum necessarium. 16.132
An ad Sponsalia validè, & licitè contrahenda malitia suppleat ætatem. ib.135
Nùm Sponsalia sint valida in quacumque ætate malitia septennium aut viâ ordinariâ, aut miraculosè præueniat. ib.136.& 137
Ad Sponsalia contrahenda sufficitne is rationis vsus ante septennium, qui satis est, vt puer ille possit lethaliter delinquere. p.17. num.141
An sit lethale Sponsalia ante legitimam ætatem inire. ib. 145
An Sponsalia, vel matrimonium constituat dum quis ait, nullam aliam ducam nisi te. 17.148
An Sponsalium sit sufficiens indicium annuli subarthatio. 17.164
An quando parentes contrahunt Sponsalia pro filiis præsentibus, & tacentibus, cum contractus ipsi filij intelligant, sint valida. p.19.n.165.& 166
An sit speciale, vt dum Sponsalia parentes pro filiis contrahunt, sufficiat præsentia, ac taciturnitas illorum. ib.169
Vtrum quando parentes contrahunt Sponsalia pro filiis absentibus, vel infantibus qui doli capaces non sunt, satis sit si dum postmodum nouerunt, vel facti sunt doli capaces, taceant minime reclamantes. 20.172
An Sponsaliorum impletio obliget sub lethali piaculo. ib.174.& 175
An teneatur statim implere qui Sponsalia cõtraxit, nullo præfixo termino. 20. 179
An sit cogendus per iudicem Sponsalium fidẽ seruare qui citra legitimam causam ea implere recusat. 21. 182
An sit solus ille cogendus, qui Sponsalia iuramento confirmauit. ib.183.& 184
Nùm si alter Sponsorum damnum patiatur, quando alterius culpa matrimonium non initur, possit ob hoc pœna exigi ratione interesse, in quantum interest. ibidem nu. 189
Vtrum pœna contractui Sponsalium adiecta possit iuramento obligatorio firmari. p.22. n.195
An qui fidem Sponsalium sua culpa violat teneatur, in foro conscientiæ arrhas receptas, & pœnam quadrupli conuentionalem restituere. 24. 209
Duplex pœna legalis, & conuentionalis iniustè ab Sponsalibus resilienti imponi solita. ib. 206
An in contractu Sponsalium possint pignora interuenire. ib. 212
Nùm in Sponsalibus pactum adiectum valeat vt vir teneatur in certo oppido moram trahere cum vxore. 25.215
An Sponsalia dissoluantur per Religionis ingressum professione non secuta. ib. 218
Vtrum Sponsalia dissoluantur ex parte vtriusque Sponsi per ingressum Religionis professione non secuta. ib.121
An qui Sponsalia iurauit possit ingredi Religionem ante matrimonium omnino contractum. 26. 224
Qui Sponsalia iurauit, & post Sponsalia sese voto Religionis adstrinxit, potestne licite matrimonium inire animo firmo ingrediendi Religionem ante consummationem. ib. num. 227
An Sponsalia dissoluantur voto simplici castitatis superueniente. 27.233
An sponsalium fide astrictus possit ad Sacros Ordines promoueri, & an Votum ad eos ascendendi Sponsalia dirimat. ib.n.235.& 236 Vbi num. 237. Authoris resolutio affertur. ibidem.
An priora Sponsalia cum vna contracta extinguantur omnino, per matrimonium cum alia initum. 28. 241
Dissoluunturne priora Sponsalia, copulâ subsecutâ cum posteriori ratione damni illati. ib. 245
An priora Sponsalia dissoluantur, per posteriora iuramento firmata. 29. 248
An iura concedentia impuberibus, vt adepta pubertate possint à Sponsalibus antea initis resilire, loquantur solum permissiue, & in foro externo. ib.255
An impuberum Sponsalia possint valido firmari iuramento. 30.257
An Sponsalia possint mutuo contrahentium consensu dissolui. ib.160
Nùm quando Sponsalia firmata sunt iuramento in Dei honorem principaliter præstito, possint mutuo contrahentium consensu dissolui. ib.164
Dum terminus Sponsalibus contrahendis præfixus est, eo transacto, maneat liber is, per quem non stetit. 31.267
An dissoluantur Sponsalia ob alterius Sponsi absentiam in longinquum profecti absque alterius licentia. ib.271
Num Sponsalia dissoluantur per Sponsæ fornicationem vi oppressæ. 32. 275
An soluantur Sponsalia per Sponsi omnino inuisi, & culpæ expertis fornicationem. ib. num.178
An si vterque Sponsus post Sponsalia fornicatur compensentur delicta, ita vt liceat vtrique à Sponsalibus recedere. ib. 281
Ob superueniens iuris impedimentum impediens an soluantur Sponsalia. ib.283.& 284
An ob fœditatem alterius solum oculi amissi possint dissolui Sponsalia. 33.289
An si Sponsa Sponsalium tempore pulcherrima esset, dissoluantur Sponsalia, ea notabiliter deformi effecta. 33. 292
An propter notabilem morum asperitatem, seu sæuitiam alterius Sponsi denuo cognitam dissoluantur Sponsalia. ib. 295
Vtrum Sponsa dotem Sponso promittente, quam superueniente inopia soluere non valet, soluantur Sponsalia. 34. 297
Dotis promissio non præcessit, sed superuenit Sponsæ paupertas, vtrum in hoc casu Sponsalia soluantur. ib. 300
An Sponsalia dissoluantur, quando vtrique Sponso inopia superuenit. ib.304
Dissoluunturne Sponsalia, quando alter Sponsus notabiliter fit ditior, altero in eodem statu

ſtatu permanente. ib. 306

An cauſæ ſufficientes ad Sponſalia diſſoluenda, dum poſt ipſa accidunt, ſatis ſint ad id ſi Sponſalibus præcedant, & fuerunt probabiliter ignoratæ. 35.312

An teneatur Sponſalibus celebratis ſtare Spōſus cum fœmina, quæ putabatur virgo, poſtmodum noſcitur ab alio fuiſſe defloratam. ib. 315

An dum norat Sponſus ſuam Sponſam viduā eſſe, ob fornicationem præcedentem ſibi cum Sponſalia contraxit incognitam, ius habeat ea diſſoluendi. 36.318

An poſſint ex parte Sponſæ diſſolui Sponſalia ob fornicationem viri præcedentem ab ipſa ignoratam. ib. 321

Num laborans defectu aliquo occulto, teneatur eum alteri parti volenti ſecū inire Sponſalia aperire. ib. 324. & ſeqq.

An quando adeſt cauſa ſufficiens ad Sponſalium diſſolutionem, ad id ſit neceſſaria iudicis authoritas. 37.333

An quando ex aliqua ſufficienti cauſa diſſoluuntur Sponſalia iuramento firmata, ſit neceſſarium petere iuramenti relaxationem. 38.336

Sponſalia inter eos, qui habent impedimentum dirimens appoſita conditione, ſi Papa diſpenſauerit valida ſunt. 49.80

An Sponſis ſit conceſſum bimeſtre ad profitendum in Religione, an ad deliberandum de ingreſſu. 71.252

An ſi Sponſa duodennis ad Religionem tranſeat, teneatur Sponſus expectare vſque ad decimum ſextum eius annum, quo profeſſionem omittat. ib. 258

Bimeſtre Sponſis conceſſum ad deliberandum an debeat neceſſario continere omnes, & ſolum illos dies, quos menſes tunc occurrentes continent. 72.261

An ſi bimeſtre Sponſis conceſſum ad deliberandum circa Religionis ingreſſum includat menſem Februarium, & dies Biſſextus ſit pro vnica die computandus. ib. 264

Nùm iudex poſſit prorogare, aut coarctare bimeſtre conceſſum Sponſis ad deliberandum de Religionis ingreſſu. 73.267

An Sponſa intra bimeſtre vi cognita poſſit ad Religionem tranſire. 75.290

Quando Sponſa non vi præciſa, ſed metu cadente in conſtantē virum à Sponſo fuit oppreſſa, poteſtne inire Religionem. ib. 293

An lethaliter peccet Sponſus vi vel timore graui extorquens copulam intra bimeſtre à Sponſa. pag. 78. nu. 295. & 296. vbi n. 297 Author reſoluit. ibid.

An Sponſa per vim oppreſſa ante expletum bimeſtre, poſſit receptum ſemen mox expellere. 76.301

An ſit interdicta omnis Sponſæ traductio in domum Sponſi diebus prohibitis. 118.665

Eſtne lethale diebus prohibitis Sponſam traducere, id eſt, vanæ lætitiæ ſignis. 119.668

An Sponſalibus metu graui contractis iuramētum accedat, & obliget donec relaxetur. 124.708

Sponſalia vitianturne per conditionem ſubſtantiæ matrimonij contrariā, ſicut vitiatur matrimonium. 138.816

An à Sponſalibus reiiciantur conditiones turpes, & impoſſibiles, ſicut à matrimonio reiiciuntur. 39.8251.

An Sponſis de futuro licita ſint oſcula, amplexus aliique tactus, cum non adſit Pollutionis, nec conſenſus in copulam periculum. 169.209

An Sponſis de futuro liceat delectatio captata ex futuræ copulæ coniugalis cogitatione. 170.212

T

Tactus.

AN Tactus inter coniuges ob ſolam voluptatem in ipſis captandam abſque animo perueniendi ad copulam ſint lethale peccata. 167.198

An Tactus impudici quos vxor cum alieno habuit iuſtam diuortis perpetui cauſam præbeant. ib. num. 224

Teſtis.

Teſtes in ſolemnitate matrimonij qui debeant eſſe. 46.55

Triennium.

An Triennij requiratur experimentum, quando exiſtentibus de impotentia ſolum ſignis dubiis, vterque coniux illam ingenue profitetur. 267.551

Nùm vtroque coniuge fatente impedimentum, & Triennio experimenti laplo, neceſſarium ſit vxorem adhuc à matronis inſpici. 268.557

An Triennium experimenti computandum ſit à tempore, quo cœptum eſt à coniugibus copulæ ineundæ vacare. 269.562

An ſi Triennium experimenti aliquo temporis interſtitio intermittatur, debeat iterum de nouo inſtitui. ibid. 565

Eſtne ſupplendum neceſſario Triennij tempus interpollatum. 270.568

V

Vagus.

VAgi qui dicantur. 94.457

Violentia.

Violentia quæ veniat intelligenda. 198.50

Votum.

An Votum caſtitatis ab altero, aut ab vtroque coniuge ante matrimonium emiſſum reddat illicitam debiti petitionem. 161.153

An qui poſt Votum Religionis matrimonium init teneatur à debito exigendo abſtinere. p. 162. n. 156

Qui Votum emittit non ineundi matrimonium eo inito an teneatur à debiti petitione abſtinere. 162.159

An qui poſt Votum caſtitatis, Religionis, aſſumendi Ordinis Sacri, vel abſtinendi à nuptiis ad illas tranſit peccet prima vice conſummando matrimonium. ib. 162

An validum ſit Votum poſt initum matrimonium, non exigendi debitum. 163.165

An Vorum caſtitatis poſt matrimonium conſummatum emiſſum ab altero coniuge ſine alterius licentia ſit validum. ibid. 168

Eſtne licitum Votum ſine coniugis licentia abſtinendi à petitione debiti, cum animo tamen reddendi, provt lex matrimonij obligat. 164.171

An vir poſſit irritare Votum caſtitatis conſtante matrimonio emiſſum, & pro tunc impplendum

plendum ab vxore. 165. 183
An maritus possit irritare Votum castitatis de sua licentia ab vxore factum valide quidem absque iusta causa, & licite interueniente causa iusta. 166.186
Irritarene potest vxor Votum castitatis aut mutuę cohabitationis à viro absque eius licentia emissum. ib.192
Votum solemne castitatis in Religione approbata,& simplex in Societate Iesv dirimit matrimonium.p.193.num.17.Et hoc solum modo iure Ecclesiastico. ib.n.18
An Votum solemne castitatis, in professione Religionis emissum dirimat matrimonium solo iure Ecclesiastico. 218.201
An Votum Sacri Ordinis dirimat matrimonium subsequens solo iure Ecclesiastico. 219.204
An Votum castitatis, Religionis, vel non nubendi emissum ab eo, cui satius est ob animi salutem coniugium inire sit validum,& impediat matrimonium. 277.623

Vxor.

Quandonam Vxor teneatur virum sequi. 55. 124
Vxor teneturne reddere debitum viro tacitè, seu interpretatiuè petenti. 141.4
Vxoris abusus contra naturam estne grauior culpa,quam inter solutos,& an habeat circumstantiam adultis necessario confitendam. 150.72
An si Vxor à viri consanguineo vi, aut metu cognoscatur, priuetur debitum petendi potestate. 159.141
An Vxor innocens teneatur diuertere à viro in adulterio persistente. 186. 347
An ob Vxoris sæuitiam possit vir abilla diuertere. 189.368
Vxor potestne à marito adultero separari. 170.216
Plures Vxores habere iure diuino prohibitum fuit,& Christi præscriptione in lege Euangelica vetitum est. 199.60
Vxoricidium quid? 206.108
Vxor, quæ Voto castitatis emisso, licentiam concessit viro Ordinem Sacrum assumendi an reddatur inhabilis post viri obitum matrimonio ineundo. 244.380
An Vxorum pluralitas simul sit prohibita iure diuino antiquo positiuo. 245.386
Vxorum pluralitas estne irrita, & prohibita iure naturali. 246.389
An Deus possit vt vna Vxor plures habeat maritos;dispensare. ibid.392
An Vxoricidij impedimentum incurrat, qui Vxorem in flagranti adulterij delicto deprehensam proptia interemit authoritate. p.180.n.651.&652
Vxoricidij impedimentum an vir incurrat casu quo Vxorem authoritate iudicis adulteram enecet. 281. 656
Vxoricidij incurritne impedimentum Vxor virum interimens. ib.659
Vxor,vide verb. *Adulterium.*

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IN
FOL.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.



ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. I. V.



ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. & IV.

Th
862a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


ESCOBAR
Theol: Mor:
Tom: III. IV.
F IV
5